AULI

CORNELII CELSI

DE MEDICINA

LIBRI OCTO

EX RECENSIONE LEONARDI TARGAE

QUIBUS ACCEDUNT

VERSIO ITALICA; DE CELSI VITA ET OPERE; PHARMACOPOEA ET ARMAMENTARIUM CHIRURGICUM; BIBLIOTHECA CELSIANA LATINA ET ITALICA; ADNOTATIONES CRITICAE ET HISTORICAE; INDICES LOCUPLETISSIMI, ET LEXICON CELSIANUM.

CURANTE

SALVATORE DE RENZI

MEDICO NEAPOLITANO

TOMUS PRIMUS

NEAPOLI

TYPIS « DEL FILIATRE SEBEZIO »

MDCCCLI.

CLARISSIMO EQUITI

LEONARDO SANTORO

MEDICINAE DOCTORI

Ferdinandi II utriusque Siciliae Regis Chirurgo, Neapolitanae Universitatis Professori, Regalis Scientiarum Academiae Socio, etc. etc.

SALVATOR DE RENZI

S. D.

Ceteros inter, qui me ad novam Celsi De Medicina *libris editionem, novamque italicam versionem impulerunt, Tu, Vir ornatissime, auctor praecipuus fuisti; haesitantemque, deque viribus meis diffidentem, in proposito confirmasti. Nec profecto in tali ineundo periculo auspex, et, ut ita dicam, te auspicatior alius mihi obvenire poterat; qui quanti Celsum nostrum facias, si cetera deessent, vel ex accuratissima tua syglarum instrumentorum ad rem chirurgicam pertinentium Herculanensium, Pompejanorumque illustratione, perspectum omnibus est. Quibus accedunt tuae Celsi ipsius sententiarum difficiliorum, quaeque doctioribus magis torserunt ingenium, praeclarae interpretationes. Atqui haec plusquam satis, ut opus hoc qualecunque Tibi inscribere videretur. Quid nunc, si quae Tibi debeo, non dicam singula numerare, sed ne significare quidem velim? Sed nimium quantum vereor, ne, vel summatim delibatis tuis in me praeclarissimis meritis, commemoratio ipsa in adulationem vertatur. Sed nil prohibet tua erga artem medicosque merita recordari. Quid, quod in difficillimis saeculi nostri temporibus ad medicinae universae pro viribus fulcimenta suppeditasti, quae nemo sine invidiae culpa ignorarit? Tu eximias virtutes cum singulari doctrina, intemeratam fidem cum animi fortitudine Christiano homine dignissima arctiori vinculo connectens, Medicos a funestissimo naufragio, quod quamplurimos eorum hausit, eripere studuisti. Fulgens exemplar anti-*

quae virtutis, quae tam clare elucet inter eos, qui, aut ob animi abjectionem recedunt, aut ob cordis nequitiam sufflant ignem, qui probitatem, doctrinam, honestos labores, et spem ipsam penitus delet atque consumit! Ita posteritas sciet, quod si medicina in saeculo XIX calamitates, dolores, calumnias, proditiones, flagitia passa est, non defuere tamen praeclara virorum exempla, quae veteres aetates, aliasque generationes in memoriam revocabant.

Vale igitur, Vir praestantissime, et haec qualiacumque sunt ingenii mei specimina, aequi bonique facito.

Dabam Neapoli: Kal Mart. 1851.

BENEVOLO LECTORI

Ut validis documentis opus meum, cui nomen inditum est *Storia della Medicina in Italia* fulcirem, a studiorum meorum ratione ductus, novam versionem, novamque editionem innumeris aliis, quae de praestantissimo opere AULI CORNELII CELSI *De Medicina* hactenus prodierunt, addere constitui. Sed inanis labor et sine gloria foret, nisi quid aut novi, aut saltem antea non ex professo tractati, adjicerem. Quapropter certum et exploratum mihi est textui Celsiano addere omnia, quae sive critici sive eruditi ad rem conscripserunt; Celsi sententias cum placitis aliorum veterum Auctorum conferre; Pharmacopoeam et Armamentarium Chirurgicum Celsianum amplissimum disponere; atque ea omnia, quae ad hoc opus explanandum, et medicinam Romanam majorem in lucem ponendam opportuniora videntur, sub titulo *Bibliothecae Celsianae* sigillatim exponere. Atque ne id quidem fortasse apud eruditos viros me habebit excusatum: sed quia singulari amore Celsi opus prosequor, et meum obsequium meamque sententiam in quibusdam transfundere exopto, ob hanc causam, omnibus prudentiae et moderationis posthabitis consiliis, temere et audacter novum et difficillimum iter ingredior.

Ad id itaque efficiendum ante omnia in textu Celsiano emaculando operam praecipuam collocavi. Mihi quidem compertum est, etsi quamplurimos doctissimos viros ad textum Celsi emendandum manus admoverunt, tamen nova declaratione indigere et correctione, quae rem magis attingeret, merito adhuc desiderari. Bifariam autem id fieri potuisse mihi videtur: nempe, aut nova methodo et cognitionibus in paleographia mox inventis perficiendo, ad novam recensionem Codices omnes conferre; aut textum Celsianum proprio marte et judicio ad examen revocare, ac mendis expolire. Sed primum attrectare illius tantum foret, qui doctrinam amori studii amplissimaeque fortunae conjungens, Bibliothecas Europaeas perquirere et perlustrare posset; alterum vero fallacem, aut saltem periculosissimum existimo; quum, licet hoc modo doctissimus Lindenius operam navarit suam, tamen majorem corruptionem in textum Celsi ejus opere effluxisse, compertum est illis de causis primum facere nec potens, nec sciens, alterum nolens, nil aliud mihi supererat, quam meliorem recensionem adhuc cognitam adoptaro; nec animi pendere poteram, ex communi eruditorum sententia, recensionem Targae ceteris omnibus praeferendam.

Leonardus Targa Veronensis omnigena doctrina praeditus, et bene de literis, de medicina et de patria meritus, Morgagni magistri sui in Celso emendando studium aemulatus, per viginti fere annos editionibus omnibus comparatis, et mira patientia quatuordecim Codicibus optimae notae collatis, textum Celsi ad manuscriptorum fidem, et ad meliorem lectionem in editione anni 1769 exhibuit. Neque post haec manum da tabula, ut ita dicam, sustulit; namque cognito Codice VIII Vaticano, omnium antiquiore (quum decimo saeculo excriptus esset), aliisque editionibus comparatis,

et Celsi sententiis eximia diligentia doctaque crisi perpensis, toto quo vixit tempore in Celsum corrigendum incubuit, et novam editionem, vitae suae octogesimum annum agens, typis Veronae (1810) excudit. Hoc modo Targa suam priorem recensionem perficiens, plurima loca corrupta ad veraciorem integram et antiquam lectionem revocavit. Nec tantum a librariorum mendis Celsi opus expurgavit, sed etiam a temeritate Correctorum, qui nec idiotismos familiares Auctori, nec propriam locutionem, nec lexicon ejus intuentes, conati sunt latinissimum Celsum docere quomodo linguam latinam recte conscribere debuisset. Itaque hac nova recensione utendum putavi. Sed quum Editio Veronae anni 1810, ob gravem Auctoris aetatem, negligentiamque Editoris, multis mendis scateat, hac de causa usus sum ea, quam Docti Viri Seminarii Patavini, ad mentem Ipsius Targae nuper defuncti, et ope adnotationum et correctionum ejusdem, textum nova diligentia recudendo, et orthographiam more meliorum Auctorum saeculi Augusti concinne redigendo, anno 1815 typis mandarunt. Attamen haec optima editio fere omnibus eruditis incognita est, nec a Choulant, nec a Milligan, nec a Des Etangs, nec a Daremberg, nec ab aliis citata. Sed quum his omnibus nondum satis me fecisse existimarim, nonnihil de meo addendum amplius censui. Quapropter Targae duas recensiones secum conferre decrevi, et lectiones, in quibus discrimen erat, notavi; deinde alias editiones consulens, et Targae ipsius omni studio diligentiaque doctissimas adnotationes intueus, quaesivi lectiones, quae Codicibus praestantioribus antiquioribusque propius accedebant; vel medicis doctrinis Celsianis, alio loco expressis, adamussim conveniebant, et eas retinui. Ita textu Celsiano, quomodocumque poteram, constituto, adnotationes Targae, quae variantes lectiones explicent, praeterire putavi, easque tantum retinere, quae vel dubia resolvunt, vel philologicas explicationes exhibent.

Nil aliud mihi supererat ad parandam alteram Celsi editionem accuratiorem, quam recensionem nondum editam Lupacchinii in lucem proferre: sed hoc facere mihi non licuit. Notum est Venantium Lupacchinium natum in Castro Lucoli prope Aquilam, anno 1730, diu in Bibliotheca Vaticana degisse, et ibi septem Codices Vaticanos, quamplurimasque editiones comparasse, ita ut novam recensionem, novamque editionem divulgaret. Iamque opus suum praesto erat (quod noluit Commissariis Edimburgensis Academiae, qui magno pretio emere volebant, venundare) quum malo fato accidit, ut a rabido cane demorsus quadragesimo secundo vitae anno miserrime morte sublatus esset. Editiones Celsi a doctissimo Viro notulis et variis lectionibus in margine exornatae in Bibliothecam Regalem Borbonicam demigrarunt, ubi diu latere conspiciebantur, quum Targa alteram suam editionem typis vulgavit, quae lectionem Codicis Vaticani VIII, in quo Lupacchinius insudavit, exponens, fere omnem praestantiam operi abstulit. Nihilominus quod novi adhuc supererat oblivioni eripere volebam; qua de causa aliquas editiones, et praesertim illam Lugduni 1519, (in qua maxime Lupacchinius versatus est), consului et excripsi. Sed quum editionem principem Florentinam 1478, Venetam 1493, duo exemplaria editionis Aldinae 1528, et editionem Hagenoae 1528, omnes varias lectiones Lupacchinii exhibentes ad trutinam revocandas curavi, res praeter opinionem succedere visa est. Siquidem sapienter constitutum est, ut doctissimi diligentissimique viri, qui Regalis

Bibliothecae bono praesunt, id facerent. Nil igitur mihi optabilius est, quam ut doctissimi faciant id, quod ego imperitissimus facere nesciebam. Nolui vero lectiones Lupacchinii mihi cognitas praeterire, et quamvis imperfectae essent, quia cum aliis non comparatae, attamen eas cum editione Targana contuli, et quicquid novi (etiamsi parum valeret) inveni, in notulis exponere deliberavi.

Nec aliud pro medico usu a me fieri potuisse videtur. Opus Celsi vero non est tantum scientificum, sed etiam ad litteras pertinet; et Archeologi et Grammatici et classicae latinitatis amatores, ad degustandas dictionis doctrinaeque delicias illud nocturna diurnaque manu versant. Operis pretium erit etiam in hac parte libros retractare. Sed id nec mei est, nec necessarium, quum eruditissimus BERNARDUS QUARANTA nostrae Archelogicae Academiae e secretis, jam in hac re operam suam impendit, praestantissimumque opus, cujus specimen jam exhibuit, communi expectatione dignum promisit.

Provisis omnibus, quae ad textum Celsianum pertinent, ob oculos ponere id, quod de hoc opere scriptum est ab eruditis, mihi mens erat. Sed difficillimum certe atque inutile foret omnia colligere; et hac de causa praestantiores disquisitiones aut medicinam, aut historiam, aut textum plenissime declarantes: et praesertim Epistolas Morgagni, opus Rhodii de acia et de fibulis antiquorum; disquisitionem Milligan de ponderibus ac mensuris antiquorum; testimonia, laudesque Celsi; nec non Epistolas Bianconii italice conscriptas; dissertationes medico-filologicas Jos. del Chiappa; et disquisitionem Pallettae de litothomia Celsiana, ad constituendam selectam *Bibliothecam Celsianam* omnibus aliis praeferre putavi.

Superest ut de mea versione Italica verbum faciam.

Lud. Choulant optime observavit, neminem recte explicare et intelligere Celsum posse, nisi qui fideliter eum in vernaculam linguam vertere conatus sit; et egoantequam hoc legissem, jam difficultatem legendi Celsum usu intellexeram, nisi saltem loca principalia vernacula lingua vertendo, mentem Auctoris pervaderem. Fere igitur invitus difficillimam viam ingressus, novam versionem Italicam ad Medicorum usum elaboravi. Sed libros Celsianos vertendo numquam audax ac perdifficile propositum institi, idest conficiendi opus italicum, quod aestetica, forma, locutioneque classici archetypi latini classicam perfectamque imaginem reddat. Si id mihi in mentem venisset, forsan non oportebat longos difficillimosque labores aggredi, et tantum satis esset typis recusam in vulgus pulchram versionem edere Jos. DEL CHIAPPA, quam confecit ad hunc obtinendum finem, et reapse magna ex parte consequutus est. Sed ego tantum desideravi veluti per manus medicos tirones ducere, ut perfecte, prout ad medicinam spectat, mentem Auctoris inspicerent, et meos conatus pro eorum laboribus ponere, ut hoc modo importunas, ut ita dicam, nubeculas, quae textum velabant, dissiparem, et ad degustandam dulcedinem et sapientiam operis Celsiani iter eis patefacerem. Denique si versio veram effigiem archetypi offerre debet, ego magis *similitudinem* sensus petivi, quam, ut ita dicam, *effectum artis*. Non inficias ibis Celsum ab omnibus laudatum, a paucis lectum esse: qua de causa igitur tam pulchra locutio, tam alta sapientia parum invitat et allicit? Ipse Lud. Choulant, proxime memoratus, hujus rei veras causas exponit: « Difficultates, inquit, non quidem in verbis positae

» sunt, inque dicendi genere, quo usus est disertissimus Auctor, sed potius in rebus ipsis ab eo pertractatis. Ex his rebus multae pertinent proprie ad medicinam antiquiorem ipsamque medicinae historiam, multae ad antiquitates Romanorum veterum domesticas, multae denique ad medicae artis intima penetralia, quae omnia non cuilibet, tironi praesertim, ita patent, ut interprete is non egeat. Nulla autem hucusque existit Celsi editio, quae ejusmodi interpretis provinciam in se suscipiat, lectorique eas difficultates dirimat, in quas certe per continuatam Celsi lectionem offensurus est ».

Defectus igitur editionis et versionis vere et stricte *medicae* a lectura operae doctissimae medicos saltem tirones removet. Ad has difficultates dimovendas labores meos et sumptus conatusque contuli; et hac de causa versionem ipsam adnotationibus exornavi, ut clarius medicina Celsiana pateret. Homines eruditi, et qui profunde in studium linguae patrum nostrorum versati sunt, meam versionem non legant: ipsam pro eorum usu non confeci. Difficultates vero versionis, et meos conatus ad eas superandas alias exponam.

Ad eundem finem obtinendum duas alias Dissertationes huic editioni adjicere censui : idest *De Celsi vita et opere ; et Pharmacopoeam Celsianam*. Prima, breviter medicinam, quae Celsum antecesserat, et illam sui temporis examinando, facilius mentem Auctoris, et illius merita, explanat. Altera, omnia sive simplicia, sive composita medicamina perpendendo, et chirurgica praesidia examinando; Plinium, Dioscoridem, aliosque veteres consulendo; et omnia nominibus, methodisque medicinae, chirurgiaeque nostri temporis comparando, meliori modo et artis historiam et medicas doctrinas, et medendi usum temporis Augusti in lucem ponit. Plurimae tabulae ligno incisae ab expertissima manu, et textu ipso insertae, non pauca instrumenta chirurgica, plantas, aliasque res sub oculis ponunt.

Nec aliud a me fieri potuisse fatendum : siquidem nec aliae opportunitates mihi praesto erant, nec vires meae aliud pondus sustinere valebant. Omnia in duo volumina disponam, quorum unum tractatus latinos, alterum italicos continebit; adjiciens divisionem capitum et titulorum inscriptionem uti in melioribus editionibus videre est, nec non Indices locupletissimos capitum auctorumque, et Lexicon Celsianum Targae noviter concinnatum.

En brevi operis ordo et dispositio. In eo conficiendo nonnulli mihi benevolentia, amicitiaque conjuncti animum meum consilio et fidentia excitaverunt (1) ; dum contra omnia temporis fortunaeque meae impedimenta experiebar. Sed quia ingenii mei paupertatem cognosco, et scio jus privilegiumque singulare illuminandi Terrarum Orbem mihi vindicare insanum fuisse, hac de causa meum propositum persequens, hos, quos potui, labores medicis offerens, meliora ab aliis et magis instructis, et melius fortunae acceptis, expectabo.

(1) Illustr. Stephanus della Chiaje *Pharmacopoeam Celsianam* concinne exornavit, et suis animadversionibus ditavit. — Eruditus Ios. Lamanna perplurima dubia ad intelligentiam textus pertinentia declaravit. — Clar. Car. Daremberg, Bibliothecae Mazarinae Parisiensis Custos, consilia, notitias, explicationes liberaliter mihi praebuit; — et amicissimus Ang. Beatrice medicus hyrpinus, concivis meus, opera ac solertia sua me in correctione typographica adjuvit. Quibus jure ac merito gratias agere gestio, majores certe habiturus.

A. CORNELII CELSI

ARTIUM LIBER SEXTUS

IDEM

MEDICINAE

PRIMUS.

(*) UT alimenta sanis corporibus Agricultura (1), sic sanitatem aegris Medicina promittit. Haec nusquam quidem non est: siquidem etiam imperitissimae gentes herbas (2), aliaque promta in auxilium vulnerum morborumque noverunt. Verumtamen apud Graecos aliquanto magis, quam in ceteris nationibus, exculta est: ac ne apud hos quidem a prima origine, sed paucis ante nos saeculis; utpote quum vetustissimus auctor Aesculapius celebretur. Qui, quoniam adhuc rudem et vulgarem hanc scientiam paulo subtilius excoluit, in Deorum numerum receptus est. Hujus deinde duo filii, Podalirius et Machaon, bello Trojano ducem Agamemnonem sequuti, non mediocrem opem commilitonibus suis attulerunt. Quos tamen Homerus, non in pestilentia, neque in variis generibus morborum aliquid attulisse auxilii (3), sed vulneribus tantummodo ferro et medicamentis mederi solitos esse, proposuit. Ex quo apparet, has partes medicinae solas ab iis esse tractatas, easque esse vetustissimas. Eodemque auctore disci potest, morbos tum ad iram Deorum immorta-

(1) Ab Agricultura, quam prioribus quinque Artium libris complexus est, transit Celsus ad Medicinam, de qua in sequentibus octo acturus est; atque his verbis utriusque Artis finem significat. Utitur autem verbo *promittit*, quia neutra semper id consequitur, quod sibi proposuit. Quod ad Medicinam attinet, Hippocrates ita scribit in lib. de Arte: *Si res medico non succedit ex animi sententia, meo quidem judicio, in morbi vehementiam, non in artem ipsam culpa rejicienda est.* Et Quintilianus li. 2. Instit. Orat. cap. 17. *Medicus sanitatem aegri petit; si tamen aut valetudinis vi, aut intemperantia aegri, aliove quo casu summa non contingit, dum ipse omnia secundum rationem fecerit, medicinae fine non excidit.* (2) Vox *promta* eadem significatione usurpatur lib. 2. cap. ult. *ponam ea, quae promta, et iis morbis de quibus protinus dicturus sum, apta* etc. Ejusmodi remedia a Plinio lib. 24. Hist. Natur. cap. 1. dicuntur *parata vulgo, inventu facilia.* (3) Iliad. 4. quo Plinius quoque respicit, ita de Medicina scribens lib. 29. H. N. cap. 1. sect. 1. *clara Trojanis temporis*

(*) PROOEMIUM. *Quae ratio medicina potissima sit, et quemadmodum sanos agere conveniat*

lium relatos esse , et ab iisdem opem posci solitam. Vcrique simile est (4) , inter nulla auxilia adversae valetudinis , plerumque tamen eam bonam contigisse ob bonos mores , quos neque desidia , neque luxuria vitiarant : siquidem haec duo , corpora , prius in Graecia , deinde apud nos , afflixerunt. Ideoque multiplex ista medicina (5) , neque olim , neque apud alias gentes necessaria , vix aliquos ex nobis ad senectutis principia perducit. Ergo etiam post eos, de quibus retuli (6) , nulli clari viri medicinam exercuerunt ; donec majore studio literarum disciplina agitari coepit , quae , ut animo praecipue omnium necessaria , sic corpori inimica est. Primoque medendi scientia sapientiae pars habebatur , ut et morborum curatio, et rerum naturae contemplatio sub iisdem auctoribus nata sit: scilicet iis hanc maxime requirentibus, qui corporum suorum robora (7) quieta cogitatione , nocturnaque vigilia minuerant. Ideoque multos ex sapientiae professoribus peritos ejus fuisse accepimus ; clarissimos vero ex iis Pythagoram , et Empedoclem, et Democritum. Huius autem, ut quidam crediderunt, discipulus Hippocrates Cous (8), primus quidem ex omnibus memoria dignis (9) , ab studio sapientiae disciplinam hanc separavit, vir et arte et facundia insignis. Post quem (10) Diocles Carystius , deinde Praxagoras et Chrysippus , tum Herophilus et Erasistratus sic artem hanc exercuerunt , ut etiam in diversas curandi vias processerint. Iisdemque temporibus in tres partes medicina diducta est : ut una esset, quae victu ; altera , quae medicamentis ; tertia, quae manu mederetur. Primam διαιτητικὴν , secundam φαρμακευτικὴν , tertiam χειρουργικὴν Graeci nominarunt. Ejus autem, quae victu morbos curat , longe clarissimi auctores , etiam altius quaedam (11) agitare conati, rerum quoque naturae sibi cognitionem vindicarunt , tamquam sine ea trunca et debilis medicina esset. Post quos (12) Serapion , primus omnium , nihil hanc rationalem discipli-

bus, quibus fama certior; vulnerum tamen dumtaxat remediis. (4) Nihil illis opus erat medicina, qui in morbis a diis opem poscere solerent. (5) Videlicet cum boni mores erant. (6) Plinius lib. 29 cap. 1. sect. 2. *Clara*, medicina, *Trojanis temporibus, quibus fama certior; vulnerum tamen dumtaxat remediis. Sequentia ejus in nocte densissima latuerunt usque ad Peloponnesiacum bellum: tunc eam in lucem revocavit Hippocrates.* (7) Cicero in lib. 1. cap. 22. de Offic. *quietos* vacat philosophos; de iisque in lib. 5. cap. 4, de Finib. ita scribit; *vitae degendae ratio maxime quidem illis placuit quieta in contemplatione, et cognitione posita rerum*; in lib. autem de Invent cap. 3. eorum *studium quietum* vocat. (8) Pythagoras, Empedocles, et Democritus periti quidem medicinae fuerunt , quod ea sapientiae pars haberetur: non tamen artem ipsam exercuerunt. (9) In Praenotionibus, Aphorismis, aliisque quibusdam libris ea tradidit Hippocrates, quae priores medici, quaeque ipse diuturna observatione animadverterat, atque notaverat: in aliis, qui ipsi tribuuntur; sed aliqui, ut multi Critici putant, falso; philosophum se ostendit. Celsus quidem in hoc prooemio primum eum ponit inter medicos illos qui *non contenti febres et ulcera agitare, rerum quoque naturam ex aliqua parte scrutati sunt*; et Galenus rationalium principem appellat. (10) In secundus aetate famaque dicitur a Plinio lib. 26. cap. 2. sect. 6. (11) Tractare. Hoc verbum eadem significatione Celsus supra usurpavit; *donec majore studio literarum disciplina agitari coepit*; itemque paulo inferius, *nullo vero quidquam ex iis qui supra comprehensi sunt, agitante.* (12) Plinius lib.

nam pertinere ad medicinam professus, in usu tantum et experimentis eam posuit. Quem Apollonius, et Glaucias, et aliquanto post Heraclides Tarentinus, et alii quoque non mediocres viri sequuti, ex ipsa professione se ἐμπειρικοὺς appellaverunt. Sic in duas partes ea quoque, quae victu curat, medicina divisa est, aliis rationalem artem, aliis usum tantum sibi vindicantibus: nullo vero quidquam post eos, qui supra comprehensi sunt, agitante, nisi quod acceperat: donec Asclepiades medendi rationem (13) ex magna parte mutavit. Ex cujus successoribus Themison nuper ipse quoque quaedam in senectute deflexit. Et per hos quidem maxime viros salutaris ista nobis professio increvit.

Quoniam autem ex tribus medicinae partibus, ut difficillima, sic etiam clarissima est ea (14), quae morbis medetur, ante omnia de hac dicendum est. Et quia prima in eo dissensio est, quod alii sibi experimentorum tantummodo notitiam necessariam esse contendunt; alii, nisi corporum rerumque ratione comperta, non satis potentem usum esse proponunt: indicandum est, quae maxime ex utraque parte dicantur, quo facilius nostra quoque opinio interponi possit. Igitur ii, qui rationalem medicinam profitentur, haec necessaria esse proponunt: abditarum et morbos continentium causarum notitiam; deinde evidentium; post haec etiam naturalium actionum; novissime partium interiorum. Abditas causas vocant, in quibus requiritur, ex quibus principiis nostra corpora sint, quid secundam, quid adversam valetudinem faciat. Neque enim credunt, posse eum scire, quomodo morbos curare conveniat, qui, unde hi sint, ignoret. Neque esse dubium, quin alia curatione opus sit (15), si ex quatuor principiis vel superans aliquid, vel deficiens adversam valetudinem creat; ut quidam ex sapientiae professoribus dixerunt: alia, si in humidis omne vitium est; ut Herophilo visum est (16): alia, si in spiritu; ut Hippocrati: alia (17), si sanguis in eas venas, quae spiritui accomodatae sunt, transfunditur, et inflammationem, quam Graeci φλεγμονὴν nominant, excitat, eaque inflammatio talem motum efficit, qualis in febre

29. cap. 1. sect. 4. auctorem empiricae sectae Acronem Agrigentinum fuisse tradit; Galenus, Philinum, Herophili discipulum. (13) Plinius lib. 29. cap. 1. *Auditor ejus* (Asclepiadis) *Themison fuit, qui quae inter initia scripsit, illo mox recedente a vita, ad sua placita mutavit.* (14) Non medicamentis, ut explicat Constantinus, sed victu. Ad hanc partem significandam eadem dicendi forma utitur Celsus in prooemio lib. 7. *Siquidem in morbis cum multum fortuna conferat, eademque saepe salutaria, saepe vana sint* etc. (15) Id est aere, igne, aqua, terra. (16) In lib. de Flat. *Spiritus* (πνεύματα) *quidem*, inquit, *qui in corporibus insunt, flatus vocantur: qui vero extra corpus sunt, aer.* Celsus utrumque sub nomine *spiritus* comprehendit atque hic quidem, itemque paulo infra, internum significat; alibi vero externum; ut lib. 2. cap. 11. *ubi ea parte qua exiguum foramen est, ore spiritus adductus est*; et lib. 7 cap. 11. *momento enim*, intestina, *alienantur, externo et insueto spiritu circumdata.* Ceterum librum de Flat. Galenus, et Erotianus censent ab Hippocrate scriptum fuisse; alii aliis Auctoribus attribuunt. (17) Venas usurpat pro arteriis, ut alibi saepe. In ultima parte hujus prooemii eamdem Erasistrati sententiam exponit his verbis; *Accedit ad haec, quod ne ipse quidem Erasistratus, qui transfuso in arte-*

est; ut Erasistrato placuit: alia, si manantia corpuscula, per invisibilia foramina subsistendo, iter claudunt; ut Asclepiades contendit. Eum vero recte curaturum, quem prima origo causae non fefellerit. Neque vero inficiantur, experimenta quoque esse necessaria; sed ne ad haec quidem aditum fieri potuisse, nisi ab aliqua ratione, contendunt. Non enim quidlibet antiquiores viros aegris inculcasse, sed cogitasse, quid maxime conveniret, et id usu explorasse, quo ante conjectura aliqua duxisset. Neque interesse, an nunc iam pleraque explorata sint, si a consilio tamen coeperunt. Et id quidem in multis ita se habere. Saepe vero etiam nova incidere genera morborum, in quibus nihil adhuc usus ostenderit; et ideo necessarium sit animadvertere, unde ea coeperint; sine quo nemo reperire mortalium possit, cur hoc, quam illo, potius utatur. Et ob haec quidem in obscuro positas causas persequuntur. Evidentes vero eas appellant, in quibus quaerunt, initium morbi calor attulerit, an frigus; fames, an satietas; et quae similia sunt. Occursurum enim vitio dicunt eum, qui originem non ignorarit. Naturales vero corporis actiones appellant, per quas spiritum trahimus et emittimus; cibum potionemque et assumimus et concoquimus: itemque per quas eadem haec in omnes membrorum partes digeruntur. Tum requirunt etiam, quare venae nostrae modo submittant se, modo attollant; quae ratio somni, quae vigiliae sit: sine quorum notitia neminem putant vel occurrere, vel mederi morbis inter haec nascentibus posse. Ex quibus quia maxime pertinere ad rem concoctio videtur, huic potissimum insistunt; et, duce alii Erasistrato (18), teri cibum in ventre contendunt; alii, Plistonico Praxagorae discipulo, putrescere; alii credunt Hippocrati, per calorem cibos concoqui: acceduntque Asclepiadis aemuli, qui, omnia ista vana et supervacua esse, proponunt: nihil enim concoqui, sed crudam materiam, sicut assumta est, in corpus omne diduci. Et haec quidem inter eos parum constant: illud vero convenit, alium dandum cibum laborantibus, si hoc; alium, si illud verum est. Nam si teritur intus, eum quaerendum esse, qui facillime teri possit; si putrescit, eum, in quo hoc expeditissimum est; si calor concoquit, eum, qui maxime calorem movet: at nihil ex his esse quaerendum, si nihil concoquitur; ea vero sumenda, quae maxime manent qualia assumta sunt. Eademque ratione, quum spiritus gravis est, quum somnus aut vigilia urget, eum mederi posse arbitrantur, qui prius illa ipsa qualiter eveniant, perceperit. Praeter haec quum in interioribus partibus et dolores et morborum varia genera nascantur; neminem putant his adhibere posse remedia, qui ipsas ignoret. Necessarium ergo esse incidere corpora mortuorum, eo-

rias sanguine febrem fieri dicit etc. (18) Infra vero libri omnes habent *Nam si teritur intus, eum quaerendum esse, qui facillime teri possit.* Hoc verbo usus est Cicero lib. 2. de N. D. cap. 54 *ut ex calore, quem alvus multum habet, et terendo cibo, et praeterea spiritu omnia cocta, atque confecta in corpus omne dividan-*

rumque viscera atque intestina scrutari; longeque optime fecisse Herophilum et Erasistratum, qui nocentes homines, a regibus ex carcere acceptos, vivos inciderint, considerarintque, etiamnum spiritu remanente, ea, quae natura ante clausisset, eorumque positum, colorem, figuram, magnitudinem, ordinem, duritiem, mollitiem, laevorem (19), contactum; processus deinde singulorum et recessus, et sive quid inseritur alteri, sive quid partem alterius in se recipit. Neque enim, quum dolor intus incidit, scire quid doleat, eum, qui, qua parte quodque viscus intestinumve sit, non cognoverit: neque curari id, quod aegrum est, posse ab eo, qui, quid sit, ignoret. Et quum per vulnus alicujus viscera patefacta sunt, eum, qui sanae cujusque colorem partis ignoret, nescire quid integrum, quid corruptum sit; ita ne succurrere quidem posse corruptis. Aptiusque extrinsecus imponi remedia, compertis interiorum et sedibus et figuris, cognitaque eorum magnitudine: similesque omnia, quae posita sunt, rationes habere. Neque esse crudele, sicut plerique proponunt, hominum nocentium, et horum quoque paucorum, suppliciis remedia populis innocentibus saeculorum omnium quaeri.

Contra ii, qui se ἐμπειρικοὺς ab experientia nominant, evidentes quidem causas, ut necessarias, amplectuntur: obscurarum vero causarum et naturalium actionum quaestionem ideo supervacuam esse contendunt, quoniam (20) non comprehensibilis natura sit. Non posse vero comprehendi, patere ex eorum, qui de his disputarunt, discordia; quum de ista re, neque inter sapientiae professores, neque inter ipsos medicos conveniat. Cur enim potius aliquis Hippocrati credat, quam Herophilo? cur huic potius, quam Asclepiadi? Si rationes sequi velit, omnium posse videri non improbabiles; si curationes, ab omnibus his aegros perductos esse ad sanitatem. Ita neque disputationi, neque auctoritati cujusquam fidem derogari oportuisse. Etiam

tur. (19) Ita omnes Codd. exceptis Veneto, Foroliviensi, et Med. VI. in quibus est *contractum*. Sed in Mediceo littera *r* ab ipso librario expuncta est; et Med. III. ex quo ille descriptus est, habet *contactum*. Ita porro legitur in Edd. plerisque omnibus; in Ruelliana, *contractum*; in Lindeniana, *confractum*, ut malebat Constantinus; videlicet pro aspero et confragoso. Schulzius in Exercitat. de Ossib. Conferven excogitavit *confrutum*. Morgagnus non probat *confrutum*; quod vox haec neque apud Celsum alibi, neque apud ullum alium scriptorem inveniatur; neque hic locum habere possit, ubi sermo est de habitu viscerum naturali. Idem rejicit *confractum*; quia in partibus interioribus quae recte se habeant nihil est asperi, si excipias asperam arteriam in thorace, ad quam unam referri vocem istam verisimile non est. Facciolatus *confractum* rejicit, quia haec vox, si latina est, *fracturam significat*; ideoque hic locum habere non potest; probat *contactum*, quia vox certissimae latinitatis est, et sensum reddit idoneum. Vide 3. Morgagni epistolam. Ego in loco, adeo a Criticis vexato, eos Codices sequi malui, qui habent *contactum*. Video enim *contractum* alibi quoque a librariis perperam scriptum esse pro *contactum*; ut lib. 2. cap. 17. *sub primo contractu aquae calidae* pro *sub primo contactu aquae calidae*; et in Cicerone lib. 2. de Divinat. cap. 16. quosdam Codd. habere *contractum aliquo morbo* pro *contactum aliquo morbo*; et in Virgilio lib. 3. Georg. v. ult. *contractos artus* pro *contactos artus*. (20) Ita Codd. Mss. atque Edd. sex primae, et Ruelliana; Edd. ceterae, *incomprehensibilis*. Similis lectionis varietas est apud Ciceronem in prooemio lib. 2. de Officiis,

sapientiae studiosos maximos medicos esse, si ratiocinatio hoc faceret; nunc illis verba superesse, deesse medendi scientiam. Differre quoque pro natura locorum genera medicinae; et aliud opus esse Romae, aliud in Aegypto, aliud in Gallia. Quod si morbos eae causae facerent, quae ubique eaedem essent, remedia quoque ubique eadem esse debuisse. Saepe etiam causas apparere, ut puta lippitudinis, vulneris; neque ex his patere medicinam. Quod si scientiam hanc non subjiciat evidens causa, multo minus eam posse subjicere, quae in dubio est. Quum igitur illa incerta, incomprehensibilis sit, a certis potius et exploratis petendum esse praesidium; id est, iis, quae experientia in ipsis curationibus docuerit; sicut in ceteris omnibus artibus (21). Nam ne agricolam quidem aut gubernatorem disputatione, sed usu fieri. Ac nihil istas cogitationes ad medicinam pertinere, eo quoque disci, quod qui diversa de his senserint, ad eamdem tamen sanitatem homines perduxerint. Id enim fecisse, quia non ab obscuris causis, neque a naturalibus actionibus, quae apud eos diversae erant, sed ab experimentis, prout cuique responderant, medendi vias traxerint. Ne inter initia quidem ab istis quaestionibus deductam esse medicinam, sed ab experimentis. Ægrorum enim, qui sine medicis erant, alios propter aviditatem primis diebus protinus cibum assumsisse, alios propter fastidium abstinuisse; levatumque magis eorum morbum esse, qui abstinuerant. Itemque alios in ipsa febre aliquid edisse, alios paulo ante eam, alios post remissionem ejus; optime deinde iis cessisse, qui post finem febris id fecerant. Eademque ratione alios inter principia protinus usos esse cibo pleniore, alios exiguo; gravioresque eos factos, qui se implerant. Haec similiaque quum quotidie inciderent, diligentes homines notasse, quae plerumque melius responderent: deinde aegrotantibus ea praecipere coepisse. Sic medicinam ortam, subinde aliorum salute, aliorum interitu, perniciosa discernentem a salutaribus. Repertis deinde jam remediis, homines de rationibus eorum disserere coepisse: nec post rationem medicinam esse inventam; sed post inventam medicinam, rationem esse quaesitam. Requirere etiam ratio idem doceat quod experientia, an aliud: si idem, supervacuam esse; si aliud, etiam contrariam. Primo tamen remedia exploranda summa cura fuisse, nunc vero jam explorata esse; neque aut nova genera morborum reperiri, aut novam desiderari medicinam. Quod si jam incidat mali genus aliquod ignotum, non ideo tamen fore medico de rebus cogitandum obscuris: sed eum protinus visurum, cui morbo id proximum sit; tentaturumque remedia similia illis, quae vicino malo saepe succurrerint, et per ejus similitudinem opem reperturum. Neque enim se dicere, consilio medicum non egere, et irrationale animal hanc artem posse praestare; sed has latentium rerum conjecturas ad

ubi alii legunt *non probabilia dicimus*; alii, *improbabilia dicimus*. (21) Co-

rem non pertinere; quia non intersit, quid morbum faciat, sed quid tollat; neque (22) *ad rem pertineat*, quomodo, sed quid optime digeratur; sive hac de causa concoctio incidat, sive de illa; et sive concoctio sit illa, sive tantum digestio. Neque quaerendum esse quomodo spiremus, sed quid gravem tardumque spiritum expediat: neque quid venas moveat, sed quid quaeque motus genera significent. Haec autem cognosci experimentis. Et in omnibus ejusmodi cogitationibus in utramque partem disseri posse: itaque ingenium et facundiam vincere; morbos autem non eloquentia, sed remediis curari. Quae si quis elinguis usu discreta bene norit, hunc aliquanto majorem medicum futurum, quam si sine usu linguam suam excoluerit. Atque ea quidem, de quibus est dictum, supervacua esse tantummodo; id vero, quod restat, etiam crudele: vivorum hominum alvum atque praecordia incidi, et salutis humanae praesidem artem non solum pestem alicui, sed hanc etiam atrocissimam, inferre; quum praesertim ex iis, quae tanta violentia quaerantur, alia non possint omnino cognosci, alia possint etiam sine scelere. Nam colorem, laevorem, mollitiem, duritiem, similiaque omnia (23), non esse talia, inciso corpore, qualia integro fuerint: quia quum, corporibus inviolatis, haec tamen metu, dolore, inedia, cruditate, lassitudine, mille aliis mediocribus affectibus saepe mutentur; multo magis verisimile est, interiora, quibus major mollities, et lux ipsa nova sit, sub gravissimis vulneribus et ipsa trucidatione mutari. Neque quidquam esse stultius, quam quale quid vivo homine est, tale existimare esse moriente, imo jam mortuo (24). Nam (*a*) uterum quidem, qui minus ad rem pertineat, spirante homine posse diduci: simulatque vero ferrum ad praecordia accessit, et discissum transversum septum est, quod membrana quadam superiores partes ab inferioribus diducit (διάφραγμα Graeci vocant), hominem protinus ani-

lumella lib. 1. R. R. cap. 1. *Usus et experientia dominantur in artibus* (22) Tria verba *ad rem pertineat*, ex glossemate addita sunt. » — (Hoc in loco, aliisque omnibus, diversitas characteris indicat verba, quae Targa insititia esse putat »). (23) Cicero in Lucullo cap. 14. *corpora nostra non novimus: qui sit situs partium, quam vim quaeque pars habeat, ignoramus. Itaque medici ipsi, quorum intererat ea nosse, aperuerunt, ut ea viderent. Nec eo tamen ajunt empirici notiora esse illa, quia possit fieri, ut patefacta et detecta mutentur.* (24) Morgagno locus hic obscurus videtur, et mendi suspicione laborare: atque advertit, aliis quoque non satis planum, et apertum visum esse; cum in Edd. sex primis, et in utraque Manuliana verbo *diduci* apponatur interrogandi nota; Ed. Stephani habeat *qui minus* Quae tamen dubitationes omnes tollantur, si cogitemus, Empiricos aliquid minus vere dicere, ut causae inserviant. Lindenius legit, ut habet in margine Constantini Editio. *Nam ne uterum quidem, ut nihilominus aerem contineat* etc. omnino male. *Certe enim* (ita scribit Morgagnus) *venter spirante homine quod vel proxima verba non negant) in experimentis anatomicis aperitur; non ita quidem, ut nihilominus aerem contineat: sed quis hoc requirat? aut sic*

(*a*) Notula Lupacchinii. *Uterum s. ventrem. Virg. 2. Aeneid.*

. . . . . Uteroque recussa
Insonuere cavae, gemitumque dedere cavernae.

mam amittere: ita mortui demum praecordia et viscus omne in conspectum latrocinantis medici (*a*) dari necesse est tale, quale mortui sit, non quale vivi fuit. Itaque consequi medicum ut hominem crudeliter jugulet; non ut sciat, qualia vivi viscera habeamus. Si quid tamen sit, quod adhuc spirante homine conspectui subjiciatur, id saepe casum offerre curantibus. Interdum enim gladiatorem in arena, vel militem in acie, vel viatorem a latronibus exceptum sic vulnerari, ut ejus interior aliqua pars aperiatur, et in alio alia: ita sedem, positum, ordinem, figuram, similiaque alia cognoscere prudentem medicum, non caedem, sed sanitatem molientem; idque per misericordiam discere, quod alii dira crudelitate cognorint. Ob haec ne mortuorum quidem lacerationem necessariam esse, quae, etsi non crudelis, tamen foeda sit; quum aliter pleraque in mortuis se habeant: quantum vero in vivis cognosci potest, ipsa curatio ostendat.

Quum haec per multa volumina, perque magnae contentionis disputationes a medicis saepe tractata sint atque tractentur: subjiciendum est, quae proxima vero videri possint. Ea neque addicta alterutri opinioni sunt, neque ab utraque nimium abhorrentia; media quodammodo inter diversas sententias: quod in plurimis contentionibus deprehendere licet, sine ambitione verum scrutantibus (25), ut in hac ipsa re. Nam quae demum causae, vel secundam valetudinem praestent, vel morbos excitent; quomodo spiritus, aut cibus (26), vel trahatur, vel digeratur, ne sapientiae quidem professores scientia comprehendunt, sed conjectura persequuntur. Cujus autem rei non est certa notitia, ejus opinio certum reperire remedium non potest. Verumque est, ad ipsam curandi rationem nihil plus conferre, quam experientiam. Quamquam igitur multa sint ad ipsas artes proprie non pertinentia, tamen eas adjuvant, excitando artificis ingenium. Itaque ista quoque naturae rerum contemplatio, quamvis non faciat medicum, aptiorem tamen medicinae reddit. Verique simile est, et Hippocratem et Erasistratum et quicumque alii, non contenti febres et ulcera agitare, rerum quoque naturam ex aliqua parte scrutati sunt, non ideo quidem medicos fuisse, verum ideo quoque majores medicos extitisse. Ratione vero opus est ipsi medicinae (27), etsi non inter obscuras causas, neque inter naturales actiones, tamen saepe. Est enim haec ars conjecturalis; neque respondet

objiciat, quod per se omnibus manifestum est, fieri nullo pacto posse? (25) Sic lib. 3. cap. 4. *Sed qui quaestui serviunt, libenter amplectuntur ea praecepta, quae sedulitatem non exigunt; ut in hac ipsa re.* (26) Respicit Celsus ad verba illa Rationalium; *naturales corporis actiones appellant, per quas spiritum trahimus, et emittimus; cibum, potionemque et assumimus, et concoquimus; itemque per quas eadem haec in omnes membrorum partes digeruntur.* (27) Sensus est; ratione medicinae opus esse, non quidem ad obscuras causas investigandas; quae, ut dicitur sub finem prooemii, ab arte rejicienda sunt; sed ad ipsas evidentes causas persequendas:

(*a*) Lupacchinius corrigit: *lancinantis medici dari, ut necesse est, tale, etc.*

ei plerumque non solum conjectura, sed etiam experientia. Et interdum non febris, non cibus, non somnus subsequitur, sicut assuevit. Rarius, sed aliquando morbus quoque ipse novus est: quem non incidere, manifeste falsum est; quum aetate nostra quaedam, ex naturalibus partibus (28) carne prolapsa et arente (*a*), intra paucas horas expiraverit sic, ut nobilissimi medici neque genus mali, neque remedium invenerint (29). Quos eo nihil tentasse judico, quia nemo in splendida persona periclitari conjectura sua voluerit; ne occidisse, nisi servasset, videretur: veri tamen simile est, potuisse aliquid cogitari, detracta tali verecundia; et fortasse responsurum fuisse id, quod aliquis esset expertus. Ad quod medicinae genus neque semper similitudo aliquid confert; et si quando confert, tamen id ipsum rationale est, inter multa similia genera et morborum et remediorum, cogitare, quo potissimum medicamento sit utendum. Quum igitur talis res incidit, medicus aliquid oportet inveniat, quod non utique fortasse, sed saepius tamen etiam respondeat. Petet autem novum quoque consilium non ab rebus latentibus, (istae enim dubiae et incertae sunt), sed ab iis, quae explorari possunt, id est evidentibus causis. Interest enim, fatigatio morbum, an sitis, an frigus, an calor, an vigilia, an fames fecerit, an cibi vinique abundantia, an intemperantia libidinis. Neque ignorare hunc oportet, quae sit aegri natura: humidum magis, an magis siccum corpus ejus sit; validi nervi, an infirmi; frequens adversa valetudo, an rara; eaque, quum est, vehemens esse soleat, an levis; brevis, an longa: quod is vitae genus sit sequutus, laboriosum, an quietum; cum luxu, an cum frugalitate. Ex his enim, similibusque, saepe curandi nova ratio ducenda est.

Quamvis ne haec quidem sic praeteriri debent, quasi nullam controversiam recipiant. Nam et Erasistratus non ex his (*b*) fieri morbos dixit; quoniam et alii, et iidem alias post ista non febricitarent: et quidam medici saeculi nostri, sub auctore, ut ipsi videri volunt, Themisone, contendunt, nullius causae notitiam quidquam ad curationes pertinere; satisque esse, quaedam communia morborum intueri. Siquidem horum tria genera esse, unum adstrictum,

est enim haec ars conjecturalis etc. (28) Hallerus, Praelect. ad Instit Med. Boerhaavii n 685. et Morgagnus Ep. 4. existimant, carnem hanc uterum fuisse inversum, et gangraena affectum. At Krausio verisimile non videtur, *numquam ante Celsi tempora, cum ars obstetricia parum exculta esset, rudiori contrectatione vulvam, seu uterum inversum, et extra oras naturalium protractum esse.* Verisimile utique est, id etiam ante Celsi aetatem accidisse; sed a medicis memoriae proditum non fuisse. Ii igitur qui splendidam hanc personam curabant, cum id apud alios notatum non invenissent, ipsique numquam ante vidissent, mali genus non cognoverunt; atque adeo remedium invenire non potuerunt. (29) Apud Ciceronem *eo, quia* multis locis invenitur in Orat. pro Dejotaro cap. 12. *Eo fortasse* plausus *praetermissus fuit, quia* etc. lib. 2. Accadem. Quaest. cap. 31. *eoque sapientem non assentiri,*

(*a*) Lupac. cor. *haerente.* (*b*) *Ex illis* Lup.

alterum fluens, tertium mixtum. Nam modo parum excernere aegros, modo nimium; modo alia parte parum, alia nimium. Haec autem genera morborum modo acuta esse, modo longa; et modo increscere, modo consistere, modo minui. Cognito igitur eo, quod ex his est, si corpus adstrictum est, digerendum esse; si profluvio laborat, continendum; si mixtum vitium habet, occurrendum subinde vehementiori malo. Et aliter acutis morbis medendum, aliter vetustis, aliter increscentibus, aliter subsistentibus, aliter jam ad sanitatem inclinatis. Horum observationem medicinam esse; quam ita finiunt, ut quasi viam quamdam, quam μέθοδον Graeci nominant, eorumque, quae in morbis communia sunt, contemplatricem esse contendant. Ac neque rationalibus se, neque experimenta tantum spectantibus adnumerari volunt: quum ab illis eo nomine dissentiant, quod in conjectura rerum latentium nolunt esse medicinam; ab his eo, quod parum artis esse in observatione experimentorum credunt. Quod ad Erasistratum pertinet, primum ipsa evidentia ejus opinioni repugnat; quia raro, nisi post horum aliquid, morbus venit. Deinde non sequitur, ut quod alium non afficit, aut eumdem alias, id ne alteri quidem, aut eidem tempore alio noceat. Possunt enim quaedam subesse corpori, vel ex infirmitate ejus, vel ex aliquo affectu, quae vel in alio non sunt, vel in hoc alias non fuerunt; eaque per se non tanta, ut concitent morbum, tamen obnoxium magis aliis injuriis corpus efficiant. Quod si contemplationem rerum naturae (30), quam non temere medici sibi vindicant, satis comprehendisset, etiam illud scisset, nihil omnino ob unam causam fieri, sed id pro causa apprehendi, quod contulisse plurimum videtur. Potest autem id, dum solum est, non movere, quod junctum aliis maxime movet. Accedit ad haec, quod ne ipse quidem Erasistratus, qui transfuso in arterias sanguine febrem fieri dicit, idque nimis repleto corpore incidere, reperit, cur ex duobus aeque repletis, alter in morbum inciderit, alter omni periculo vacarit; quod quotidie fieri apparet. Ex quo disci potest, ut vera sit illa transfusio, tamen illam non per se, quum plenum corpus est, fieri, sed quum horum aliquid accesserit. Themisonis vero aemuli, si perpetua, quae promittunt, habent, magis etiam quam ulli, rationales sunt. Neque enim, si quis non omnia tenet, quae rationalis alius probat, protinus alio novo nomine artis indiget; si modo, quod primum est, non memoriae soli, sed rationi quoque insistit. Sin, quod vero propius est (31), vix ulla perpetua praecepta medicinalis ars recipit, idem sunt, quod ii, quos experimenta sola sustinent: eo magis, quo-

quia etc. (30) *Quam non temere* legit Lindenius, et ut ita legitur sententia postulat. Nam Erasistratus rerum quidem naturam ex aliqua parte scrutatus est, ut dictum est aliquanto superius; sed cum contemplationem hanc non satis comprehendisset, in hujusmodi errorem incidit. Libri antiqui habent *quam temere* etc. (31) Lib. 2. cap 10. *Usus ostendit, nihil ex his esse perpetuum*; et lib. 3. cap 4. *nihil autem horum utique perpetuum*

niam, compresserit aliquem morbus, an fuderit, quilibet etiam imperitissimus videt : quid autem compressum corpus resolvat, quid solutum teneat, si a ratione tractum est, rationalis est medicus; si, ut ei qui se rationalem negat, confiteri necesse est, ab experientia, empiricus. Ita apud eum morbi cognitio extra artem, medicina intra usum est. Neque adjectum quidquam empiricorum professioni, sed demtum est; quoniam illi multa circumspiciunt, hi tantum facillima, et non plus, quam vulgaria. Nam et ii, qui pecoribus ac iumentis medentur, quum propria cujusque ex mutis animalibus nosse non possint, communibus tantummodo insistunt: et exterae gentes, quum subtilem medicinae rationem non noverint, communia tantum vident : et (32) qui ampla valetudinaria nutriunt, quia singulis summa cura consulere non sustinent, ad communia ista confugiunt. Neque, hercules, istud antiqui medici nescierunt, sed his contenti non fuerunt. Ergo etiam vetustissimus auctor (33) Hippocrates dixit, mederi oportere et communia et propria intuentem. Ac ne isti quidem ipsi intra suam professionem consistere ullo modo possunt : siquidem et compressorum et fluentium morborum genera diversa sunt; faciliusque id in iis, quae fluunt, inspici potest. Aliud est enim sanguinem, aliud bilem, aliud cibum vomere ; aliud dejectionibus, aliud torminibus laborare ; aliud sudore digeri, aliud tabe consumi. Atque in partes quoque humor erumpit, ut in oculos, auresque: quo periculo nullum humanum membrum vacat. Nihil autem horum sic, ut aliud, curatur. Ita protinus in his a communi fluentis morbi contemplatione ad propriam medicina descendit. Atque in hac quoque rursus alia proprietatis notitia saepe necessaria est ; quia non eadem omnibus, etiam in similibus casibus, opitulantur : siquidem certae quaedam res sunt, quae in pluribus ventrem aut adstringunt, aut resolvunt ; inveniuntur tamen, in quibus aliter, atque in ceteris, id eveniat. In his ergo communium inspectio contraria est, propriorum tantum salutaris. Et causae quoque aestimatio saepe morbum solvit. Ergo etiam ingeniosissimus saeculi nostri medicus, quem nuper vidimus, Cassius, febricitanti cuidam, et magna siti affecto, quum post ebrietatem eum premi coepisse cognosset, aquam frigidam ingessit. Qua ille epota, quum vini vim miscendo fregisset, protinus febrem somno et sudore discussit. Quod auxilium medicus opportune providit, non ex eo, quod aut adstrictum corpus erat, aut fluebat ; sed ex ea causa, quae ante praecesserat. Estque etiam proprium aliquid et loci et temporis istis quoque auctoribus: qui quum disputant, quemadmodum sanis hominibus agendum sit, praecipiunt, ut gravibus aut locis aut temporibus magis vitetur fri-

est. (32) Qui multos aegros curant, ut fit in amplis valetudinariis. Alibi quoque Celsus adhibet *nutrire* pro *curare*. Lib 3. c. 9. *Ejusmodi medici melius alienos aegros, quam suos nutriunt.* (33) Lib. 1. Morb. Vulg. sect 3. *Quaenam ex his quae ad morbos spectant, dignotio facienda sit, facile discemus et ex communi omnium, et ex*

gus, aestus, satietas, labor, libido; magisque ut conquiescat iisdem locis aut temporibus, si quis gravitatem corporis sentit; ac neque vomitu stomachum, neque purgatione alvum sollicitet. Quae vera quidem sunt; a communibus tamen ad quaedam propria descendunt. Nisi persuadere nobis volunt, sanis quidem considerandum esse, quod coelum, quod tempus anni sit; aegris vero non esse: quibus tanto magis omnis observatio necessaria est, quanto magis obnoxia offensis infirmitas est. Quin etiam morborum in iisdem hominibus aliae atque aliae proprietates sunt; et qui secundis aliquando frustra curatus est, contrariis saepe restituitur. Plurimaque in dando cibo discrimina reperiuntur: ex quibus contentus uno ero. Nam famem facilius adolescens, quam puer; facilius in denso coelo, quam in tenui (34); facilius hieme, quam aestate; facilius uno cibo, quam prandio quoque assuetus; facilius inexercitatus, quam exercitatus homo sustinet. Saepe autem in eo magis necessaria cibi festinatio est, qui minus inediam tolerat. Ob quae concipio, eum, qui propria non novit, communia tantum intueri debere; eumque, qui nosse propria potest, illa quidem non oportere negligere, sed his quoque insistere. Ideoque, quum par scientia sit, utiliorem tamen medicum esse amicum, quam extraneum.

Igitur, ut ad propositum meum redeam, rationalem quidem puto medicinam esse debere: instrui vero ab evidentibus causis; obscuris omnibus, non a cogitatione artificis, sed ab ipsa arte rejectis. Incidere autem vivorum corpora, et crudele, et supervacuum est: mortuorum, discentibus necessarium. Nam positum et ordinem nosse debent; quae cadavera melius, quam vivus et vulneratus homo, repraesentant. Sed et cetera, quae modo in vivis cognosci possunt, in ipsis curationibus vulneratorum paulo tardius, sed aliquanto mitius usus ipse monstrabit. His propositis, primum dicam, quemadmodum sanos agere conveniat: tum ad ea transibo, quae ad morbos curationesque eorum pertinebunt.

Cap. I (*). Sanus homo, qui et bene valet, et suae spontis est, nullis obligare se legibus debet; ac neque medico (1), neque alipta egere. Hunc oportet varium habere vitae genus (2): modo ruri esse, mo-

cujusque propria natura; ex morbo, et aegroto. (34) Lib. 1. cap. 4 *aestate cibo saepius corpus eget.* Caesarius adnotat, quibusdam videri legendum esse *facilius aestate, quam hieme*, ex Hippocratis Aphor. 15. Sect. 2. *Per hiemem et ver ventres natura calidissimi, somnique longissimi. Per ea igitur tempora copiosiora cibaria exibenda.* Sed qui sic mutandum putant, non videntur animadvertisse, Celsum hic docere, non qui modus cibi sed quoties die cibus dari debeat.

(1) Non eget medico, quia sanus est; non alipta, quia bene valet: aliptae enim viribus hominis, et colori prospiciebant Cicero lib 1. ad Famil. epist. 9. *Vellem non solum salutis meae, quemadmodum medici, sed etiam ut aliptae, virium, et coloris rationem habuissent.* (2) Varro in prooemio lib. 2. de R. R. *Ut ruri enim qui in villa vi-*

(*) Cap. I *Qualiter se sanus agere debeat.*

do in urbe, saepiusque in agro; navigare, venari, quiescere interdum, sed frequentius se exercere: siquidem (3) ignavia corpus hebetat, labor firmat; illa maturam senectutem, hic longam adolescentiam reddit. Prodest etiam interdum balneo (4), interdum aquis frigidis uti; modo ungi, modo id ipsum negligere; nullum cibi genus fugere, quo populus utatur; interdum in (5) convivio esse, interdum ab eo se retrahere; modo plus justo, modo non amplius assumere; bis die potius, quam semel cibum capere, et semper quam plurimum, dummodo hunc concoquat. Sed ut hujus generis exercitationes cibique necessarii sunt; sic athletici supervacui. Nam et intermissus, propter civiles aliquas necessitates, ordo exercitationis corpus affligit: et ea corpora, quae more eorum repleta sunt, celerrime et senescunt, et aegrotant.

Concubitus vero neque nimis concupiscendus, neque nimis pertimescendus est: rarus corpus excitat; frequens solvit (6). Quum autem frequens non numero sit, sed ratione aetatis et corporis, scire licet, eum non inutilem esse, quem corporis neque languor, neque dolor sequitur. Idem interdiu pejor est, noctu tutior: ita tamen, si neque illum cibus, neque hunc cum vigilia labor statim sequitur. Haec firmis servanda sunt; cavendumque, ne in secunda valetudine adversae praesidia consumantur.

Cap. II (*). At imbecillis, (quo in numero magna pars urbanorum, omnesque paene cupidi literarum sunt), observatio major ne-

vunt, ignaviores, quam qui in agro versantur in aliquo opere faciundo, sic qui in oppido sederent, quam qui rura colerent, desidiosiores putabant. . . . quod dum servatum est, utrumque sunt consequuti; ut et cultura agros fecundissimos haberent, et ipsi valetudine firmiores essent. Fortasse legendum *valetudine firmiore essent*: quo modo Cicero loquitur in Bruto cap. 4 *qui semper infirma, atque etiam aegra valetudine fuit*, et de Senectute cap. 11. *quam fuit imbecillus P. Africani filius! quam tenui, aut nulla potius valetudine!* (3) Hippocrates lib. 2. de Vict. Rat. *Otium humectat, et corpus imbecillum reddit. . . . . Labor siccat, corpusque validum efficit.* (4) Aquis frigidis utebantur non modo aestate, quo anni tempore frigida lavatio aptissima est, ut dicitur cap. 3. hujus lib. verum etiam hieme, Horatius epist. 15. lib. 1.

gelida quum perluor unda
Per medium frigus.

Seneca epist. 83. *Ille tantus Psychrolutes, qui Kalendis Januariis in Euripum saltabam: qui anno novo quemadmodum legere, scribere, dicere aliquid, sic auspicabar in Virginem, desilire; primum ad Tiberim transtuli castra; deinde ad hoc solium* etc. (5) Cum de cibi genere et modo sermo sit, verior lectio videtur in *convivio*: qua voce, hac quidem significatione, semper utitur Tullius. *Convictibus* pro *conviviis* habet Paterculus lib. 1. cap 33. Plinius lib. 14. cap. 14. sect. 16. ita scribit; *tanta vero vino graeco gratia erat, ut singulae potiones in convictu darentur*; sed paulo post; *quibus vinis auctoritas fuerit sua in mensa, M. Varro his verbis tradit; L. Lucullus puer apud patrem numquam lautum convivium vidit, in quo plus semel graecum vinum daretur.* Aetate igitur Varronis, et Ciceronis *convivium* dicebatur, quod alii postea *convictum* dixerunt. Verisimile autem est, Celsum Tullianum hoc vocabulum, ut alia multa, usurpasse. (6) Qui in sene fraquens est, in viro frequens non est: contra frequens est in viro imbecillo, qui in adolescente validiore frequens non est.

(*) Cap. II. *Qualiter se agere qui imbecilles sunt.*

cessaria est; ut, quod vel corporis, vel loci, vel studii ratio detrahit, cura restituat. Ex his igitur, qui bene concoxit, mane tuto surget; qui parum, quiescere debet, et, si mane surgendi necessitas fuerit, redormire: qui non concoxit, ex toto conquiescere, ac neque labori se, neque exercitationi, neque negotiis credere. Qui crudum sine praecordiorum dolore ructat, is ex intervallo aquam frigidam bibere, et se nihilo minus continere. Habitare vero aedificio lucido (1), perflatum aestivum, hibernum solem habente; cavere meridianum solem, matutinum et vespertinum frigus (a); itemque auras fluminum atque stagnorum; minimeque, nubilo coelo, soli aperienti, se committere, ne modo frigus, modo calor (2) moveat; quae res maxime gravedines destillationesque concitat. Magis vero gravibus locis ista servanda sunt, in quibus etiam pestilentiam faciunt. Scire autem licet, integrum corpus esse, quum quotidie mane urina alba (3), deinde rufa est: illud concoquere, hoc concoxisse significat. Ubi experrectus est aliquis, paulum intermittere: deinde, nisi hiems est, fovere os multa aqua frigida debet. Longis diebus meridiari potius ante cibum; sin minus, post eum: per hiemem potissimum totis noctibus conquiescere. Sin lucubrandum est, non post cibum id facere, sed post concoctionem. Quem interdiu vel domestica, vel civilia officia tenuerunt, huic tempus aliquod servandum curationi corporis sui est. Prima autem ejus curatio, exercitatio est, quae semper antecedere cibum debet (4): in eo, qui minus laboravit, et bene concoxit, amplior; in eo, qui fatigatus est, et minus concoxit, remissior. Commode vero exercent clara lectio, arma, pila, cursus, ambulatio; atque haec non utique plana, commodior est; siquidem melius ascensus quoque et descensus cum quadam varietate corpus movet; nisi tamen id perquam imbecillum est. Melior autem est sub divo, quam in porticu; melior, si caput patitur, in sole, quam in umbra; melior in umbra (5) quam parietes aut viridia efficiunt, quam quae tecto subest; melior recta, quam flexuosa. Exercitationis autem plerumque finis esse debet sudor, aut certe lassitudo, quae citra fatigationem sit: idque ipsum modo minus, modo magis faciendum est. Ac ne his quidem, athletarum exemplo, vel certa esse lex, vel immodicus labor

(1) Columella lib. 1. cap. 5. R. R. *Frons ejus*, villae, *ad orientem aequinoctialem directa sit... quantoque fuerit aedificii solum pronius orienti, tanto et aestate liberius capere perflatus, et hiemis procellis minus infestari, et matutino regelari ortu poterit, ut concreti rores liquescant.* (2) Turbet, afficiat; subauditur autem caput, vel corpus. Verbum *moveo* Celsus absolute usurpavit in prooemio hujus lib. *Potest autem id, dum solum est, non movere, quod junctum aliis maxime movet.* (3) Iisdem poene verbis utitur Plinius lib. 28. cap. 6. sect. 19. *Auguria valetudinis ex ea*, urina, *trahuntur. Si mane candida, dein rufa sit: illo modo concoquere, hoc concoxisse significatur.* (4) Ad hunc locum ita scribit Morgagnus; *Utra lectio probanda sit, productis rationibus disputare nihil attinet, quando Celsus paulo ante docuit*, qui parum *concoxit*, quiescere debere. (5 Vide Morgagni Epist. 7. ubi multa Vir doctis-

(a) Lup. *frigus; item quae gravant, quae utique auras fluminum.*

debet. Exercitationem recte sequitur modo unctio, vel in sole, vel ad ignem; modo balneum, sed conclavi quam maxime et alto et lucido et spatioso. Ex his vero neutrum semper fieri oportet; sed saepius alterutrum, pro corporis natura. Post haec paulum conquiescere opus est. Ubi ad cibum ventum est, numquam utilis est nimia satietas; saepe inutilis nimia abstinentia: si qua intemperantia subest (6), tutior est in pòtione, quam in esca. Cibus a salsamentis, oleribus, similibusque rebus melius incipit: tum caro assumenda est, quae assa optima, aut elixa est. Condita omnia duabus de causis inutilia sunt; quoniam et plus propter dulcedinem assumitur, et (7) quod modo par est, tamen aegrius concoquitur (8). Secunda mensa bono stomacho nihil nocet, in imbecillo coacescit. Si quis itaque hoc parum valet, palmulas, pomaque, et similia melius primo cibo assumit. Post multas potiones, quae aliquantum sitim excesserunt, nihil edendum est: post satietatem, nihil agendum. Ubi expletus est aliquis, facilius concoquit (*a*), si quidquid assumsit, potione aquae frigidae includit, tum paulisper invigilat, deinde bene dormit. Si quis interdiu se implevit, post cibum neque frigori, neque aestui, neque labori se debet committere: neque enim tam facile haec inani corpore, quam repleto nocent. Si quibus de causis futura inedia est, labor omnis vitandus est.

CAP. III (*). Atque haec quidem paene perpetua sunt. Quasdam autem observationes desiderant et novae res, et corporum genera(1), *et sexus*, et aetates, et tempora anni. Nam neque ex salubri loco in gravem, neque ex gravi in salubrem transitus satis tutus est. Ex salubri in gravem, prima hieme; ex gravi in eum, qui salubris est, prima aestate transire melius est. Neque vero ex multa fame nimia satietas; neque ex nimia satietate fames idonea est. Periclitaturque, et qui semel (2), et qui bis die cibum continenter, contra con-

simus congessit ad hanc lectionem confirmandam et illustrandam. (6) Ex Hippocratis Aphor. 11. Sect. 2. quem alii ita latino reddunt; *Tolerabilius est impleri potu, quam cibo*; alii vero sic; *facilius est refici potu, quam cibo*. Vide adnot. Foesii ad Aphorismum illum (7) l. c. quod non amplius justo est; quo modo locutus est cap. praecedenti (8) Id est bellaria; palmulae, poma, nuces, alia. Vide Athenaeum Deipnosoph. lib. 14 cap. 10 et seqq.

(1) Duae hae voces additae sunt ab aliquo sciolo. Quae in hoc, ceterisque hujus libri capitibus praecipiuntur, omnia ad viros et feminas aeque pertinent. Constantinus putat, *de sexu praetermissum esse vel auctoris oblivione, vel temporis injuria*. Ego nec quidquam a Celso scriptum, nec scribendum fuisse, existimo. Sunt quidem aliqui morbi virorum, aliqui feminarum proprii: sed in hoc libro, non de aegris hominibus, sed de imbecillis sermo fit: atque adeo observationes, quas varia eorum corpora desiderant, viris et feminis communes sunt. (2) Videlicet, non die uno aut altero, sed continuate; sumtaque sententia est ex Hippocrate, qui lib. I. de Vict. Rat. in Morb. Acut. ita scripsit: *Tum eos qui bis die, tum eos qui semel cibum sumere consueverunt,*

(*a*) « Lup. *Si id quod assumsit* ».

(*) CAP. III. *Observationes circa corporum genera, aetates, et tempora anni*,

suetudinem, assumit. Item neque ex nimio labore subitum otium, neque ex nimio otio subitus labor, sine gravi noxa est. Ergo, quum quis mutare aliquid volet, paulatim debebit assuescere. Omnem etiam laborem facilius vel puer vel senex (*a*), quam insuetus homo sustinet. Atque ideo quoque nimis otiosa vita utilis non est; quia potest incidere laboris necessitas. Si quando tamen insuetus aliquis laboravit, aut si multo plus, quam solet (*b*), etiam is, qui assuevit, huic jejuno dormiendum est: multo magis, si etiam os amarum est, vel oculi caligant, aut venter perturbatur. Tum enim non dormiendum tantummodo jejuno est, sed etiam in posterum diem permanendum; nisi cito id quies sustulit. Quod si factum est, surgere oportet, et lente paulum ambulare. At si somni necessitas non fuit, quia modice magis (*c*) aliquis laboravit, tamen (3) ingredi aliquid eodem modo debet. Communia deinde omnibus sunt post fatigationem cibum sumturis, ubi paulum ambulaverunt, si balneum non est, calido loco, vel in sole, vel ad ignem ungi, atque sudare; si est, ante omnia in tepidario sedere, deinde, ubi paulum conquieverunt, intrare et descendere in solium; tum multo oleo ungi, leniterque perfricari, iterum in solium descendere: post haec os aqua calida, deinde frigida fovere. Balneum his fervens idoneum non est. Ergo si nimium alicui fatigato paene febris est, huic abunde est loco tepido demittere se inguinibus tenus in aquam calidam, cui paulum olei sit adjectum: deinde totum quidem corpus, maxime tamen eas partes, quae in aqua fuerunt, leniter perfricare ex oleo, cui vinum et paulum contriti salis sit adjectum. Post haec omnibus fatigatis aptum est cibum sumere, eoque humido uti; aqua, vel certe diluta potione esse contentos; maximeque ea, quae moveat urinam (4). Illud quoque nosse oportet, quod ex labore sudanti frigida potio perniciosissima est; atque etiam, quum sudor se remisit, itinere fatigatis inutilis. A balneo quoque venientibus Asclepiades inutilem eam judicavit: quod in iis verum est, quibus alvus facile, nec tuto, resolvitur, quique facile inhorrescunt; perpetuum in omnibus non est, quum potius naturale sit, potione aestuantem stomachum refrigerari. Quod ita praecipio, ut tamen fatear, ne ex

repentinae mutationes laedunt. (3) *Aliquid* pro aliquantum; ut lib. 3. cap. 16 *moveri aliquid*; et alibi quoque. *Aliquid* more adverbiorum adhibet etiam Plinius lib. 5 cap 9. sect 10. ubi de Nilo flumine; *Postea lenis, et confractis aquis domitaque violentia, aliquid etiam via fessus* etc. (4) Hac dicendi forma utitur aliquanto inferius; *Illud quoque nosse oportet, quod ventrem vomitus solutum comprimit*; et lib. 3. cap. 1. *Alterum illud ignorari non oportet, quod non omnibus aegris eadem remedia conveniunt.* Eodem modo locutus est Cicero lib. 1. de Offic cap. 11. *Illud etiam animadverto, quod qui proprio nomine perduellis esset* etc. et lib. 2. cap. 15. *Videndum et illud est, quod si opulentum, fortunatumque defenderis* etc quam constructio-

(*a*) Lup. corr. *vel senex assuetus quam.* (*b*) Lupac. corr. *etiam si quid assuevit.*
(*c*) Lupac. *aliquid.*

hac quidem causa sudanti adhuc (5) frigidum bibendum esse. Solet etiam prodesse, post varium cibum, frequentesque dilutas potiones, vomitus, et postero die longa quies, deinde modica exercitatio. Si assidua fatigatio urget, invicem modo aqua, modo vinum bibendum est, raroque balneo utendum. Levatque lassitudinem etiam laboris mutatio : eumque, quem novum genus laboris pressit, id, quod in consuetudine est, reficit (6). Fatigato quotidianum cubile tutissimum est : insolitum contra lassat. Quod enim contra consuetudinem est, nocet, seu molle, seu durum est.

Proprie quaedam ad eum pertinent, qui ambulando fatigatur. Hunc reficit in ipso quoque itinere frequens frictio ; post iter, primum sedile, deinde unctio : tum calida aqua in balneo magis inferiores partes, quam superiores foveat. Si quis vero exustus in sole est, huic in balneum protinus eundum, perfundendumque oleo corpus et caput ; deinde in solium bene calidum descendendum est ; tum multa aqua per caput infundenda, prius calida, deinde frigida. At ei, qui perfrixit, opus est (7) in balneo primum involuto sedere, donec insudet ; tum ungi ; deinde lavari : cibum modicum, potiones meracas assumere. Is vero qui navigavit, et nausea pressus est, si multam bilem evomuit, vel abstinere a cibo debet, vel paulum aliquid assumere; si pituitam acidam effudit, utique sumere cibum, sed assueto leviorem ; si sine vomitu nausea fuit, vel abstinere, vel post cibum vomere. Qui vero toto die, vel in vehiculo, vel in spectaculis sedit, huic nihil currendum, sed lente ambulandum est: lenta quoque in balneo mora, dein coena exigua prodesse consueverunt. Si quis in balneo aestuat, reficit hunc ore exceptum, et in eo retentum acetum: si id non est, eodem modo frigida aqua assumta.

(8) Ante omnia autem norit quisque naturam sui corporis: quoniam alii graciles, alii obesi sunt; alii calidi, alii frigidiores; alii humidi, alii sicci ; alios adstricta, alios resoluta alvus exercet : raro quisquam non aliquam partem corporis imbecillam habet. Tenuis vero homo implere se debet, plenus extenuare, calidus refrigerare, frigidus calefacere, madens siccare, siccus madefacere: itemque alvum firmare is, cui fusa; solvere is, cui adstricta est: succurrendumque semper parti maxime laboranti est.

Implet autem corpus modica exercitatio, frequentior quies, unctio, et, si post prandium est, balneum, contracta alvus, modicum

nem observandam et notandam esse, monet Facciolatus (5) Vulgo *bere freddo.* Celsus frigidum substantivorum more habet lib. 2. cap. 7. *Si id membrum ex levi causa fatigatum aeque frigido calidoque offenditur.* (6) Hippocrates de Vict. Rat. in Morb. Acut. *Lectus praeter consuetudinem mollis laborem facit ; itemque durus.* — (7) Id est in tepidario. Cap. 4. hujus lib. *Si in balneum venit, sub veste primum paulum in tepidario insudare oportet.* Vide cap. 17. lib. 2. et Not. Rhodii ad Compos. 60. Scribonii Largi. (8) Cicero lib. 2 de Offic. cap. 24. *Valetudo sustentatur notitia sui corporis, et observatione earum rerum, quae res aut prodesse soleant, aut obesse.*

frigus hieme (9), somnus et plenus et non nimis longus, molle cubile, animi securitas, assumta per cibos et potiones maxime dulcia et pinguia, cibus et frequentior et quantus plenissimus potest concoqui. Extenuat corpus aqua calida, si quis in eam descendit, magisque si salsa est; in jejuno balneum, inurens sol et omnis calor, cura, vigilia, somnus nimium vel brevis vel longus (10); lectus, per aestatem, terra; hieme, durum cubile; cursus, multa ambulatio, omnisque vehemens exercitatio, vomitus, dejectio, acidae res et austerae, et semel die assumtae, et vini non perfrigidi potio jejuno in consuetudinem adducta.

Quum vero inter extenuantia posuerim vomitum et dejectionem, de his quoque proprie quaedam dicenda sunt (11). Ejectum esse ab Asclepiade vomitum in eo volumine, quod DE TUENDA SANITATE composuit, video: neque reprehendo, si offensus eorum est consuetudine, qui quotidie ejiciendo, vorandi facultatem moliuntur. Paulo etiam longius processit: idem purgationes quoque eodem volumine expulit. Et sunt eae perniciosae, si nimis valentibus medicamentis fiunt. Sed haec tamen submovenda esse, non est perpetuum; quia corporum temporumque ratio potest ea facere necessaria, dum et modo, et non nisi quum opus est, adhibeantur. Ergo ille quoque ipse, si quid jam corruptum esset, expelli debere confessus est: ita non ex toto res condemnanda est. Sed esse ejus etiam plures causae possunt; estque in ea quaedam paulo subtilior observatio adhibenda.

Vomitus utilior est hieme, quam aestate: nam tunc et pituitae plus, et capitis gravitas major subest. Inutilis est gracilibus, et imbecillum stomachum habentibus: utilis plenis et biliosis omnibus, si vel nimium se repleverunt, vel parum concoxerunt. Nam sive plus est, quam quod concoqui possit, periclitari ne corrumpatur, non oportet; sive corruptum est, nihil commodius est, quam id, qua via primum expelli potest, ejicere. Itaque, ubi amari ructus cum dolore et gravitate praecordiorum sunt, ad hunc protinus confugiendum est. Idem prodest ei, cui pectus aestuat, et frequens saliva, vel nausea est; aut sonant aures, aut madent oculi, aut os amarum est: similiterque ei, qui vel coelum, vel locum mutat; iisque, quibus, si per plures dies non vomuerunt, dolor praecordia infestat. Neque ignoro inter haec praecipi quietem: quae non semper contingere po-

(9) Lindenius leg. *somnus plenus, et non multum nimis longus.* De qua lectione ita Facciolatus; *Celsi ipsius αὐτόγραφον producat oportet, qui velit nobis persuadere, hoc genus constructionis latinum esse.* Vide Epist. 3 Morgagni. (10) Locus suspectus. In lib de Salub. Vict. Rat unde pleraque alia Celsus sumsit, inter extenuantia ponitur σκληροκοιτέειν, sine ullo, pro vario anni tempore, discrimine. Si igitur Celsus hic quoque auctorem illum secutus est, non solum tria haec verba *lectus, terra, hieme* tollenda sunt; quod auctoritate vetustiorum Codicum facere licet; sed etiam duo illa *per aestatem.* (11) Ejicere hoc sensu usurpatur a Celso etiam in lib 2. cap. 10. *Non quidquid autem intentionem animi, et prudentiam exigit, protinus ejiciendum est* Cicero quoque hoc verbum adhibet lib. 2. de Orat. cap. 32. *Sic esse, non eloquentiam*

test agendi necessitatem habentibus; nec in omnibus idem facit. Itaque istud luxuriae causa fieri non oportere confiteor; interdum valetudinis causa recte fieri, experimentis credo: cum eo tamen, ne quis, qui valere et senescere volet, hoc quotidianum habeat. Qui vomere post cibum vult, si ex facili facit, aquam tantum tepidam ante debet assumere; si difficilius, aquae vel salis, vel mellis paulum adjicere. At qui mane vomiturus est (12), ante bibere mulsum, vel hyssopum, aut esse radiculam debet; deinde aquam tepidam, ut supra scriptum est, bibere. Cetera, quae antiqui medici praeceperunt, stomachum omnia infestant. Post vomitum, si stomachus infirmus est, paulum cibi, sed hujus idonei, gustandum, et aquae frigidae cyathi tres bibendi sunt (a); nisi tamen fauces vomitus exasperarit. Qui vomuit, si mane id fecit, ambulare debet, tum ungi, deinde coenare: si post coenam, postero die lavari, et in balneo sudare. Huic proximus cibus mediocris utilior est; isque esse debet cum pane hesterno, vino austero meraco, et carne assa, cibisque omnibus quam siccissimis. Qui vomere bis in mense vult, melius consulet, si biduo continuarit, quam si post quintumdecimum diem vomuerit; nisi haec mora gravitatem pectori faciet.

Dejectio autem a medicamento quoque petenda est, ubi venter suppressus parum reddit, ex eoque inflationes, caligines, capitis dolores, aliaque superioris partis mala increscunt. Quid enim inter haec adjuvare possunt quies et inedia (b), per quae illa maxime eveniunt? Qui dejicere vult, primum cibis vinisque utetur iis, quae hoc praestant; dein, si parum illa proficient, aloen sumat. Sed purgationes quoque, ut interdum necessariae sunt, sic, ubi frequentes sunt, periculum afferunt. Assuescit enim non ali corpus; quum omnibus morbis obnoxia maxime infirmitas sit.

Calefacit autem unctio, aqua salsa, magisque si calida est, omnia salsa, amara, carnosa, si post cibum est, balneum, vinum austerum. Refrigerat in jejuno et balneum, et somnus, nisi nimis longus est, omnia acida; aqua quam frigidissima; oleum, si aqua miscetur (13). Humidum autem corpus efficit labor minor, quam ex consuetudine, frequens balneum, cibus plenior, multa potio; post

ex artificio, sed artificium ex eloquentia natum: quod tamen non ejicio (12) Radiculam edi, hyssopum bibi, apparet ex lib. 3. cap. 16. ex lib. 4. cap. 7. sect. 4. et ex cap. 8. ejusdem libri. Auctor lib. de Salub. Vict. Rat. praecipit, ut ad vomitum movendum, *hyssopi hemina dimidia in aquae congio contriti exhibeatur.* (13) Morgagnus in epist. 3. affert hanc Facciolati animadversionem; *Miror ex quo codice verbum hoc* Humido *exierit, et non modo in Celsum, sed et in Basilii Fabri Thesaurum irrepserit ad augendum latinum sermonem. Ego vel inter barbara, vel inter dubia referendum crediderim.* Trillerus aduotat, verbo isto usum esse Apulejum lib. 8. Metamorph. Sed aetate Apuleji latinus sermo a pristina puritate desciverat; et ipsius Apuleji *stilus innovandi lascivia nimium prurit, plerumque affectatus et audax, nec im-*

(a) Lupac. corr. *nisi tamen vomitus fauces exasperaverit*
(b) Lupac. *quae per illas.*

haec ambulatio, et vigilia; per se quoque ambulatio multa et vehemens, et matutinae exercitationi non protinus cibus adjectus; ea genera escae, quae veniunt ex locis frigidis, et pluviis, et irriguis. Contra siccat immodica exercitatio, fames(14), unctio sine aqua, calor, sol immodicus, frigida aqua, cibus exercitationi statim subjectus, et is ipse ex siccis et aestuosis locis veniens.

Alvum adstringit labor, sedile (a), creta figularis corpori illita, cibus imminutus, et is ipse semel die assumtus ab eo, qui bis solet; exigua potio, neque adhibita, nisi quum cibi quis quantum assumturus est, cepit; post cibum quies. Contra solvit aucta ambulatio atque esca, motus qui post cibum est, subinde potiones cibo immixtae. Illud quoque scire oportet, quod ventrem vomitus solutum comprimit, compressum solvit: itemque comprimit is vomitus, qui statim post cibum est; solvit is, qui tarde supervenit.

Quod ad aetates vero pertinet, inediam facillime sustinent mediae aetates, minus juvenes, minime pueri et senectute confecti. Quo minus fert facile quisque, eo saepius debet cibum assumere; maximeque eo eget, qui increscit. Calida lavatio et pueris et senibus apta est. Vinum dilutius pueris, senibus meracius, neutri aetati quae inflationes movent. Juvenum minus, quae assumant, et quomodo curentur, interest. Quibus juvenibus fluxit alvus, plerumque in senectute contrahitur: quibus in adolescentia fuit adstricta, saepe in senectute solvitur. Melior est autem in juvene fusior, in sene adstrictior.

Tempus quoque anni considerare oportet. Hieme plus esse convenit; minus, sed meracius bibere; multo pane uti(15), carne potius assa, modice oleribus; semel die cibum capere, nisi si nimis venter adstrictus est. Si prandet aliquis, utilius est exiguum aliquid, et ipsum siccum sine carne, sine potione sumere. Eo tempore anni calidis omnibus potius utendum est, vel calorem moventibus. Venus tum non aeque perniciosa est. At vere paulum cibo demendum, adjiciendumque potioni, sed dilutius tamen bibendum est (b); magis carne utendum, magis oleribus; transeundum paulatim ad elixa ab assis. Venus eo tempore anni tutissima est. Aestate vero et potione et cibo saepius corpus eget; ideo prandere quoque commodum est (c). Eo tempore aptissima sunt et caro et olus; potio quam dilutissima, ut et sitim tollat, nec corpus incendat; frigida lavatio, caro elixa, frigidi cibi, vel qui refrigerent. Ut saepius autem cibo utendum, sic exiguo est. Per autumnum vero, propter coeli varietatem, periculum ma-

tatione dignus; ut monet Forcellinus. (14) Id est unctio ex oleo sine aqua. Oleum, si aqua miscetur, refrigerat, ut supra dictum est: ideoque corpus humidum potius efficit, quam siccum (15). Haec lectio confirmatur ex lib. de Salub. Vict. Rat. *Hieme potus sit vinum meracissimum; cibus, panis, obsonia, assa omnia ..... Aestate autem tum molli maza, tum potu copioso et diluto, obsoniisque omnibus elixis nutriri oportet.*

(a) Lupac. cor. *figularis sedile, creta corpori.* (b) Lupac. corr. *minus carne mendum.* (c) Lupac. cor. *et tempori.*

ximum est. Itaque neque sine veste, neque sine calceamentis prodire oportet, praecipueque diebus frigidioribus, neque sub divo noctu dormire, aut certe bene operiri. Cibo vero jam paulo pleniore uti licet; minus, sed meracius bibere. Poma nocere quidam putant, quae immodice toto die plerumque sic assumuntur, ne quid ex densiore cibo remittatur: ita non haec, sed consummatio omnium nocet. Ex quibus in nullo tamen minus, quam in his noxae est. Sed his uti non saepius, quam alio cibo, convenit. Denique aliquid densiori cibo, quum hic accedit, necessarium est demi. Neque aestate vero, neque autumno utilis venus est: tolerabilior tamen per autumnum; aestate in totum, si fieri potest, abstinendum est.

CAP. IV. (*). Proximum est, ut de iis dicam, qui partes aliquas corporis imbecillas habent. Cui caput infirmum est, is, si bene concoxit, leniter perfricare id mane manibus suis debet; numquam id, si fieri potest, veste velare; ad cutem tonderi (1); (*utileque lunam vitare, maximeque ante ipsum lunae solisque concursum*); sed numquam post cibum. Si cui capilli sunt, eos quotidie pectere; multum ambulare, sed, si licet, neque sub tecto, neque in sole; utique autem vitare solis ardorem maximeque post cibum et vinum; potius ungi, quam lavari; numquam ad flammam ungi, interdum ad prunam. Si in balneum venit, sub veste primum paulum in tepidario insudare, ibi ungi, tum transire in calidarium; ubi insudarit, in solium non descendere, sed multa calida aqua per caput se totum perfundere, tum tepida, deinde frigida; diutiusque ea caput, quam ceteras partes perfundere; deinde id aliquandiu perfricare; novissime detergere, et ungere. Capiti nihil aeque prodest atque aqua frigida: itaque is, cui hoc infirmum est, per aestatem id bene largo canali quotidie debet aliquandiu subjicere. Semper autem, etiamsi sine balneo unctus est, neque totum corpus refrigerare sustinet, caput tamen aqua frigida perfundere. Sed quum ceteras partes attingi nolit, demittere id, ne ad cervices aqua descendat; eamque, ne quid oculis, ali-

(1) Membrum hoc insititium esse, ex ipso orationis contextu apparet. Cum enim et antecedentia membra. et sequentia a verbo *debet* regantur, istud *utile est* constructionem turbat. Formata haec videtur ab aliquo sciolo ex iis quae leguntur apud Plinium lib. 2. cap. 101. sect. 4. *E contrario ferunt, Lunae femineum, et molle sidus, atque nocturnum, solvere humorem, et trahere, non auferre. Id manifestum esse, quod ferarum occisa corpora in tabem visu suo resolvat: somnoque sopitis torporem contractum in caput revocet, glaciem refundat, cunctaque humifico spiritu laxet*: vel ex iis quae scripsit Macrobius lib. 7. Saturnal. cap. ult. *Non est ergo mirandum si ratione proprietatis, quae singulis inest, calor solis arefacit, lunaris humectat. Hinc et nutrices pueros alentes operimentis obtegunt cum sub luna praetereunt ..Hoc quoque notum est; quia si qui diu sub luna somno se dederit, aegre excitatur, et proximus fit insano. pondere pressus humoris, qui in omne ejus corpus diffusus, atque dispersus est proprietate lunari; quae ut corpus infundat, omnes ejus aperit, et laxat meatus.*

(*) CAP. IV. *De his quibus caput infirmum est.*

isve partibus noceat, defluentem subinde manibus ad hoc regerere. Huic modicus cibus necessarius est, quem facile concoquat; isque, si jejuno caput laeditur, assumendus etiam medio die est; si non laeditur, semel potius. Bibere huic assidue vinum dilutum, lene, quam aquam, magis expedit; ut, quum caput gravius esse coeperit, sit quo confugiat: eique ex toto neque vinum, neque aqua semper utilia sunt; medicamentum utrumque est, quum invicem assumitur. Scribere, legere, voce contendere, huic opus non est, utique post coenam; post quam ne cogitatio quidem ei satis tuta est: maxime tamen vomitus alienus est.

Cap. V (*). Neque vero his solis, quos capitis imbecillitas torquet, usus aquae frigidae prodest; sed iis etiam, quos assiduae lippitudines, gravedines, destillationes, tonsillaeque male habent. His autem non caput tantum quotidie perfundendum, sed os quoque multa frigida aqua fovendum est; precipueque omnibus, quibus hoc utile auxilium est, eo utendum est, ubi gravius coelum Austri reddiderunt. Quumque omnibus inutilis sit post cibum aut contentio(1), aut cogitatio *animi*; tum iis praecipue, qui vel capitis, vel arteriae dolores habere consuerunt, vel quoslibet alios oris affectus. Vitari etiam gravedines, destillationesque possunt, si quam minime, qui his opportunus est, loca aquasque mutat; si caput in sole protegit, ne incendatur, neve subitum ex repentino nubilo frigus id moveat; si post concoctionem jejunus caput radit; si post cibum neque legit, neque scribit.

Cap. VI (**). Quem vero frequenter(1) cita alvus exercet, huic opus est pila similibusque superiores partes exercere; dum jejunus est, ambulare (*a*); vitare solis nimium ardorem, continua balnea; ungi citra sudorem; non uti cibis variis, minimeque jurulentis, aut leguminibus (*b*) oleribusve iis, quae celeriter descendunt; omnia denique sumere quae tarde concoquuntur. Venatio, durique pisces, et ex domesticis animalibus assa caro maxime juvant. Numquam vinum salsum bibere expedit, ne tenue quidem, aut dulce; sed austerum et plenius, neque idipsum pervetus. Si mulso uti volet, id ex decocto

(1) Vox *animi* tollenda est. Sic in fine cap. antecedentis; *voce contendere huic opus non est, utique post coenam; post quam, ne cogitatio quidem ei satis tuta est.* Apud Ciceronem lib. 1. cap. 4. de Offic legit. *agitatio mentis*; et cap 5. ejusdem lib. *cogitatio, motusque animi*; sed vox *animi* cohaeret cum voce *motus*. Perturbatio autem animi inutilis est, non solum post cibum, sed etiam ante cibum.

(1) Ego puto Celsum scripsisse *adjecta uva ex olla, vel olea ex defruto*. Nam uvas ex olla, et oleas ex passo, defrutove servatas inter res stomacho aptas numerat lib. 2 cap. 24. uvas autem ex defruto, neque ipse usquam memorat: et Plinius lib. 23. cap. 1. sect. 7. atque Dioscorides lib. 5. cap. 3. stomacho inutiles esse tradunt.

(*) Cap. V. *De his qui lippitudine, gravedine, destillatione, tonsillisque laborant.*
(**) Cap. VI. *De alvo soluto.*

(*a*) Lupac. corr. *vitare solem, nimium ardorem*. (*b*) Lup. corr. *oleribus, iisque quae.*

melle faciendum est. Si frigidae potiones ventrem ejus non turbant, his utendum potissimum est. Si quid offensae in coena sensit, vomere debet; idque postero quoque die facere: tertio, modici ponderis panem ex vino esse, adjecta uva ex olla, vel ex defruto, similibusque aliis: deinde ad consuetudinem redire. Semper autem post cibum conquiescere, ac neque intendere animum, neque ambulatione quamvis leni dimoveri.

Cap. VII (*). At si laxius intestinum dolere consuevit (1), quod colum nominant, quum id nihil nisi genus inflationis sit, id agendum est, ut concoquat aliquis, ut lectione, aliisque generibus exerceatur, utatur balneo calido, cibis quoque et potionibus calidis; denique omni modo frigus vitet, item dulcia omnia, leguminaque, et quidquid inflare consuevit.

Cap. VIII (**). Si quis vero stomacho laborat, legere clare debet; post lectionem ambulare; tum pila, vel armis, aliove quo genere, quo superior pars movetur, exerceri; non aquam, sed vinum calidum bibere jejunus; cibum bis die assumere, sic tamen, ut facile concoquat; uti vino tenui et austero, et post cibum frigidis potionibus potius. Stomachum autem infirmum indicant pallor, macies, praecordiorum dolor, nausea, et nolentium vomitus, in jejuno dolor capitis. Quae in quo non sunt, is firmi stomachi est. Neque credendum utique nostris est, qui, quum in adversa valetudine vinum aut frigidam aquam concupiverunt, deliciarum patrocinium in accusationem non merentis stomachi habent. At qui tarde concoquunt, et quorum ideo praecordia inflantur, quive propter ardorem aliquem noctu sitire consuerunt, antequam conquiescant, duos tresve cyathos per tenuem fistulam bibant. Prodest etiam adversus tardam concoctionem clare legere, deinde ambulare, tum vel ungi vel lavari; assidue vinum frigidum bibere; et post cibum, magnam potionem, sed, ut supra dixi, per siphonem: deinde omnes potiones aqua frigida includere. Cui vero cibus acescit, is ante eum bibere aquam egelidam debet, et vomere: at si cui ex

(1) Ego *colum* relinui: nam laxius intestinum ita nominat Plinius lib. 20. cap. 10. sect. 42. *Cumino quidem addito*, asparagi, *inflationes stomachi colique discutiunt*; lib. 21. cap. 20. sect. 19. *nardum gallicum succurrit ... inflammationibus* (legendum *inflationibus*) *coli vel ex aqua, vel ex vino*. Scribonius quoque coli inflationem vocat Compos. 119 et 173. et 265. Haec tamen tria verba mihi suspecta sunt. Neque enim verisimile est, Celsum, qui toties hujus intestini mentionem facit, et laxius, aut latius, aut crassius, aut plenius, aut majus vocat, hoc uno in loco colum appellasse: qua voce, si usquam, certe lib. 4. cap. 1. uti debuisset, ubi id ipsum describit. Sed ibi quoque crassius nominat. Qui vero pro *colum* graecam vocem *κῶλον*, vel *κόλον* reposuerunt, nullius, opinor, codicis auctoritate fecerunt.

(*) Cap. VII. *Remedia ad coli dolorem.*
(**) Cap. VIII. *Stomacho laborantibus quae agenda.*

hoc frequens dejectio incidit, quoties alvus ei constiterit, frigida potione potissimum utatur.

Cap. IX (*). Si cui vero dolere nervi solent (1), quod in podagra chiragrave esse consuevit, huic, quantum fieri potest, exercendum id est, quod affectum est, subjiciendumque labori et frigori; nisi quum dolor increvit; sub quo quies optima est. Venus semper inimica est; concoctio, sicut in omnibus corporis affectibus, necessaria. Cruditas enim id maxime laedit, et quoties offensum corpus est, vitiosa pars maxime sentit.

Ut concoctio autem omnibus vitiis occurrit, sic rursus aliis frigus, aliis calor: quae sequi quisque pro habitu corporis sui debet. Frigus inimicum est seui, tenui, vulneri, praecordiis, intestinis, vesicae, auribus, coxis, scapulis, naturalibus, ossibus, dentibus, nervis, vulvae, cerebro: idem summam cutem facit pallidam, aridam, duram, nigram; ex hoc horrores, tremoresque nascuntur. At prodest juvenibus, et omnibus plenis: erectiorque meus est, et melius concoquitur, ubi frigus quidem est, sed cavetur. Aqua vero frigida infusa, praeterquam capiti, etiam stomacho prodest: item articulis doloribusque, qui sunt sine ulceribus: item rubicundis nimis (a) hominibus, si dolore vacant. Calor autem adjuvat omnia, quae frigus infestat: item lippientes, si nec dolor, nec lacrimae sunt; nervos quoque, qui contrahuntur; praecipueque ea ulcera, quae ex frigore sunt: idem corporis colorem bonum facit; urinam movet. Si nimius est, corpus effeminat, nervos mollit, stomachum solvit. Minime vero aut frigus aut calor tuta sunt, ubi subita insuetis sunt. Nam frigus lateris dolores, aliaque vitia; frigida aqua strumas excitat: calor concoctionem prohibet, somnum aufert, sudore (b) digerit, obnoxium morbis pestilentibus corpus efficit..

Cap. X (**). Est etiam observatio necessaria, qua quis in pestilentia utatur adhuc integer, quum tamen securus esse non possit. Tunc igitur oportet peregrinari, navigare: ubi id non licet, gestari, ambulare sub divo, ante aestum, leniter; eodemque modo ungi: et, ut supra comprehensum est, vitare fatigationem, cruditatem, frigus, calorem, libidinem: multoque magis se continere, si qua gravitas in corpore est. Tunc neque mane surgendum, neque pedibus nudis ambulandum est, minimeque post cibum, aut balneum; neque jejuno, neque coenato vomendum est; neque movenda alvus; atque etiam, si per se mota est, comprimenda est; abstinendum potius, si plenius corpus est. Itemque vitandum balneum, sudor, meridianus somnus,

(1) Mihi haec verba suspecta sunt. Vide adnot. 1. ad lib. 3. cap. 27. sect. 2.

(*) Cap. IX. *De dolore nervorum et de affectibus caloris, frigorisque.*
(a) Lup. cor. *omnibus.* (b) Lup. cor. *egerit.*
(**) Cap. X. *Observatio in pestilentia.*

utique si cibus quoque antecessit; qui tamen semel die tum commodius assumitur; insuper etiam modicus, ne cruditatem moveat. Alternis diebus invicem, modo aqua, modo vinum bibendum est. Quibus servatis, ex reliqua victus consuetudine quam minimum mutari debet. Quum vero haec in omni pestilentia facienda sint, tum in ea maxime, quam Austri excitarint. Atque etiam peregrinantibus eadem necessaria sunt, ubi gravi tempore anni discesserunt ex suis sedibus, vel ubi in graves regiones venerunt. Ac si cetera res aliqua prohibebit, utique abstinere debebit: atque ita a vino ad aquam, ab hac ad vinum, eo, qui supra positus est, modo, transitus ei esse.

A. CORNELII CELSI

ARTIUM LIBER SEPTIMUS

IDEM

MEDICINAE

SECUNDUS.

PROOEM. (*). Instantis autem adversae valetudinis signa complura sunt. In quibus explicandis non dubitabo auctoritate antiquorum virorum uti, maximeque Hippocratis; quum recentiores medici, quamvis quaedam in curationibus mutarint, tamen haec illum optime praesagisse fateantur. Sed antequam dico, quibus praecedentibus morborum timor subsit, non alienum videtur exponere, quae tempora anni, quae tempestatum genera, quae partes aetatis, qualia corpora maxime tuta, vel periculis opportuna sint, quod genus adversae valetudinis in quoque timeri maxime possit. Non quod non omni tempore, in omni tempestatum genere, omnis aetatis, omnis habitus homines, per omnia genera morborum et aegrotent et moriantur: sed quod frequentius tamen quaedam eveniant; ideoque utile sit scire unumquemque, quid, et quando maxime caveat.

CAP. I. (**) Igitur saluberrimum ver est; proxime deinde ab hoc hiems; periculosior aestas; autumnus longe periculosissimus. Ex tempestatibus vero optimae aequales sunt, sive frigidae, sive calidae: pessimae, quae maxime variant. Quo fit, ut autumnus plurimos opprimat. Nam fere meridianis temporibus calor; nocturnis atque matutinis, simulque etiam vespertinis, frigus est. Corpus ergo, et aestate, et subinde meridianis caloribus relaxatum, subito frigore excipitur. Sed, ut eo tempore id maxime fit, sic quandocumque evenit, noxium est. Ubi aequalitas autem est, tamen saluberrimi sunt sereni dies; meliores pluvii, quam tantum nebulosi, nubilive: optimique hieme, qui omni vento vacant, aestate, quibus Favonii perflant. Si genus aliud ventorum est, salubriores Septemtrionales, quam Subsolani, vel Austri sunt: sic tamen haec, ut interdum regionum sorte

(*) PROOEMIUM *De signis rerum in valetudine futurarum, et de communibus auxiliis.*
(**) CAP. I. *Quae anni tempora, quae tempestatum genera, quae partes aetatis, qualia corpora vel tuta vel morbis et qualibus opportuna sint.*

mutentur. Nam fere ventus ubique a mediterraneis regionibus veniens, salubris; a mari, gravis est. Neque solum in bono tempestatum habitu certior valetudo est (1); sed priores morbi quoque, si qui inciderunt, leviores sunt, et promtius finiuntur. Pessimum aegro coelum est, quod aegrum fecit; adeo ut in id quoque genus, quod natura pejus est, in hoc statu salubris mutatio sit. At aetas media tutissima est, quae neque juventae calore, neque senectutis frigore infestatur. Longis morbis senectus, acutis adolescentia magis patet. Corpus autem habilissimum quadratum est, neque gracile, neque obesum. Nam longa statura, ut in juventa decora est, sic matura senectute conficitur: gracile corpus infirmum, obesum hebes est. Vere autem maxime, quaecumque humoris motu novantur, in metu esse consuerunt. Ergo tunc lippitudines, pustulae, profusio sanguinis (2), abscessus *corporis*, quae ἀποστήματα Graeci nominant, bilis atra, quam μελαγχολίαν appellant, insania, morbus comitialis, angina, gravedines, destillationes oriri solent. Ii quoque morbi, qui in articulis nervisque modo urgent, modo quiescunt, tunc maxime et inchoantur et repetunt. At aestas non quidem vacat plerisque his morbis; sed adjicit febres vel continuas, vel ardentes, vel tertianas, vomitus, alvi dejectiones, auricularum dolores, ulcera oris, cancros, et (*a*) in ceteris quidem partibus, sed maxime in obscoenis (3); et quidquid sudore hominem resolvit. Vix quidquam ex his in autumnum non incidit; sed oriuntur quoque eo tempore febres incertae, lienis dolor, aqua inter cutem, tabes, quam Graeci φθίσιν nominant (4); urinae difficultas, quam στραγγουρίαν appellant; tenuioris intestini morbus, quem εἰλεὸν nominant;

(1) Ego censeo, delendam esse vocem *priores*, et legendum *sed morbi quoque, si qui inciderunt, leviores sunt, et promtius finiuntur*. Manifestum enim est, Celsum exprimere voluisse Aphor. 8. Sect. 3. *Temporibus bene constitutis, et tempestivam tempestivitatem servantibus, morbi, qui facile consistant et solvantur, fiunt.* Idem repetit Hippocrates lib. 2. de Morb. Vulg. (2) Vox *corporis* videtur addita ex glossemate. Corpus non abscedit; sed si noxia materia, quae totum corpus afficiebat, in aliqua ejus parte colligitur, fit abscessus. Itaque *abscessus* a Celso absolute semper usurpatur. Vide cap. 7. et 8. hujus lib. cap. 7. sect. 11. lib. 5. et cap. 2. lib. 7. (3) In Aphorismo est ἵδρωα. A Celso lib. 5. cap. 28. sect. 15. dicuntur *pustulae, quae ex sudore oriuntur*; a Plinio lib. 23. cap. 4. sect. 45. *papulae sudorum*. Celsus causam hic ponere videtur pro effectu. (4) Scaliger ad hunc locum haec adnotat: « *Fallitur Celsus in στραγγουρίας interpretatione, quae proprie Latinis substillum, non stillicidium...... At δυσουρία proprie* urinae difficultas ». Morgagnus ita scribit in epist. 8. *vellem ut Scaliger, antequam Celsum erroris damnaret, quaesisset num forte in codice vetustissimo cum graecae vocis prima syllaba δυς, atramento diffugiente, intercidisset, sciolus aliquis longe aliam atque ille scripsisset, temere suffecerit*. Sed etiam si δυσουρίαν Celsus scripsisset, tamen ab Aphor. 11. Sect. 3. unde sententiam sumsit, recessisset: siquidem ab Hippocrate, non δυσουρία sed στραγγουρία autumnalibus morbis adnumeratur infra quoque ubi Celsus, Aphor. 16. ejusdem sect. 3 spectans, ita scribit: *In siccitatibus acutae febres, lippitudines, tormina, urinae difficultas, articulorum dolores oriuntur*; dicitur *urinae difficultas*, quamvis Hippocrates στραγγουρίαν dixerit. Videtur igitur, ut censet Morgagnus, cum stranguria sine urinae difficultate fie-

(*a*) « Lupac. corr. *et in ceteris quidem partibus sordidis, sed maxime* ».

item laevitas intestinorum, quae λειεντερία vocatur; coxae dolores; morbi comitiales. Idemque tempus et dintinis malis fatigatos, et ab aestate etiam proxima pressos, interimit; et alios novis morbis conficit; et quosdam longissimis implicat, maximeque quartanis, quae per hiemem quoque exerceant. Neque aliud magis tempus pestilentiae patet, cujuscumque ea generis est; quamvis variis rationibus nocet. Hiems autem capitis dolores, tussim, et quidquid in faucibus, in lateribus, in visceribus mali contrahitur, irritat.

At ex tempestatibus, Aquilo tussim movet, fauces exasperat, ventrem adstringit, urinam supprimit, horrores excitat, item dolores lateris et pectoris: sanum tamen corpus spissat, et mobilius atque expeditius reddit. Auster aures hebetat, sensus tardat, capitis dolorem movet, alvum solvit, totum corpus efficit hebes, humidum', languidum. Ceteri venti quo vel huic vel illi propiores sunt, eo magis vicinos his illisve affectus faciunt. Denique omnis calor et jecur et lienem inflammat, mentem hebetat, ut anima deficiat, ut sanguis prorumpat, efficit. Frigus modo nervorum distentionem, modo rigorem infert (5); illud σπασμὸς, hoc τέτανος Graece nominatur (a): nigritiem in ulceribus, horrores in febribus excitat. In siccitatibus, acutae febres, lippitudines, tormina, urinae difficultas, articulorum dolores oriuntur. Per imbres, longae febres, alvi dejectiones, angina, cancri, morbi comitiales, resolutio nervorum; παράλυσιν Graeci nominant. Neque solum interest, quales dies sint, sed etiam quales ante praecesserint. Si hiems sicca Septemtrionales ventos habuit, ver autem Austros et pluvias exhibet, fere subeunt lippitudines, tormina, febres, maximeque in mollioribus corporibus, ideoque praecipue in muliebribus. Si vero Austri pluviaeque hiemem occuparunt, ver autem frigidum et siccum est, gravidae quidem feminae, quibus tum adest partus, abortu periclitantur; eae vero quae gignunt, imbecillos, vixque vitales edunt: ceteros lippitudo arida, et, si seniores sunt, gravedines atque destillationes male habent. At si a prima hieme Austri ad ultimum ver continuarunt, laterum dolores, et insania febricitantium, quam φρένιτιν appellant, quam celerrime rapiunt. Ubi vero calor a primo vere orsus aestatem quoque similem exhibet, necesse est multum sudorem in febribus subsequi. At si sicca aestas Aquilones habuit, autumno vero imbres Austrique sunt, tota hieme, quae proxima est, tussis, destillatio, raucitas, in quibusdam etiam tabes oritur. Sin autem autumnus quoque aeque siccus iisdem Aquilonibus perflatur, omnibus quidem mollioribus corporibus, inter quae muliebria esse proposui, secunda valetudo contingit: durioribus vero instare possunt et aridae lippitudines, et febres partim acutae, partim longae; et ii morbi,

ri non soleat, Celsum id magis spectasse quam ipsam vocis vim et naturam. (5) Cur non *illa* σπασμὸς, *hic* τέτανος? Suspicor, haec verba ab interpretibus addita esse.

(a, Lupac. corr. τέτανος *Graeci nominant.*

qui ex atra bile nascuntur. Quod ad aetates vero pertinet, pueri proximique his vere optime valent, et aestate prima tutissimi sunt; senes aestate et autumni prima parte; juvenes hieme, quique inter juventam senectutemque sunt. Inimicior senibus biems, aestas adolescentibus est. Tum si qua imbecillitas oritur, proximum est, ut infantes, tenerosque adhuc pueros serpentia ulcera oris, quae ἄφθας Graeci nominant, vomitus, nocturnae vigiliae, aurium humor, circa umbilicum inflammationes exerceant. Propriae etiam dentientium, gingivarum exulcerationes, febriculae, interdum distentiones nervorum, alvi dejectiones, maximeque caninis dentibus orientibus, male habent. Quae pericula plenissimi cujusque sunt, et cui maxime venter adstrictus est. At ubi aetas paulum processit, glandulae, et vertebrarum quae in spina sunt, aliquae inclinationes, strumae, verrucarum quaedam genera dolentia, ἀκροχορδόνας Graeci appellant, et plura alia tubercula oriuntur. Incipiente vero jam pube, ex iisdem multa, et longae febres, et sanguinis ex naribus cursus. Maximeque omnis pueritia, primum circa quadragesimum diem, deinde septimo mense, tum septimo anno, postea circa pubertatem periclitatur. Si qua etiam genera morborum in infantem (a) inciderunt, ac neque pubertate, neque primis coitibus, neque in femina primis menstruis finita sunt, fere longa sunt: saepius tamen morbi pueriles, qui diutius manserunt, terminantur. Adolescentia morbis acutis, item comitialibus, tabique maxime objecta est: fereque juvenes sunt, qui sanguinem exspuunt. Post hanc aetatem laterum et pulmonis dolores, lethargus, cholera, insania, sanguinis per quaedam velut ora venarum, αἱμοῤῥοΐδας Graeci appellant, profusio. In senectute, spiritus et urinae difficultas, gravedo, articulorum et renum dolores, nervorum resolutiones, malus corporis habitus, καχεξίαν Graeci appellant, nocturnae vigiliae, vitia longiora aurium, oculorum, etiam narium, praecipueque soluta alvus, et, quae sequuntur hanc, tormina, vel laevitas intestinorum, ceteraque ventris fusi mala. Praeter haec graciles tabes, dejectiones, destillationes; item viscerum et laterum dolores fatigant. Obesi plerumque acutis morbis, et difficultate spirandi strangulantur: subitoque saepe moriuntur; quod in corpore tenuiore vix evenit.

Cap. II (*). Ante adversam autem valetudinem, ut supra dixi, quaedam notae oriuntur: quarum omnium commune est, aliter se corpus habere, atque consuevit; neque in pejus tantum, sed etiam in melius. Ergo si plenior aliquis, et speciosior, et coloratior factus est, suspecta habere bona sua debet; quae, quia neque in eodem habitu subsistere, neque ultra progredi possunt, fere retro, quasi ruina quadam, revolvuntur. Pejus tamen signum est, ubi aliquis contra consuetudinem emacuit, et colorem decoremque amisit: quoniam in iis quae su-

(a) Lup. corr *incidere*.
(*) Cap. II. *De notis adversae valetudinis futurae.*

perant, est quod morbus demat; in iis quae desunt, non est quod ipsum morbum ferat. Praeter haec protinus timeri debet, si graviora membra sunt; si crebra ulcera oriuntur; si corpus supra consuetudinem incaluit; si gravior somnus pressit; si tumultuosa somnia fuerunt; si saepius expergiscitur aliquis, quam assuevit, deinde iterum soporatur; si corpus dormientis circa partes aliquas contra consuetudinem insudat, maximeque si circa pectus, aut cervices, aut crura, vel genua, vel coxas. Item, si marcet animus; si loqui et moveri piget; si corpus torpet; si dolor praecordiorum est, aut totius pectoris, aut, qui in plurimis evenit, capitis; si salivae plenum os est; si oculi cum dolore vertuntur; si tempora adstricta sunt; si membra inhorrescunt; si spiritus gravior est; si circa frontem intentae venae moventur; si frequentes oscitationes; si genua quasi fatigata sunt, totumve corpus lassitudinem sentit. Ex quibus saepe plura, numquam non aliqua febrem antecedunt. In primis tamen illud considerandum est, num cui saepius horum aliquid eveniat, neque ideo corporis ulla difficultas subsequatur. Sunt enim quaedam proprietates hominum, sine quarum notitia non facile quidquam in futurum praesagiri potest. Facile itaque securus est in iis aliquis, quae saepe sine periculo evasit: ille sollicitari debet, cui haec nova sunt; aut qui ista numquam sine custodia sui tuta habuit.

Cap. III (*). Ubi vero febris aliquem occupavit, scire licet, non periclitari, si in latus aut dextrum aut sinistrum, ut ipsi visum est, cubat, cruribus paulum reductis; qui fere sani quoque jacentis habitus est; si facile convertitur; si noctu dormit, interdiu vigilat; si ex facili spirat; si non conflictatur; si circa umbilicum et pubem cutis plena est; si praecordia ejus sine ullo sensu doloris aequaliter mollia in utraque parte sunt. Quod si paulo tumidiora sunt, sed tamen digitis cedunt et non dolent, haec valetudo, ut spatium aliquod habebit, sic tuta erit. Corpus quoque, quod aequaliter molle et calidum est, quodque aequaliter totum insudat, et cujus febricula eo sudore finitur, securitatem pollicetur. Sternutamentum etiam inter bona indicia est, et cupiditas cibi vel a primo servata, vel etiam post fastidium orta. Neque terrere debet ea febris, quae eodem die finita est; ac ne ea quidem, quae, quamvis longiore tempore tenuit, tamen ante alteram accessionem ex toto quievit, sic ut corpus integrum (1), quod εἰλικρινὲς Graeci vocant, fieret. Si quis autem incidit vomitus, mixtus esse et bile et pituita debet; et in urina subsidere album, laeve, ae-

(1) Cicero epist. 8. lib. 2. ad Q. Fratrem; est enim *εἰλικρινὲς judicium*; id est sincerum ac simplex judicium senatus, in quo nihil est gratiae tribulum; ut exponit Manutius. Verba haec ab aliquo sciolo addita videntur: nam vox *integrum*, qua Celsus lib. 1. cap. 2. et alibi usus est, adeo apertum sensum habet, ut interpretatione ista mi-

(*) Cap. III. *Incipiente febre signa mala vel bona.*

quale; sic ut etiam, si quae quasi nubeculae innatarint, in imum deferantur. At venter ei, qui a periculo tutus est, reddit mollia, figurata, atque eodem fere tempore, quo secunda valetudine assuevit, modo convenientia iis quae assumuntur. Pejor cita alvus est: sed ne haec quidem terrere protinus debet, si matutinis temporibus coacta magis est, aut si procedente tempore paulatim contrahitur, et rufa est, neque foeditate odoris similem alvum sani hominis excedit. Ac lumbricos quoque aliquos sub fine morbi descendisse, nihil nocet (2). Si inflatio in superioribus partibus dolorem tumoremque fecit, bonum signum est sonus ventris inde ad inferiores partes evolutus; magisque etiam si sine difficultate cum stercore excessit.

CAP. IV (*). Contra gravis morbi periculum est, ubi supinus aeger jacet, porrectis manibus et cruribus; ubi residere vult in ipso acuti morbi impetu, praecipueque pulmonibus laborantibus; ubi nocturna vigilia premitur, etiamsi interdiu somnus accedit; ex quo tamen pejor est qui inter quartam horam et noctem est (1), quam qui a matutino tempore ad quartam (2). Pessimum tamen est, si somnus neque noctu, neque interdiu accedit: id enim fere (3) sine continuo dolore esse non potest. Aeque vero signum malum est etiam somno ultra debitum urgeri; pejusque quo magis sopor interdiu, noctuque continuat. Mali etiam morbi testimonium est, vehementer et crebro spirare; a sexto die coepisse inhorrescere; pus expuere; vix excreare; dolorem habere continuum; difficulter ferre morbum; jactare brachia et crura; sine voluntate lacrimare; habere humorem glutinosum dentibus inhaerentem; cutem circa umbilicum et pubem macram; praecordia inflammata, dolentia, dura, tumida, intenta, magisque si haec dextra parte, quam sinistra, sunt; periculosissimum tamen est, si ve-

nime egeat. (2) In Praenotionibus ita legit. *At praecordiorum dolores recentes quidem et sine inflammatione, murmur solvit circa praecordia exortum, idque potissimum, si cum stercore, urina et flatu prodierit.* Celsus dicendo *Si inflatio*, indicat dolorem tumoremque ab inflammatione non esse. Inflatio autem etiam sine inflammatione dolorem facit, et interdum vehementem; ut in plenioris intestini morbo.– « Hoc loco Lupac hanc notulam scripsit: *Gul. Paul.* ita legit: *si sine inflammatione in superioribus partibus dolorem quid tumoremque fecit, bonum signum est*, etc ».

(1) Romani diem dividebant in horas duodecim, longiores brevioresque pro vario anni tempore. Hippocrates in Praenot. *At minimum offenditur aeger, si prima luce dormiat ad tertiam diei partem.* (2) Haec et sequentia usque ad finem capitis sumta sunt ex Praenotionibus, partim etiam ex Aphorismis. (3) Lindenius leg. *sine continuo delirio*, ut habet in margine Editio Constantini. Videtur autem Constantinus spectasse locum illum Praenot. *Pessimum autem, si neque noctu, neque interdiu dormiat; nam aut ob dolorem insania adest, aut delirii adfuturi nota est.* Sed Celsus hic loquitur de nocturna vigilia ex continuo dolore, quatenus continuus dolor gravis morbi signum est: de vigilia, quae insaniae nota est, ita scribit cap. 7. hujus lib. *nullo dolore substante, somnus ereptus, continuataque nocte et die vigilia, vel prostratum contra consuetudinem corpus in ventrem.... insaniae signa sunt.* Ex continuo dolore interdum insania oritur; non tamen semper: at continuata nocte et die vigilia, nullo dolore sub-

(*) CAP. IV. *Mala signa languentium.*

nae quoque ibi vehementer agitantur. Mali etiam morbi signum est, nimis celeriter emacrescere; caput et pedes manusque frigidas habere, ventre et lateribus calentibus; aut frigidas extremas partes acuto morbo urgente; aut post sudorem inhorrescere; aut post vomitum singultum esse, vel rubere oculos; aut post cupiditatem cibi, postve longas febres hunc fastidire; aut multum sudare, maximeque frigido sudore; aut habere sudores non per totum corpus aequales, quique febrem non finiant; et febres eas, quae quotidie tempore eodem revertantur; quaeve semper pares accessiones habeant, neque tertio quoque die leventur; quaeve sic continuent, ut per accessiones increscant, per decessiones tantum molliantur, neque umquam integrum corpus dimittant. Pessimum est, si ne levatur quidem febris, sed aeque concitata continuat. Periculosum est etiam (4), post arquatum morbum febrem oriri; utique si praecordia dextra parte dura manserunt. Ac dolentibus iis, nulla acuta febris leviter terrere nos debet; neque umquam in acuta febre, aut a somno non est terribilis nervorum distentio. Timere etiam ex somno, mali morbi est; itemque in prima febre protinus mentem esse turbatam, membrumve aliquod resolutum. Ex quo casu, quamvis vita redditur, tamen id fere membrum debilitatur. Vomitus etiam periculosus est sincerus pituitae, vel bilis; pejorque, si viridis, aut niger est. At mala urina est, in qua subsidunt (5) subrubra et laevia: deterior, in qua (6) quasi folia quaedam tenuia atque alba: pessima ex his, si (7) tamquam ex furfuribus factas nubeculas repraesentat. Diluta quoque atque alba, vitiosa est, sed in phreneticis maxime. Alvus autem mala est, ex toto suppressa: periculosa etiam, quae inter febres fluens conquiescere hominem in cubili non patitur; utique si quod descendit, est perliquidum, aut albidum, aut pallidum, aut spumans. Praeter haec periculum ostendit id, quod excernitur, si est exiguum, glutinosum, laeve, album, idemque subpallidum: vel si est aut lividum, aut biliosum, aut

stante, insaniae indicium est. (4) Pantinus et Constantinus censent, depravatum locum esse, et restituendum ex Aphorismis 62. et 63. Sect. 4 *Quibus per febres morbus regius ante diem septimum obortus fuerit, malum.... Quibus per febres die septimo, aut nono, aut undecimo, aut decimo quarto morbus regius obortus fuerit, bonum* Pantinus igitur putat, ita legendum esse: *post febrem arquatum morbum oriri*: Constantinus vero sic: *arquatum morbum post febrem oriri*: atque ita esse in Codd. Castellani, testatur Foesius (*Ita etiam corr. Lupacchinus*) Sed. Hippocratis sententia neque hoc, neque illo modo bene restituitur Is enim Aphoris 63. pronunciavit, morbum regium in febre die septimo, aut nono etc ortum, periculosum non esse Celsus quid Hippocrates docuerit, non ignoravit: sed Dioclem Carystium hoc loco sequi maluisse, ex eo videri potest, quod scripsit lib 3. cap. 24 *Quem*, arquatum morbum, *Hippocrates ait; si post septimum diem febricitante aegro supervenit, tutum esse, mollibus tantummodo praecordiis substantibus: Diocles ex toto, si post febrem oritur, etiam prodesse; si post hunc febris, occidere.* (5) In Praenot *At urina subrubra, simileque quod subsidet, et laeve, haec longe quidem diuturnior, quam prima fit* (in qua subsidit album et laeve) *valde tamen salutaris.* (6) ὑποστάσις πεταλώδης ab Hippocrate dicitur in Praenotionibus. « Lupac corr. *in qua quasi folia quaedam araneorum innatant: pessima* ». (7) ὑποστάσις πιτυρώδης in Praenot. Codd. Med. 1. et Vat. VIII. habent *nebulas* pro *nubeculas*. « Lupac. corr. *factae subsidentias* ».

cruentum, aut pejoris odoris, quam ex consuetudine. Malum est etiam, quod post longas febres sincerum est.

Cap. V (*). Post haec indicia votum est longum morbum fieri (1): sed et necesse est, nisi occidit. Neque vitae alia spes in magnis malis est, quam ut impetum morbi trahendo aliquis effugiat, porrigaturque in id tempus, quod curationi locum praestet. Protinus tamen signa quaedam sunt, ex quibus colligere possimus, morbum, etsi non interemerit, longius tamen tempus habiturum: ubi frigidus sudor inter febres non acutas circa caput tantum, et cervices oritur; aut ubi, febre non quiescente, corpus insudat; aut ubi corpus modo frigidum, modo calidum est, et color alius ex alio fit; aut ubi, quod inter febres aliqua parte abscessit, ad sanitatem non pervenit; aut ubi aeger pro spatio parum emacrescit: item, si urina modo liquida et pura est, modo habet quaedam subsidentia; si laevia atque alba rubrave sunt, quae in ea subsidunt; aut si (2) quasdam quasi miculas repraesentat; aut (3) si bullulas excitat.

Cap. VI (**). Sed inter haec quidem, proposito metu, spes tamen superest. Ad ultima vero jam ventum esse testantur (1) nares acutae, collapsa tempora, oculi concavi, frigidae languidaeque aures, et imis partibus (a) leniter versae, cutis circa frontem dura et intenta, color aut niger aut perpallidus; multoque magis, si ita haec sunt, ut neque vigilia praecesserit, neque ventris resolutio, neque inedia. Ex quibus causis interdum haec species oritur, sed uno die finitur: itaque diutius durans, mortis index est. Si vero in morbo vetere jam triduo talis est, in propinquo mors est; magisque si, praeter haec, oculi quoque lumen refugiunt, et illacrimant; quaeque in iis alba esse debent, rubescunt; atque in iisdem venulae pallent; pituitaque in iis innatans, novissime angulis inhaerescit; alterque ex his minor est; iique aut vehementer subsederunt, aut facti tumidiores sunt; perque somnum palpebrae non committuntur, sed inter has ex albo oculorum aliquid apparet, neque id fluens alvus expressit; eaedemque palpebrae pallent, et idem pallor labra et nares decolorat; eademque labra, et nares, oculique, et palpebrae, et supercilia, aliquave ex his pervertuntur; isque propter imbecillitatem jam non audit, aut non videt. Eadem mors denuntiatur, ubi aeger supinus cubat, eique genua contracta

(1) De qua locutione, sane eleganti, videnda est adnot Victorii ad epist. Ciceronis 15. lib. 3. ad Atticum, et Lexicon Forcellini. (2) In Praenot χριμνώδεες ὑποστάσιες vocantur. Sic autem reposuit Lindenius ex emendatione Scaligeri. Antea legebatur *quasdam quasi maculas*. (3) Plinius lib. 28. c. 6. s. 19. urinam bullantem vocat.

(1) Haec et quae sequuntur usque ad periodum, *Neque is servari potest*, sumta sunt

(*) Cap. V. *De signis longae valetudinis.*
(**) Cap. VI. *De indiciis mortis.*
(a) Lupac. corr. *Leviter adversae.*

sunt; ubi is deorsum ad pedes subinde delabitur; ubi brachia et crura nudat, et inaequaliter dispergit, neque iis calor subest; ubi hiat; ubi assidue dormit; ubi is, qui mentis suae non est, neque id facere sanus solet, dentibus stridet; ubi ulcus, quod ant ante, ant in ipso morbo natum est ,aridum, et aut pallidum, aut lividum factum est. Illa quoque mortis indicia sunt, ungues, digitique pallidi; frigidus spiritus; aut si manibus quis (2) in febre, et acuto morbo, vel insania, pulmonisve dolore, vel capitis, in veste floccos legit, fimbriasve diducit, vel in adjuncto pariete, si qua minuta eminent, carpit. Dolores etiam circa coxas et inferiores partes orti, si ad viscera transierunt, subitoque desierunt, mortem subesse testantur; magisque si alia quoque signa accesserunt. Neque is servari potest, qui (*a*) sine nllo tumore febricitans, subito strangulatur, aut devorare salivam suam non potest; cuive in eodem febris corporisque habitu cervix convertitur, sic ut devorare aeque nihil possit; aut cui simul et continua febris et ultima corporis infirmitas est; aut cui, febre non quiescente, exterior pars friget, interior sic calet, ut etiam sitim faciat; aut qui, febre aeque non quiescente, simul et delirio et spirandi difficultate vexatur; aut qui, epoto veratro, exceptus distentione nervorum est; aut qui ebrius obmutuit. Is enim fere nervorum distentione consumitur, nisi aut febris accessit, aut eo tempore, quo ebrietas solvi debet, loqui coepit. Mulier quoque gravida acuto morbo facile consumitur; et is, cui somnus dolorem auget; et cui protinus in recenti morbo bilis atra vel infra vel supra se ostendit; cuive alterutro modo se promsit, quum jam longo morbo corpus ejus esset extenuatum et affectum. Sputum etiam biliosum et purulentum, sive separatim ista, sive mixta proveniunt, interitus periculum ostendunt. Ac si circa septimum diem tale esse coepit (*b*), proximum est, ut is circa quartumdecimum decedat, nisi alia signa meliora pejorave accesserint: quae, quo leviora graviorave subsequnta sunt, eo vel seriorem mortem, vel maturiorem denuntiant. Sudor quoque frigidus in acuta febre pestifer est: atque in omni morbo vomitus, qui varius, et multorum colorum est; praecipueque si malus in hoc odor est. Ac sanguinem quoque in febre vomuisse pestiferum est (3). Urina vero rubra et tenuis in magna cruditate esse consuevit; et saepe, antequam spatio maturescat, hominem rapit: itaque, si talis diutius permanet, periculum mortis ostendit. Pessima tamen est, praecipueque mortifera, nigra, crassa, mali odoris. Atque in viris quidem et mulieribus talis deterrima est: in pueris vero, quae tennis et diluta est. Alvus quoque varia pestifera est, quae (*c*) strigmen-

ex Praenotionibus multa etiam ex Aphorismis. (2) In Praenot. unde id sumsit Celsus, ita habetur: *In febribus acutis, aut pulmonum inflammationibus, aut phrenitide, aut capitis doloribus* etc (3) Hippocrates in Praenot. *ξυῤῥον* habet. Sed Plinius quoque hanc vocem ita vertit lib. 28. cap. 6. sect. 19. *mala signa urinae rubrae, pes-*

(*a*) Lupac. corr. *qui sine gulae tumore.* (*b*) Lupac. corr. *in proximo est.*
(*c*) Hoc loco Lupac. notulam scripsit hanc: *sordes quae ex corporibus raduntur* ».

tum, sanguinem, bilem, viride aliquid, modo diversis temporibus, modo simul, et in mixtura quadam, discreta tamen, repraesentat. Sed haec quidem potest paulo diutius trahere: in praecipiti vero jam esse denuntiat, quae liquida, eademque vel nigra, vel pallida, vel pinguis est; utique si magna foeditas odoris accessit.

Illud interrogari me posse ab aliquo scio: si certa futurae mortis indicia sunt, quomodo interdum deserti a medicis convalescant, quosdamque fama prodiderit in ipsis funeribus revixisse? Quin etiam vir jure magni nominis Democritus, ne finitae quidem vitae satis certas notas esse proposnit, quibus medici credidissent: adeo illud non reliquit, ut certa aliqua signa futurae mortis essent. Adversus quos ne dicam illud quidem, quod in vicino saepe quaedam notae positae, non bonos, sed imperitos medicos decipiunt (4); quod Asclepiades funeri obvius intellexit, quemdam vivere, qui efferebatur: nec protinus crimen artis esse, si quod professoris sit. Illa tamen moderatius subjiciam: conjecturalem artem esse medicinam, rationemque conjecturae talem esse, ut quum saepius aliquando responderit, interdum tamen fallat. Si quid itaque vix in millesimo corpore aliquando decipit (*a*), id notam (5) non habet, quum per innumerabiles homines respondeat. Idque non in iis tantum, quae pestifera sunt, dico; sed in iis quoque, quae salutaria. Siquidem etiam spes interdum frustratur, et moritur aliquis, de quo medicus secnrus primo fuit: quaeque medendi causa reperta sunt (6), nonnumquam in pejus alicui convertunt. Neque id evitare humana imbecillitas in tanta varietate corporum potest. Sed est tamen medicinae fides, quae mnlto saepius, perque multo plures aegros prodest. Neque tamen ignorare oportet, in acutis morbis fallaces magis notas esse et salutis et mortis.

Cap. VII (*). Sed quum proposuerim signa, quae in omni adversa valetudine communia esse consueverunt; eo quoque transibo, ut quas aliquis in singulis morborum generibus habere possit notas, indicem. Quaedam autem sunt, quae ante febres, quaedam quae inter eas, quid

sima nigrae. (4) Plinius lib. 26. cap. 3. sect. 8. Asclepiades *magna auctoritate, nec minore fama, cum occurrisset ignoto funeri, relato homine ab rogo, atque servato* Morgagnus propemodum credit, huc aliquid fuisse translatum ex illis Apuleii verbis lib 4. Florid. *confestim exclamavit*, Asclepiades, *vivere hominem.* (5) Cicero in Orat. pro Rabirio cap. 9. dixit, *Homo omnibus notis turpitudinis insignis*; et lib. 3. cap 18. de Offic. « *turpem notam temporum illorum* » et Propertius lib 1. Eleg. 18. v. 8. *Nunc in amore tuo cogor habere notam.* (6) Ego maluissem legere *alicui vertunt*; sed retinui *convertunt*; quoniam Manutii, Victorius, et Gruterus in Cicerone cap 38. Bruti retinuerunt *quod vitium huic uni in bonum convertebat*. Lambinus quidem censet legendum esse in *bonum vertebat*; sed nullo codice suffragante. Vox autem *aliqui* manifesto mendosa est; sicut in Pandectis Florentinis lib. 5. Digest. tit. 4. de Constit. Princip §. 1. *quae princeps aliqui ob merita indulsit*, pro *quae princeps alicui* etc. « Lupac. corr. *in pejus aliquid convertunt* ».

(*) Cap VII. *Ex quibus notis singulae valetudines cognoscuntur.*
(*a*) Lup. corr. *idem non habet.*

aut intus sit, aut venturum sit, ostendunt. Ante febres, si caput grave est, aut ex somno oculi caligant, aut frequentia sternutamenta sunt, circa caput aliquis pituitae impetus timeri potest. Si sanguis, aut calor abundat, proximum est, ut aliqua parte profluvium sanguinis fiat. Si sine causa quis emacrescit, ne in malum habitum corpus ejus decidat, metus est. Si praecordia dolent, aut inflatio gravis est, aut toto die non concocta fertur urina, cruditatem esse manifestum est. Quibus diu color sine morbo regio malus est, hi vel capitis doloribus conflictantur, vel terram edunt. Qui diu habent faciem pallidam et tumidam, aut capite, aut visceribus, aut alvo laborant. Si in continua febre puero venter nihil reddit, mutaturque ei color, neque somnus accedit, ploratque is assidue, metuenda nervorum distentio est. Frequens autem destillatio in corpore tenui longoque, tabem timendam esse testatur. Ubi pluribus diebus non descendit alvus, docet, aut subitam dejectionem, aut febriculam instare. Ubi pedes turgent, longae dejectiones sunt, ubi dolor in imo ventre et coxis est, aqua inter cutem instat. Sed hoc morbi genus ab ilibus oriri solet. Idem propositum periculum est iis, quibus voluntas desidendi est, venter nihil reddit, nisi et aegre et durum, tumor in pedibus est, idemque modo dextra, modo sinistra parte ventris, invicem oritur atque finitur. Sed a iecinore id malum proficisci videtur. Ejusdem morbi nota est, ubi circa umbilicum intestina torquentur, στρόφους Graeci nominant; coxaeque dolores manent: eaque neque tempore, neque remediis solvuntur. Dolor autem articulorum, prout in pedibus, manibusve, aut alia qualibet parte sic est, ut eo loco nervi contrahantur; aut si id membrum ex levi causa fatigatum, aeque frigido calidoque offenditur, podagram, chiragramve, vel ejus articuli, in quo id sentitur, morbum futurum esse denuntiat. Quibus in pueritia sanguis ex naribus fluxit, dein fluere desiit, hi vel capitis doloribus conflictentur necesse est, vel in articulis aliquas exulcerationes graves habeant, vel aliquo morbo etiam debilitentur. Quibus feminis menstrua non proveniunt, necesse est capitis acerbissimi dolores sint, vel quaelibet alia pars morbo infestetur (*a*). Eademque iis pericula sunt, quibus articulorum dolores tumoresque, sine podagra similibusque morbis, oriuntur, et desinunt: utique, si saepe tempora iisdem dolent, noctuque corpora insudant. Si frons prurit, lippitudinis metus est (1). Si mulier a partu vehementes dolores habet, neque alia praeterea signa mala sunt, circa vicesimum diem aut

(1) Sumtum id videtur ex hoc Praenotionum loco: *Ad eamdem quoque rationem, et mulieribus ex partu judicationes contingunt. Capitis dolores vehementes ac continentes, alio quidem signo accedente. admodum exitiales. Quod si sine signis ejusmodi dolor vigesimum diem superet, et febris detineat, sanguinis ex naribus eruptionem, aut alium quemdam abscessum ad inferiores sedes suspectari oportet.* Fortasse eo in Codice quo usus est Celsus, verba perperam conjungebantur hoc modo, *mulieribus ex partu*

(*a*) Lupac. corr. *Eademque denique pericula sunt.*

sanguis per nares erumpet, aut in inferioribus partibus aliquid abscedet. Quicumque etiam dolorem ingentem circa tempora et frontem habebit, is alterutra ratione eum finiet; magisque, si juvenis erit, per sanguinis profusionem; si senior, per suppurationem. Febris autem quae subito sine ratione, sine bonis signis finita est, fere revertitur. Cui fauces sanguine et interdiu et noctu replentur, sic, ut neque capitis dolores, neque praecordiorum, neque tussis, neque vomitus, neque febricula praecesserit, hujus aut in naribus (2), aut in faucibus ulcus reperietur. Si mulieri (3) inguen et febricula orta est, neque causa apparet, ulcus in vulva est. Urina autem crassa (4), ex qua quod desidit, album est, significat circa articulos, aut circa viscera dolorem, metumque morbi esse (5). Eadem viridis, aut viscerum dolorem, tumoremque cum aliquo periculo subesse, aut certe corpus integrum non esse, testatur. At si sanguis aut pus in urina est, vel vesica, vel renes exulcerati sunt. Si haec crassa (6) carunculas quasdam exiguas quasi capillos habet, aut si bullat, et male olet, et interdum quasi arenam, interdum quasi sanguinem trahit, dolent autem coxae, quaeque inter has superque pubem sunt, et accedunt frequentes ructus, interdum vomitus biliosus, extremaeque partes frigescunt, urinae crebra cupiditas, sed magna difficultas est, et quod inde excretum est, aquae simile, vel rufum, vel pallidum est, paulum tamen in eo levamenti est, alvus vero cum multo spiritu redditur, utique in renibus vitium est. At si paulatim destillat, vel si sanguis per hanc editur, et in eo quaedam cruenta concreta sunt, idque ipsum cum difficultate redditur, et circa pubem interiores partes dolent, in eadem vesica vitium est. Calculosi vero his indiciis cognoscuntur: difficulter urina redditur, pau-

judicationes contingunt, capitis dolores etc. (2) Constantinus putat legendum esse *aut in faucibus ulcus, aut hirudo reperietur*; quod in lib. 2. Praedict. sect. 17. ita sit: *fauces inspiciendae, num quod ulcus eo in loco, aut hirudo, βδέλλα, appareat*. Et Galenus quidem βδέλλαν pro hirudine accipit; at Dioscorides, vetus Hippocratis Scholiastes, varicem intelligit. Et quoniam ex varice sanguis effluere non potest, nisi rupta vena sit, ob id fortasse Celsus varicem sub ulceris nomine comprehendit. Ejusmodi parvos varices sanguinem subinde emittentes, in quorumdam faucibus nos quoque vidimus. (3) Ex lib. 2. Praedict. sect. 24. ubi legit. *Quibus vero ulcus in utero ortum est, sive ex partu, sive ex tuberculo, aut alia quapiam causa, iis febres et inguinum tumores obveniunt*. Βυβὼν a Celso inguen latine redditur. Sic lib. 3. cap. 5. *Igitur si febris semel tantum accessit, deinde desiit; eaque vel ex inguine, vel ex lassitudine, vel ex aestu fuit.* (4) Ex lib. 2. Praedict. Sect. 4. Plinius lib. 28. cap. 6. sect. 19. *Mala signa crassae urinae, in qua quod subsidit, si album est, significat circa articulos, aut viscera dolorem imminere.* (5) In lib. 2 Praedict. sect. 34. est χλωρὸν; quod Plinius quoque viridem vertit l. c. *Eadem viridis morbum viscerum significat*

(6) Lindenius leg. *carunculas quasdam exiguas, aut quasi capillos*; quo modo Pantinus, et Constantinus putarunt emendandum esse ex Aphor. 76. Sect. 4. *Quibus cum urina crassa exiguae carunculae, aut veluti capilli simul feruntur, iis a renibus excernuntur.* Ita sane latini interpretes aphorismum hunc reddidere, Galenum seculi, qui disjunctionis particulam ab omnibus exemplaribus abesse fassus, eam tamen addendam censuit. Celsus cum antiquis exemplaribus stetit. Quin etiam, ut notat Foesius, in lib. de Nat. Homin. eadem sententia sic affertur: *Quibus una cum urina crassa prodeunt minutae carunculae capillamentorum speciem referentes, eas a renibus, et articu-*

latimque, interdum etiam sine voluntate, destillat; eadem arenosa est; nonnumquam aut sanguis, aut cruentum, aut purulentum aliquid cum ea excernitur; eamque quidam promtius recti, quidam resupinati, maximeque ii, qui grandes calculos habent, quidam etiam inclinati reddunt, colemque extendendo, dolorem levant. Gravitatis quoque cuiusdam in ea parte sensus est: atque ea cursu, omnique motu augentur. Quidam etiam, quum torquentur, pedes inter se, subinde mutatis vicibus, implicant. Feminae vero oras naturalium suorum manibus admotis scabere crebro coguntur: nonnumquam, si digitum admoverunt, ubi vesicae cervicem is urget, calculum sentiunt. At qui spumantem sanguinem exscreant, his in pulmone vitium est. Mulieri gravidae sine modo fusa alvus elidere partum potest. Eidem si lac ex mammis profluit, imbecillum est quod intus gerit: durae mammae, sanum illud esse, testantur. Frequens singultus, et praeter consuetudinem continuus, jecur inflammatum esse significat. Si tumores super ulcera subito esse desierunt, idque a tergo incidit, vel distentio nervorum, vel rigor timeri potest: at si a priore parte id evenit, vel lateris acutus dolor, vel insania expectanda est; interdum etiam ejusmodi casum, quae tutissima inter haec est, profusio alvi sequitur (7). Si ora venarum, sanguinem solita fundere, subito suppressa sunt, aut aqua inter cutem, aut tabes sequitur. Eadem tabes subit, si in lateris dolore orta suppuratio intra quadraginta dies purgari non potuit. At si longa tristitia cum longo timore et vigilia est, atrae bilis morbus subest. Quibus saepe ex naribus fluit sanguis, his aut lienis tumet, aut capitis dolores sunt; quos sequitur, ut quaedam ante oculos tamquam imagines obversentur. At quibus magni lienes sunt, his gingivae malae sunt, et os olet, aut sanguis aliqua parte prorumpit: quorum si nihil evenit, necesse est in cruribus mala ulcera, et ex his nigrae cicatrices fiant. Quibus causa doloris, neque sensus ejus est, his mens labat. Si in ventrem sanguis confluxit, ibi in pus vertitur. Si a coxis, et ab inferioribus partibus dolor in pectus transit, neque ullum signum malum accessit, suppurationis eo loco periculum est. Quibus sine febre aliqua parte dolor, aut prurigo, cum rubore et calore est, ibi aliquid suppurat. Urina quoque quae in homine sano parum liquida est, circa aures futuram aliquam suppurationem esse denuntiat.

Haec vero, quum sine febre quoque vel latentium, vel futurarum rerum notas habeant, multo certiora sunt, ubi febris accessit; atque etiam aliorum morborum tum signa nascuntur. Ergo protinus insania timenda est, ubi expeditior alicujus, quam sani fuit, sermo est, subitaque loquacitas orta est, et haec ipsa solito audacior: aut ubi raro quis et vehementer spirat, venasque concitatas habet,

lari morbo laborantibus prodire, nosse convenit. (7) Aphor. 12. Sect. 6. ita habet: *Diuturnus curanti haemorrhoides, nisi una quaepiam servetur, periculum aquae in-*

praecordiis duris et tumentibus (8). Oculorum quoque frequens motus, et in capitis dolore offusae oculis tenebrae; vel, nullo dolore substante, somnus ereptus, continuataque nocte et die vigilia; vel prostratum contra consuetudinem corpus in ventrem, sic ut ipsius alvi dolor id non coegerit; item, robusto adhuc corpore, insolitus dentium stridor, insaniae signa sunt (9). Si quid etiam abscessit, et antequam suppuraret, manente adhuc febre, subsedit, periculum affert primum furoris, deinde interitus. Auris quoque dolor acutus, cum febre continua vehementique, saepe mentem turbat; et ex eo casu juniores interdum intra septimum diem moriuntur; seniores tardius; quoniam neque aeque magnas febres experiuntur, neque aeque insaniunt; ita sustinent, dum is affectus in pus vertatur. Suffusae quoque sanguine mulieris mammae, furorem venturum esse testantur. Quibus autem longae febres sunt, his aut abscessus aliqui, aut articulorum dolores erunt. Quorum faucibus in febre illiditur spiritus, instat his nervorum distentio. Si angina subito finita est, in pulmonem id malum transit; idque saepe intra septimum diem occidit: quod, nisi incidit, sequitur (*a*) ut aliqua parte suppuret. Denique post alvi longam resolutionem, tormina; post haec, intestinorum laevitas oritur; post nimias destillationes, tabes; post lateris dolorem, vitia pulmonum; post haec, insania; post magnos fervores corporis, nervorum rigor aut distentio; ubi caput vulneratum est, delirium; ubi vigilia torsit, nervorum distentio; ubi vehementer venae super ulcera moventur, sanguinis profluvium.

Suppuratio vero (*b*) pluribus morbis excitatur. Nam si longae febres sine dolore, sine manifesta causa remanent, in aliquam partem id malum incumbit; in junioribus tamen: nam in senioribus ex ejusmodi morbo quartana fere nascitur. Eadem suppuratio fit, si praecordia dura, dolentia ante vicesimum diem hominem non sustulerunt, neque sanguis ex naribus fluxit, maximeque in adolescentibus; utique si inter principia aut oculorum caligo, aut capitis dolores fuerunt: sed tum in inferioribus partibus aliquid abscedit. Aut si praecordia tumorem mollem habent, neque habere intra sexaginta dies desinunt, haeretque per omne id tempus febris: sed tum in superioribus partibus fit abscessus (10): ac si inter ipsa visce-

ter cutem, vel tabis impendet. (8) Haec et quae sequuntur usque ad periodum *Suffusae quoque sanguine* etc. sumta sunt ex Praenot. (9) In Praenot ita legit. *Si vero dispareant abscessus, et intro recurrant, sputo non prodeunte, et detinente febre, gravis morbi periculum, et delirii, et mortis aegro imminet.* Sententiam quidem inde sumsit Celsus; sed quod Hippocrates dixit de abscessibus interdum orientibus in pulmonis inflammationibus, de quibus eo loco loquitur; id Celsus non minus vere dixit de aliis quoque morbis, in quibus item ejusmodi abscessus aliquando fiunt. Et pulmonum quidem inflammationes maxime per sputa solvuntur: in aliis vero morbis, si abscessus, in exteriore aliqua parte oborti, subsidunt, et materia intus ad viscera fertur, non minus perniciosum est. (10) Sententia sumta est ex Praenot. *Si neque*

(*a*) Lupac. cor. *ut ea de parte.* (*b*) Lupac. corr. *pluribus modis.*

ra non fit, circa aures erumpit. Quumque omnis longus tumor ad suppurationem fere spectet, magis eo tendit is, qui in praecordiis, quam is, qui in ventre est; is, qui supra umbilicum, quam is, qui infra est. Si lassitudinis etiam sensus in febre est, vel in maxillis, vel in articulis aliquid abscedit. Interdum quoque urina tenuis et cruda sic diu fertur, ut alia salutaria signa sint; exque eo casu plerumque infra transversum septum (11), (quod διάφραγμα Graeci vocant), fit abscessus. Dolor etiam pulmonis, si neque per sputa, neque per sanguinis detractionem, neque per victus rationem finitus est, vomicas aliquas intus excitat (12), aut circa vicesimum diem, aut circa tricesimum, aut circa quadragesimum, nonnumquam etiam circa sexagesimum. Numerabimus autem ab eo die, quo primum febricitavit aliquis, aut inhorruit, aut gravitatem ejus partis sensit. Sed hae vomicae (13) modo a pulmone, modo a contraria parte nascuntur. Quod suppurat, ab ea parte, quam afficit, dolorem inflammationemque concitat; ipsum calidius est; et si in partem sanam aliquis decubuit, onerare eam ex pondere aliquo videtur. Omnis etiam suppuratio, quae nondum oculis patet, sic deprehendi potest: si febris non dimittit, eaque interdiu levior est, noctu increscit; multus sudor oritur; cupiditas tussiendi est, et paene nihil in tussi exscreatur; oculi cavi sunt; malae rubent; venae sub lingua inalbescunt; in manibus fiunt adunci ungues; digiti, maximeque summi, calent; in pedibus tumores sunt; spiritus difficilius trahitur; cibi fastidium est; pustulae toto corpore oriuntur. Quod si protinus initio dolor et tussis fuit, et spiritus difficultas, vomica vel ante, vel circa vicesimum diem erumpet: si serius ista coeperint, necesse est quidem increscant; sed quo minus cito affecerint, eo tardius solventur. Solent etiam in gravi morbo pedes cum digitis unguibus-

intra vigesimum diem febris quiescat, neque tumor praecordiorum subsidat, ad suppurationem res vertitur. His autem primo circuitu etiam sanguinis e naribus fluxus contingit, valdeque juvat. . . . Molles autem tumores, et doloris expertes, digitisque cedentes, longiores judicationes faciunt, illisque minus graves sunt. Quod si intra dies sexaginta neque febris cesset, neque tumor subsidat, fore suppurationem eo loco, et reliquo ventre eodem modo significat. Lindenius leg. *ac si inter ipsa initia sanguis e naribus non fluit*: quod, ut notat Morgagnus, unde sumserit, non apparet, cum in Praenotionibus, ex quibus reliqua sunt, non inveniatur. (11) Alibi quoque semper transversum septum vocat. Hippocrates tum in Praenotionibus, unde haec sententia sumta est, tum alibi φρένας appellat. Plinius lib. 11. cap. 38. sect. 7. ita scribit: *Exta homini ab inferiore viscerum parte separantur membrana, quae praecordia appellant, quia cordi praetenditur.* Galenus tamen lib. 5. de Locis Affect. docet, ab antiquis, etiam a Platone, διάφραγμα nominatum fuisse. Sed si haec verba, διάφραγμα *Graeci vocant.* in prooemio retinentur, hic certe retinenda non sunt. (12) Ita est in Praenotionibus: in Coacis autem 402. vicesimi diei mentio non fit. Codd. Med. 1. et Vat. VIII. multaeque Edd. non habent prius membrum, *aut circa tricesimum*; alii Codd. et Edd. Manutianae habent hoc, non insequens, *aut circa quadragesimum*. Videlicet alterum in his libris, alterum in illis ab indiligentibus librariis omissum fuit. (13) (Targa in Edit. 1810 *rumpuntur* retinet, et haec notat:) Id est modo rumpuntur a pulmonum parte, ac tunc pus per asperam arteriam exit; modo ab exteriore, tuncque pus in cavum thoracis effunditur, et fit id quod ἐμπύημα graece nominatur.

que nigrescere: quod si non est mors consequuta, et reliquum corpus invaluit, pedes tamen decidunt.

Cap. VIII (*). Sequitur, ut in quoque morbi genere proprias notas explicem, quae vel spem, vel periculum ostendant (1). Ex vesica dolenti, si purulenta nrina processit, inque ea laeve et album subsedit, metum detrahit. In pulmonis morbo, si sputo ipse levatur dolor, quamvis id purulentum est, tamen aeger facile spirat, facile excreat, morbum ipsnm non difficulter fert, potest ei secunda valetudo contingere. Neque inter initia terreri convenit, si protinus sputum mixtum est (2) rufo quodam, et sanguine, dummodo statim edatur. Laterum dolores, suppuratione facta, deinde intra quadragesimum diem purgata, finiuntur. Si in jecinore vomica est, et ex ea fertur pus purum et album, salus facilis: id enim malum in tunica est. Ex suppurationibus vero eae tolerabiles sunt, quae in exteriorem partem feruntur, et acuuntur: et ex iis quae intus procedunt, eae leviores (3) quae contra se cutem non afficiunt, eamque et sine dolore, et ejusdem coloris, cujus reliquae partes sunt, sinunt esse. Pus quoque, quacumque parte erumpit, si est laeve (4), album, et unius coloris, sine ullo metu est; et, quo effuso, febris protinus conquievit, desieruntque urgere cibi fastidium et potionis desiderium. Si quando etiam suppuratio descendit in crura, sputumque *ejusdem* factnm pro rufo purulentum est, periculi minus est. At in tabe ejus, qui salvus futurus est, sputum esse debet albnm, aequale totum, ejusdemque coloris, sine pituita; eique etiam simile esse oportet, si quid in nares a capite destillat. Longe optimum est, febrem omnino non esse; secundum est, tantulam esse (5), ut neque cibum impediat, neque crebram sitim faciat. Alvus in hac valetudine ea tuta est, quae quotidie (a) coacta, eaque convenientia iis, quae assumuntur, reddit; corpus id, quod minime tenue, maximeque lati pectoris atque setosi est, cujusque cartilago exigua et carnosa est. Super tabem,

(1) Caput hoc duas partes habet: in priore quae hinc incipit, notae quae in quoque morbi genere spem ostendunt, explicantur: in sequenti, quae incipit ab illis verbis *Contra, si vesica*, eae quae periculum denunciant, eodem conservato morborum ordine, exponuntur. (2) In Praenot *In pulmonis inflammationibus, si inter initia morbi sputum excernitur flavum, non multo permixtum sanguine, salutare est, et confert admodum*; in Coac 390. *Sputum flavum, cui paulum sanguinis admixtum est, initio quidem salutem pollicetur; quod vero septimo die, aut longiore spatio apparet, non adeo tutum.* (3) In Praenot. *Suppurationes quae intro rumpuntur, optimae, ubi nihil cum externa sede communicant, in sese contrahuntur* etc. Celsus dicit, *quae contra se cutem non afficiunt*: qua forma etiam alibi utitur. Lib. 8. cap 8. *si acuta fragmenta sunt, incidi contra cutis debet*; et cap. 20. lib. 4. *tum animadvertere oportet, quo loco malum sit: solet enim contra id tumere.* (4) Verbum ὁμόχροον, quo usus est Hippocrates, Celsus latine reddit *unius coloris.* (5) In Praenot unde tota haec sententia sumta est, ita habetur: *supersunt, qui cibos celeriter appetierint, et siti liberantur.*

(*) Cap. VIII. *Quae notae spem salutis quae pericula ostendunt.*
(a) Lupac. corr *quae quotidie, quae coacta, quae convenientia.*

si mulieri suppressa quoque menstrua fuerunt, et circa pectus atque scapulas dolor mansit, subitoque sanguis erupit, levari morbus solet: nam et tussis minuitur (*a*), et sitis atque febricula desinunt. Sed iisdem fere, nisi redit sanguis, vomica erumpit; quae quo cruentior, eo melior est. Aqua autem inter cutem minime terribilis est, quae nullo antecedente morbo coepit; deinde, quae longo morbo supervenit: utique si firma viscera sunt; si spiritus facilis; si nullus dolor; si sine calore corpus est, aequaliterque in extremis partibus macrum est; si venter mollis; si nulla tussis; nulla sitis; si lingua, ne per somnum quidem inarescit; si cibi cupiditas est; si venter medicamentis movetur; si per se excernit mollia et figurata (6); si extenuatur; si urina, et vini mutatione, et epotis aliquibus medicamentis, mutatur; si corpus sine lassitudine est, et morbum facile sustinet: siquidem in quo omnia haec sunt, is ex toto tutus est; in quo plura ex his suut, is in bona spe est. Articulorum vero vitia, ut podagrae chiragraeque, si juvenes tentarunt, neque callum induxerunt, solvi possunt: maximeque torminibus leniuntur, et quocumque modo venter fluit. Item morbus comitialis ante pubertatem ortus, non aegre finitur: et in quo ab una parte corporis venientis accessionis sensus incipit, optimum est a manibus pedibusve initium fieri; deinde a lateribus; pessimum inter haec a capite. Atque in his quoque ea maxime prosunt, quae per dejectiones excernuntur. Ipsa autem dejectio sine ulla noxa est, quae sine febre est; si celeriter desinit; si contrectato ventre nullus motus ejus sentitur; si extremam alvum spiritus sequitur. Ac ne tormina quidem periculosa sunt, si sanguis et strigmenta descendunt, dum febris ceteraeque accessiones hujus morbi absint: adeo ut etiam gravida mulier, non solum servari possit, sed etiam partum reservare. Prodestque in hoc morbo, si jam aetate (*b*) aliquis processit. Contra intestinorum laevitas facilius a teneris aetatibus depellitur; utique si ferri urina, et ali cibo corpus incipit. Eadem aetas prodest, et in coxae dolore, et humerorum, et in omni resolutione nervorum. Ex quibus coxa, si sine torpore est, si leviter friget, quamvis magnos dolores habet, tamen et facile, et mature sanatur: resolutumque membrum, si nihilominus alitur, fieri sanum potest. Oris resolutio etiam alvo cita finitur. Omnisque dejectio lippienti prodest. At varix ortus, vel per ora venarum subita profusio sanguinis, vel tormina, insaniam tollunt. Humerorum dolores, qui ad scapulas vel manus tendunt, vomitu atrae bilis solvuntur: et quisquis dolor deorsum tendit, sanabilior est. Singultus sternutamento finitur. Longas dejectiones supprimit vomitus. Mulier sanguinem vomens, profusis menstruis, liberatur. Quae menstruis non purgatur, si sanguinem ex naribus fudit, omni periculo

(6) Scilicet venter. *Id enim quod extenuatur, medicinam sentit*, ut est in lib. 3. cap.

(*a*) Lupac. corr. *sitis ac febricula*. (*b*) Lupac. corr. *aeger* aliquis.

vacat. Quae locis laborat, aut difficulter partum edit, sternutamento levatur. Æstiva quartana fere brevis est. Cui calor et tremor est, saluti delirium est. Lienosis bono tormina sunt. Denique ipsa febris, quod maxime mirum videri potest, saepe praesidio est. Nam et praecordiorum dolores, si sine inflammatione sunt, finit; et jecinoris dolori succurrit; et nervorum distentionem rigoremque, si postea coepit, ex toto tollit (7); et ex difficultate urinae morbum tenuioris intestini ortum, si urinam per calorem movet, levat. At dolores capitis, quibus oculorum caligo, et rubor cum quadam frontis prurigine accedunt, sanguinis profusione, vel fortuita, vel etiam petita submoventur. Si capitis ac frontis dolores ex vento, vel frigore, aut aestu sunt, gravedine et sternutamentis finiuntur. Febrem autem ardentem, quam Graeci καυσώδη vocant, subitus horror exsolvit. Si in febre aures obtusae sunt, si sanguis e naribus fluxit, aut venter resolutus est, illud malum desinit ex toto. Nihil plus adversus surditatem, quam biliosa alvus potest. Quibus in fistula nrinae minuti abscessus, quos φύματα Graeci vocant, esse coeperunt, iis, ubi pus ea parte profluxit, sanitas redditur. Ex quibus quum pleraque per se proveniant, scire licet, inter ea quoque, quae ars adhibet, naturam plurimum posse.

Contra, si vesica cum febre continenti dolet, neque venter quidquam reddit, malum atque mortiferum est; maximeque id periculum est pueris a septimo anno ad quartumdecimum. In pulmonis morbo, si sputum primis diebus non fuit, deinde a septimo die coepit, et ultra septimum mansit, periculosum est; quantoque magis mixtos, neque inter se diluctos colores habet, tanto deterius. Et tamen nihil pejus est, quam sincerum id edi, sive rufum est, sive cruentum, sive album, sive glutinosum, sive pallidum, sive spumans: nigrum tamen pessimum est. In eodem morbo periculosa sunt tussis, destillatio; etiam, quod alias salutare habetur, sternutamentum: periculosissimumque est, si haec sequuta subita dejectio est. Fere vero quae in pulmonis, eadem in lateris doloribus, et mitiora signa, et asperiora esse consuerunt. Ex jecinore si pus cruentum exit, mortiferum est. At ex suppurationibus eae pessimae sunt, quae intus tendunt, sic ut exteriorem quoque cutem decolorent: ex iis deinde, quae in exteriorem partem prorumpunt (a), quae maximae, quaeque planissimae sunt. Quod si, ne rupta quidem vomica, vel pure extrinsecus emisso, febris quievit, aut quamvis quieverit, tamen repetit; item si sitis est, si cibi fastidium, si venter liquidus, si pus est lividum et pallidum, si nihil aeger excreat nisi pituitam spumantem, periculum certum est. Atque ex iis quidem suppurationibus, quas pulmonum morbi concitarunt, fere senes moriun-

21. (7) Ex Aphor. 44. Sect. 6. Sed Galeno suspectus is Aphorismus est, quia, ut

(a) Lupac corr *prorumpunt hae pessimae, quae maxime.*

tur: ex ceteris juniores. At in tabe sputum mixtum purulentum, febris assidua, quae et cibi tempora eripit, et siti affligit, in corpore tenui periculum subesse testantur. Si quis etiam in eo morbo diutius traxit, ubi capilli fluunt; ubi nrina quaedam araneis similia subsidentia ostendit, atque in sputis odor foedus est; maximeque ubi post haec orta dejectio est, protinus moritur: utique si tempus autumni est, quo fere, qui cetera parte anni traxerunt, resolvuntur. Item pus expuisse in hoc morbo, deinde ex toto spuere desiisse, mortiferum est. Solet etiam in adolescentibus is morbus ex vomica fistulave oriri: qui non facile sanescunt, nisi si multa signa bonae valetudinis subseqnuta sunt. Ex reliquis vero minime facile sanantur virgines, aut eae mulieres (8), quibus super tabem menstrua suppressa sunt. Cui vero sano subitus dolor capitis ortus est, dein somnus oppressit, sic nt stertat, neque expergiscatur, intra septimum diem pereundum est; magis si, cum alvus cita non antecesserit, palpebrae dormientis non coeunt, sed album oculorum apparet (9). Quos tamen ita mors sequitur, si id malum non est febre discussum. At aqua inter cutem, si ex acuto morbo coepit, ad sanitatem raro perducitur: utique si contraria iis, quae supra posita sunt, subsequuntur. Æque in ea quoque tussis spem tollit: item, si sanguis sursum deorsumque erupit, et aqua medium corpus implevit. Quibusdam etiam in hoc morbo tumores oriuntur, deinde desinunt, deinde rursus assurgunt. Hi tutiores quidem sunt, quam qui supra comprehensi sunt, si attendunt; sed fere fiducia secundae valetudinis opprimuntur. Illud jure aliquis mirabitur, quomodo quaedam simul et affligant nostra corpora, et parte aliqua tueantur. Nam, sive aqua inter cutem quem implevit, sive in magno abscessu multum puris coiit, simul id omne effudisse, aeque mortiferum est, ac si quis sani corporis vulnere factus exsanguis est. Articuli vero cui sic dolent, ut super eos ex callo quaedam tubercula innata sint, numquam liberantur: quaeque eorum vitia vel in senectute coeperunt, vel in senectutem ab adolescentia pervenerunt, ut aliquaudo leniri possunt, sic numquam ex toto finiuntur. Morbus quoque comitialis post annum quintum et vicesimum ortus aegre curatur; multoque aegrius is, qui post quadragesimum annum coepit; adeo ut in ea aetate aliquid in natura spei; vix quidquam in medicina sit. In eodem morbo, si simul totum corpus afficitur, neque ante in partibus aliquis venientis mali

nil, *neque ratio veritatem ejus demonstrat, neque docet experientia.* (8) Haec congruunt iis quae sunt in prima hujus capitis parte: *Super tabem, si mulieri suppressa quoque menstrua fuerint*, sed discrepant ab iis quae Hippocrates scripsit lib. 2. Praedict. sect. 6. *Ex reliquis vero minime evadunt, tum mulieres, tum virgines, quibus ex menstruorum suppressione tabes contingit.* In margine Ed. Constantinianae, et in Ed. Lindenii leg. *quibus supervenit tabes, quod menstrua suppressa sunt*; sed contra veterum Codicum fidem. Ceterum, si super tabem mulieri menstrua suppressa sunt, multum malo adjicitur. (9) Hanc dicendi formam Celsus usurpavit lib. 1. cap. concubitus *interdiu pejor, noctu tutior: ita tamen, si neque illum cibus, neque hunc cum vigilia labor statim*

sensus est, sed homo ex improviso concidit, cujuscumque is aetatis est, vix sanescit: si vero aut mens laesa est, aut nervorum facta resolutio, medicinae locus non est. Dejectionibus quoque si febris accessit; si inflammatio jecinoris, aut praecordiorum, aut ventris; si immodica sitis; si longius tempus; si alvus varia; si cum dolore est, etiam mortis periculum subest: maximeque (10) si inter haec tormina *vetera* esse coeperunt. Isque morbus maxime pueros absumit usque ad annum decimum: ceterae aetates facilius sustinent. Mulier quoque gravida ejusmodi casu rapi potest; atque etiamsi ipsa convaluit, partum tamen perdit. Quin etiam tormina ab atra bile orsa mortifera sunt; aut si sub his, extenuato jam corpore, subito nigra alvus profluxit. At intestinorum laevitas periculosior est, si frequens dejectio est; si venter omnibus horis et cum sono, et sine hoc profluit; si similiter noctu et interdiu; si quod excernitur, aut crudum est, aut nigrum, et, praeter id, etiam laeve, et mali odoris; si sitis urget; si post potionem urina non redditur (11); (quod evenit, quia tunc liquor omnis non in vesicam, sed in intestina descendit); si os exulceratur, si rubet facies, et quasi maculis quibusdam colorum omnium distinguitur; si venter est quasi fermentatus, pinguis atque rugosus; si et cibi cupiditas non est. Inter quae quum evidens mors sit, multo evidentior est, si jam longum quoque id vitium est; maximeque si etiam in corpore senili est. Si vero in tenuiore intestino morbus est, vomitus, singultus, nervorum distentio, delirium, mala sunt. At in morbo arquato, durum fieri jecur, perniciosissimum est. Quos lienis male habet, si tormina prehenderunt, deinde versa sunt vel in aquam inter cutem, vel in intestinorum laevitatem, vix ulla medicina periculo subtrahit. Morbus intestini tenuioris, nisi resolutus est intra septimum diem, occidit. Mulier ex partu, si cum febre vehementibus etiam et assiduis capitis doloribus premitur, in periculo mortis est. Si dolor atque inflammatio est in iis partibus, quibus viscera continentur, frequenter spirare, signum malum est. Si sine causa longus dolor capitis est, et in cervices ac scapulas transit, rursusque in caput revertitur, aut a capite ad cervices scapulasque pervenit, perniciosus est: nisi vomicam aliquam excitavit, sic ut pus extussiretur; aut nisi sanguis ex aliqua parte prorupit; aut nisi in capite multa porrigo, totove corpore pustulae ortae sunt. Æque ma-

sequitur: eodemque modo alibi quoque locutus est. (10) Quae Hippocrates l. c. Praedict. tradidit de torminibus, ea Celsus ad dejectiones. id est διάρροιαν transtulit. De hac ita scribit lib. 4. cap. 9. *Levior etiam dum recens dejectio est..... sed uno die fluere alvum saepe pro valetudine est; atque etiam pluribus, dum febris abest, et infra septimum diem id conquiescat..... Verum spatium periculosum est: interdum enim tormina ac febriculas excitat, viresque consumit.* (11) Membrum hoc ab aliquo enarratore additum videtur. Loco quidem citato Praedict. sic habetur: *Laevitates intestinorum..... sitim exhibent, neque potionem per urinam reddunt, quod in vesicam non descendat.* Sed, ut alias dixi, multa hujusmodi quae sunt apud Hippocratem, Celsus aut prorsus praeterit, aut paucis dicit. Hic quidem satis erat ipsis Hippocratis verbis dicere, *quod*

gnum malum est, ubi torpor atque prurigo pervagantur, modo per totum caput, modo in parte; aut sensus alicujus ibi quasi frigoris est, eaque ad summam quoque linguam perveniunt (12). Et quum in iisdem abscessibus auxilium sit (10), eo difficilior sanitas est, quo minus saepe sub his malis illi subsequuntur (11). In coxae vero doloribus, si vehemens torpor est, frigescitque crus et coxa (12); alvus nisi coacta non reddit, idque quod excernitur, mucosum est; jamque aetas ejus hominis quadragesimum annum excessit; is morbus erit longissimus (13), minimeque annuus; neque finiri poterit, nisi aut vere, aut aestate. Difficilis aeque curatio est in eadem aetate, ubi humerorum dolor vel ad manus pervenit, vel ad scapulas tendit, torporemque et dolorem creat, neque bilis vomitu levatur. Quacumque vero parte corporis membrum aliquod resolutum est, si neque movetur, et emacrescit, in pristinum habitum non revertitur; eoque minus, quo vetustius id vitium est, et quo magis in corpore senili est. Omnique resolutioni nervorum ad medicinam non idonea tempora sunt hiems et autumnus: aliquid sperari potest vere et aestate. Isque morbus mediocris vix sanatur, vehemens sanari non potest. Omnis etiam dolor minus medicinae patet, qui sursum procedit. Mulieri gravidae, si subito mammae emacuerunt, abortus periculum est. Quae neque peperit, neque gravida est, si lac habet, a menstruis defecta est (14). Quartana autumnalis fere longa est: maximeque, quae coepit hieme appropinquante. Si sanguis profluxit, deinde sequuta est dementia cum distentione nervorum, periculum mortis est: itemque, si medicamentis purgatum et adhuc inanem, nervorum distentio oppressit; aut si in magno dolore extremae partes frigent. Neque is ad vitam redit, qui ex suspendio, spumante ore, detractus est. Alvus nigra, sanguini atro similis, repentina, sive cum febre, sive etiam sine hac est, perniciosa est.

CAP. IX (*). Cognitis indiciis, quae nos vel spe consolentur, vel metu terreant, ad curationes morborum transeundum est. Ex his quaedam communes sunt, quaedam propriae: communes, quae pluribus morbis opitulantur; propriae, quae singulis. Ante de communibus dicam: ex quibus tamen quaedam non aegros solum, sed sanos quoque sustinent; quaedam in adversa tantum valetudine adhibentur. Omne

in vesicam non descendat. (12) Abscessus nomine significat vomicam, sanguinis eruptionem, porriginem et pustulas; quae omnia in longo capitis dolore auxilio esse supra dixit. (13) Varro, Cicero, aliique optimi latinitatis auctores adverbio *minimum* hac significatione usi sunt; Columella tamen multis in locis habet *minime*. (14) Ex Aph. 35, Sect. 5. Ita in Codd. Med. I. et Vat. VIII. Haec verba opponuntur illis *Aestiva quartana fere brevis est*, quae sunt in prima hujus capitis parte. In Ed. Lindenii ibi omissa sunt; hic legitur *Quartana aestiva brevis: autumnalis fere longa est*; ut habent alii Codices, et omnes antiquae Editiones.

(*) CAP. IX. *De morborum curationibus.*

vero auxilium corporis (1), aut demit aliquam materiam, aut adjicit, aut evocat, aut reprimit, aut refrigerat, aut calefacit, simulque aut durat, aut mollit. Quaedam non uno modo tantum, sed etiam duobus inter se non contrariis adjuvant. Demitur materia sanguinis detractione, cucurbitula, dejectione, vomitu, frictione, gestatione, omnique exercitatione corporis, abstinentia, sudore. De quibus protinus dicam.

Cap. X (*). Sanguinem, incisa vena, mitti, novum non est: sed nullum paene morbum esse, in quo non mittatur, novum est. Item, mitti junioribus, et feminis uterum non gerentibus, vetus est: in pueris vero idem experiri, et in senioribus, et in gravidis quoque mulieribus, vetus non est: siquidem antiqui primam ultimamque aetatem sustinere non posse hoc auxilii genus judicabant (1): persuaserantque sibi, mulierem gravidam, quae ita curata esset, abortum esse facturam. Postea vero usus ostendit, nihil in his esse perpetuum; aliasque potius observationes adhibendas esse, ad quas dirigi curantis consilium debeat. Interest enim non quae aetas sit, neque quid in corpore intus geratur, sed quae vires sint. Ergo si juvenis imbecillus est, aut si mulier, quae gravida non est, parum valet, male (2) sanguis mittitur: emoritur enim vis, si qua supererat, hoc modo erepta. At firmus puer, et robustus senex, et gravida mulier valens, tuto curatur. Maxime tamen in his medicus imperitus falli potest: quia fere minus roboris illis aetatibus subest; mulierique praegnanti post curationem quoque viribus opus est, non tantum ad se, sed etiam ad partum sustinendum. Non quidquid autem intentionem animi et prudentiam exigit, protinus ejiciendum est; quum praecipua in hoc ars sit, quae non annos numeret, neque conceptionem solam videat, sed vires aestimet, et ex eo colligat, possit necne superesse, quod vel puerum, vel senem, vel in una muliere duo corpora simul sustineat. Interest etiam inter valens corpus, et obesum; inter tenue, et infirmum: tenuioribus magis sanguis, plenioribus magis caro abundat. Facilius

(1) Hippocrates de Flat. *Medicina additio est, et subtractio.*

(1) Hippocrates Aphor. 30. Sect. 5. *Mulier in utero ferens secta vena abortit; multoque magis si sit foetus grandior.* (2) Libri antiqui habent *sanguis emittitur*; Ed. Lindenii, *sanguis mittitur*; et quidem rectius. Cum Celsus simplici verbo uti soleat, hoc praesertim loco videtur uti debuisse, etiam aurium causa; quae offenderet concursus verborum *emittitur. emoritur.* Infra quidem adhibet *emittitur*, sed alio sensu; *avertitur quoque interdum sanguis, ubi alia parte prorumpens, aliae mittitur*, id est educitur: quemadmodum lib. 4. cap. 21. *aqua nisi emittitur, quae contra naturam ibi substitit* etc. et lib. 7. cap. 15. *Aquam iis qui hydropici sunt, emitti oportere, alias dixi.* Illud quoque animadvertendum, *sanguinis missionem* passim, *emissionem* numquam apud eum inveniri. Etiam Cicero simplici verbo usus est epist. 1. lib. 1. ad Famil, *sanguinem miserit*, et epist. 16. lib. 1. ad Attic. *sanguis est missus.* Alii compositum verbum usurparunt. Seneca epist. 70. *sanguinem saepe emisisti*; Columella lib. 6. R. R.

(*) Cap. X. *De sanguinis missione per venam.*

itaque illi detractionem ejusmodi sustinent; celeriusque ea, si nimium est pinguis, aliquis affligitur. Ideoque vis corporis melius ex venis, quam ex ipsa specie aestimatur. Neque solum haec consideranda sunt, sed etiam morbi genus quod sit: utrum superans, an deficiens materia laeserit; corruptum corpus sit, an integrum. Nam si materia vel deest, vel integra est, istud alienum est: at si vel copia sui male habet, vel corrupta est, nullo modo melius succurritur. Ergo vehemens febris, ubi rubet corpus, plenaeque venae tument, sanguinis detractionem requirit: item viscerum morbi, nervorumque resolutio, et rigor, et distentio: quidquid denique fauces difficultate spiritus strangulat; quidquid subito supprimit vocem; quisquis intolerabilis dolor est; et quacumque de causa ruptum aliquid intus atque collisum est: item malus corporis habitus, omnesque acuti morbi, qui modo, ut supra dixi, non infirmitate, sed onere nocent. Fieri tamen potest, ut morbus quidem id desideret, corpus autem vix pati posse videatur: sed si nullum tamen appareat aliud auxilium, periturusque sit qui laborat, nisi temeraria quoque via fuerit adjutus; in hoc statu boni medici est ostendere, quam nulla spes sit sine sanguinis detractione, faterique quantus in hac ipsa metus sit: et tum demum, si exigetur, sanguinem mittere. De quo dubitari in ejusmodi re non opportet: satius est enim anceps auxilium experiri, quam nullum. Idque maxime fieri debet, ubi nervi resoluti sunt; ubi subito aliquis obmutuit; ubi angina strangulatur; ubi prioris febris accessio paene confecit, paremque subsequi verisimile est, neque eam videntur sustinere aegri vires posse. Quum sit autem minime crudo sanguis mittendus, tamen ne id quidem perpetuum est: neque enim semper concoctionem res exspectat. Ergo si ex superiore parte aliquis decidit, si contusus est, si ex aliquo subito casu sanguinem vomit; quamvis paulo ante sumsit cibum, tamen protinus ei demenda materia est, ne, si subsederit, corpus affligat. Idemque etiam in aliis casibus repentinis, qui strangulabunt, dictum erit. At si morbi ratio patietur, tum demum nulla cruditatis suspicione remanente id fiet. Ideoque ei rei videtur aptissimus adversae valetudinis dies secundus, aut tertius. Sed ut aliquando etiam primo die sanguinem mittere necesse est, sic numquam utile post diem quartum est, quum jam spatio ipso materia et exhausta est, et corpus corrupit. ut detractio imbecillum id facere possit, non possit integrum. Quod si vehemens febris urget, in ipso impetu ejus sanguinem mittere, hominem jugulare est (3). Expectanda ergo remissio est; si non decrescit, sed crescere desiit, neque speratur remissio, tum quoque, quamvis pejor, sola tamen occasio non omittenda est. Fere etiam ista medicina, ubi necessaria est, in biduum dividenda est: satius est enim primum levare aegrum, deinde


cap. 14. *sanguinem de aure emittere*; Plinius lib. 25. cap. 5. secl 23 *sanguine e venis emisso*. (3) Monet Morgagnus, *praeclarus ordo, praeclara sententia est* Nam remissio opponitur impetui; et si febris non decrescit, expectandum est, dum crescere desinat.

perpurgare, quam simul omni vi effusa fortasse praecipitare (4). Quod si in pure quoque aquaque, quae inter cutem est, ita respondet, quanto magis necesse est in sanguine respondeat? Mitti vero is debet, si totius corporis causa fit, ex brachio; si partis alicujus, ex ea ipsa parte, aut certe quam proxima : quia non ubique mitti potest, sed in temporibus, in brachiis, juxta talos. Neque ignoro, quosdam dicere, quam longissime sanguinem inde, ubi laedit, esse mittendum : sic enim averti materiae cursum; at illo modo (5) in idipsum, quod gravat, evocari. Sed id falsum est: proximum enim locum primo exhaurit ; ex ulterioribus autem eatenus sanguis sequitur, quatenus emittitur; ubi is suppressus est, quia non trahitur, ne venit quidem. Videtur tamen usus ipse docuisse, si caput fractum est, ex brachio potius sanguinem esse mittendum; si quod in humero vitium est, ex altero brachio: credo, quia si quid parum cesserit (6), opportuniores eae partes injuriae sunt, quae jam male habent. Avertitur quoque interdum sanguis, ubi alia parte prorumpens, alia emittitur: desinit enim fluere qua nolumus, inde objectis quae prohibeant, alia dato itinere.

Mittere autem sanguinem quum sit expeditissimum usum habenti; tamen ignaro difficillimum est. Juncta enim est venae arteria, his nervi: ita, si nervum scalpellus attingit (*a*), sequitur nervorum distentio, eaque hominem crudeliter consumit. At arteria incisa neque coit, neque sanescit; interdum etiam, ut sanguis vehementer erumpat, efficit. Ipsius quoque venae, si forte praecisa est, capita comprimuntur, neque sanguinem emittunt. At si timide scalpellus demittitur, summam cutem lacerat, neque venam incidit. Nonnumquam etiam ea latet, neque facile reperitur. Ita multae res id difficile inscio faciunt,

(4) Respicit porro Celsus ad id quod ex Aphor. 27. Sect. 6. tradidit in praecedenti cap. 8. *sive aqua inter cutem quem implevit, sive in magno abscessu multum puris coiit, simul id omne effudisse, aeque mortiferum est, ac si quis sani corporis, vulnere factus exsanguis est.* (5) Sensus est; in id ipsum membrum evocari id quod gravat, i. e. sanguinem. (6) Id est magis obnoxiae. Opportunus hac significatione saepe a Celso usurpatur.

(*a*) 1. Phlebotomus myrtinus veterum ab Andrea de Cruce depictus. — 2. Lanceola barbitonsorum temporis posterioris uti in operibus F. ab Aquapendente, et A. Paraei observantur. — 3. Instrumentum Pompejano exfossum, et in Musaeo Neapolitano servatum, quod prof. Vulpes phlebotomum esse antiquorum censuit. — 4. Cochlear fere ejusdem formae phlebotomi aeque Pompejano exfossum, quod ipse Vulpes illud esse, quo veteres Chirurgi ad explorandum sanguinem utebantur: sed conjectura. Vide *Farmacopea Celsiana* in II. Vol.




quod perito facillimum est. Incidenda ad medium vena est: ex qua quum sanguis erumpit, colorem ejus habitumque oportet attendere. Nam si is crassus et niger est, vitiosus est; ideoque utiliter effunditur: si rubet et pellucet, integer est; eaque missio sanguinis adeo non prodest, ut etiam noceat; protinusque is supprimendus est. Sed id evenire non potest sub eo medico, qui scit ex quali corpore sanguis mittendus sit. Illud magis fieri solet, ut aeque niger assidue primo die profluat: quod quamvis ita est, tamen si jam satis fluxit, supprimendus est; semperque ante finis faciendus est, quam anima deficiat. Deligandumque brachium superimposito expresso ex aqua frigida penicillo: et postero die adverso medio digito vena ferienda, ut recens coitus ejus resolvatur, iterumque sanguinem fundat. Sive autem primo, sive secundo die sanguis, qui crassus et niger initio fluxerat, et rubere, et pellucere coepit, satis materiae detractum est, atque quod superest, sincerum est: ideoque protinus brachium deligandum, habendumque ita est, donec valens cicatricula sit; quae celerrime in vena confirmatur.

Cap. XI (*). Cucurbitularum vero duo genera sunt; aeneum, et corneum. Ænea, altera parte patet, altera clausa est: cornea, altera parte aeque patens, altera foramen habet exiguum (a). In aeneam linamentum ardens conjicitur, ac sic os ejus corpori aptatur, imprimiturque, donec inhaereat. Cornea per se corpori imponitur; deinde ubi ea parte, qua exiguum foramen est, ore spiritus adductus est, superque cera cavum id clausum est, aeque inhaerescit. Utraque non ex his tantum materiae generibus, sed etiam ex quolibet alio recte fit. Ac si cetera defecerunt, caliculus quoque, aut pultarius, oris compressioris, ei rei commode aptatur. Ubi inhaesit, si concisa ante scalpello cutis est, sanguinem extrahit; si integra est, spiritum. Ergo ubi materia, quae intus est, laedit, illo modo; ubi inflatio, hoc imponi solet. Usus autem cucurbitulae praecipuus est, ubi non in toto corpore, sed in parte aliqua vitium est, quam exhauriri ad confirmandam valetudinem satis est. Idque ipsum testimonium est, etiam scalpello sanguinem, ubi mem-

(*) Cap. XI. *De cucurbitis medicinalibus.*


(a) 1. 2. Cucurbitulae aeneae Pompejano exfossae, in Musaeo Neapolitano servatae, et a prof Vulpes descriptae. — 3. Cucurbitula cornea a P. Alpino, et ab aliis depicta. Vide *Farmacopea Celsiana* in II. Vol.



bro succurritur, ab ea potissimum parte, quae jam laesa est, esse mittendum, quod nemo cucurbitulam diversae parti imponit, nisi quum profusionem sanguinis eo avertit; sed ei ipsi, quae dolet, quaeque liberanda est. Opus etiam esse cucurbitula potest in morbis longis, quamvis jam *et* iis spatium aliquod accessit; sive corrupta materia, sive spiritu male habente: in acutis quoque quibusdam, si et levari corpus debet, et ex vena sanguinem mitti vires non patiuntur. Idque auxilium ut minus vehemens, ita magis tutum; neque umquam periculosum est, etiamsi in medio febris impetu, etiamsi in cruditate adhibetur. Ideoque ubi sanguinem mitti opus est, si incisa vena praeceps periculum est, aut si in parte corporis etiam vitium est, huc potius confugiendum est: quum eo tamen, ut sciamus, hic ut nullum periculum, ita levius praesidium esse; nec posse vehementi malo, nisi aeque vehemens auxilium succurrere.

Cap. XII (*). 1. Dejectionem autem antiqui variis medicamentis, crebraque alvi ductione in omnibus paene morbis moliebantur: dabantque aut (*a*) nigrum veratrum, aut (*b*) filiculam, aut squamam aeris, quam λεπίδα χαλκὸυ Graeci vocant: aut lactucae marinae lac, cujus gutta pani adjecta abunde purgat; ant lac vel asininum, vel bubulum, vel caprinum, eique salis paulum adjiciebant, decoquebantque id, et sublatis iis, quae coierant, quod quasi serum supererat, bibere cogebant (1). Sed medicamenta stomachum fere laedunt: alvus si ve-

(*a*) Veratrum nigrum (*b*) Polipodium vulgare




(1) In plerisque Codd. et in omnibus Edd. additur: *Sed medicamenta stomachum fere laedunt; ideoque omnibus catharticis aloe miscenda est.* Membrum hoc mihi multis de causis suspectum erat. Primum Celsus graecis vocabulis uti non solet sine necessitate, quae hic nulla est: nam potuit scribere *ideoque his aloe miscenda*, vel potius, *adjicienda est*. Deinde ratio non affertur, cur medicamentis alvum moventibus aloe miscenda sit. Denique scammoniae, quae, ut tradit Plinius lib. 26. cap. 8. sect. 38. dissolutionem stomachi facit, Celsus aloen non adjicit; ut apparet ex capp. 18. et 20. lib. 4. Putabam igitur ab aliquo sciolo formatum fuisse ex iis quae idem Plinius habet lib. 27. cap. 4. sect. 5. *Usus aloes in multis, sed principalis alvum solvere, quum paene sola medicamentorum, quae id praestant, confirmet etiam stomachum, adeo non infestet ulla vi contraria*: postea ex margine, ubi adscriptum fuerat, a librariis in contextum traductum. Cum anno 1759. viro doctissimo Bondinio, Laurentianae Bibliothecae Praefecto, haec exposuissem, Codices consuluimus, comperimusque sex recentiores habere haec verba in contextu: at in primo adjecta esse manu Palavicini. Facciolatus. cum eadem quae Bandinio, ipsi quoque anno 176.. ostendissem, sententiae meae facile assensus est: statimque in Lexico Forcel-

(*) Cap. XII. *De dejectione.*

hementius fluit, aut saepius ducitur, hominem infirmat. Ergo numquam in adversa valetudine medicamentum ejus rei causa recte datur, nisi ubi is morbus sine febre est; ut quum veratrum nigrum aut atra bile vexatis, aut quum tristitia insanientibus, aut iis, quorum nervi parte aliqua resoluti sunt, datur. At ubi febres sunt, satius est ejus rei causa cibos potionesque assumere, qui simul et alant, et ventrem molliant. Suntque valetudinis genera, quibus ex lacte purgatio convenit.

2. Plerumque vero alvus potius (*a*) ducenda est: quod ab Asclepiade quoque sic temperatum, ut tamen servatum sit, video plerumque saeculo nostro praeteriri. Est autem ea moderatio, quam is sequutus videtur, aptissima: ut neque saepe ea medicina tentetur, et tamen (*b*) semel, vel summum bis, non omittatur, si caput grave est; si oculi caligant; si morbus majoris intestini est, quod Graeci κόλον nominant; si in imo ventre, aut in coxa dolores sunt; si in stomachum quaedam biliosa concurrunt, vel etiam pituita eo se, humorve aliquis aquae similis confert; si spiritus difficilius redditur; si nihil per se venter excernit; utique, si juxta quoque stercus est, et intus remanet; aut si stercoris odorem nihil dejiciens aeger ex spiritu suo sentit; aut si corruptum est, quod excernitur; aut si prima inedia febrem non sustulit; aut si sanguinem mitti, quum opus sit, vires non patiuntur, tempusve ejus rei praeteriit; aut si multum ante morbum aliquis potavit; aut si is, qui saepe vel sponte, vel casu purgatus est, subito habet alvum suppressam. Servanda vero illa sunt: ne ante diem tertium ducatur; ne ulla cruditate substante; ne in corpore infirmo, diuque adversa valetudine exhausto; neve in eo, cui satis alvus quotidie reddit, quive eam liquidam habet; neve in ipso accessionis impetu, quia, quod tum infusum est, alvo continetur, regestumque in caput, multo gravius periculum efficit. Pridie vero ab-

lini, quod tunc Ms. in Bibliotheca Seminarii Patavini asservabatur, ad vocem *Catharticus* contra locum illum: « Celsus lib. 2. cap. 10. *Medicamenta stomachum fere laedunt: ideoque omnibus catharticis aloe miscenda est.* » haec margini adscripsit: *sed membrum totum videtur insititium*: quae anno 1772. cum Lexico ipso edita sunt.



(*a*) 1. 2. Clysteria veterum quomodo constructa fuisse videtur; id est cum vesica aut cum infundibulo, ex quibus humor infundebatur; nempe clyster de quo hodie utimur a Gatinaria in saeculo XV inventum fuit.—3. Strigil auricularium ex una parte conchatum, ex altera instar stillicidii. Vide *Farmacopea Celsiana* in II. Vol.

(*b*) « Alii *semel sumtum, vel bis*. Lupac. corr. *Semel, summumve bis* ».

stinere debet aeger, ut aptus tali curationi sit: eo die ante aliquot horas aquam calidam bibere, ut superiores ejus partes madescant. Tum immittenda in alvum est, si levi medicina contenti sumus, pura aqua; si paulo valentiori, mulsa; si leni, ea in qua foenum graecum, vel ptisana, vel malva decocta sit; *si reprimendi causa, ex verbenis*. Acris autem est marina aqua, vel alia sale adjecto: atque utraque decocta commodior est. Acrior fit adjecto, vel oleo, vel nitro, vel melle: quoque acrior est, eo plus extrahit, sed minus facile sustinetur. Idque quod infunditur, neque frigidum esse oportet, neque calidum; ne alterutro modo laedat. Quum infusum est, quantum fieri potest, continere se in lectulo debet aeger, nec primae cupiditati dejectionis protinus cedere: ubi necesse est, tum demum desidere. Fereque eo modo demta materia, superioribus partibus levatis, morbum ipsum mollit. Cum vero, quoties res coegit, desidendo aliquis se exhausit, paulisper debet conquiescere; et, ne vires deficiant, utique eo die cibum assumere: qui plenior, an exiguus sit dandus, ex ratione ejus accessionis, quae exspectabitur, aut in metu non erit, aestimari oportebit.

Cap. XIII. (*). At vomitus, ut in secunda quoque valetudine saepe necessarius biliosis est, sic etiam in iis morbis, quos bilis concitavit. Ergo omnibus, qui ante febres horrore et tremore vexantur; omnibus, qui cholera laborant; omnibus etiam cum quadam hilaritate insanientibus; et comitiali quoque morbo oppressis necessarius est. Sed si acutus morbus est, sicut in cholera; si febris est, ut inter horrores, asperioribus medicamentis opus non est; sicut in dejectionibus quoque supra dictum est: satisque est ea vomitus causa sumi, quae sanis quoque sumenda esse proposui. At ubi longi valentesque morbi sine febre sunt, ut comitialis, ut insania, veratro quoque albo utendum est. Id neque hieme, neque aestate recte datur; optime vere; tolerabiliter autumno. Quisquis daturus erit, id agere ante debet, ut accepturi corpus humidius sit. Illud scire oportet, omne ejusmodi medicamentum, quod potui datur, non semper aegris prodesse, semper sanis nocere.

Cap. XIV (**). De frictione vero adeo multa Asclepiades, tanquam inventor ejus (1), posuit in eo volumine, quod Communium Auxiliorum inscripsit, ut, quum trium tantum faceret mentionem (2), hujus

(1) Plinius lib. 26. cap. 3. sect. 7. ita scribit: *Asclepiades quinque res maxime communium auxiliorum professus, abstinentiam cibi, alias vini, fricationem corporis, ambulationem, gestationes*. Igitur non tria, ut ait Celsus, sed quinque communia auxilia professus est. Repugnantiam istam Morgagnus ita fortasse tolli posse putat, si dicatur, Celsum de iis auxiliis quae in memorato ab ipso volumine posuerat Asclepiades; Plinium de celeris quoque eidem usitatis mentionem fecisse. (2) Recte monet Morga-

(*) Cap. XIII. *De vomitu.*
(**) Cap. XIV. *De frictione.*

et aquae et gestationis, tamen maximam partem in hac consumserit. Oportet autem neque recentiores viros in iis fraudare, quae vel repererunt, vel recte sequuti sunt; et tamen ea, quae apud antiquiores aliquos posita sunt, auctoribus suis reddere. Neque dubitari potest, quin latius quidem, et dilucidius, ubi et quomodo frictione utendum esset, Asclepiades praeceperit; nihil tamen repererit, quod non a vetustissimo auctore Hippocrate paucis verbis comprehensum sit (3): qui dixit, frictione, si vehemens sit, durari corpus; si lenis, molliri; si multa, minui; si modica, impleri. Sequitur ergo, ut tum utendum sit, quum aut adstringendum corpus sit (4), quod hebes est; aut molliendum, quod induruit (5); aut digerendum in eo, quod copia nocet; aut alendum id, quod tenue et infirmum est. Quas tamen species si quis curiosius aestimet, (quod jam ad medicum non pertinet), facile intelliget, omnes ex una causa pendere, quae demit. Nam et adstringitur aliquid, eo demto, quod interpositum, ut id laxaretur, effecerat; et mollitur, eo detracto, quod duritiem creabat; et impletur, non ipsa frictione, sed eo cibo, qui postea usque ad cutem, digestione quadam relaxatam, penetrat. Diversarum vero rerum in modo causa est. Inter unctionem autem et frictionem multum interest. Ungi enim, leniterque pertractari corpus, etiam in acutis et recentibus morbis oportet; in remissione tamen, et ante cibum: longa vero frictione uti, neque in acutis morbis, neque increscentibus convenit; praeterquam quum phreneticis somnus ea quaeritur. Amat autem hoc auxilium valetudo longa, et jam a primo impetu inclinata. Neque ignoro quosdam dicere, omne auxilium necessarium esse increscentibus morbis, non quum jam per se finiuntur. Quod non ita se habet. Potest enim morbus, etiam qui per se finem habiturus est, citius tamen adhibito auxilio tolli: quod duabus de causis necessarium est; et ut quam primum bona valetudo contingat; et ne morbus, qui remanet, iterum, quamvis levi de causa, exasperetur. Potest morbus minus gravis esse, quam fuerit, neque ideo tamen solvi, sed reliquiis quibusdam inhaerere, quas admotum aliquod auxilium discutiat. Sed ut, levata quoque adversa valetudine, recte frictio adhibetur; sic numquam adhibenda est febre increscente: verum, si fieri poterit, quum ex toto corpus ea vacabit; si minus, certe quum ea remiserit. Eadem autem modo in totis corporibus esse debet, ut quum infirmus aliquis implendus; modo in partibus, aut quia ejus ipsius membri imbecil-


gnus, ex antiquis libris, etiam iis qui habent *equi*, apparere, veriorem lectionem esse *aquae*. Et sane ex Plinii verbis, *abstinentiam cibi, alias vini*, colligitur Asclepiadem, non vinum, sed potius vini abstinentiam inter communia auxilia posuisse: atque adeo aquam potui dari voluisse. Illud etiam animadvertendum, Plinium eodem loco ita scribere: *trahebat praeterea mentes artificio mirabili, vinum promittendo dandoque tempestive:* nempe promittebat, sed non dabat, nisi opportuno. (3) Lib. 6. de Morb. Vulg. sect. 2. n. 2. et 3. Plinius lib. 28. cap. 4. sect. 14. *vehemens fricatio spissat, lenis mollit, multa adimit corpus, auget modica*: quod fortasse non ex Hippocrate, sed, ut alia non pauca, ex Celso sumsit. (4) Molle, laxum, *hebes* hac significatione usurpatur cap. 1. hujus libri; cap. 6. et 19. lib. 7. et alibi quoque. (5) Digerenda ma-

litas id requirit, aut quia alterius. Nam et capitis longos dolores ipsius frictio levat; non in impetu tamen doloris : et membrum aliquod resolutum ipsius frictione confirmatur. Longe tamen saepius aliud perfricandum est, quum aliud dolet; maximeque quum a summis, aut a mediis partibus corporis evocare materiam volumus; ideoque extremas partes perfricamus (a). Neque audiendi sunt, qui numero finiunt, quoties aliquis perfricandus sit. Id enim ex viribus hominis colligendum est : et si is perinfirmus est, potest satis esse quinquagies ; si robustior, potest ducenties *esse faciendum* (6) ; inter utrumque deinde, prout vires sunt. Quo fit, ut etiam minus saepe in muliere, quam in viro; minus saepe in puero, vel sene, quam in juvene, manus dimovendae sint. Denique , si certa membra perfricantur , multa valentique frictione opus est. Nam neque totum corpus infirmari cito per partem potest, et opus est quam plurimum materiae digeri , sive id ipsum membrum, sive per id aliud levamus. At ubi totius corporis imbecillitas hanc curationem per totum id exigit , brevior esse debet et lenior; ut tantummodo summam cutem emolliat , quo facilius capax ex recenti cibo novae materiae fiat. In malis jam aegrum esse, ubi exterior pars corporis friget, interior cum siti calet, supra posui. Sed tunc quoque unicum in frictione praesidium est ; quae si calorem in cutem evocavit, potest alicui medicinae locum facere.

Cap. XV (*). Gestatio quoque longis et jam inclinatis morbis aptissima est: utilisque est et iis corporibus, quae jam ex toto febre carent, sed adhuc exerceri per se non possunt; et iis, quibus lentae morborum reliquiae remanent, neque aliter eliduntur. Asclepiades etiam in recenti vehementique, praecipueque ardente febre, ad discutiendam eam , gestatione dixit utendum : sed id periculose fit ; meliusque quiete ejusmodi impetus sustinetur. Si quis tamen experiri volet, sic experiatur , si lingua non erit aspera, si nullus tumor , nulla durities , nullus dolor visceribus, aut capiti , aut praecordiis suberit. Et ex toto numquam gestari corpus dolens debet , sive id in toto , sive in parte est ; nisi tamen solis nervis dolentibus ; neque

teria, quae copia nocet. Sic prope finem hujus cap. *opus est quam plurimam materiae diger* . (6) Videtur glossema.

(*) Cap XV. *De gestatione.*



(a) 1. 2. Strigiles a Mercuriale (*De Arte Gymnast.*) descriptae. —3. Alia depicta a D. Des Etangs —4 Alia in Edit. Edimburg. curante Milligan Vide *Farmacopea Celsiana* in II. vol.

umquam increscente febre, sed in remissione ejus. Genera autem gestationis plura sunt; quae adhibenda sunt et pro viribus cujusque, et pro opibus; ne aut imbecillum hominem nimis digerant, aut humili desint. Lenissima est navi, vel in portu, vel in flumine; vehementior vel in alto (1) *mari navi*, vel lectica; etiamnum acrior vehiculo. Atque haec ipsa et intendi et leniri possunt. Si nihil horum est, suspendi lectus debet, et moveri: si ne id quidem est, at certe uni pedi subjiciendum fulmentum est, atque ita lectus huc et illuc manu impellendus.

Et lenia quidem genera exercitationis infirmis conveniunt: valentiora vero iis, qui jam pluribus diebus febre liberati sunt; aut iis, qui gravium morborum initia sic sentiunt, ut adhuc febre vacent (quod et in tabe, et in stomachi vitiis, et quum aqua cutem subiit, et interdum in morbo regio fit); aut ubi quidam morbi, qualis comitialis, qualis insania est, sine febre, quamvis diu, manent. In quibus affectibus ea quoque genera exercitationum necessaria sunt, quae comprehendimus eo loco, quo, quemadmodum sani, neque firmi homines se gererent, praecepimus.

Cap. XVI (*). Abstinentiae vero duo genera sunt: alterum, ubi nihil assumit aeger; alterum, ubi non nisi quod oportet. Initia morborum primum famem sitimque desiderant: ipsi deinde morbi moderationem, ut neque aliud quam expedit, neque ejus ipsius nimium sumatur. Neque enim convenit juxta inediam protinus satietatem esse. Quod si sanis quoque corporibus inutile est, ubi aliqua necessitas famem fecit; quanto inutilius est in corpore etiam aegro? Neque ulla res magis adjuvat laborantem, quam tempestiva abstinentia. Intemperantes homines apud nos ipsi cibi tempora curantibus dant. Rursus alii tempora medicis pro dono remittunt, sibi ipsis modum vindicant. Liberaliter agere se credunt, qui quum cetera illorum arbitrio relinquant, in genere cibi liberi sint; quasi quaeratur, quid medico liceat, non quid aegro salutare sit. Cui vehementer nocet, quoties in ejus, quod assumitur, vel tempore, vel modo, vel genere peccatur.

Cap. XVII (**). Sudor etiam duobus modis elicitur: aut sicco calore, aut balneo. Siccus calor est, et arenae calidae, et laconici, et clibani, et quarumdam naturalium sudationum, ubi e terra profusus calidus vapor aedificio includitur (1), sicut super Bajas in myrtetis

(1) Morgagnus et vocem *mari*, et sequentem *navi*, ex glossemate irrepsisse putat.
(1) In Ed. Lindenii, *sicut super Batas* etc. Secutus autem Lindenius est Pantinum, qui in textu habet *bajas*; in Commentariis vero, *Batas*; et Batas hasce in agro Taren-

(*) Cap. XVI. *De abstinentia.*
(**) Cap. XVII. *De sudore eligendo.*


habemus. Praeter haec sole quoque, et exercitatione is movetur. Utiliaque haec genera sunt, quoties humor intus nocet, isque digerendus est. Ac nervorum quoque quaedam vitia sic optime curantur. Sed cetera infirmis possunt convenire : sol et exercitatio tantum robustioribus ; qui tamen sine febre , vel inter initia morborum , vel etiam non gravibus morbis tenentur. Cavendum autem est , ne quid horum vel in febre, vel in cruditate tentetur. At balnei duplex usus est (*a*). Nam modo, discussis febribus, initium cibi plenioris, vinique firmioris valetudini facit ; modo febrem ipsam tollit. Fereque adhibetur , ubi summam cutem relaxari , evocarique corruptum humorem , et habitum corporis mutari expedit. Antiqui timidius eo utebantur : Asclepiades audacius. Neque terrere autem ea res , si tempestiva est , debet: ante tempus nocet. Quisquis febre liberatus est, simulatque ea uno die non accessit, eo qui proximus est, post tempus accessionis , tuto lavari potest. At si circuitum habere ea febris solita est sic , ut tertio, quartove die revertatur, quandocumque non accessit , balneum tutum est. Manentibus vero adhuc febribus , si eae sunt lentae, levesque jamdiu male habent, recte medicina ista tentatur: cum eo tamen ne praecordia dura sint , neve ea tumeant , neve lingua aspera sit, neve aut in medio corpore, aut in capite dolor ullus sit , neve tum febris increscat. Atque in iis quidem febribus, quae certum circuitum habent, duo balnei tempora sunt; alterum, ante horrorem ; alterum, febre finita: in iis vero, qui lentis febriculis diu detinentur, quum aut ex toto recessit accessio; aut, si id

tino fuisse putat, quia Stephanus Byzantinus scripsit, Tarentinos Βάτας vocari. Recte Almeloveenius adnotat, alios legere *Bajas*; et citat locum illum Horatii Epist. 15. lib. 2.

. . . . *mihi Bajas*
Musa supervacuas Antonius; et tamen illis
Me facit invisum. . . Sane myrteta relinqui etc.

Sudationes illae nunc vocantur *Stufe di Tritoli*.


(*a*) Quoties Celsus dicit in *Balneum ire* adire publicas thermas intelligit. Quapropter thermas Pompejanas quomodo nunc etiam extant sub oculis ponere opportunum



mihi visum, cum ab eis clare Celsi propositum apparet. A. Frigidarium; 1. *Piscina* seu *Labrum*, eodem modo constructum ut infra in alia figura videtur. B. Tepidarium , ubi

non solet, certe lenita est, jamque corpus tam integrum est, quam maxime esse in eo genere valetudinis solet. Imbecillus homo, iturus in balneum, vitare debet, ne ante frigus aliquod experiatur: ubi in balneum venit, paulisper resistere, experirique, num tempora adstringantur, et an sudor aliquis oriatur: illud si incidit, hoc non sequutum est, inutile eo die balneum est; perungendusque is leniter, et auferendus est; vitandumque omni modo frigus, et abstinentia utendum. At si temporibus integris, primum ibi, deinde alibi sudor incipit, fovendum os aqua calida; tum in solio desidendum est; atque ibi quoque videndum, num sub primo contactu aquae calidae summa cutis inhorrescat; quod vix tamen fieri potest, si priora re-

vasa unguentaria etiam condiuntur; 2. *Vas prunarum* C. Calidarium; 3. *Baptisterium*, et eo proximum *Laconicum*. Vide *Farmacopea Celsiana* in II. Vol.



Altera *Balnearum* distributio. A. *Laconicum Caracallae* enim canalibus vaporiferis modo aerem calefactum, modo vaporem sursum promittentibus 1. pavimentum; 2. curvatura laconici — B. *Solium*: 1. gradus quibus in balneum descendebatur; 2. aqua; 3 lampas. — C. *Aedificium Balnearum* a Vitruvio descriptum a G. Du Choul delineatum et a Milligan etiam depictum; quod vero non bene respondet Celsi propositis. 1. praefurnium, seu focum; 2. vas ahenum aquam calidam continens, quae per emissarios canales in balnea lateralia meabat. Vas medium aquam tepidam et superius aquam frigidam continentes; 3. 3. Intercolumnia ex quibus in balnea ingrediebatur, una parte virorum, altera mulierum; 4. curvaturae Aedificii Balnearum. Vide *Farmacopea Celsiana* in II. Vol.

cte cesserunt; certum id autem signum inutilis balnei est. Ante vero, an postea, quam in aquam calidam se demittat, aliquis perungi debeat, ex ratione valetudinis suae cognoscat. Fere tamen, nisi ubi nominatim, ut postea fiat, praecipietur, moto sudore leniter corpus perungendum; deinde in aquam calidam demittendum est. Atque hic quoque habenda virium ratio est, neque committendum, ut per aestum anima deficiat; sed maturius is auferendus, curioseque vestimentis involvendus est, ut neque ad eum frigus adspiret, et ibi quoque, antequam aliquid assumat, insudet. Fomenta quoque calida sunt milium, sal, arena; quodlibet eorum calefactum, et in linteum conjectum; si minore vi opus est, etiam solum linteum; at si majore, exstincti titiones, involutique panniculis, et sic circumdati. Quin etiam calido oleo replentur utriculi; et in vasa fictilia, a similitudine quas lenticulas vocant, aqua conjicitur; et sal sacco linteo excipitur, demittiturque in aquam bene calidam, tum super id membrum, quod fovendum est, collocatur. Juxtaque ignem ferramenta duo sunt capitibus paulo latioribus: alterumque ex his demittitur in eum salem, et aqua super leviter adspergitur; ubi frigere coepit, ad ignem refertur, et idem in altero fit; deinde invicem in utroque: inter quae descendit salsus et calidus succus, qui contractis aliquo morbo nervis opitulatur. His omnibus commune est, digerere id, quod vel praecordia onerat, vel fauces strangulat, vel in aliquo membro nocet. Quando autem quoque utendum sit, in ipsis morborum generibus dicetur.

Cap. XVIII (*). Quum de iis dictum sit, quae detrahendo juvant; ad ea veniendum est (1), quae alunt, id est cibum et potionem. Haec autem non omnium tantum morborum, sed etiam secundae valetudinis communia praesidia sunt: pertinetque ad rem, omnium proprietates nosse; primum ut sani sciant, quomodo his utantur; deinde ut exsequentibus nobis morborum curationes, liceat species rerum, quae assumendae erunt, subjicere, neque necesse sit subinde singulas eas nominare. Scire igitur oportet, omnia legumina, quaeque ex frumentis panificia sunt, generis valentissimi esse: (valentissimum voco, in quo plurimum alimenti est); item omne animal quadrupes domi natum; omnem grandem feram, quales sunt caprea, cervus, aper, onager; omnem grandem avem, quales sunt anser, et pavo, et grus; omnes belluas marinas, ex quibus cetus est, quaeque his pares sunt: item mel, et caseum. Quo minus mirum est, opus pi-

(1) Verbum *alo* absolute usurpatur etiam in fine hujus capitis; *Fere vero sequitur ut quo valentior quaeque materia est, eo minus facile concoquatur; sed si concocta est, plus alat.* Eodem modo adhibetur a Seneca lib. 3. Natur. Quaest. cap. 2. *Quaedam aquae tenues, quaedam pingues: quaedam alunt, quaedam sine ulla bibentis ope transeunt*, et a Plinio lib. 29. cap. 3. Sect. 2. de ovis; *Nullus est alius cibus, qui in aegri-*

(*) Cap. XVIII. *De cibis et potionibus.*

storium valentissimum esse, quod ex frumento, adipe, melle, caseo constat. In media vero materia numerari ex oleribus debere ea, quorum radices, vel bulbos assumimus; ex quadrupedibus, leporem; aves omnes a minimis ad phoenicopterum; item pisces omnes, qui salem non patiuntur, solidive saliuntur. Imbecillissimam vero materiam esse omnem caulem oleris, et quidquid in caule nascitur, qualis est cucurbita, et cucumis, et capparis; omnia poma, oleas, cochleas, itemque conchylia. Sed quamvis haec ita discreta sint, tamen etiam, quae sub eadem specie sunt, magna discrimina recipiunt; aliaque res alia vel valentior est, vel infirmior. Siquidem (2) plus alimenti est in pane, quam in ullo alio: firmius est triticum, quam milium; id ipsum, quam hordeum, et ex tritico firmissima siligo, deinde simila, deinde cui nihil demtum est, quod αὐτόπυρον Graeci vocant; infirmior est ex polline; infirmissimus cibarius panis. Ex leguminibus vero valentior faba, vel lenticula, quam pisum. Ex oleribus valentior rapa, napique, et omnes bulbi (in quibus cepam quoque, et allium numero), quam pastinaca (3), vel quae *specialiter* radicula appellatur: item firmior brassica, et beta, et porrum, quam lactuca, vel cucurbita, vel asparagus. At ex fructibus surculorum valentiores uvae, ficus, nuces, palmulae, quam quae poma proprie nominantur: atque ex his ipsis firmiora, quae succosa, quam quae fragilia sunt. Itemque ex iis avibus, quae in media specie sunt, valentiores eae, quae pedibus, quam quae volatu magis nituntur; et ex iis, quae volatu fidunt, firmiores quae grandiores (4) *aves*, quam quae minutae sunt; ut ficedula et turdus. Atque eae quoque quae in aqua degunt, leviorem cibum praestant, quam quae natandi scientiam non habent. Inter domesticas vero quadrupedes levissima suilla est; gravissima bubula: itemque ex feris, quo majus quodque animal, eo robustior ex eo cibus est. Pisciumque eorum, qui ex media materia sunt, quibus maxime utimur, tamen gravissimi sunt ex quibus salsamenta quoque fieri possunt, qualis lacertus est; deinde qui, quamvis teneriores, tamen duri sunt, ut aurata, corvus, sparus, oculata; tum plani; post quos etiamnum leviores lupi, mullique; et post hos, omnes saxatiles. Neque vero in generibus rerum tantummodo discrimen est, sed etiam in ipsis: quod et aetate fit, et membro, et solo, et coelo, et habitu. Nam quadrupes omne animal, si lactens est, minus alimenti praestat: itemque quo tenerior pullus

tudine alat, neque oneret. (2) Id est. quam in ullo alio cibo ex frumentis. Eadem dicendi forma alibi utitur. Lib. 5. cap. 17. *Miscentur autem* simplicia *varie, neque hujus ullus modus est*, i e. hujus rei. (3) Radiculam Celsus appellat quam alii radicem, alii radicem syriacam, ali raphanum vocant. Lib. 1. cap. 3. *At qui mane vomiturus est, ante bibere mulsum, vel hyssopum, aut esse radiculam debet* Adverbium *specialiter* insititium est. Celsus, si explicatione opus fuisset, dixisset *proprie*: quo adverbio, et paulo infra et alibi utitur. Lib. 1. cap. 24. sect. 4. habetur *quod specialiter sic* (vel *sil*) *vocatur*; sed vide quae ibi adnotavi. Apud Columellam quoque lib. 3. cap. 3. R. R. legit. *Haec generat m praecep mus, nunc illud proprie specialiter* glossema esse. (4) Vox *aves* glossema est.

cohortalis est: in piscibus quoque media aetas, quae nondum summam magnitudinem implevit. Deinde ex eodem sue ungulae, rostrum, aures, cerebellum; ex agno, hoedove cum petiolis totum caput aliquanto quam cetera membra leviora sunt: adeo ut in media materia poni possint. Ex avibus colla, alaeve recte infirmissimis annumerantur. Quod ad solum vero pertinet, frumentum quodque valentius est collinum, quam campestre: levior piscis inter saxa editus, quam in arena; levior in arena, quam in limo: quo fit, ut ex stagno, vel lacu, vel flumine eadem genera graviora sint: leviorque qui in alto, quam qui in vado vixit. Omne etiam ferum animal domestico levius; et quodcumque humido coelo, quam quod sicco natum est. Deinde (*a*) eadem omnia pinguia, quam macra; recentia, quam salsa; nova, quam vetusta, plus alimenti habent. Tum res eadem magis alit jurulenta, quam assa; magis assa, quam (5) elixa. Ovum durum valentissimae materiae est; molle, vel sorbile, imbecillissimae. Quumque panificia omnia firmissima sint (6), elota tamen quaedam genera frumenti, ut alica, oryza, ptisana, vel ex iisdem facta sorbitio, aut pulticula, et aqua quoque madens panis, imbecillissimis annumerari potest.

Ex potionibus vero quaecumque ex frumento facta est, itemque lac, mulsum, defrutum, passum, vinum aut dulce, aut vehemens, aut mustum, aut magnae vetustatis, valentissimi generis est. At acetum, et id vinum quod paucorum annorum, vel austerum (7), vel pingue est, in media materia est: ideoque infirmis numquam generis alterius dari debet. Aqua omnium imbecillissima est. Firmiorque ex frumento potio est, quo firmius est ipsum frumentum: firmior ex eo vino, quod bono solo, quam quod tenui; quodque temperato coelo, quam quod aut nimis humido, aut nimis sicco, nimiumque aut frigido, aut calido natum est. Mulsum, quo plus mellis habet; defrutum, quo magis incoctum; passum, quo ex sicciore uva est, eo valentius est. Aqua levissima pluvialis est; deinde fontana; tum ex flumine; tum ex puteo; posthaec ex nive, aut glacie; gravior his, ex lacu; gravissima, ex palude. Facilis etiam et necessaria cognitio est naturam ejus requirentibus. Nam levis, pondere apparet; et ex iis, quae pondere pares sunt, eo melior quaeque est, quo celerius et calefit et frigescit, quoque celerius ex ea legumina percoquuntur. Fere ve-

(5) Celsus carnis elixae saepe mentionem facit; frixae numquam. Assa, elixa, jurulenta in usu erant. Varro lib. 4. de L. L. *Hinc*, ab oleribus, *ad pecudis carnem perventum est Suilla sic ab illis generibus cognominata. Hanc primo assam, secundo elixam, tertio e jure uti coepisse, natura docet.* (6) Haec aqua perfundebantur; tum siccabantur, aut torrebantur; deinde molebantur. Vide quae tradit Plinius de oryza lib. 18. cap. 7. sect. 13. de ptisana sequenti sect. 14, de alica cap. 11. sect. 29. ejusdem libri. (7) Adde huc, pingue vinum corpora magis alere; ut scribit Plinius lib. 23. cap. 1. sect. 22. ideoque valentius esse, quam ut in media materia poni possit. Vini autem lenis mentio fit cap. 20. hujus lib. cap. 4. lib. 1. cap. 10. et 13. lib. 4. et alibi.

(*a*) Lupac. corr. *etiam*.

ro sequitur, ut, quo valentior quaeque materia est, eo minus facile concoquatur; sed si concocta est, plus alat. Itaque utendum est materiae genere pro viribus; modusque omninm pro genere sumendus. Ergo imbecillis hominibus, rebus infirmissimis opus est; mediocriter firmos media materia optime sustinet; et robustis apta validissima est. Plus deinde aliquis assumere ex levioribus potest: magis in iis, quae valentissima sunt, temperare sibi debet.

Cap. XIX (*). Neque haec sola discrimina sunt; sed etiam aliae res boni succi sunt, aliae mali; quas εὐχύλους, vel κακοχύλους Graeci vocant; aliae lenes, aliae acres; aliae crassiorem pituitam faciunt, aliae tenuiorem; aliae idoneae stomacho, aliae alienae sunt: itemque aliae inflant, aliae ab hoc absunt; aliae calefaciunt, aliae refrigerant; aliae facile in stomacho acescnnt, aliae non facile intus corrumpuntur; aliae movent alvum, aliae supprimunt; aliae citant urinam (1), aliae tardant; quaedam somnum movent, quaedam sensus excitant. Quae omnia ideo noscenda sunt, quoniam aliud alii vel corpori, vel valetudini convenit.

Cap. XX (**). Boni succi sunt triticum, siligo, alica, oryza, amylum, tragum, ptisana, lac, caseus mollis, omnis venatio, omnes aves, quae ex media materia sunt; ex majoribus quoque eae, quas supra nominavi: medii inter teneros durosque pisces, ut mullus, et lupus (1): verna lactuca, urtica, malva (2), cucumis, cucurbita, ovum sorbile, portulaca, cochleae, palmulae: ex pomis quodcumque neque acerbum, neque acidum est: vinum dulce, vel lene, passum, defrutum, oleae, quae ex his duobus in alterutro servatae sunt: vulvae, rostra (a), trunculique suum, omnis pinguis caro, omnis glutinosa, omne jecur.

Cap. XXI (***). Mali vero succi sunt milium, panicum, hordeum, legumina, caro domestica permacra, omnisque caro salsa, omne salsamentum, garum, vetus caseus, siser, radicula, rapa, napi, bulbi, brassica, magisque etiam cyma ejus, asparagus, beta, cucumis, por-

(1) Duo haec verba aliena videntur. Quae res urinam moveant, docet Celsus cap. 31. hujus libri: at quae eam tardent, nusquam proponit; ne ibi quidem ubi maxime opus esset; videlicet lib. 4. cap. 27. sect. 2. *ubi urina super potionum modum, etiam sine dolore profluens, maciem et periculum facit.*

(1) Nam lactuca aestiva, cujus cauliculus jam lacte repletus est, somno apta, sed mali succi est, ut fere omnia, quae somnum faciunt. Vide cap. 32. hujus libri. (2) Haec vox delenda est. Nam cucumis cap. proximo verius adnumeratur cibis mali succi. Vide Galenum lib. de Euchymia, et Cacochymia.

(*) Cap. XIX. *Quae natura ac proprietas cujusque rei sit qua vescimur.*
(**) Cap. XX. *De his quae boni succi sunt*
(***) Cap. XXI *De his quae mali succi sunt.*
(a) Lupae corr. *trunculique, suum omnis pingius caro*

rum, eruca, nasturtium, thymum, nepeta, satureia, hyssopum, ruta, anethum, foeniculum, cuminum, anisum, lapathum, sinapi, allium, cepa, lienes, renes, intestina, pomum quodcumque acidum vel acerbum est, acetum, omnia acria, acida, acerba, oleum, pisces quoque saxatiles, omnesque, qui ex tenerrimo genere sunt, aut qui rursus nimium duri virosique sunt, ut fere quos stagna, lacus, limosique rivi ferunt, quique in nimiam magnitudinem (a) excesserunt.

CAP. XXII (*). Lenes autem sunt sorbitio, pulticula, laganum, amylum, ptisana, pinguis caro, et quaecumque glutinosa est: quod fere quidem in omni domestica fit, praecipue tamen in ungulis, trunculisque suum, in petiolis capitulisque hoedorum et vitulorum et agnorum, omnibusque cerebellis: item qui proprie bulbi nominantur, lac, defrutum, passum, nuclei pinei. Acria sunt omnia nimis austera, omnia acida, omnia salsa, mel, et quidem quo melius est, eo magis: item allium, cepa, eruca, ruta, nasturtium (b), cucumis, beta, brassica, asparagus, sinapi, radicula, intubus, ocimum, lactuca, maximaque olerum pars.

CAP. XXIII (**). Crassiorem autem pituitam faciunt ova sorbilia, alica, oryza, amylum, ptisana, lac, bulbi, omniaque fece glutinosa. Extenuant eamdem omnia salsa, atque acria, atque acida.

CAP. XXIV (***). Stomacho autem aptissima sunt, quaecumque austera sunt, etiam quae acida sunt, quaeque contacta sale modice sunt; item panis sine fermento, et elota alica, vel oryza, vel ptisana; omnis avis, omnis venatio; atque utraque vel assa, vel elixa: ex domesticis animalibus bubula: si quid ex ceteris sumitur, macrum potius, quam pingue: ex sue ungulae, rostra, aures, vulvaeque steriles: ex oleribus, intubus, lactuca, pastinaca, cucurbita elixa, siser: ex pomis cerasum, morum, sorbum, pirum fragile, quale crustuminum vel naevianum est: item pira, quae reponuntur, tarentina atque signina; malum orbiculatum, aut scandianum, vel amerinum (1), vel cotoneum, vel punicum; uvae ex olla, molle ovum, palmulae, nuclei pinei, oleae albae ex dura muria, eaedem aceto intinctae, vel nigrae, quae in arbore bene maturuerunt, vel quae in passo, defrutove servatae sunt: vinum austerum, licet etiam aspe-

(1) Scaliger haec adnotat: « cotoneum *corruptum est, meo judicio, barbaro more officinarum, ut* cotoneum malum *pro* cydonio *dicatur. Nam certe* cotoneum *vox latina non est: et si latina, a barbaris mutuata Nam Syri, Arabes, Hebraei, et Turcae etiam* Keton *dicunt* ». Sed undecumque vocem *cotoneum* petiverint Latini, ea certe pro latina utebantur. Plinius lib. 15. cap. 11. sect. 10. *mala, quae vocamus cotonea, et Grae-*

(*) CAP. XXII. *Quae res lenes, quaeve acres sint.*
(**) CAP. XXIII. *De his quae crassiorem, quaeve tenuiorem pituitam faciunt.*
(***) CAP. XXIV. *De his quae stomacho idonea sunt.*
(a) Lup. corr. *excrescunt.* (b) Lupac. corr. *cuminum.*

rum sit, item resinatum: duri ex media materia pisces, ostrea, pectines (2), murices, purpurae, cochleae: cibi (3), potionesque vel frigidae, vel ferventes: absinthium.

Cap. XXV (*). Aliena vero stomacho sunt omnia tepida, omnia salsa, omnia jurulenta, omnia praedulcia, omnia pinguia, sorbitio, panis fermentatus, idemque vel ex milio, vel ex hordeo, *oleum*, radices olerum (1), et quodcumque olus ex oleo garove estur, mel, mulsum, defrutum, passum, lac, omnis caseus, uva recens, ficus et viridis et arida, legumina omnia, quaeque inflare consueverunt: item thymum, nepeta, satureia, hyssopum, nasturtium, lapathum (2), lapsana, juglandes. Ex his autem intelligi potest, non quidquid boni succi est, protinus stomacho convenire; neque quidquid stomacho convenit, protinus boni succi esse.

Cap. XXVI (**). Inflant autem omnia fere legumina, omnia pinguia, omnia dulcia, omnia jurulenta, mustum, atque etiam id vinum, cui nihil adhuc aetatis accessit: ex oleribus allium, cepa, brassica, omnesque radices, excepto sisere et pastinaca, bulbi, ficus etiam aridae, sed magis virides, uvae recentes, nuces omnes, exceptis nucleis pineis, lac, omnisque caseus, quidquid denique subcrudum aliquis assumsit. Minima inflatio fit ex venatione, aucupio, piscibus, pomis, oleis, conchiliis, ovis vel mollibus, vel sorbilibus, vino vetere. Foeniculum vero, et anethum inflationes etiam levant.

Cap. XXVII (***). At calefaciunt piper, sal, caro omnis jurulenta, allium, cepa, ficus arida, salsamentum, vinum, et quo meracius est,

ci *cydonia*. (2) Rhodius in Not. ad Compos. 104 Scribonii, ubi legit. *conchula marina, purpurae, murices*, contendit et a Scribonio, et a Celso, et a Plinio purpuras a muricibus perperam distingui: existimat enim cum Fabio Columna, qui de Purpura librum edidit, voces has *ejusdem esse significatus*. Ipsi igitur videtur non male fecisse, quisquis fuit, qui in Ms. Celsi, qui Venetiis in Coenobio Tolentinorum asservatur, hoc loco inter utramque vocem particulam *sive* inseruit. In Cod illo, quem ego quoque tractavi, scriptum est *murices purpureae*; ab alia autem manu inserta particula *vel*, non *sive*: sed tum ea particula, tum littera *e* vocis *purpureae* expuncta est. (3) Vox haec, quamvis in libris omnibus alterutro loco inveniatur, tamen videri potest insititia: nam absinthium a Galeno, et aliis antiquis medicis, non cibis, sed medicamentis adnumeratur: ac vinum ipsum absinthites, ut alia omnia vini fictitii genera, ad medicinae usus pertinere Plinius tradit lib. 14. cap. 16. sect. 19. Hic autem de cibo et potione Celsus agit. Eamdem suspicionem injicit *absinthium* inter ea quae urinam movent cap. 31 hujus libri.

(1) Vox *oleum* non bene inseritur frumentis atque oleribus. Si retinenda sit, malim eam transferre post voces *radices olerum*. Sed cum sequatur *quodcumque olus ex oleo garove estur*, supervacua videtur et insititia. (2) Ita quidam legunt cum Caesario tum hic, tum cap. 31. hujus libri. Ita vocatur etiam a Varrone lib. 3. cap. 26. R. R. a Columella lib. 9. cap. 4. et a Plinio lib. 19. cap. 8. sect. 41.

(*) Cap. XXV. *De his quae stomacho aliena sunt.*
(**) Cap XXVI. *De his quae inflant, aut non.*
(***) Cap. XXVII. *De his quae calefaciunt aut refrigerant.*

eo magis. Refrigerant olera, quorum crudi caules assumuntur, ut intubus, et lactuca: item coriandrum, cucumis, elixa cucurbita, beta, mora, cerasa, mala austera, pira fragilia, caro elixa, praecipueque acetum, sive cibus ex eo, sive potio assumitur.

Cap. XXVIII (*). Facile autem intus corrumpuntur panis fermentatus, et quisquis alius quam qui ex tritico est, lac, mel; ideoque etiam lactantia, atque omne pistorium opus; teneri pisces, ostrea, olera, caseus et recens et vetus, crassa vel tenera caro, vinum dulce, mulsum, defrutum, passum; quidquid denique vel jurulentum est, vel nimis dulce, vel nimis tenue. At minime intus vitiantur panis sine fermento, aves, et eae potius duriores, duri pisces; neque solum aurata puta, aut sparus, sed etiam lolligo, locusta, polypus: item bubula, omnisque dura caro; eademque aptior est, si macra, si salsa est; omniaque salsamenta; cochleae, murices, purpurae; vinum austerum, vel resinatum.

Cap. XXIX (**). At alvum movent panis fermentatus, magisque si cibarius vel hordeacens est; brassica, si subcruda est, lactuca, anethum, nasturtium, ocimum, urtica, portulaca, radicula, capparis, allium, cepa, malva, lapathum, beta, asparagus, cucurbita, cerasa, mora, poma omnia mitia, ficus etiam arida, sed magis viridis, uvae recentes, pingues minutae aves, cochleae, garum, salsamentum, ostrea, pelorides, echini, musculi, et omnes fere conchulae, maximeque jus earum; saxatiles, et omnes teneri pisces, sepiarum atramentum; si qua caro assumitur pinguis, eadem vel jurulenta, vel elixa; aves quae natant; mel crudum, lac, lactantia omnia, mulsum, vinum dulce vel salsum (1), aqua tenera, omnia tepida, dulcia, pinguia, elixa, jurulenta, salsa, diluta.

Cap. XXX (***). Contra adstringunt panis ex siligine, vel ex simila; magis si sine fermento est; magis etiam si ustus est; intenditurque vis ejus etiam si bis coquitur: pulticula vel ex alica, vel ex panico, vel ex milio; itemque ex iisdem sorbitio; et magis, si haec antea fricta sunt: lenticula, cui vel beta, vel intubus, vel (1) ambubeja, vel plantago adjecta est; magisque etiam si illa ante fricta est:

(1) Hippocrates lib. de Aere, Aquis, et Locis, aquam mollem nominat, et durae opponit.

(1) Salmasius contendit *ambula* legendum esse ex Plinio, qui lib. 20. cap. 8. sect. 29. ita scripsit: Intubum *erraticum apud nos quidam ambulam appellavere*. Ad quem locum haec adnotat Harduinus: « Ita Mss. omnes, quos vidimus, quasi indita appellatione ab ambulando, qua satis apte convenit cum altera erratici intubi nomenclatione. Iidem tamen libri in Indice, *ambubaja*; Celsus lib. 2. cap. 30. *vel intubus, vel ambubeja*,

(*) Cap. XXVIII. *De his quae intus facile aut difficillime corrumpuntur.*
(**) Cap. XXIX. *De his quae alvum movent.*
(***) Cap. XXX. *De his quae alvum adstringunt.*

per se etiam intubus, vel plantago, vel ambubeja (2) *fricta*: minuta olera, brassica bis decocta: dura ova, magisque si assa sunt: minutae aves, merula, palumbus, magisque si in posca decoctus est; grus, omnes aves quae magis currunt, quam volant; lepus, caprea; jecur ex iis, quae sevum habent, maximeque bubulum, ac sevum ipsum: caseus, qui vehementior vetustate fit, vel ea mutatione, quam in eo transmarino videmus; aut si recens est, ex melle, mulsove decoctus: item mel coctum, pira immatura, sorba, magisque ea, quae torminalia vocantur, mala cotonea, et punica, oleae vel albae vel permaturae, myrta, palmulae, purpurae, murices, vinum resinatum vel asperum, item meracum, acetum, mulsum quod inferbuit, item defrutum, passum, aqua vel tepida vel praefrigida, dura, id est ea quae tarde putescit; ideoque pluvia potissimum: omnia dura, macra, austera, aspera, tosta, et in eadem carne, assa potius, quam elixa.

Cap. XXXI (*). Urinam autem movent, quaecumque in horto nascentia boni odoris sunt, ut apium, ruta, anethum, ocimum, menta, hyssopum, anisum, coriandrum, nasturtium, eruca, foeniculum: praeter haec asparagus, capparis, nepeta, thymum, satureia, lapsana, pastinaca, magisque agrestis, radicula, siser, cepa; ex venatione maxime lepus; vinum tenue, piper et rotundum et longum, sinapi, absinthium, nuclei pinei.

Cap. XXXII (**). Somno vero aptum est papaver (1), lactuca, maximeque aestiva, cujus cauliculus jam lacte repletus est, morum (2), porrum. Sensus excitant nepeta, thymum, satureia, hyssopum, praecipueque pulegium, ruta, et cepa.

Cap. XXXIII (***). Evocare vero materiam multa admodum possunt: sed ea quum ex peregrinis medicamentis maxime constant, aliisque magis, quam quibus ratione victus succurritur, opitulentur, in praesentia differam: ponam vero ea quae promta, et iis morbis de

non semel 1. Bodaeus in notis ad Hist. Plant. Theophrasti censet vocem hanc mendosam esse, et legendum *ambuleja*. (2) Vocem *fricta* tollendam puto.

(1) Plinius lib. 20. cap. 7. sect. 26. *Succus omnibus*, lactucis sponte nascentibus, *candidus, viribus quoque papaveri similis: carpitur per menses inciso caule: conditur in fictili novo ad multa praeclarus* etc. *Quidam et e sativis colligunt succum minus efficacem. Peculiares earum vires partim jam dictae sunt, somnum faciendi* etc. *Defervefacti hi caules et stomacho utilissimi traduntur: sicut somno aestiva maxime lactuca, et amara lactensque, quam meconidem vocavimus.* Anno 1758. cum ruri satis magnam lactentis lactucae copiam haberem, curavi, ut succus ex ea exprimeretur, atque ad defruti crassitudinem decoqueretur. Is pondere dimidii scripuli datus, somnum aegris attulit, etiam in febri. (2) Plinius quoque lib. 20. cap. 6. sect. 22. tradit *porrum capitatum multum somno conferre.*

(*) Cap. XXXI. *De his quae urinam movent.*

(**) Cap. XXXII. *De his quae ad somnum apta sunt, et sensum excitant.*

(***) Cap. XXXIII. *De his quae materiam evocant, reprimunt, molliunt, calefaciunt, durant, aut emolliunt.*

quibus protinus dicturus sum, apta, corpus erodunt, et sic eo, quod mali est, extrahunt. Habent autem hanc facultatem semina erucae, nasturtii, radiculae; praecipue tamen omnium sinapi. Salis quoque et fici eadem vis est.

Leniter vero simul et reprimunt et molliunt lana succida (*a*) ex aceto vel vino, cui oleum adjectum est; contritae palmulae, furfures in salsa aqua vel aceto decocti. At simul et reprimunt, et refrigerant herba muralis (1), παρθένιον vel περδίκιον appellant, serpyllum, pulegium, ocimum, herba sanguinalis, quam Graeci πολύγονον vocant, portulaca, papaveris folia, capreolique vitium, coriandri folia, hyoscyamum, muscus, siser, apium, solanum, (2) quam στρύχνον Graeci vocant, brassicae folia, intubus, plantago, foeniculi semen, contrita pira vel mala, praecipueque cotonea, lenticula, aqua frigida, maximeque pluvialis, vinum, acetum, et horum aliquo madens vel panis, vel farina, vel spongia, vel cinis, vel lana succida, vel etiam linteolum, creta cimolia, gypsum, melinum, myrteum, rosa, acerbum oleum, verbenarum contusa cum teneris caulibus folia; cujus generis sunt olea, cupressus, myrtus, lentiscus, tamarix, ligustrum, rosa, rubus, laurus, hedera, punicum malum. Sine frigore autem reprimunt cocta mala cotonea, malicorium, aqua calida, in qua verbenae coctae sint, quas supra posui, pulvis vel ex faece vini, vel ex myrti foliis, amarae nuces, Calefacit vero ex qualibet farina cataplasma, sive tritici, sive farris, sive hordei, sive ervi, vel lolii, vel milii, vel panici, vel lenticulae, vel fabae, vel lupini, vel lini, vel foeni graeci, ubi ea deferbuit, calidaque imposita est. Valentior tamen ad id omnis farina est ex mulso, quam ex aqua cocta. Praeterea cyprinum, irinum, medulla (3), adeps ex fele, oleum, magisque si vetus est, junctaque oleo sal, nitrum, gith, piper, quinquefolium. Fereque, quae vehementer et reprimunt, et refrigerant, durant; quae calefaciunt et digerunt, emolliunt: praecipueque ad emolliendum potest cataplasma ex lini vel foeni graeci semine. His autem omnibus, et simplicibus, et permixtis, varie medici utuntur; ut magis quid quisque persuaserit sibi, appareat, quam quid evidenter compererit.

(1) Morgagnus censet legendum omnino esse χαρθένιον vel περδίκιον, ut edidit Ruellius. Plinius quidem lib. 21. cap. 30. sect. 10. ita scribit: *Parthenium, alii leucanthes, alii amaracum. Celsus apud nos, perdicium, et muralem.* Sed Morgagno Plinius potius ex Celso, non Celsus ex Plinio emendandus videtur: cui facile assentior. Et sane herba haec non alio nomine a Celso commemoratur, quam muralis; ut lib. 4. cap. 24. et lib. 5. cap. 28. sect. 18 Lapsus fortasse Plinius est, et Celso attribuit *parthenium*, quam ille Graecis attribuerat. (2) Plinius lib. 27. cap. 13. sect. 108. *Solanum Graeci strychnon vocant, ut tradit Cornelius Celsus.* (3) Plinius lib. 28. cap. 9. sect. 37. *In communibus* remediis *adipi laus est, sed maxime suillo... Axungiam Graeci etiam appellaverunt jam in voluminibus suis.... Usus igitur axungiae est ad emollienda, excalefacienda, discutienda, purgandaque... Convenitque salsam magis emollire, excalefacere, discutere.*

(*a*) Lupac. corr. *quo cum aceto vel vino oleum adjectum sit.*

A. CORNELII CELSI

ARTIUM LIBER OCTAVUS

IDEM

MEDICINAE

TERTIUS.

Cap. I (*). Provisis omnibus, quae pertinent ad universa genera morborum, ad singulorum curationes veniam. Hos autem in duas species Graeci diviserunt; aliosque ex his acutos, alios longos esse dixerunt: ideoque, quoniam non semper eodem modo respondebant, eosdem alii inter acutos, alii inter longos retulerunt. Ex quo plura eorum genera esse manifestum est. Quidam enim breves acutique sunt, qui cito vel tollunt hominem, vel ipsi cito finiuntur: quidam longi, sub quibus neque sanitas in propinquo, neque exitium est: tertiumque genus eorum est, qui modo acuti, modo longi sunt; idque non in febribus tantummodo, in quibus frequentissimum est, sed in aliis quoque fit. Atque etiam praeter hos, quartum est, quod neque acutum dici potest, quia non perimit; neque utique longum, quia, si occurritur, facile sanatur. Ego, cum de singulis dicam, cujus quisque generis sit indicabo. Dividam autem omnes in eos, qui in totis corporibus consistere videntur, et eos, qui oriuntur in partibus. Incipiam a prioribus, pauca de omnibus praefatus. In nullo quidem morbo (1) minus fortuna sibi vindicare, quam ars potest; utpote quum, repugnante natura, nihil medicina proficiat. Magis tamen ignoscendum medico est parum proficienti in acutis morbis, quam in longis. Hic enim breve spatium est, intra quod, si quod auxilium non profuit, aeger extinguitur: ibi et deliberationi, et mutationi remediorum tempus patet; adeo ut raro, si inter initia medicus accessit, obsequens aeger sine illius vitio pereat. Longus tamen morbus cum penitus insedit, quod ad difficultatem pertinet, acuto par est. Et acutus quidem, quo vetustior est; longus autem, quo recentior, eo fa-

(1) Est enim in fortuna positum, repugnet nec ne natura. Eadem ratione in prooemio lib. 7. dicitur, *Siquidem in morbis cum multum fortuna conferat, eademque saepe salutaria, saepe vana sint; potest dubitari, secunda valetudo medicinae, an corporis beneficio contigerit*; id est beneficia naturae.

(*) Cap. I. *De morborum generibus.*

cilius curatur. Alterum illud ignorari non oportet, quod non omnibus aegris eadem auxilia conveniunt. Ex quo incidit, ut alia atque alia summi anctores, quasi sola, venditaverint, prout cuique cesserant. Oportet itaque, ubi aliquid non respondet, non tanti putare anctorem, quanti aegrum, et experiri aliud atque alind: sic tamen, ut in acutis morbis cito mutetur, quod nihil prodest; in longis, quos tempus nt facit, sic etiam solvit, non statim condemnetur, si quid non statim profuit; minns vero removeatur, si quid paulum saltem juvat; quia profectus tempore expletur.

Cap. II (*). Protinus autem inter initia scire facile est, quis acntus morbus, quis longus sit: non in iis solis in quibus semper ita se habet; sed in iis quoque in quibus variat. Nam nbi sine intermissionibus accessiones et dolores graves urgent, acutus morbus est: ubi lenti dolores, lentaeve febres snnt, et spatia inter accessiones porriguntnr, acceduntque ea signa, quae in priore volumine exposita sunt, longum hunc futurum esse, manifestum est. Videndum etiam est, morbus an increscat, an consistat, an minuatur: quia quaedam remedia increscentibus morbis, plura inclinatis conveniunt, eaque quae increscentibus apta sunt, ubi acutus increscens urget, in remissionibus potius experienda sunt. Increscit autem morbus, dum graviores dolores, accessionesque veniunt; haeque et ante, quam proximae revertuntnr, et postea desinnnt. Atque in longis quoque morbis, etiam tales notas non habentibus, scire licet increscere, si somnus incertus est, si deterior concoctio, si foetidiores dejectiones, si tardior sensus, si pigrior mens, si percurrit corpus frigus aut calor, si id magis pallet. Ea vero, quae contraria his sunt, decedentis ejus notae sunt. Praeter haec in acutis morbis serius aeger alendus est, nec nisi jam inclinatis: ut primo demta materia impetum frangat: in longis maturius, nt sustinere spatium affecturi mali possit. (1). Ac si quando is non in toto corpore, sed in parte est; magis tamen ad rem pertinet, vim totius corporis moliri, quam proprie partis aegrae sanitatem. Multum etiam interest, ab initio quis recte curatus sit, an perperam: quia curatio minus iis prodest, in quibus assidne frustra fuit. Si quis temere habitus, adhnc integris viribus vivit, admota curatione momento restituitur.

Sed quum ab iis coeperim, quae notas quasdam futurae adversae valetudinis exhibent, curationnm quoque principium ab animadversione ejusdem temporis faciam. Igitur si quid ex iis, quae proposita sunt, incidit, omnium optima sunt quies et abstinentia; si quid bi-

(1) Cum morbus non in toto corpore, sed in parte est, nihil magis ad rem pertinet, quam partem ipsam sanari. Puto igitur membrum hoc ***quam proprie partis aegrae sa-***

(*) Cap. II. *Quomodo morbi cognoscantur, et an crescant, consistant, aut minuantur.*

bendum est, aqua; idque interdum uno die fieri satis est; interdum, si terrentia manent, biduo: proximeque abstinentiam sumendus est cibus exiguus, bibenda aqua; postero die etiam vinum; deinde invicem alternis diebus, modo aqua, modo vinum, donec omnis causae metus finiatur. Per haec enim saepe instans gravis morbus discutitur. Plurimique falluntur, dum se primo die protinus sublaturos languorem aut exercitatione, aut balneo, aut coacta dejectione, aut vomitu, aut sudationibus, aut vino sperant. Non quo non interdum id incidat, sed quo saepius fallat, solaque abstinentia sine ullo periculo medeatur: quum praesertim etiam pro modo terroris moderari liceat; et si leviora indicia fuerint, satis sit a vino tantum abstinere, quod subtractum plus, quam si cibo quid dematur, adjuvat: si paulo graviora (2) *facile sit*, non aquam tantum bibere, sed etiam cibo carnem subtrahere; interdum panis quoque minus, quam pro consuetudine assumere, humidoque cibo esse contentum, et olere potissimum: satisque sit, tunc ex toto a cibo, a vino, ab omni motu corporis abstinere, quum vehementes notae terruerunt. Neque dubium est, quin vix quisquam, qui non dissimulavit, sed per haec mature morbo occurrit, aegrotet.

CAP. III (*), Atque haec quidem sanis facienda sunt, tantum causam metuentibus. Sequitur vero curatio febrium, quod et in toto corpore, et vulgare maxime morbi genus est. Ex his una quotidiana, altera tertiana, altera quartana est: interdum etiam longiore circuitu quaedam redeunt; sed id raro fit. In prioribus et morbi sunt, et medicina. Et quartanae quidem simpliciores sunt. Incipiunt fere ab horrore; deinde calor erumpit; finitaque febre biduum integrum est: ita quarto die revertitur. Tertianarum vero duo genera sunt: alterum eodem modo, quo quartana, et incipiens, et desinens; illo tantum interposito discrimine, quod unum diem praestat integrum, tertio redit: alterum longe perniciosius, quod tertio quidem die revertitur (*a*), ex octo autem et quadraginta horis fere sex et triginta per accessionem occupat, interdum etiam vel minus, vel plus; neque ex toto in remissione desistit, sed tantum levius est. Id genus plerique medici ἡμιτριταῖον appellant. Quotidianae vero variae sunt, et multiplices. Aliae enim protinus a calore incipiunt, aliae a frigore, aliae ab horrore. Frigus voco, ubi extremae partes membrorum inalgescunt: horrorem, ubi corpus totum intremit. Rursus aliae sic desinunt, ut ex toto sequatur integritas: aliae sic, ut aliquantum quidem minuatur ex febre, nihilominus tamen quaedam reliquiae re-

nitatem, sive, *quam proprie* (vel *propriae*) *partes aegrae sanentur* ab explanatoribus additum fuisse. (2) Glossema est.

(*) CAP. III. *De febrium generibus.*
(*a*) Lupac. corr. *ex quadraginta autem et octo horis.*

maneant, donec altera accessio accedat: ac saepe aliae vix quidquam aut nihil remittunt (1) *sed continuent*. Deinde aliae fervorem ingentem habent, aliae tolerabilem: aliae quotidie pares sunt, aliae impares; atque invicem altero die leviores, altero vehementiores: aliae tempore eodem postridie revertuntur, aliae vel serius vel celerius: aliae diem noctemque accessione et decessione implent, aliae minus, aliae plus: aliae, quum decedunt, sudorem movent, aliae non movent; atque alias per sudorem ad integritatem venitur, alias corpus tantum imbecillius redditur. Accessiones etiam modo singulae singulis diebus fiunt, modo binae pluresve concurrunt: ex quo saepe evenit, ut quotidie plures accessiones remissionesque sint; sic tamen, ut unaquaeque alicui priori respondeat. Interdum vero accessiones quoque confunduntur sic, ut notari neque tempora earum, neque spatia possint. Neque verum est, quod dicitur a quibusdam, nullam febrem inordinatam esse, nisi aut ex vomica, aut ex inflammatione, aut ex ulcere: facilior enim semper curatio foret, si hoc verum esset. Sed quod evidentes causae faciunt, facere etiam abditae possunt. Neque de re, sed de verbo controversiam movent, qui quum aliter aliterque in eodem morbo febres accedunt, non easdem inordinate redire, sed alias aliasque subinde oriri dicunt. Quod tamen ad curandi rationem nihil pertineret, etiamsi vere diceretur. Tempora quoque remissionum modo liberalia, modo vix ulla sunt.

Cap. IV (*). Et febrium quidem ratio maxime talis est. Curationum vero diversa genera sunt, prout auctores aliquos habent. Asclepiades officium esse medici dicit, ut tuto, ut celeriter, ut jucunde curet. Id votum est: sed fere periculosa esse nimia (*a*) et festinatio et voluptas solet. Qua vero moderatione utendum sit, ut, quantum fieri potest, omnia ista contingant, prima semper habita salute, in ipsis partibus curationum considerandum erit. Et ante omnia quaeritur, primis diebus aeger qua ratione continendus sit. Antiqui, medicamentis quibusdam datis, concoctionem moliebantur; eo quod cruditatem maxime horrebant: deinde eam materiam, quae laedere videbatur, ducendo saepius alvum subtrahebant. Asclepiades medicamenta sustulit; alvum non toties, sed fere tamen in omni morbo, subduxit: febre vero ipsa praecipue se ad remedium ejus uti professus est. Convellendas enim vires aegri putavit, luce, vigilia, siti ingenti, sic ut ne os quidem primis diebus elui sineret. Quo magis falluntur, qui per omnia jucundam ejus disciplinam esse concipiunt. Is enim ulterioribus quidem diebus cubantis etiam luxuriae subscripsit; primis vero tortoris vicem exhibuit. Ego autem medicamentorum dari po-

(1) Sustuli duas voces *sed continuent*, quae ex margine irrepserunt.

(*) Cap. IV. *De febrium curationum diversis generibus.*
(*a*) Lupac. corr. *nimium*.

tiones, et alvum duci non nisi raro debere, concedo; non ideo tamen id agendum, ut aegri vires convellantur, existimo; quoniam ex imbecillitate summum periculum est. Minui ergo tantum materiam superantem oportet, quae naturaliter digeritur, ubi nihil novi accedit. Itaque abstinendus a cibo primis diebus, et in luce habendus aeger, nisi infirmus, interdiu est, quoniam corpus ista quoque digerit; isque cubare quam maximo conclavi debet. Quod ad sitim vero somnumque pertinet, moderandum est, ut interdiu vigilet; noctu, si fieri potest, conquiescat: ac neque potet, neque nimium siti crucietur. Os etiam ejus elui potest, ubi et siccum est, et ipsi foetet; quamvis id tempus potioni aptum non est. Commodeque Erasistratus dixit, saepe, interiore parte humorem non requirente, os et fauces requirere; neque ad rem, male haberi aegrum, pertinere.

Ac primo quidem sic tenendus est. Optimum vero medicamentum est, opportune cibus datus: qui quando primum dari debeat, quaeritur. Plerique ex antiquis tarde dabant, saepe quinto die, saepe sexto: et id fortasse vel in Asia, vel in Ægypto (1), coeli ratio patitur. Asclepiades, ubi aegrum triduo per omnia fatigaverat, quarto die cibo destinabat. At Themison nuper, non quando coepisset febris, sed quando desiisset, aut certe levata esset, considerabat; et ab illo tempore, expectato die tertio, si non accesserat febris, statim; si accesserat, ubi ea vel desierat, vel, si assidue inhaerebat, certe se se inclinaverat, cibum dabat. Nihil autem horum utique perpetuum est. Nam potest primo die primus cibus dandus esse, potest secundo, potest tertio, potest non nisi quarto, aut quinto; potest post unam accessionem, potest post duas, potest post plures. Refert enim qualis morbus sit, quale corpus, quale coelum, quae aetas, quod tempus anni, minimeque in rebus multum inter se differentibus, perpetuum esse praeceptum temporis potest. In morbo, qui plus virium aufert, celerius cibus dandus est: itemque eo coelo, quod magis digerit. Ob quam causam in Africa nullo die aeger abstineri recte videtur. Maturius etiam puero, quam juveni, aestate, quam hieme, dari debet. Unum illud est, quod semper, quod ubique servandum est, ut aegri vires subinde assidens medicus inspiciat, et quamdiu supererunt, abstinentia pugnet; si imbecillitatem vereri coeperit, cibo subveniat. Id enim ejus officium est, ut aegrum, neque supervacua materia oneret, neque imbecillitatem fame prodat. Idque apud Erasistratum quoque invenio: qui quamvis, parum docuit, quando venter, quando corpus ipsum exinaniretur, dicendo tamen haec esse videnda, et tum cibum dandum, quum corpori deberetur, satis ostendit, dum vires superessent, dari non oportere; ne deficerent, consulendum esse. Ex his autem intelligi potest, ab uno medico multos non posse curari: eumque, si artifex est, idoneum esse, qui non multum ab aegro recedit.

(1) In prooemio lib. 1. *Famem facilius adolescens, quam puer; facilius in denso coelo, quam in tenui, ... facilius inexercitatus, quam exercitatus homo sustinet.* Por-

Sed qui quaestui serviunt, quoniam is major ex populo est, libenter amplectuntur ea praecepta, quae sedulitatem non exigunt; ut in hac ipsa re. Facile est enim dies vel accessiones numerare iis quoque, qui aegrum raro vident: ille assideat necesse est, qui, quod solum opus est, visurus est, quando nimis imbecillus futurus sit, nisi cibum acceperit. In pluribus tamen ad initium cibi dies quartus aptissimus esse consuevit.

Est autem alia etiam de diebus ipsis dubitatio; quoniam antiqui potissimum impares sequebantur, eosque, tamquam tunc de aegris judicaretur, κρισίμους nominabant. Hi erant dies tertius, quintus, septimus, nonus, undecimus, quartusdecimus, unus et vicesimus; ita ut summa potentia septimo, deinde quartodecimo, deinde uni et vicesimo daretur. Igitur sic aegros nutriebant, ut dierum imparium accessiones exspectarent; deinde postea cibum, quasi levioribus accessionibus instantibus, darent (2): adeo ut Hippocrates, si alio die febris desiisset, recidivam timere sit solitus. Id Asclepiades jure ut vanum repudiavit; atque in nullo die, quia par imparve esset, iis vel majus vel minus periculum esse dixit. Interdum enim pejores dies pares fiunt; et opportunius post eorum accessiones cibus datur. Nonnumquam etiam in ipso morbo dierum ratio mutatur; fitque gravior, qui remissior esse consueverat. Atque ipse quartusdecimus par est, in quo esse magnam vim antiqui fatebantur. Qui quum octavum primi naturam habere contenderent, ut ab eo secundus septenarius inciperet, ipsi sibi repugnabant, non octavum, neque decimum, neque duodecimum diem sumendo, quasi potentiorem: plus enim tribuebant nono, et undecimo. Quod quum fecissent sine ulla probabili ratione, ab undecimo, non ad tertiumdecimum, sed ad quartumdecimum transibant. Est etiam apud Hippocratem, ei, quem septimus dies liberaturus sit, quartum esse gravissimum. Ita, illo quoque auctore, in die pari et gravior febris esse potest, et certa futuri nota. Atque idem alio loco quartum quemque diem, ut in utrumque efficacissimum apprehendit; id est quartum, septimum, undecimum, quartumdecimum, decimumseptimum. In quo et ab imparis ad paris rationem transiit, et ne hoc quidem propositum conservavit; quum a septimo die undecimus, non quartus, sed quintus sit. Adeo apparet, quacumque ratione ad numerum respexerimus, nihil rationis, sub illo quidem auctore, reperiri. Verum in his quidem antiquos tunc celebres admodum Pythagoriei numeri fefellerunt: quum hic quoque medicus non numerare dies debeat, sed ipsas accessiones intueri; et ex his conjectare, quando dandus cibus sit. Illud autem magis ad rem pertinet, scire, tum oporteat dari, quum jam bene venae conquie-

ro in Asia, et in Aegypto densum coelum est. (2) In Aphor. 61. Sect. 4. Membrum hoc minime apte cohaeret cum antecedenti; et fortasse ex Aphorismo illo ab aliquo enarratore additum fuit. Si retinendum est, superius transferendum puto, et ita legendum; *tamquam tunc de aegris judicaretur*, κρισίμους *nominabant: adeo ut Hippocra-*

verunt, an etiamnum manentibus reliquiis febris. Antiqui enim quam integerrimis corporibus alimentum offerebant. Asclepiades, inclinata quidem febre, sed adhuc tamen inhaerente. In quo vanam rationem sequutus est: non quo non sit interdum maturius cibus dandus, si mature timetur altera accessio; sed quo scilicet quam sanissimo dari debeat: minus enim corrumpitur, quod integro corpori infertur. Neque tamen verum est, quod Themisoni videbatur, si duabus horis integer futurus esset aeger, satius esse tunc dari; ut ab integro corpore potissimum diduceretur. Nam si diduci tam celeriter posset, id esset optimum: sed quum hoc breve tempus non praestet, satius est principia cibi a decedente febre, quam reliquias ab incipiente excipi. Ita si longius tempus (3) secundum est, quam integerrimo dandus est; si breve, etiam antequam ex toto integer fiat. Quo loco vero integritas est, eodem est remissio, quae maxima in febre continua potest esse. Atque hoc quoque quaeritur, utrum tot horae exspectandae sint, quot febrem habuerunt; an satis sit primam partem earum praeteriri, ut aegris jucundius insidat, quibus interdum non vacat. Tutissimum est autem, ante totius accessionis tempus praeterire: quamvis, ubi longa febris fuit, potest indulgeri aegro maturius, dum tamen ante minime pars dimidia praetereatur. Idque non in ea sola febre, de qua proxime dictum est, sed in omnibus ita servandum est.

CAP. V (*). Haec magis per omnia genera febrium perpetua sunt: nunc ad singulas earum species descendam. Igitur si semel tantum accessit, deinde desiit, eaque (1) vel ex inguine, vel ex lassitudine, vel ex aestu, aliave simili re fuit, sic, ut interior nulla causa metum fecerit, postero die, cum tempus accessionis ita transiit, ut nihil moverit, cibus dari potest. At si ex alto calor venit, et gravitas vel capitis vel praecordiorum sequuta est, neque apparet quid corpus confuderit; quamvis unam accessionem sequuta integritas est; tamen, quia tertiana timeri potest, expectandus est dies tertius: et ubi accessionis tempus praeteriit, cibus dandus est, sed exiguus; quia

tes etc. (3) Id est felix et opportunum integritatis tempus; ut explicat Morgagnus.

(1) Almelovenius haec adnotat: « Malim *sanguine* vel *ingluvie*: quomodo enim ex inguine posset oriri febris? dein enumerat causas externas, quas inter inguen censeri non potest ». Morgagnus vero quaerit ex Almelovenio, si inter externas causas censeri inguen non potest, qua ratione sanguis censeretur? *Certe autem*, inquit, *inter causas externas censetur ictus, vel alia ejusmodi, ipsi etiam pedi vis illata a qua et inguinis tumor, et hujus socia diaria febris existit*. Hip. Aphor. 55 Sect 4. *Ex glandularum inflammationibus febres omnes malae, praeter ephemeras*: Galenus autem in Com *febres ephemeras, seu diarias appellat, quaecumque secundum suam naturam d em unum durant. De quarum genere sunt febres illae quae* bubones, *id est in collo, alis, inguine, et secundum aures glandularum tumores sequuntur, ex causis evidentibus ortae.*

(*) CAP. V. *De febrium speciebus, et singularum curationibus; et primo quando cibus febricitantibus dandus.*

quartana quoque timeri potest: et die quarto demum, si corpus integrum est, eo cum fiducia utendum. Si vero postero, tertiove, aut quarto die sequuta febris est, scire licet morbum esse. Sed tertianarum, quartanarumque, quarum et certus circuitus est, et finis integer, et liberaliter quieta tempora sunt, expeditior ratio est: de quibus suo loco dicam. Nunc vero eas explicabo, quae quotidie urgent. Igitur tertio quoque die cibus aegro commodissime datur: ut alter febrem minuat, alter viribus subveniat. Sed is dari debet, si quotidiana febris est, quae ex toto desinat, simulatque corpus integrum factum est: si quamvis non accessiones, febres tamen junguntur, et quotidie quidem increscunt, sed sine integritate tamen remittunt, quum corpus ita se habet, ut major remissio non exspectetur: si altero die gravior, altero levior accessio est, post graviorem. Fere vero graviorem accessionem levior nox sequitur: quo fit, ut graviorem accessionem nox quoque tristior antecedat. At si continuatur febris, neque levior umquam fit, et dari cibum necesse est, quando dari debeat, magna dissensio est. Quidam, quia fere remissius matutinum tempus aegris est, tunc putant dandum. Quod si respondet, non quia mane est, sed quia remissio est *aegro* dari debet. Si vero ne tunc quidem ulla requies aegris est, hoc ipso pejus id tempus est, quod quum sua natura melius esse debeat, morbi vitio non est: simulque insequitur tempus meridianum, a quo quum omnis aeger fere pejor fiat, timeri potest, ne ille magis etiam, quam ex consuetudine, urgeatur. Igitur alii vespere tali aegro cibum dant. Sed quum eo tempore fere pessimi sint, qui aegrotant, verendum est, ne, si quid tunc moverimus, fiat aliquid asperius. Ob haec ad mediam noctem decurro; id est, finito jam gravissimo tempore, eodemque longissime distante: sequuturis vero antelucanis horis, quibus omnes fere maxime dormiunt; deinde matutino tempore, quod natura sua levissimum est. Si vero febres vagae sunt, quia verendum est, ne cibum statim subsequantur, quandocumque quis ex accessione levatus est, tunc debet assumere. At si plures accessiones eodem die veniunt, considerare oportet, pares ne per omnia sint, quod vix fieri potest, an impares. Si per omnia pares sunt, post eam potius accessionem cibus dari debet, quae non inter meridiem et vesperem desinit: si impares sunt, considerandum est, quo distent. Nam si altera gravior, altera levior est, post graviorem dari debet: si altera longior, altera brevior, post longiorem: si altera gravior, altera longior est, considerandum est utra magis affligat, illa vi, an haec tempore; et post eam dandus est, Sed plane plurimum interest, quantae qualesque inter eos remissiones sint. Nam si post alteram febrem motio manet, post alteram integrum corpus est, integro corpore cibo tempus aptius est: si semper febricula manet, sed alterum tamen longius tempus remissionis est, id potius eligendum est; adeo ut, ubi accessiones continuantur, protinus, in-

clinata priore, dandus eibus sit. Etenim perpetuum est, ad quod omne consilium dirigi potest, eibum quam maxime semper ab accessione futura reducere; et, hoc salvo, dare quam integerrimo corpore. Quod non inter duas tantum, sed etiam inter plures accessiones servabitur. Sed quum sit aptissimnm tertio quoque die eibum dare; tamen, si corpus infirmum est, quotidie dandus est; multoque magis, si continentes febres sine remissione sunt, quanto magis corpus affligunt; aut si duae pluresve accessiones eodem die veniunt. Quae res effieit, ut et a primo die protinus eibus dari quotidie debeat, si protinus venae conciderunt; et saepius eodem die, si inter plures accessiones subinde vis corpori deest. Illud tamen in his servandum est, ut post eas febres minus eibi detur, post quas, si per corpus liceret, omnino non daretur. Quum vero febris instet, incipiat, augeatur, consistat, decedat, deinde in decessione consistat, aut finiatur, scire licet, optimum eibo tempus esse febre finita; deinde qunm decessio ejus consistit; tertium, si necesse est, quandocumque decedit; cetera omnia periculosa esse. Si tamen propter infirmitatem necessitas urget, satius esse, consistente jam incremento febris, aliquid offerre, quam increscente; satius esse, instante, quam ineipiente: cum eo tamen, ut nullo tempore is, qui deficit, non sit sustinendus. Neque hercule satis est, ipsas tantum febres medieum intueri, sed etiam totius eorporis habitum, et ad eum dirigere curationem; seu supersunt vires, seu desunt, seu quidam alii affectus interveniunt. Quum vero semper aegros securos agere conveniat, ut corpore tantum, non etiam animo laborent: tum praecipue, ubi eibum sumserunt. Itaque, si qua sunt, quae exasperatura eorum animos sunt, optimum est ea, dum aegrotant, eorum notitiae subtrahere: si id fieri non potest, sustinere tamen post cibum (a) usque somni tempus, et quum experrecti snnt, tum exponere.

CAP. VI (*). Sed de eibo quidem facilior cum aegris ratio est; quorum saepe stomachns hunc respuit, etiamsi mens concupiscit: de potione vero ingens pugna est; eoque magis, quo major febris est. Haec enim sitim accendit, et tum maxime aqnam exigit, quum illa perieulosissima est. Sed docendus aeger est, ubi febris quieverit, protinus sitim quoque quieturam; longioremque accessionem fore, si quod ei datnm fuerit alimentum: ita celerius eum desinere sitire, qui non bibit. Necesse est tamen, quanto facilius etiam sani famem, quam sitim sustinent, tanto magis aegris in potione, quam in cibo indulgere. Sed primo quidem die nullus humor dari debet, nisi su-

(a) Id est toto somni tempore. Sic lib. 8. cap 4. *vulnus deligare oportet, et quotidie resolvere, similiterque eurare usque ad diem quintum*, id est usque ad finem diei quinti: nam sequitur *A sexto d e etiam vapore aquae calidae fovere.*

(*) CAP. VI. *Quando potiones febricitantibus dari expediat.*

bito sic venae conciderunt, ut cibus quoque dari debeat: secundo vero, ceterisque etiam, quibus cibus non dabitur, tamen, si magna sitis urgebit, potio dari potest. Ac ne illud quidem ab Heraclide Tarentino dictum ratione caret: ubi aut bilis aegrum, aut cruditas male habet, expedire quoque (1) per modicas potiones misceri novam materiam corruptae. Illud videndum est, ut qualia tempora cibo leguntur (2), talia potioni quoque, ubi sine illo datur, deligantur; aut quum aegrum dormire cupiemus; quod fere sitis prohibet. Satis autem convenit, quum omnibus febricitantibus nimius humor alienus sit, tum praecipue esse feminis, quae ex partu in febres inciderunt.

Sed quum tempora cibo potionique febris et remissionis ratio det, non est expeditissimum scire, quando aeger febricitet, quando melior sit, quando deficiat; sine quibus dispensari illa non possunt. Venis enim maxime credimus, fallacissimae rei; quia saepe istae (3) leniores celerioresve sunt, et aetate, et sexu, et corporum natura: et plerumque satis sano corpore, si stomachus infirmus est, nonnumquam etiam incipiente febre, subeunt et quiescunt; ut imbecillus is videri possit, cui facile laturo gravis instat accessio. Contra saepe eas concitat et sol, et balneum, et exercitatio, et metus, et ira, et quilibet alius animi affectus: adeo ut, quum primum medicus venit, sollicitudo aegri dubitantis, quomodo illi se habere videatur, eas moveat. Ob quam causam, periti medici est, non protinus ut venit, apprehendere manu brachium: sed primum residere hilari vultu, percontarique, quemadmodum se habeat; et si quis ejus metus est, eum probabili sermone lenire; tum deinde ejus corpori manum admovere. Quas venas autem conspectus medici movet, quam facile mille res turbant! Altera res est, cui credimus, calor, aeque fallax: nam hic quoque excitatur aestu, labore, somno, metu, sollicitudine. Igitur intueri quidem etiam ista oportet; sed his non omnia credere. Ac protinus quidem scire, non febricitare eum, cujus venae naturaliter ordinatae sunt, teporque talis est, qualis esse sani solet: non protinus autem sub calore motuque febrem esse concipere; sed ita, si summa quoque arida inaequaliter cutis est; si calor et in fronte est, et ex imis praecordiis oritur; si spiritus ex naribus cum fervore

(1) Lib. 4. cap. 11. *miscuisse tamen corruptae novam materiam prodest.* (2) Morgagnus censet legendum esse *ut cum aegrum dormire cupiemus*; vel potius omnia haec verba transferenda, et locum ita restituendum: *Ac ne illud quidem, ab Heraclide Tarentino dictum, ratione caret: ubi aut bilis aegrum, aut cruditas male habet, expedire quoque per modicas potiones misceri novam materiae corruptae, aut cum aegrum dormire cupiemus; quod fere sitis prohibet. Illud videndum est* etc. Putat enim Heraclidem voluisse *tempora illa non tunc dumtaxat esse diligenda cum aegrum dormire cupiemus, sed tunc etiam cum materiam novam corruptae misceri volemus.* Sed animadvertendum est, illud quidem praeceptum de modicis potionibus corruptae materiae miscendis, Heraclidis esse: hoc autem monitum *Illud videndum est* etc. non Heraclidis esse, sed Celsi. (3) Eodem sensu *lenitas* est apud Caesarem lib. 1. cap. 12. B. G. *Flumen est Arar, quod per fines Aeduorum, et Sequanorum in Rhodanum influit*

prorumpit; si color aut rubore, aut pallore novo mutatus est; si oculi graves, et aut persicci, aut subhumidi sunt; si sudor quum fit, inaequalis est; si venae non aequalibus intervallis moventur. Ob quam causam medicus neque in tenebris, neque a capite aegri debet residere; sed illustri loco adversus, ut omnes notas ex vultu quoque cubantis percipiat. Ubi vero febris fuit, ac decrevit, spectare oportet, num tempora, partesve corporis aliae paulum madescant, quae sudorem venturum esse testentur: ac si qua nota est, tunc demum dare potui calidam aquam; cujus salubris effectus est, si sudorem per omnia membra diffundit. Hujus autem rei causa, continere aeger sub veste satis multa manus debet; eademque crura, pedesque contegere: qua (4) *male* plerique aegros in ipso febris impetu *potissimeque ubi ardens ea est* male habent. Si sudare corpus coepit, linteum tepefacere oportet, paulatimque singula membra detergere. At ubi sudor omnis finitus est, aut si is non venit, ubi quam maxime potuit, idoneus esse cibo aeger videtur, sub veste leniter ungendus est, tum detergendus, deinde ei cibus dandus. Is autem febricitantibus humidus est aptissimus, aut humori certe quam proximus: utique ex materia quam levissima, maximeque sorbitio, eaque, si magnae febres fuerint, quam tenuissima esse debèt. Mel quoque despumatum huic recte adjicitur, quo corpus magis nutriatur: sed id, si stomachum offendit, supervacuum est; sicut ipsa quoque sorbitio. Dari vero in vicem ejus potest, vel intrita ex aqua calida, vel alica elota; si firmus est stomachus, et compressa alvus, ex aqua mulsa; si vel ille languet, vel haec profluit, ex posca. Et primo quidem cibo id satis est. Secundo vero aliquid adjici potest, ex eodem tamen genere materiae, vel olus, vel conchylium, vel pomum. Et dum febres quidem increscunt, hic solus cibus idoneus est. Ubi vero aut desinunt, aut levantur, semper quidem incipiendum est ab aliquo ex materia levissima, adjiciendum vero aliquid ex media, ratione habita subinde et virium hominis et morbi (5). Ponendi vero aegro varii cibi, sicut Asclepiades praecepit, tum demum sunt, ubi fastidio urgetur, neque satis vires sufficiunt; ut paulum ex singulis degustando, famem vitet. At si neque vis, neque cupiditas deest, nulla varietate sollicitandus aeger est; ne plus assumat, quam concoquat. Neque verum est, quod ab eo dicitur, facilius concoqui cibos varios. Eduntur enim facilius: ad concoctionem autem materiae genus et modus pertinent. Neque inter magnos dolores, neque increscente morbo, ty-

incredibili lenitate, ita ut oculis utram in partem fluat, judicari non possit. (4) Mihi et adverbium *male*, et verba illa *potissimeque ubi ardens ea est*, videntur margini ab aliquo adscripta fuisse ad monendum, perperam medicos illos agere, qui in ipso febris impetu aegros multa veste contegunt. (5) Alii quoque optimi Auctores *pono* pro *appono* usurparunt. Cato cap 79. RR. *globos melle inungito, papaver infriato: ita ponito*; Varro lib. 3. cap 6. R. R. *Primus hos* pavones. *Q. Hortensius adjiciali coena posuisse dicitur*; Horatius Satyra 6, libri 2. *Uncta satis pingui ponentur oluscula lardo.*

tum est aegrum cibo impleri; sed ubi inclinata jam in melius valetudo est.

Sunt aliae quoque observationes in febribus necessariae. Atque id quoque videndum est, quod quidam solum praecipiunt, adstrictum corpus sit, an profluat; quorum alterum strangulat, alterum digerit. Nam si adstrictum est, ducenda alvus est, movenda urina, eliciendus omni modo sudor. In hoc genere morborum sanguinem etiam misisse, concussisse vehementibus gestationibus corpus, in lumine habuisse, imperasse famem, sitim, vigiliam prodest. Utile est etiam ducere in balneum, prius demittere in solium, tum ungere, iterum ad solium redire, multaque aqua fovere inguina; interdum etiam oleum in solio cum aqua calida miscere; uti cibo serius et rarius, tenui, simplici, molli, calido, exiguo; maximeque oleribus, qualia sunt lapathum, urtica, malva; vel jure etiam concharum, musculorumve, aut locustarum: neque danda caro, nisi elixa, est. At potio esse debet magis liberalis, et ante cibum, et post hunc, et cum hoc, ultra quam sitis coget: poteritque a balneo etiam pinguius, aut dulcius dari vinum; poterit semel, aut bis interponi graecum salsum. Contra vero, si corpus profluet, sudor coercendus, quies adhibenda erit; tenebris somnoque, quandocumque volet, utendum; non nisi leni gestatione corpus agitandum, et pro genere mali subveniendum. Nam si venter fluit, aut si stomachus non continet, ubi febris decrevit, liberaliter oportet aquam tepidam potui dare, et vomere cogere; nisi aut fauces, aut praecordia, aut latus dolet, aut vetus morbus est. Si vero sudor exercet, duranda cutis est nitro, vel sale, quae cum oleo miscentur: ac si levius id vitium est, oleo corpus ungendum; si vehementius, rosa, vel melino, vel myrteo, cui vinum austerum sit adjectum. Quisquis autem fluore aeger est, quum venit in balneum, prius ungendus, deinde in solium demittendus est. Si in cute vitium est, frigida quoque, quam calida aqua melius utetur. Ubi ad cibum ventum est, dari debet is valens, frigidus, siccus, simplex, qui quam minime corrumpi possit, panis tostus, caro assa, vinum austerum, vel certe subausterum; si venter profluit, calidum; si sudores nocent, vomitusve sunt, frigidum.

Cap. VII (*). 1. Desiderat etiam propriam animadversionem in febribus pestilentiae casus. In hac minime utile est, aut fame, aut medicamentis uti, aut ducere alvum. Si vires sinunt, sanguinem mittere optimum est; praecipueque si (1) cum dolore febris est: si id parum tutum est, ubi febris levata est, vomitu pectus purgare. Sed in hoc maturius, quam in aliis morbis, ducere in balneum opus est; vinum calidum et meracius dare, et omnia glutinosa; inter quae carnem quoque

(1) Nam dolor ipse per se sanguinis detractionem requirit. Vide lib. 2, cap. 10. —

(*) Cap. VII. *Quomodo pestilentes febres curari debeant.*

generis ejusdem. Nam quo celerius ejusmodi tempestates corripiunt, eo maturius auxilia, etiam cum quadam temeritate, rapienda sunt. Quod si puer est, qui laborat, neque tantum robur ejus est, ut sanguis mitti possit, cucurbitulis ei utendum est; ducenda alvus vel aqua, vel ptisanae cremore; tum demum levibus cibis nutriendus. Et ex toto non sic pueri, ut viri, curari debent. Ergo, ut in alio quoque genere morborum, parcius in his agendum est: non facile sanguinem mittere, non facile ducere alvum, non cruciare vigilia, fameve, aut nimia siti, non vino curare. Vomitus post febrem eliciendus est; deinde dandus cibus ex levissimis; tum is dormiat; posteroque die, si febris manet, abstineat; tertio, ad similem cibum redeat. Dandaque opera est, quantum fieri potest, ut inter opportunam abstinentiam cibo opportuno, omissis ceteris, nutriatur.

2. Si vero ardens febris extorret, nulla medicamenti danda potio est; sed in ipsis accessionibus oleo et aqua refrigerandus est, quae miscenda manu sunt, donec albescant; eo conclavi tenendus, quo multum et purum aerem trahere possit; neque multis vestimentis strangulandus, sed admodum levibus tantum velandus est. Possunt etiam super stomachum imponi folia vitis in aqua frigida tincta. Ac ne siti quidem nimia vexandus est. Alendus maturius est, id est a die tertio; et ante cibum iisdem perungendus. Si pituita in stomacho coiit, inclinata jam accessione, vomere cogendus est; tum dandum frigidum olus, aut pomum ex iis, quae stomacho conveniunt. Si siccus manet stomachus, protinus vel ptisanae, vel alicae, vel oryzae cremor dandus est, cum quo recens adeps cocta sit. Quum vero in summo incremento morbus est, utique non ante quartum diem, magna siti antecedente, frigida aqua copiose praestanda est, ut bibat etiam ultra satietatem; et quum jam venter et praecordia ultra modum repleta, satisque refrigerata sunt, vomere debet. Quidam ne vomitum quidem exigunt; sed ipsa aqua frigida tantum, ad satietatem data, pro medicamento utuntur. Ubi utrumlibet factum est, multa veste operiendus est, et collocandus, ut dormiat. Fereque post longam sitim et vigiliam, post multam satietatem, post infractum calorem, plenus somnus venit, per quem ingens sudor effunditur; idque praesentissimum auxilium est: sed in iis tamen, in quibus praeter ardorem, nulli dolores, nullus praecordiorum tumor; nihil prohibens vel in thorace, vel in pulmone, vel in faucibus; non ulcus (2), non dejectio, *non profluvium alvi* fuit. Si quis autem in ejusmodi febre leviter tussit, is neque vehementi siti conflictatur, neque bibere aquam frigidam debet; sed eo modo curandus est, quo in ceteris febribus praecipitur.

(2) Mihi vox *defectio* videtur ex aliquo Codice addita, in quo mendose scripta erat pro *dejectio*: duas autem voces *profluvium alvi* margini adscriptas fuisse puto ad interpretandam vocem *dejectio*; postea in contextum traductas. Porro apud Celsum *dejectio* passim occurrit; *alvi profluvium* nusquam invenitur.

Cap. VIII (*). At ubi id genus tertianae est, quod ἡμιτριταῖον medici appellant, magna cura opus est, ne id fallat. Habet enim plerumque frequentes accessiones decessionesque, *ut aliud morbi genus videri possit*; porrigiturque febris inter horas viginti quatuor, et triginta sex; ut, quod idem est, non idem esse videatur. Et magnopere necessarinm est, neque dari cibnm, nisi in ea remissione, quae vera est; et ubi ea venit, protinus dari: plurimique sub alterutro curantis errore subito moriuntur. Ac, nisi magnopere aliqua res prohibet, inter initia sanguis mitti debet; tum dari cibus, qui neque incitet febrem, et tamen longum ejus spatium sustineat.

Cap. IX (**). Nonnumquam etiam lentae febres sine ulla remissione corpus tenent; ac neque cibo, neque ulli remedio locus est. In hoc casu medici cura esse debet, ut morbum mutet: fortasse enim curationi opportunior fiet. Saepe igitur ex aqua frigida, cni oleum sit adjectum, corpus ejus pertractandum est, qnoniam interdum sic evenit, ut horror oriatur, et fiat initium quoddam novi motus; exque eo, quum magis corpus incaluit, sequatur etiam remissio. In his frictio quoque ex oleo et sale salubris videtur. At si diu frigus est, et torpor, et jactatio corporis, non alienum est in ipsa febre dare mulsi tres aut quatnor cyathos, vel cum cibo vinnm bene dilutum. Intenditur enim saepe ex eo febris; et major ortus calor simul et priora mala tollit, et spem remissionis, inque ea curationis ostendit. Neque hercules ista curatio nova est (1), qua nunc quidam traditos sibi aegros, qui sub cautioribus medicis trahebantur, interdum contrariis remediis sanant. Siquidem apud antiquos quoque ante Herophilum et Erasistratum, maximeque post Hippocratem fuit Petro quidam, qui febricitantem hominem ubi acceperat, multis vestimentis operiebat, ut simul calorem ingentem, sitimque excitaret: deinde, ubi paulum remitti coeperat febris, aquam frigidam potui dabat; ac, si moverat sudorem, explicuisse se aegrum judicabat; si non moverat, plus etiam aquae frigidae ingerebat; et tum vomere cogebat. Si alterutro modo febre liberaverat, protinus suillam assam, et vinum homini dabat: si non liberaverat, decoquebat aquam sale adjecto, eamque bibere cogebat (2), nt movendo ventrem purgaret. Et intra haec omnis ejus medicina erat; eaque non minus grata fuit iis, quos Hippocratis successores non refecerant; quam nnnc est iis, quos Herophili vel Era-

(1) Antonium Musam indicare videtur, qui Augustum *contraria medicina periculo exemit*; ut tradit Plinius lib. 29. cap 1. sect. 5. et Svetonius in Augusto cap 81. *distillationibus, jocinere vitiato, ad desperationem redactus, contrariam, et ancipitem rationem medendi subiit: quia calida fomenta non proderant, frigidis curari coactus auctore Antonio Musa* (2) Tria remedia videtur tentasse Petro: primum sudoris, deinde vomitus, demum purgationis per ventrem, ope aquae salsae. Asclepiades quoque *aquam salsam purgationis causa bibere cogebat*, ut dicitur cap 24 hujus libri.

(*) Cap. VIII. *Curatio semitertianae febris.*
(**) Cap. IX. *Curatio lentarum febrium.*

sistrati aemuli din tractos non expedierunt. Neque ideo tamen non est temeraria ista medicina: quia plures, si protinus a principiis excepit, interimit. Sed quum eadem omnibus convenire non possint, fere quos ratio non restituit, temeritas adjuvat. Ideoque ejusmodi medici melius alienos aegros, quam suos nutriunt. Sed est circumspecti quoque hominis, et novare interdum, et augere morbum, et febres accendere; quia curationem, ubi id, quod est, non recipit, potest recipere id quod futurum est.

Cap. X (*). Considerandum etiam est, febres ne solae sint, an alia quoque his mala accedant; id est num caput doleat, num lingua aspera, num praecordia intenta sint. Si capitis dolores sunt, rosam cum aceto miscere oportet, et in id ingerere: deinde habere duo pitacia, quae frontis latitudinem longitudinemque aequent; ex his invicem alterum in aceto et rosa habere, alterum in fronte; aut intinctam iisdem lanam succidam imponere. Si acetum offendit, pura rosa utendum est; si rosa ipsa laedit, oleo acerbo. Si ista parum juvant, teri potest vel iris arida, vel nuces amarae, vel quaelibet herba ex refrigerantibus: quorum quidlibet ex aceto impositum, dolorem minuit; sed magis aliud in alio. Juvat etiam panis cum papavere injectus; vel cum rosa cerussa, spumave argenti. Olfacere quoque vel serpyllum, vel anethum, non alienum est. At si in praecordiis inflammatio et dolor est, primo superimponenda sunt cataplasmata reprimentia; ne, si calidiora fuerint, plus eo materiae concurrat: deinde, ubi prima inflammatio se remisit, tunc demum ad calida et humida veniendum est; ut ea, quae remanserint, discutiant. Notae vero inflammationis sunt quatuor, rubor et tumor, cum calore et dolore. Quo magis erravit Erasistratus, qui febrem nullam sine hac esse dixit. Ergo si sine inflammatione dolor est, nihil imponendum est: hunc enim statim ipsa febris solvet. At si neque inflammatio, neque febris, sed tantum praecordiorum dolor est, protinus calidis et siccis fomentis uti licet. Si vero lingua sicca et scabra est, detergenda primum penicillo est ex aqua calida: deinde ungenda mixtis inter se rosa et melle. Mel purgat, rosa reprimit, simulque siccescere non sinit. At si scabra non est, sed arida, ubi penicillo detersa est, ungi rosa debet, cui cerae paulum sit adjectum.

Cap. XI (**). Solet etiam ante febres esse frigus; idque vel molestissimum morbi genus est. Ubi id expectatur, omni potione prohibendus aeger est: haec enim paulo ante data multum malo adjicit. Item maturius veste multa tegendus est; admovenda partibus iis, pro quibus metuimus, sicca et calida fomenta sic, ne statim vehe-

(*) Cap. X. *Curatio symptomatum febrium.*
(**) Cap. XI. *Curatio frigoris quod febrem praecedit.*

mentissimi calores incipiant, sed paulatim increscant: perfricandae quoque eae partes manibus unctis ex vetere oleo sunt, eique adjiciendum aliquid ex calefacientibus; contentique medici quidam una frictione, etiam ex quolibet oleo, sunt. In harum febrium remissionibus nonnulli tres aut quatuor sorbitionis cyathos, etiamnum manente febre, dant: deinde, ea bene finita, reficiunt stomachum cibo frigido et levi. Ego tum hoc puto tentandum, quum parum cibus, semel et post febrem datus, prodest. Sed curiose prospiciendum est, ne tempus remissionis decipiat: saepe enim in hoc quoque genere valetudinis jam minui febris videtur, et rursus intenditur. Itaque ei remissioni credendum est, quae etiam immoratur, et jactationem (1), foetoremque quemdam oris, quem ὄζην Graeci vocant, minuit. Illud satis convenit, si quotidie pares accessiones sunt, quotidie *parvum* cibum dandum: si impares, post graviorem, cibum; post leviorem, aquam mulsam.

CAP. XII (*). Horror autem eas fere febres antecedit, quae certum habent circuitum, et ex toto remittuntur; ideoque tutissimae sunt, maximeque curationes admittunt. Nam ubi incerta tempora sunt, neque alvi ductio, neque balneum, neque vinum, neque medicamentum aliud recte datur. Incertum est enim quando febris ventura sit: ita fieri potest, ut, si subito venerit, summa in eo pernicies sit, quod auxilii causa sit inventum. Nihilque aliud fieri potest, quam ut primis diebus bene abstineatur aeger; deinde sub decessu febris ejus, quae gravissima est, cibum sumat. At ubi certus circuitus est, facilius omnia illa tentantur; quia magis proponere nobis et accessionum et decessionum vices possumus. In his autem, quum inveteraverunt, utilis fames non est: primis tantummodo diebus ea pugnandum est; deinde dividenda curatio est, et ante horror, tum febris discutienda. Igitur quum primum aliquis inhorruit, et ex horrore incaluit, dare ei oportet potui tepidam aquam subsalsam, et vomere eum cogere: nam fere talis horror ab iis oritur, quae biliosa in stomacho resederunt. Idem faciendum est, si proximo quoque circuitu aeque accessit: saepe enim sic discutitur. Jamque quod genus febris sit, scire licet. Itaque sub exspectatione proximae accessionis, quae instare tertia potest, deducendus in balneum est; dandaque opera, ut per tempus horroris in solio sit. Si ibi quoque senserit, nihilominus idem sub expectatione quartae accessionis faciat: siqui-

(1) Verba haec ab aliquo sciolo addita videntur. Mulierculae ajunt, ex pravo quodam odore quem aliquis ab ore efflat, se noscere hominem febricitare. Lindenius ita leg. *fervoremque corporis, quem ζέσιν Graeci vocant.* Ad hunc locum ita scribit Morgagnus: *Non displiceret haec lectio; si modo editiones veteres, codicesve eamdem haberent. Sed quotquot illarum apud me sunt, et codex quoque hic mire inter se consentiunt, in omnibusque sic legitur*, foetoremque quemdam oris, quem ὄζην Graeci vocant.

(*) CAP. XII *Curatio horroris in febribus.*

dem eo quoque modo saepe is discutitur. Si ne balneum quidem profuit, ante accessionem allium edat, aut bibat aquam calidam cum pipere: siquidem ea quoque assumta calorem movent, qui horrorem non admittit. Deinde eodem modo, quo in frigore praeceptum est, antequam inhorrescere possit, operiatur (1): fomentisque, sed protinus validioribus, totum corpus circumdare convenit, maximeque involutus exstinctis testis et titionibus. Si nihilominus horror (a) perruperit, multo oleo calefacto inter ipsa vestimenta perfundatur, cui aeque ex calefacientibus aliquid sit adjectum; adhibeaturque frictio, quantam is sustinere poterit, maximeque in manibus et cruribus; et spiritum ipse contineat. Neque desistendum est, etiamsi horror est: saepe enim pertinacia juvantis malum corporis vincit. Si quid evomuit, danda aqua tepida, iterumque vomere cogendus est; utendumque eisdem est, donec horror finiatur. Sed praeter haec ducenda alvus est, si tardius horror quiescit: siquidem id quoque exonerato corpore prodest. Ultimaque post haec auxilia sunt gestatio et frictio. Cibus autem in ejusmodi morbis maxime dandus est, qui mollem alvum praestet; caro glutinosa; vinum, quum dabitur, austerum.

Cap. XIII (*). Haec ad omnes circuitus febrium pertinent: discernendae tamen singulae sunt, sicut rationem habent dissimilem. Si quotidiana est, triduo primo magnopere abstinere oportet; tum cibis altero quoque die uti. Si res inveteraverit, post febrem experiri balneum et vinum; magisque si, horrore sublato, haec superest.

Cap. XIV (**). Si vero tertiana, quae ex toto intermittit, aut quartana est, mediis diebus et ambulationibus uti oportet, aliisque exercitationibus, et unctionibus. Quidam ex antiquis medicis Cleophantus, in hoc genere morborum, multo ante accessionem (1), per caput aegrum multa calida aqua perfundebat, deinde vinum dabat. Quod, quamvis pleraque ejus viri praecepta sequutus est Asclepiades, recte tamen praeteriit: est enim anceps. Ipse, si tertiana febris est, tertio die post accessionem dicit alvum duci oportere; quinto, post horrorem vomitum elicere; deinde post febrem, sicut illi mos erat, adhuc calidis dare cibum et vinum; sexto die in lectulo detineri: sic enim fore, ne septimo die febris accedat. Id saepe fieri posse verisimile

(1) Dicit *sed protinus*; quia capite antecedenti dixit *admovenda esse sicca et calida fomenta sic, ne statim vehementissimi calores incipiant*. (2) In qua persistendum: *saepe enim pertinacia juvantis malum corporis vincit*, ut modo dictum est

(1) Eadem forma utitur cap 20. hujus lib *corpus tribus aut quatuor amphoris*, aquae frigidae, *totum per caput perfundendum est*; et cap. 23. *per caput multa aqua frigida aeger perfundatur*.

(*) Cap. XIII. *Curatio quotidianae febris.*
(**) Cap. XIV. *Curatio tertianae febris.*
(a) Lupac. corr *proruperit*.

est. Tutius tamen est, ut hoc ipso ordine utamur tria remedia, vomitus, alvi ductionis, vini, per triduum, id est tertio die et quinto, et septimo tentare: nec vinum, nisi post accessionem diei septimi, bibat. Si vero primis diebus discussus morbus non est, inciditque in vetustatem, quo die febris exspectabitur, in lectulo se contineat; post febrem perfricetur; tum, cibo assumto, bibat aquam; postero die, *qui vacat* ab exercitatione unctioneque, aqua tantum contentus, conquiescat. Et id quidem optimum est. Si vero imbecillitas urgebit, et post febrem vinum, et medio die paulum cibi debebit assumere.

Cap. XV (*). Eadem in quartana facienda sunt. Sed quum haec tarde admodum finiatur, nisi primis diebus discussa est, diligentius ab initio praecipiendum est, quid in ea fieri debeat. Igitur si cui cum horrore febris accessit, eaque desiit, eodem die et postero tertioque continere se debet, et aquam tantummodo calidam primo die post febrem sumere; biduo proximo, quantum fieri potest, ne hanc quidem. Si quarto die cum horrore febris revertitur, vomere, sicut ante praeceptum est; deinde post febrem modicum cibum sumere, vini quadrantem; postero tertioque die abstinere, aqua tantummodo calida, si sitis est, assumta. Septimo die balneo frigus praevenire; si febris redierit, ducere alvum; ubi ex eo corpus conquieverit, in unctione vehementer perfricari; eodem modo sumere cibum et vinum; biduo proximo se abstinere, frictione servata. Decimo die rursus balneum experiri; et, si postea febris accessit, aeque perfricari, vinum copiosius bibere. Ac sic proximum est, ut quies tot dierum, et abstinentia cum ceteris, quae praecipiuntur, febrem tollant. Si vero nihilominus remanet, aliud ex toto sequendum est curationis genus; idque agendum, ut, quod diu sustinendum est, corpus facile sustineat. Quo minus etiam curatio probari Heraclis Tarentini debet, qui primis diebus ducendam alvum, deinde abstinendum in septimum diem dixit. Quod, ut sustinere aliquis possit, tamen, etiam febre liberatus, vix refectioni valebit: adeo, si febris saepius accesserit, concidet. Igitur si tertio decimo die morbus manebit, balneum neque ante febrem, neque post eam tentandum erit; nisi interdum jam horrore discusso: horror ipse per ea, quae supra scripta sunt, expugnandus. Deinde post febrem oportebit ungi, et vehementer perfricari; cibum et validum, et fortiter assumere; vino uti quanto libebit: postero die, quum satis quieverit, ambulare, exerceri, ungi (1), perfricari *fortiter*, cibum capere sine vino: tertio die abstinere. Quo die vero febrem ex-

(1) Celsus *vehementer perfricari* et paulo supra, et alibi dixit: *fortiter* nullibi. Itaque si hoc adverbium retineatur cum sequenti verbo *cibum* capere conjungendum erit, sicut supra. Mihi perperam inculcatum videtur.

(*) Cap. XV. *Curatio quartanae febris.*

spectabit, ante surgere, et exerceri, dareque operam, ut in ipsam exercitationem febris tempus incurrat: sic enim saepe illa discutitur. At si in opere occupavit, tum demum se recipere. In ejusmodi valetudine medicamenta sunt oleum, frictio, exercitatio, cibus, vinum. Si venter adstrictus est, solvendus est. Sed haec facile validiores faciunt: si imbecillitas occupavit, pro exercitatione gestatio est: si ne hanc quidem sustinet, adhibenda tamen frictio est: si haec quoque vehemens onerat, intra quietem et unctionem et cibum sistendum est: dandaque opera est, ne qua cruditas in quotidianam id malum vertat. Nam quartana neminem jugulat: sed si ex ea facta quotidiana est, in malis aeger est: quod tamen, nisi culpa vel aegri vel curantis, numquam fit.

Cap. XVI (*). At si duae quartanae sunt, neque eae, quas proposui, exercitationes adhiberi possunt; aut ex toto quiescere opus est, aut, si id difficile est, leniter ambulare; considere diligenter involutis pedibus et capite; quoties febris accessit et desiit, cibum modicum sumere, et vinum; reliquo tempore, nisi imbecillitas urget, abstinere. At si duae febres paene junguntur, post utramque cibum sumere: deinde vacuo tempore, et moveri aliquid, et post unctionem cibo uti. Quum vero vetus quartana raro, nisi vere, solvatur; utique eo tempore attendendum est, ne quid fiat, quod valetudinem impediat. Prodestque in vetere quartana mutare subinde victus genus; a vino ad aquam, ab aqua ad vinum, a lenibus cibis ad acres, ab acribus ad lenes transire; esse radicem, deinde vomere; jureve pulli gallinacei ventrem resolvere; oleo ad frictiones adjicere calefacientia; ante accessionem sorbere vel aceti cyathos duos, vel unum sinapis cum tribus graeci vini salsi, vel mixta paribus portionibus, et in aqua diluta, piper, castoreum, laser, myrrham. Per haec enim similiaeque corpus agitandum est, ut moveatur ex eo statu, quo detinetur. Si febris quievit, diu meminisse ejus diei convenit; eoque vitare frigus, calorem, cruditatem, lassitudinem. Facile enim revertitur, nisi a sano quoque aliquamdiu timetur.

Cap. XVII (**). At si ex quartana quotidiana facta est, quum id vitio inciderit, per biduum abstinere oportet, et frictione uti; aquam tantummodo vespere potui dare. Tertio die saepe fit, ne febris accedat: sed sive fuit, sive non fuit, cibus post accessionis tempus est dandus; ac si manet, per triduum abstinentia, quanta maxima imperari *corpori* potest, et frictione quotidie utendum est.

Cap. XVIII (***). Et febrium quidem curatio exposita est. Supersunt

(*) Cap. XVI. *Curatio duarum quartanarum.*
(**) Cap. XVII. *Curatio quotidianae febris, quae ex quartana facta sit.*
(***) Cap. XVIII. *De tribus insaniae generibus.*

vero alii corporis affectus, qui huic superveniunt; ex quibus eos (1), qui certis partibus assignari non possunt, protinus jungam. Incipiam ab insania, primamque hujus ipsius partem aggrediar, quae et acuta, et in febre est (2): φρένησιν Graeci appellant. Illud ante omnia scire oportet, interdum in accessione aegros desipere, et loqui aliena. Quod non quidem leve est; neque incidere potest, nisi in febre vehementi: non tamen aeque pestiferum est: nam plerumque breve esse consuevit, levatoque accessionis impetu, protinus mens redit. Neque id genus morbi remedium aliud desiderat, quam quod in curanda febre praeceptum est. Phrenesis vero tum demum est, quum continua dementia esse incipit; aut quum aeger, quamvis adhuc sapiat, tamen quasdam vanas imagines accipit: perfecta est, ubi mens illis imaginibus addicta est. Ejus autem plura genera sunt: siquidem (3) ex phreneticis alii hilares, alii tristes sunt; alii facilius continentur, et intra verba desipiunt, alii consurgunt, et violenter quaedam manu faciunt; atque ex his ipsis alii nihil nisi impetu peccant, alii etiam artes adhibent, summamque speciem sanitatis in captandis malorum operum occasionibus praebent; sed exitu deprehenduntur. Ex his autem eos, qui intra verba desipiunt, aut leviter etiam manu peccant, onerare asperioribus coercitionibus supervacuum est: eos vero qui violentius se gerunt, vincire convenit (4); ne vel sibi vel alteri noceant. Neque credendum est, si vinctus aliquis, dum levari vinculis cupit, quamvis prudenter et miserabiliter loquitur; quoniam is dolus insanientis est. Fere vero antiqui tales aegros in tenebris habebant; eo quod illis contrarium esset exterreri, et ad quietem animi tenebras ipsas conferre aliquid judicabant. At Asclepiades, tamquam tenebris ipsis terrentibus, in lumine habendos eos dixit. Neutrum autem perpetuum est: alium enim lux, alium tenebrae magis

(1) Lindenius legit *qui certis partibus assignari possunt*. Constantinus noverat insaniam, lethargum, paralysin, comitialem, regium, aliosque morbos, de quibus agitur in reliqua hujus libri parte, certis sedibus assignari posse. sed animum non advertit ad ea quae habentur initio sequentis lib. 4. *Hactenus reperiuntur ea genera morborum quae in totis corporibus ita sunt, ut iis certae sedes assignari non possint*. Morgagnus autem monet *spectandum esse, non quid aliis, et his nostris potissimum, sed quid Celsi, aliorumque latinorum Scriptorum temporibus apud ipsos in usu esset... et Serenum Sammonicum lethargi, et comitialis, ac regii morbi, et ceterorum qui sunt supra nominati, curationes seorsum, extraque aliorum qui ceteris partibus assignantur, ordinem proposuisse* Sed ante Sammonicum, et Valerianum Plinius Major idem fecit quod Celsus. Nam lib. 26. cap. 10. postquam anginam, tussim, pleuritidem, peripneumoniam, stomachi, jecoris, vesicae vitia, eorumque remedia recensuerat, cap. 11. sect. 67. ejusdem lib ita scripsit: *Nunc peractis malis quae membratim sentiuntur, dicemus de his quae totis corporibus grassantur* In his autem numeravit insaniam, morbum comitialem, regium, phthisin. (2) A Latinis phrenesin nominari video. Seneca lib. 1. de Ira cap 13 *isto modo dic. et phrenesin, et insaniam viribus necessariam, quia saepe validiores facit*. Plinius lib. 24. cap 9. sect. 38. *in lethargia et phrenesi*. (3) Phrenotici dicuntur etiam a Cicerone in lib 1. de Divin. cap. 38. a Seneca in lib. 3. de Ira cap. 26. et in lib de Constant. cap 13 et in Epist. 15. Lambinus quidem in citato Ciceronis loco pro *phreneticis* margini adscripsit *phreniticis*; sed nullius codicis auctoritale allata. (4) Id olim M. Aurelii, et Commodi decreto cautum fuit. Vide

turbant; reperiunturque, in quibus nullum discrimen deprehendi vel hoc, vel illo modo possit. Optimum itaque est utrumque experiri; et habere eum, qui tenebras horret, in luce; eum, qui lucem, in tenebris. At ubi nullum tale discrimen est, aeger, si vires habet, loco lucido; si non habet, obscuro continendus est. Remedia vero adhibere, ubi maxime furor urget, supervacuum est: simul enim febris quoque increscit. Itaque tum nihil nisi continendus aeger est: ubi vero res patitur, festinanter subveniendum est. Asclepiades perinde esse dixit, his sanguinem mitti, ac si trucidentur: rationem hanc sequutus, quod neque insania esset, nisi febre intenta; neque sanguis, nisi in remissione ejus, recte mitteretur. Sed ipse in his somnum multa frictione quaesivit; quum et intentio febris somnum impediat, et frictio non nisi in remissione ejus utilis sit. Itaque hoc quoque auxilium debuit praeterire. Quid igitur est? Multa in praecipiti periculo recte fiunt, alias omittenda. Et continuata quoque febris habet tempora, quibus, etsi non remittit, non tamen crescit: estque hoc, ut non optimum, sic tamen secundum remediis tempus. Quod si vires aegri patiuntur, sanguis quoque mitti debet. Minus deliberari potest, an alvus ducenda sit. Tum, interposito die, convenit caput ad cutem tondere; deinde aqua fovere, in qua verbenae aliquae decoctae sint ex reprimentibus; aut prius fovere, deinde tondere, et iterum fovere; ac novissime rosa caput naresque implere; offerre etiam naribus rutam ex aceto contritam (5); movere sternutamenta medicamentis in id efficacibus. Quae tamen facienda sunt in iis, quibus vires non desunt. Si vero imbecillitas est, rosa tantum caput, adjecto serpyllo, similive aliquo, madefaciendum est. Utiles etiam in quibuscumque viribus herbae duae sunt, solanum et muralis, si simul ex utraque succo expresso caput impletur. Quum febris remisit, frictione utendum est; parcius tamen in iis, qui nimis hilares, quam in iis, qui nimis tristes sunt. Adversus omnium autem sic insanientium animos gerere se pro cujusque natura necessarium est. Quorumdam enim vani metus levandi sunt; sicut in homine praedivite famem timente incidit, cui subinde falsae haereditates nuntiabantur: quorumdam audacia coercenda est; sicut in iis fit, in quibus continendis plagae quoque adhibentur: quorumdam etiam intempestivus risus et objurgatione et minis finiendus: quorumdam discutiendae tristes cogitationes; ad quod symphoniae, et cymbala, strepitusque proficiunt. Saepius tamen assentiendum, quam repugnandum est; paulatimque, et non evidenter, ab iis, quae stulte dicentur, ad meliora mens adducenda. Interdum etiam elicienda ipsius intentio; ut fit in hominibus studiosis litterarum, quibus liber legi-

lib. 1. Digest. Vet. de Offic. Praesid. Tit. 14. (5) Hac constructione alii quoque probati Auctores usi sunt. Varro lib. 3. cap. 1. R. R. *in hoc ad te mitto, quod* etc. Cicero lib. 2. de Invent. cap. 34. *in id quoque praecepta trademus*; Paterculus lib. 2. *C. Marius dispositis in id ipsum interemptus est*; Columella lib. 7. cap. 8. *cratibus*

tur, aut recte, si delectantur, aut perperam, si id ipsum eos offendit: emendando enim (6) convertere animum incipiunt. Quin etiam recitare, si qua meminerunt, cogendi sunt. Ad cibum quoque quosdam non desiderantes reduxerunt ii, qui inter epulantes eos collocarunt. Omnibus vero sic affectis somnus et difficilis, et praecipue necessarius est: sub hoc enim plerique sanescunt. Prodest ad id, atque etiam ad mentem ipsam componendam, crocinum unguentum cum irino in caput datum. Si nihilominus vigilant, quidam somnum moliuntur potui dando aquam, in qua papaver, aut hyoscyamum decoctum sit: alii mandragorae (*a*) mala pulvino subjiciunt: alii vel amomum, vel sycamini lacrimam fronti inducunt. Hoc nomen apud Medicos reperio: sed quum Graeci morum συκάμινον appellent, mori nulla lacrima est. Sic vero significatur lacrima arboris in Aegypto nascentis, quam ibi μωροσύκον appellant. Plurimi, decoctis papaveris corticibus, ex ea aqua spongia os et caput subinde fovent. Asclepiades ea supervacua esse dixit; quoniam in lethargum saepe converterent. Praecepit autem, ut primo die a cibo, potione, somno abstineretur; vespere ei daretur potui aqua; tum frictio admoveretur lenis, ut ne manum quidem, qui perfricaret, vehementer imprimeret; postero deinde die, iisdem omnibus factis, vespere ei daretur sorbitio et aqua, rursusque frictio adhiberetur: per hanc enim nos consequuturos, ut somnus accedat. Id interdum fit, et quidem adeo, ut, illo confitente, nimia frictio etiam lethargi periculum afferat. Sed si sic somnus non accessit, tum demum illis medicamentis arcessendus est: habita scilicet eadem moderatione, quae hic quoque necessaria est, ne quem obdormire volumus, excitare postea non possimus. Confert etiam aliquid ad somnum (7) silanus juxta cadens; vel gestatio post cibum, et noctu maximeque suspensi lecti motus. Neque alienum

(*a*) Atropa Mandragora




in id factis. (6) Caelius Aurelianus lib. 1. Morb. Chron. cap. 5. *Litteralis etiam lectio adhibenda est, quae sit aliqua falsitate culpata; quo interius mentem exerceant aegrotantes.* (7) Tubus, ex quo cadens aqua levem susurrum edit. Contendunt autem Critici vocem hanc ortam esse ex arabica *silan*, quae fluxum aquae significat. Sed verisimilius est vocem *silanus* ortam esse ex graeca σωλήν, χυλῶς. Quidam, ut notat Victorius ad epist. 9. lib. 3. M. Ciceronis ad Q. fratrem, *in candidissimo auctore Celso, contra veterum codicum auctoritatem*, solenos *graecam vocem pro* silanus *perperam reponere conati sunt*. Caesarius haec margini adscripsit: « *Erat quando hic saliens rivus legendum putaram; ac sane ita loco* silanus saliens rivus *substituissem, nisi forte fortuna incidissem in Sext. Pompejum lib.* 18. *ubi ita legitur*; Tullios alii dixere Silanos. *Quem locum ex Sexto repetit et Georgius Valla; et Silanum pro rivo exponit* ». Retinuit igitur *silanus*: et quidem recte. Sic Lucretius lib. 6. de R. N. *Corpora silanos ad aquarum strata jacebant Interclusa anima nim a ab dulcedine aquai.* Ruellius leg. *saliens juxta cadens*. Vide quae ad hunc locum scripsit Morgagnus in Epist. 1. Quod ad rem attinet, simile remedium proponit Coelius Aurelianus l. 1. cap. 5. Morb. Chron. de mania: *Adhibenda etiam aquae de-*

est, si neque sanguis ante missus est, neque mens constat, neque somnus accedit, occipitio inciso cucurbitulam admovere; quae, quia levat morbum, potest etiam somnum facere. Moderatio autem in cibo quoque adhibenda est: nam neque implendus aeger est, ne insaniat; neque jejunio utique vexandus, ne imbecillitate in cardiacum incidat. Opus est cibo infirmo, maximeque sorbitione, potione aquae mulsae, cujus ternos cyathos bis hieme, quater aestate dedisse satis est.

Alterum insaniae genus est, quod spatium longius recipit; quia fere sine febre incipit, leves deinde febriculas excitat. Consistit in tristitia, quam videtur bilis atra contrahere. In hac utilis detractio sanguinis est: si quid hanc prohibet, prima est abstinentia; secunda per album veratrum vomitumque purgatio. Post utrumlibet adhibenda bis die frictio est; si magis valet, frequens etiam exercitatio; in jejuno vomitus: cibus, sine vino, dandus ex media materia est. Quam quoties posuero, scire licebit etiam ex infirmissima dari posse; dum ne ea sola quis utatur: valentissima tantummodo esse removenda. Praeter haec servanda alvus est quam tenerrima; removendi terrores, et potius bona spes afferenda; quaerenda delectatio ex fabulis, ludisque, quibus maxime capi sanus assueverat; laudanda, si qua sunt, ipsius opera, et ante oculos ejus ponenda; leviter objurganda vana tristitia; subinde admonendus, in iis ipsis rebus, quae sollicitant, cur potius laetitiae, quam sollicitudinis causa sit. Si febris quoque accessit, sicut aliae febres, curanda est.

(8) Tertium genus insaniae est, ex his longissimum; adeo ut vitam ipsam non impediat: quod robusti corporis esse consuevit. Hujus autem ipsius species duae sunt. Nam quidam imaginibus, non mente falluntur; (9) quales insanientem Ajacem vel Orestem percepisse poetae ferunt: quidam animo desipiunt. Si imagines fallunt, ante omnia videndum est, tristes, an hilares sint. In tristitia nigrum veratrum (*a*) dejectionis causa; in hilaritate, album (*b*), ad vomitum

(a) Veratrum nigrum (b) Veratrum album



stillatio crebra, cujus sonitu saepe aegrotantes inducti somnum capiunt. (8) A Graecis μανία vocatur. Cicero lib. 3. Tuscul. Quaest. cap. 5. ita scribit: *Graeci autem μανίαν unde appellant, non facile dixerim. Eam tamen ipsam distinguimus nos melius, quam illi. Hanc enim insaniam, quae juncta stultitiae patet latius, a furore disjungimus. Graeci volunt illi quidem sed parum valent verbo: quem nos furorem: μελαγχολίαν illi vocant.* Non est ita: quem Latini furorem, Graeci μανίαν vocant, quam illi atram bilem, vel atrae bilis morbum, hi μελαγχολίαν appellant. (9) Cicero l. c. *Athamantem, Alcmaeo-*

excitandum dari debet: idque, si in potione non accipit, pani adjiciendum est, quo facilius fallat. Nam si bene se purgaverit, ex magna parte morbum levabit. Ergo etiam si semel datum veratrum parum profecerit, interposito tempore iterum dari debet. Neque ignorare oportet, leviorem esse morbum cum risu, quam serio insanientium. Illud quoque perpetuum est in omnibus morbis; ubi ab inferiore parte purgandus aliquis est, ventrem ejus ante solvendum esse; ubi a superiore, comprimendum. Si vero consilium insanientem fallit, tormentis quibusdam optime curatur. Ubi perperam aliquid dixit, aut fecit, fame, vinculis, plagis coercendus est. Cogendus est et attendere, et ediscere aliquid, et meminisse: sic enim fiet, ut paulatim metu cogatur considerare, quid faciat. Subito etiam terreri, et expavescere, in hoc morbo prodest; et fere quidquid animum vehementer perturbat. Potest enim quaedam fieri mutatio, quum ab eo statu mens, in quo fuerat, abducta est. Interest etiam, is ipse sine causa subinde rideat, an moestus demissusque sit: nam (10) demens hilaritas terroribus iis, de quibus supra dixi, melius curatur: si nimia tristitia est, prodest lenis, sed multa bis die frictio; item per caput aqua frigida infusa, demissumque corpus in aquam et oleum. Illa communia sunt: insanientes vehementer exerceri debere; multa frictione uti; neque pinguem carnem, neque vinum assumere; cibis uti post purgationem, ex media materia, quam levissimis; non oportere esse vel solos, vel inter ignotos, vel inter eos, quos aut contemnant, aut negligant; mutare debere regiones, et, si mens redit, annua peregrinatione esse jactandos.

Raro, sed aliquando tamen, ex metu delirium nascitur. Quod genus insanientium specie simile, simili que victus genere curandum est: praeterquam quod in hoc insaniae genere solo recte vinum datur.

CAP. XIX (*). His morbis praecipue contrarium est id genus, quod καρδιακὸν a Graecis nominatur; quamvis saepe ad eum phrenetici transeunt: siquidem mens in illis labat, in hoc constat. Id autem nihil aliud est, quam nimia imbecillitas corporis, quod stomacho languente, immodico sudore digeritur. Licetque protinus scire id esse, ubi venarum exigui imbecillique pulsus sunt; sudor autem supra consuetudinem, et modo, et tempore, ex toto thorace et cervicibus, atque etiam capite prorumpit, pedibus tantummodo et cruribus siccioribus atque frigentibus. Acutique id morbi genus est. Curatio prima est, supra prae-

nem, Ajacem furere dicimus. Virgilius Aeneid 1. v. 45. *furias Ajacis Oilei.* — (10) Ita apud Ciceronem lib. 3. de Offic. cap 18. *stulta calliditas*; apud Nepotem in Pausania cap. 3. *demens ratio*; apud Livium lib. 4. cap. 8. *demens imperium*; apud Propertium lib. 1. eleg. 23. v. 20. *demens furor*; apud Phaedrum lib. 2. Fab. 5. *stulta credulitas.*

(*) CAP. XIX *De cardiacis.*

cordia imponere, quae reprimant, cataplasmata: secunda, sudorem prohibere. Id praestat acerbum oleum, vel rosa, vel melinum, aut myrteum: quorum aliquo corpus leniter perungendum, ceratumque ex aliquo horum tum imponendum est. Si sudor vincit, delinendus homo est vel gypso, vel argenti spuma, vel cimolia creta, vel etiam subinde horum pulvere respergendus. Idem praestat pulvis ex contritis aridis myrti vel rubi foliis, aut ex austeri et boni vini arida faece: pluraque similia sunt, quae si desunt, satis utilis est quilibet ex via pulvis injectus. Super haec vero, quo minus corpus insudet, levi veste debet esse contectus, loco non calido, fenestris patentibus sic, ut perflatus quoque aliquis accedat. Tertium auxilium est, imbecillitati jacentis cibo vinoque succurrere. Cibus non multus quidem, sed saepe tamen nocte ac die dandus est, ut nutriat, neque oneret. Is esse debet ex infirmissima materia, et stomacho aptus. Nisi si necesse est, ad vinum festinare non oportet: si verendum est, ne deficiat, tum et intrita ex hoc, et hoc ipsum austerum quidem, sed tamen tenue, meraculum, egelidum subinde et liberaliter dandum est; adjecta polenta, si modo is aeger parum cibi assumit: idque vinum esse debet, neque nullarum virium, neque ingentium; recteque tota die ac nocte, vel tres heminas aeger bibet; si vastius corpus est, plus etiam. Si cibum non accipit, perunctum ante perfundere aqua frigida convenit, et tum dare. Quod si stomachus resolutus parum continet, et ante cibum, et post eum sponte vomere oportet; rursusque post vomitum cibum sumere. Si ne id quidem manserit, sorbere vini cyathum, interpositaque hora, sumere alterum. Si id quoque stomachus reddiderit, totum corpus bulbis contritis superillinendum est; qui, ubi inaruerunt, efficiunt, ut vinum in stomacho contineatur, exque eo toti corpori calor, venisque vis redeat. Ultimum auxilium est (1), in alvum ptisanae vel alicae cremorem ex inferioribus partibus indere: siquidem id quoque vires tuetur. Neque alienum est, naribus quoque aestuantis admovere, quod reficiat; id est rosam et vinum: et si qua in extremis partibus frigent, unctis et calidis manibus fovere. Per quae si consequi potuimus, ut et sudoris impetus minuatur, et vita prorogetur, incipit jam tempus ipsum esse praesidio. Ubi esse in tuto videtur, verendum tamen est, ne in eamdem imbecillitatem cito recidat: itaque, vino tantummodo remoto, quotidie validiorem cibum debet assumere, donec satis virium corpori redeat.

CAP. XX (*). Alter quoque morbus est, aliter phrenetico contrarius. In eo difficilior somnus, promta ad omnem audaciam mens

(1) Morgagnus animadvertit *Celsum primum fortasse ex omnibus quos nunc de re*

(*) CAP. XX. *De Lethargicis.*

est in hoc marcor, et inexpugnabilis paene dormiendi necessitas. λήθαργον Graeci nominarunt. Atque id quoque genus acutum est, et nisi succurritur, celeriter jugulat. Hos aegros quidam subinde excitare nituntur, admotis iis, per quae sternutamenta evocantur, et iis quae odore foedo movent; qualis est pix cruda, lana succida, piper, veratrum, castoreum, acetum, allium, cepa. Juxta etiam galbanum incendunt, aut pilos, aut cornu cervinum; si id non est, quodlibet aliud. *Haec enim quum comburuntur, odorem foedum movent.* Tharrias vero quidam, accessionis id malum esse dixit, levarique quum ea decessit: itaque eos, qui subinde (a) excitant, sine usu male habere. Interest autem. in decessione expergiscatur aeger, an quum febris non levetur, aut levata quoque ea somnus urgeat. Nam si expergiscitur, adhibere ei, ut sopito, supervacuum est: neque enim vigilando melior fit; sed per se, si melior est, vigilat. Si vero continens ei somnus est, utique excitandus est; sed iis temporibus, quibus febris levissima est, ut et excernat aliquid, et sumat. Excitat autem validissime repente aqua frigida infusa. Post remissionem itaque, perunctum oleo multo corpus, tribus aut quatuor amphoris totum per caput perfundendum est. Sed hoc utemur, si aequalis aegro spiritus erit, si mollia praecordia: sin aliter haec erunt, ea potiora, quae supra comprehensa sunt. Et, quod ad somnum quidem pertinet, commodissima haec ratio est. Medendi autem causa, caput radendum (1); deinde posca fovendum est, in qua laurus, aut ruta decocta sit: altero die imponendum castoreum, aut ruta ex aceto contrita, aut lauri baccae, aut hedera cum rosa et aceto. Praecipueque proficit, et ad excitandum hominem, naribus admotum, et ad morbum ipsum depellendum, capiti frontive impositum sinapi. Gestatio etiam in hoc morbo prodest; maximeque opportune cibus datus, id est in remissione, quanta maxima inveniri poterit. Aptissima autem sorbitio est, donec morbus decrescere incipiat: sic, ut si quotidie gravis accessio est, haec quotidie detur; si alternis, post graviorem sorbitio, post leviorem mulsa aqua. Vinum quoque cum tempestivo cibo datum non mediocriter adjuvat. Quod si post longas febres ejusmodi torpor accessit, cetera eadem servanda sunt: ante accessionem autem, tribus quatuorve horis, castoreum, si venter adstrictus est, mixtum cum scammonia; si non est, per se ipsum cum aqua dandum est. Si praecordia mollia sunt, cibis utendum est plenioribus; si du-

medica habemus, Scriptoribus, nutrientium, ut vocant, Clysterum usum et opportunitatem litteris mandavisse.

(1) Etiam Heraclides Tarentinus ad id ipsum posca utebatur Caelius Aurelianus lib. 2 de Morb. Acut cap. 9 ita scribit: *Heraclides caput posca fovet, in qua laurus fuerit decocta, et ruta; rasis quoque capillis ungit castoreo* etc.

(a) ε Lupac. corr *excitantur.*

ra, in iisdem sorbitionibus subsistendum; imponendumque praecordiis, quod simul et reprimat, et emolliat.

Cap. XXI. (*). Sed hic quidem acutus est morbus. Longus vero fieri potest eorum, quos aqua inter cutem male habet; nisi primis diebus discussus est: ὕδρωπα Graeci vocant. Atque ejus tres species sunt. Nam modo, ventre vehementer intento, creber intus ex motu spiritus sonus est: modo corpus inaequale est, tumoribus aliter aliterque per totum id orientibus: modo intus in uterum aqua contrahitur, et moto corpore ita movetur, ut impetus ejus conspici possit. Primum τυμπανίτην; secundum λευκοφλεγματίαν, vel ὑποσάρκα; tertium ἀσκίτην Graeci nominarunt. Communis tamen omnium est humoris nimia abundantia; ob quam ne ulcera quidem in his aegris facile sanescunt. Saepe vero hoc malum per se incipit; saepe alteri vetusto morbo, maximeque quartanae, supervenit. Facilius in servis, quam in liberis tollitur: quia, quum desideret famem, sitim, mille alia taedia, longamque patientiam, promtius iis succurritur, qui facile coguntur, quam quibus inutilis libertas est. Sed ne ii quidem, qui sub alio sunt, si ex toto sibi temperare non possunt, ad salutem perducuntur. Ideoque non ignobilis medicus, Chrysippi discipulus, apud Antigonum regem, amicum quemdam ejus, notae intemperantiae, mediocriter eo morbo implicitum, negavit posse sanari. Quumque alter medicus Epirotes Philippus se sanaturum polliceretur; respondit, illum ad morbum aegri respicere; se, ad animum. Neque eum res fefellit. Ille enim quum summa diligentia non medici tantummodo, sed etiam regis custodiretur, tamen malagmata sua devorando, bibendoque suam urinam, in exitium se praecipitavit. Inter initia tamen non difficilis curatio est, si imperata sunt *corpori* quies, sitis, inedia; at si malum inveteravit, non nisi magna mole discutitur. Metrodorum tamen, Epicuri discipulum, ferunt, quum hoc morbo tentaretur, nec aequo animo necessariam sitim sustineret, ubi diu abstinuerat, bibere solitum, deinde evomere. Quod si redditur quidquid receptum est, multum taedio demit; si a stomacho retentum est, morbum auget: ideoque in quolibet tentandum non est. Sed si febris quoque est, haec in primis submovenda est per eas rationes, per quas huic succurri posse propositum est: si sine febre aeger est, tum demum ad ea veniendum est, quae ipsi morbo mederi solent. Atque hic quoque quaecumque species est, si nondum nimis occupavit, iisdem auxiliis opus est: multum ambulandum, currendum aliquid est; superiores maxime partes sic perfricandae, ut spiritum ipse contineat; evocandus est sudor, non per exercitationem tantum, sed etiam in arena calida, vel laconico, vel clibano, similibusque aliis; maximeque utiles naturales et siccae sudationes sunt, *quales super*

(*, Cap. XXI. *De hydropicis.*

Bajas in myrtetis habemus. Balneum, atque omnis humor alienus est. Jejuno recte catapotia dantur, facta ex absinthii duabus, myrrhae tertia parte. Cibus esse debet ex media quidem materia, sed tamen generis durioris: potio non ultra danda est, quam ut vitam sustineat; optimaque est, quae urinam movet. Sed id ipsum tamen moliri cibo, quam medicamento melius est. Si tamen res coget, ex iisdem aliquid, quae id praestant, erit decoquendum, eaque aqua potui danda. Videntur autem hanc facultatem habere iris, nardum, (*a*) crocum, cinnamum (1), amomum, casia, myrrha, (*b*) balsamum, galbanum, ladanum, (*c*) oenanthe, panaces, cardamomum, hebenus, cupressi semen (2), uva taminia, quam σταφίδα ἀγρίαν Graeci nominant, abrotonum, rosae folia, acorum, amarae nuces, tragoriganum, styrax, costum, junci quadrati et rotundi semen; illum κύπειρον, hunc σχοῖνον Graeci vocant: quae quoties posuero, non quae hic nascuntur, sed quae inter aromata afferuntur, significabo. Primo tamen, quae levissima ex his sunt, id est rosae folia, vel nardi spica, tentanda sunt. Vinum quoque utile est austerum, sed quam tenuissimum. Commodum est etiam, lino quotidie ventrem metiri, et, qua comprehendit alvum, notam imponere; posteroque die videre, plenius corpus sit, an extenuetur: id enim, quod extenuatur, medicinam sentit. Neque alienum est metiri et potionem ejus, et urinam: nam si plus humoris excernitur, quam assumitur, ita demum secundae valetudinis spes est. Asclepiades in eo, qui ex quartana in hydropa deciderat, se abstinen-

(1) Amomo urinam moveri tradit etiam Galenus lib. 6. cap. 1. de S. M. F. (2) Archigenes quoque uvam taminiam σταφίδα-ἀγρίαν nominat; ut colligitur ex iis quae tradit Galenus lib. 1. cap. 7. de C. M. S L. Plinius lib. 23. cap. 1. sect. 13. ita scribit: *Astaphis agria, sive staphis, quam uvam taminiam aliqui vocant falso; suum enim genus habet*; et sect. 14 ejusdem cap. *Labrusca quoque oenanthen fert .... hanc potius crediderim esse, quam vulgus uvam taminiam vocat.*

(*a*) Crocus sativus



(*b*) Amyris Opobalsamum



(*c*) Oenanthe crocata




tia bidui, et frictione usum; tertio die, jam et febre et aqua liberato, cibum et vinum dedisse, memoriae prodidit.

Hactenus communiter de omni specie praecipi potest: si vehementius malum est, diducenda ratio curandi est. Ergo si inflatio, et ex ea dolor creber est, utilis quotidianus, aut altero quoque die post cibum, vomitus est: fomentis siccis calidisque utendum est. Si per haec dolor non finitur, necessariae sunt sine ferro cucurbitulae; si ne per has quidem tormentum tollitur, incidenda cutis est, et tum his utendum. Ultimum auxilium est, si cucurbitulae nihil profuerunt, per alvum infundere copiosam aquam calidam, eamque recipere. Quin etiam quotidie ter quaterve opus est uti frictione vehementi, cum oleo et quibusdam calefacientibus: sed in hac frictione a ventre abstinendum est. Imponendum vero in eum crebrius sinapi, donec cutem erodat (3); ferramentisque candentibus (*a*) pluribus locis venter exulcerandus est, et servanda ulcera diutius. Utiliter etiam scilla (*b*) cocta delingitur. Sed diu post has inflationes abstinendum est ab omnibus inflantibus.

At si id vitium est, cui λευκοφλεγματία nomen est, eas partes, quae tument, subjicere soli oportet; sed non nimium, ne febriculam accendat: si is vehementior est, caput velandum est: utendumque frictione, madefactis tantum manibus aqua, cui sal et nitrum et olei paulum sit adjectum; sic, ut aut pueriles aut muliebres manus adhibeantur, quo mollior earum tactus sit: idque, si vires patiuntur, ante meridiem tota hora, post meridiem semihora fieri oportet. Utilia etiam sunt cataplasmata, quae reprimunt; maximeque si corpora teneriora sunt. Incidendum quoque est super talum, quatuor fere digitis, ex parte interiore (4), qua per aliquot dies frequens humor feratur; atque ipsos tumores incidere altis plagis oportet: concutiendumque multa gestatione corpus est: atque, ubi inductae vulneribus cicatrices sunt, adjiciendum et exercitationibus est, et cibis, donec corpus ad pristinum habitum revertatur. Cibus valens esse debet, et glutinosus, maximeque caro: vinum, si per stomachum licet, dulcius; sed ita,

(3) Paulus Aegineta lib. 3 cap. 5o, super stomachum, jecur, lienem, umbilicum, et fimam abdominis partem exulcerari jubet. (4 Caelius Aurelianus lib 3. Morb. Chron. cap. 8. *Laudat etiam Asclepiades punctionem, quatuor digitis a talo distantem faciendam superius ab interiore parte, sicut in phlebotomia ut per eamdem punctionem humore effuso, corpo-*

(*b*) 1. 2. 3. Ferramenta candentia ex fossa Pompejano, servata in R. Musaeo Neapolitano, et a B. Vulpes descripta — 4. 5. 6. Alia ferramenta candentia ex oper. A. Parei. Vid. *Farmacopea Celsiana* in II vol.





(*b*) Scilla maritima

ut invicem biduo triduove, modo aqua, modo id bibatnr. Prodest etiam lactucae marinae (5), *quae grandis juxta mare nascitur*, semen cum aqua potni datum. Si valens est, qui id accipit, et scilla cocta, sicut supra dixi, delingitur. Auctoresque multi sunt (6), inflatis vesicis pulsandos tumores esse.

Si vero id morbi genus est, quo in uterum multa aqua contrahitur, ambulare, sed magis modice oportet; malagma, quod digerat, impositum habere; idque ipsum superimposito triplici panno, fascia, non nimium tamen vehementer adstringere: quod a Tharria profectum, servatum esse a pluribus video. Si jecur, aut lienem affectum esse manifestum est, ficum pinguem contusam, adjecto melle, superponere. Si per talia auxilia venter non siccatur, sed humor nihilo minus abundat, celeriori via succurrere, nt is per ventrem ipsum emittatur. Neque ignoro Erasistrato displicuisse hanc curandi viam: morbum enim hunc jecinoris putavit: ita illud esse sanandum; frustraque aquam emitti, quae, vitiato illo, subinde nascatur. Sed primum non hujus visceris unius hoc vitium est: nam et liene affecto, et in totius corporis malo habitu fit. Deinde, ut inde coeperit, tamen aqua nisi emittitur, quae contra naturam ibi substitit, et jecinori et ceteris interioribus partibus nocet. Convenitque corpus nihilo minus esse curandum. Neque enim sanat emissus humor, sed medicinae locum facit, quam intus inclusus impedit. Ac ne illud quidem in controversiam venit, quin non omnes in hoc morbo sic curari possint; sed juvenes robusti, qui vel ex toto carent febre, vel certe satis liberales intermissiones habent. Nam quorum stomachus corruptus est, quive ex atra bile huc deciderunt, quive malum corporis habitum habent, idonei huic curationi non sunt. Cibus autem, quo die primum humor emissus est, supervacuus est, nisi si vires desunt: insequentibus diebus, et is, et vinnm meracius quidem, sed non ita multum dari debet, paulatimque evocandus aeger est ad exercitationes, frictiones, solem, sudationes (7), navigationes, et idoneos cibos, donec ex toto convalescat. Balneum rarum res amat; freqnentiorem in jejuno vomitum. Si aestas est, in mari natare commodum est. Ubi convaluit aliquis, diu tamen alienus ei veneris usus est.

ra extenuentur. (5) Suntne Celsi verba haec? et si sunt Celsi, est ne ejus etiam antecedens verbum *marinae*? nam aut illud, aut hoc supervacuum videtur. Lib. 2. cap. 12. sect. 1. ita scripsit: *lactucae marinae lac, cujus gutta pani adjecta abunde purgat.* Plinius lib. 26. cap. 8. sect. 39. *Tithymalum nostri herbam lactariam vocant, alii lactucam caprinam.... Genera ejus multa. Primum cognominatur characias... Nascitur in asperis maritimis... Est semen in usu cum melle decoctum ad catapotia, solvendae alvi gratia* (6) Hoc auxilium memoratur etiam ab Aetio lib. 10 cap. 9. (7) At cum in hominibus sanis, sed imbecillis *exercitationis finis esse debeat sudor, aut certe lassitudo, quae citra fatigationem sit*; ut dictum est in lib. 1. cap. 2. quomodo in hoc tam gravi morbo fatigationes utiles esse possunt? Caelius Aurelianus lib. 3. cap. 8. Morb. Chron. ubi agit de Hydrope: *locorum et aquarum mutatio adhibenda, et peregrinatio magis maritima: aegrotantes praeterea navicula exerceri hortamur.*

Cap. XXII (*). Diutius saepe et periculosius tabes eos male habet, quos invasit. Atque hujus quoque plures species sunt. Una est, qua corpus non alitur, et naturaliter semper aliquibus decedentibus, nullis vero in eorum locum subeuntibus, summa macies oritur; et, nisi occurritur, tollit. Ἀτροφίαν hanc Graeci vocant. Ea duabus fere de causis incidere consuevit. Aut enim nimio timore aliquis minus, aut aviditate nimia plus, quam debet, assumit: ita vel, quod deest, infirmat; vel, quod superat, corrumpitur. Altera species est, quam Graeci καχεξίαν appellant, ubi malus corporis habitus est; ideoque omnia alimenta corrumpuntur. Quod fere fit, quum longo morbo vitiata corpora, etiamsi illo vacant, refectionem tamen non accipiunt; aut quum malis medicamentis corpus affectum est; aut quum diu necessaria defuerunt; aut quum inusitatos et inutiles cibos aliquis assumsit, aliquidve simile incidit. Huic, praeter tabem, illud quoque nonnumquam accedere solet, ut per assiduas pustulas, aut ulcera, summa cutis exasperetur, vel aliquae corporis partes intumescant. Tertia est, longeque periculosissima species, quam Graeci φθίσιν nominarunt. Oritur fere a capite; inde in pulmonem destillat; huic exulceratio accedit; ex hac febricula levis fit, quae etiam quum quievit, tamen repetit; frequens tussis est; pus exscreatur; interdum cruentum aliquid. Quidquid exscreatum est, si in ignem impositum est, mali odoris est: itaque, qui de morbo dubitant, hac nota utuntur.

Quum haec genera tabis sint, animadvertere primum oportet, quid sit in quo laboretur. Deinde, si tantum non ali corpus apparet, causam ejus attendere; et si cibi minus aliquis, quam debet, assumsit, adjicere, sed paulatim; ne si corpus insuetum subita multitudine oneraverit, concoctionem impediat. Si vero plus justo quis assumere solitus est, abstinere uno die; deinde ab exiguo cibo incipere; quotidie adjicere, donec ad justum modum perveniat. Praeter haec convenit (1) ambulare locis quam minime frigidis, sole vitato; per manus quoque exerceri: si infirmior est, gestari, ungi, perfricari, si potest, maxime per seipsum, saepius eodem die et ante cibum, et post eum, sic ut interdum oleo quaedam adjiciantur calefacientia, donec insudet. Prodestque jejuno prehendere per multas partes cutem et attrahere, ut relaxetur; aut, imposita resina et abducta, subinde idem facere. Utile est etiam interdum balneum, sed post cibum exiguum. Atque in ipso solio recte cibi aliquid assumitur; aut, si sine hoc frictio fuit, post eam protinus. Cibi vero esse debent ex iis, qui facile concoquuntur, qui maxime alunt. Ergo vini quoque, sed austeri, necessarius usus est. Movenda urina.

At si malus corporis habitus est, primum abstinendum est; deinde alvus ducenda; tum paulatim cibi dandi, adjectis exercitationibus,

(1) Ambulandum est locis tepidis, sed non in sole.

(*) Cap. XXII. *De tabe, ejusque speciebus.*

unctionibus, frictionibus. Utilius his frequens balneum est, sed jejunis; etiam usque sudorem. Cibis vero opus est copiosis, variis, boni succi, quique etiam minus facile corrumpantur, vino austero. Si nihil reliqua proficiunt, sanguis mittendus est; sed paulatim, quotidieque pluribus diebus, cum eo, ut cetera quoque eodem modo serventur.

Quod si mali plus est, et vera phthisis est, inter initia protinus occurrere necessarium est: neque enim facile is morbus, cum inveteravit, evincitur (2). Opus est, si vires patiuntur, longa navigatione, coeli mutatione, sic ut densius quam id est, ex quo discedit aeger, petatur: ideoque aptissime Alexandriam ex Italia itur. Fereque id posse inter principia corpus pati debet, quum hic morbus aetate firmissima maxime oriatur, id est ab anno duodevicesimo ad annum quintum et tricesimum. Si id imbecillitas non sinit, nave tamen non longe gestari commodissimum est: si navigationem aliqua res prohibet, lectica, vel alio modo corpus dimovendum est. Tum a negotiis abstinendum est, omnibusque rebus, quae sollicitare animum possunt; somno indulgendum; cavendae destillationes, ne, si quid cura levarit, exasperent (*a*); et ob id vitanda cruditas, simulque et sol, et frigus; os obtegendum, fauces velandae, tussicula suis remediis finienda: et, quamdiu quidem febricula incursat, huic interdum abstinentia, interdum etiam tempestivis cibis medendum; eoque tempore bibenda aqua. Lac quoque, quod in capitis doloribus, et in acutis febribus, et per eas facta nimia siti, ac, sive praecordia tument, sive biliosa urina est, sive sanguis fluxit, pro veneno est; in phthisi tamen, sicut in omnibus longis difficilibusque febriculis, recte dari potest. Quod si febris aut nondum incursat, aut jam remisit, decurrendum est ad modicas exercitationes, maximeque ambulationes; item lenes frictiones. Balneum alienum est. Cibus esse debet primo acer, ut allium, porrum, idque ipsum ex aceto, vel ex eodem intubus, ocimum, lactuca: deinde lenis, ut sorbitio ex ptisana, vel ex alica, vel ex amylo, lacte adjecto. Idem oryza quoque, et, si nihil aliud est, far praestat. Tum invicem modo his cibis, modo illis utendum est; adjiciendaque quaedam ex media materia, praecipueque *vel ex prima* cerebellum, vel pisciculus, et his similia. Farina etiam cum sevo ovillo caprinove mixta, deinde incocta pro medicamento est (3). Vinum assumi debet leve, austerum. Hactenus

(2) Plinius lib. 28. cap. 3. sect. 14. *Phthisi navigatio utilissima. longis morbis locorum mutatio*; et lib. 31. cap. 6. sect. 33. *Neque enim Aegyptus propter se petitur, sed propter longinquitatem navigandi.* At lib. 24. cap. 6. sect. 19. ita scribit: *Silvas eas dumtaxat, quae picis resinaeque gratia radantur, phthisicis, aut qui longa valetudine non recolligant vires; et illum coeli aera, plus, quam navigationem Aegyptiam, proficere. quam lactis herbidos per montium aestiva succos.* (3) Scaliger haec adnotavit: » Mirum qui possit *lene* esse *austerum*. Puto autem ita dici mi-

(*a*, Lupac. corr. *et devitanda crud tas.*

non magna mole pugnatur : si vehementior noxa est, ac neque febricula, neque tussis quiescit, tenuarique corpus apparet, validioribus auxiliis opus est. Exulcerandum est ferro candenti, uno loco sub mento, altero in gutture, duobus ad mammam utramque; item sub imis ossibus scapularum, quas ὠμοπλάτας Graeci vocant, sic, ne sanescere ulcera sinamus, nisi tussi finita: cui per se quoque medendum esse manifestum est. Tunc ter quaterve die vehementer extremae partes perfricandae, thorax levi manu pertractandus, post cibum intermittenda hora, et perfricanda crura brachiaque: interpositis denis diebus, demittendus est aeger in solium, in quo sit aqua calida et oleum: ceteris diebus bibenda aqua; tum et vinum, si tussis non est, potui frigidum dandum; si est, egelidum. Utile est etiam cibos in remissionibus quotidie dari : frictiones gestationesque similiter adhiberi : eadem acria quarto aut quinto die sumere : interdum herbam sanguinalem ex aceto, vel plantaginem esse. Medicamentum est etiam vel plantaginis succus per se, vel marrubii cum melle incoctus ; ita ut illius cyathus sorbeatur, hujus cochleare plenum paulatim delingatur; vel inter se mixta, et incocta resinae terebinthinae pars dimidia, butyri et mellis pars altera. *Praecipua tamen ex his omnibus sunt victus, vehiculum, et navis, et sorbitio.* Alvus cita utique vitanda est. Vomitus in hoc morbo frequens, perniciosus est (4), maximeque sanguinis. Qui meliusculus esse coepit, adjicere debet exercitationes, frictiones, cibos : deinde ipse se, suppresso spiritu (*a*), perfricare; diu abstinere a vino, balneo, venere.

xtum ex utroque, ut dicimus γλυκύπικρον *dulceamarum*. Itaque tollenda virgula 2. Sed *lene* non ad saporem, sed ad vires referri potest ; atque id vinum illi opponi, quod vehemens vocatur lib. 2. cap. 18. Hoc sensu Columella lib. 3. cap. 2. dixit de vite aminea lanata, *sane boni vini*, *sed lenioris*. Cum voces *leve* et *lene* in veteribus libris saepe commutentur; et praestantiores Codd. hic habeant *leve*; atque etiam lib. 4. cap. 18. in plerisque, inter quos est Med. 1. legatur *vinum leve*, *austerum* ; et cap. 21. ejusdem lib. *leve et austerum*; hic quoque *leve* legendum videtur. Alii quoque antiqui auctores vini levis mentionem faciunt. Cicero lib. 5. cap. 5. Tuscul. Quaest. *Levia quaedam vina nihil valent in aqua*. Plinius lib. 23. cap. 1. sect. 22. Vinum *levissimum est*, *quod celerrime inveteratur*. Ab Italis dicitur *vino leggiero*. (4) Sanguinis sputum intelligit ; ut lib. 3. cap. 27. sect. 4. ubi agit de suppurationibus quae in aliqua interiori parte oriuntur; *Vitandumque erit, ne vel luctando, vel currendo, vel alia ratione sanescentia ulcera exasperentur. In hoc enim morbo perniciosus, ideoque omni modo cavendus sanguinis vomitus est.* Item lib.



(*a*) Imagines exercitationem spiritu retento exprimentes, quas Ligorius inter aeneas Principis Ferrariae invenit, et Mercurialis primum in suo *De Arte Gymnastica* opere (Venetiis 1601, pag. 55) aere incisas retulit ; et ex his Bussemaker et Daremberg eas imitaverunt, quibus pulchram editionem Oribasii (Paris 1851 pag. 670) exornarunt. Vide *Farmacopea Celsiana* in II Vol.

Cap. XXIII (*). Inter notissimos morbos est etiam is, qui comitialis, vel major nominatur. Homo subito concidit; ex ore spumae moventur; deinde interposito tempore ad se redit, et per se ipse consurgit. Id genus saepius viros, quam feminas occupat. Ac solet quidem etiam longum esse, usque ad mortis diem, et vitae non periculosum; interdum tamen, quum recens est, hominem consumit: et saepe eum, si remedia non sustulerunt (1), in pueris veneris, in puellis menstruorum initium tollit. Modo cum distentione nervorum prolabitur aliquis, modo sine illa. Quidam hos quoque iisdem, quibus lethargicos, excitare conantur: quod admodum supervacuum est; et quia(*a*) ne lethargicus quidem his sanatur; et quia, quum possit ille numquam expergisci, atque ita fame interire, hic ad se utique revertitur. Ubi concidit aliquis, si nulla nervorum distentio accessit, utique sanguis mitti debet: si accessit, non utique mittendus est, nisi alia quoque hortantur. Necessarium autem est ducere alvum, vel nigro veratro purgare, vel utrumque facere, si vires patiuntur: tunc caput tondere, oleoque et aceto perungere: cibum post diem tertium, simul transiit hora qua concidit, dare. Neque sorbitiones autem his, aliique molles et faciles cibi, neque caro, minimeque suilla convenit; sed mediae materiae: nam et viribus opus est, et cruditates cavendae sunt. Cum quibus fugere oportet solem, balneum, ignem, omniaque calefacientia; item frigus, vinum, venerem, loci praecipitis conspectum, omniumque terrentium, vomitum, lassitudinem, sollicitudines, negotia omnia. Ubi tertio die cibus datus est, intermittere quartum, et invicem alterum quemque, eadem hora cibi servata, donec quatuordecim dies transeant. Quos ubi morbus excessit, acuti vim deposuit: ac, si manet, curandus jam ut longus est. Quod si, non quo die primum id incidit, medicus accessit, sed is, qui cadere consuevit, ei traditus est; protinus eo genere victus habito, qui supra comprehensus est, exspectandus est dies, quo prolabatur; utendumque tum vel sanguinis missione, vel ductione alvi, vel nigro veratro, sicut praeceptum est: insequentibus deinde diebus per eos cibos, quos proposui, vitatis omnibus, quae cavenda dixi, nutriendus. Si per haec morbus finitus non fuerit, confugiendum erit ad album veratrum; ac ter quoque aut quater eo utendum, non ita multis interpositis diebus; sic tamen, ne iterum umquam sumat, nisi conciderit. Mediis autem diebus vires ejus erunt nutriendae; quibusdam, praeter ea, quae supra scripta sunt, adje-

4. cap. 11. de sanguinis sputo: *Neque vomitum hujus* sanguinis *afferre periculum, etiam cum repetit, si ante confirmare et implere corpus licuit.*

(1) Hippocrates in Aphor 7. Sect. 5. quo Celsus respicit, ita scripsit: *Comitiales, quibus ante pubertatis annos contingunt, depositionem accipiunt. At quibus quintum et*

(*) Cap. XXIII. *De Comitiali morbo.*

(*a*) Lupac corr. *nec lethargus.*

ctis. Ubi mane experrectus est, corpus ejus leniter ex oleo vetere, cum capite excepto ventre, permulceatur: tnm ambulatione quam maxime longa et recta utatur: post ambulationem loco tepido vehementer et diu, ac non minus ducenties, nisi infirmus erit, perfricetur: deinde per caput multa aqua frigida perfundatnr; paulum cibi assumat; conquiescat; rnrsns ante noctem ambulatione utatnr; iterum vehementer perfricetur, sic ut neque venter, neque caput contingatur; post haec coenet; interpositisque tribus aut quatuor diebus, uno aut altero acria assumat. Si ne per haec quidem fuerit liberatus, capnt radat; ungatur oleo vetere, adjecto aceto et nitro; perfundatur aqua salsa; bibat jejunus ex aqua castoreum; nulla aqua, nisi decocta, potionis causa utatur (2). Quidam jugulati gladiatoris calido sanguine epoto tali morbo se liberarunt: apud quos miserum auxilium tolerabile miserius malum fecit. Quod ad medicum vero pertinet, nltimum est, jnxta talum ex utroque crure paulum sanguinis mittere; occipitium incidere, et cucurbitulas admovere; ferro candenti in occipitio, et infra quoque, qua summa vertebra cum capite committitur, adurere dnobus locis, ut per ea perniciosus humor evadat. Quibus si finitum malnm non fuerit, prope est, nt perpetnum sit. Ad levandum id, tantummodo utendum erit exercitatione multa, frictione, cibisque iis, qui supra comprehensi sunt: praecipueque vitanda omnia, quae, ne fierent, excepimus.

Cap. XXIV (*). Æque notus est morbus, quem interdum arquatum, interdum regium nominant (1). Quem Hippocrates ait, si post septimum diem febricitante aegro supervenit, tutum esse, mollibus tantummodo praecordiis substantibus: Diocles ex toto, si post febrem oritur, etiam prodesse; si post hunc febris, occidere. Color autem eum morbum detegit, maxime oculorum, in quibus, quod album esse debet, fit luteum. Soletque accedere et sitis, et dolor capitis, et frequens singultus, et praecordiorum dextra parte duri-

vigesimum annum agentibus fiunt, eos fere ad mortem usque comitantur. (2) Plinius lib. 28. cap. 1. sect 2. *Sanguinem quoque gladiatorum bibunt, ut bibentibus procul sint comitiales morbi: quod spectare facientes in eadem arena feras quoque, horror est.* Aretaeus lib. 1. Diuturn. Morb. cap 4. *Nonnullos vidi, nuper jugulati hominis vulneri phialam subjicientes, atque inde haustum cruorem bibentes. O ingentem necessitatem, quemdam sustinere, malo malum depellere! Atqui ex eo ad sanitatem, necne, isti pervenerint, nemo vere mihi affirmare potest.*

(1) In Aphor. 63. Sect. 4. in praecedenti autem Aphor. 62. *Quibus morbus regius ante diem septimum obortus fuerit, malum.* Aphorismum hunc spectat Plinius, qui lib. 26. cap. 12. sect. 76. ita scribit: *Hippocrates ante septimum diem in febre mortiferum signum esse docuit. Nos scimus vixisse aliquos etiam ab hac desperatione.* Hippocrates pronunciavit malum id signum esse: sed etiam ex morbis cum malis signis aliqui evadunt. Harduinus legit *Hippocrates a septimo die* etc. ex omnibus ut testatur, libris tum scripsit, tum editis. Sed aut Plinii Codices corrupti sunt, aut Plinius depravato aliquo Hippocratis Codice usus est. Itaque etiam in Plinio multi legunt *ante septimum diem.*

(*) Cap. XXIV. *De Regio morbo.*

ties, et, ubi corporis vehemens motus est, spiritus difficultas, membrorumque resolutio: atque, ubi diutius manet morbus, totum corpus cum pallore quodam inalbescit. Primo die abstinere aegrum oportet; secundo ducere alvum: tum, si febris est, eam victus genere discutere; si non est, scammoniam potui dare, vel cum aqua (a) betam albam contritam, vel cum aqua mulsa nuces amaras, absinthium, anisum, sic ut pars bujus minima sit. Asclepiades aquam quoque salsam, et quidem per biduum, purgationis causa bibere cogebat, iis, quae urinam movent, rejectis. Quidam, superioribus omissis, per haec, et per eos cibos, qui extenuant, idem se consequi dicunt. Ego utique, si satis virium est, validiora; si parum, imbecilliora auxilia praefero. Si purgatio fuit, post eam triduo primo modice cibum oportet assumere ex media materia, et vinum bibere graecum salsum, ut resolutio ventris maneat: tum altero triduo validiores cibos, et carnis quoque aliquid esse, intra aquam manere: deinde ad superius genus victus reverti, cum eo, ut magis satietur; omisso graeco vino (2), bibere integrum, austerum; atque ita per haec variare, ut interdum acres quoque cibos interponat, interdum ad salsum vinum redeat. Per omne vero tempus utendum est exercitatione, frictione; si hiems est, balneo; si aestas, frigidis natationibus; lecto etiam, et conclavi cultiore, lusu, joco, ludis, lascivia, per quae mens exhilaretur: ob quae regius morbus dictus videtur. Malagma quoque, quod digerat, super praecordia datum prodest; vel arida ibi ficus imposita, si jecur aut lienis affectus est.

CAP. XXV (*). Ignotus autem paene in Italia (1), frequentissimus in quibusdam regionibus is morbus est, quem ἐλεφαντίασιν Graeci vocant: isque longis annumeratur. Totum corpus afficitur ita, ut ossa quoque vitiari dicantur. Summa pars corporis crebras maculas crebrosque tumores habet; rubor earum paulatim in atrum colorem convertitur; summa cutis inaequaliter crassa, tenuis, dura, mollisque, quasi squamis quibusdam exasperatur; corpus emacrescit; os, surae, pedes intumescunt: ubi vetus morbus est, digiti in manibus pedibusque sub tumore conduntur, febricula oritur, quae facile tot malis obrutum hominem consumit. Protinus ergo inter initia sanguis per biduum mitti debet, aut nigro veratro venter solvi: adhibenda tum, quanta sustineri potest, inedia est: paulum deinde vires reficiendae, et ducenda alvus: post haec, ubi corpus levatum

(2) Vinum integrum videtur opponi vino graeco, quod quasi corruptum est aqua marina, vel sale. Vide Catonem cap. 24. R. R. et Columellam lib. 12. cap. 37. Lindenius leg. *nigrum*.

(1) Lucretius lib. 6. de R. N. *Est elephas morbus, qui propter flumina Nili Gignitur Aegypto in media, neque praeterea usquam.*

(a) Lupae corr. *cum aqua betam, malvam contritam.*

(*) CAP. XXV. *De Elephantia.*

est, utendum est exercitatione, praecipueque cursu: sudor primum labore ipsius corporis, deinde etiam siccis sudationibus evocandus: frictio adhibenda: moderandumque inter haec, ut vires conserventur. Balneum rarum esse debet; cibus sine pinguibus, sine glutinosis, sine inflantibus: vinum, praeterquam primis diebus, recte datur. Corpus contrita plantago et illita optime tueri videtur.

Cap. XXVI (*). Attonitos quoque raro videmus (1), quorum et corpus et mens stupet. Fit interdum ictu fulminis, interdum morbo (2): ἀποπληξίαν hunc Graeci appellant. His sanguis mittendus est: veratro quoque albo, vel alvi ductione utendum. Tum adhibendae frictiones, et ex media materia minime pingues cibi; quidam etiam acres; a vino abstinendum.

Cap. XXVII (**). 1. At resolutio nervorum frequens ubique morbus est: sed interdum tota corpora, interdum partes infestat. Veteres auctores illud ἀποπληξίαν, hoc παράλυσιν nominaverunt: nunc utrumque παράλυσιν appellari video. Solent autem (1), qui per omnia membra vehementer resoluti sunt, celeriter rapi: ac si correpti non sunt, diutius quidem vivunt; sed raro tamen ad sanitatem perveninnt, et plerumque miserum spiritum trahunt, memoria quoque amissa. In partibus vero numquam acutus, saepe longus, fere insanabilis morbus est. Si omnia membra vehementer resoluta sunt, sanguinis detractio vel liberat, vel occidit: aliud curationis genus vix umquam sanitatem restituit, saepe mortem tantum differt, vitam interim infestat. Post sanguinis missionem, si non redit et motus et mens, nihil spei superest; si redit, sanitas quoque prospicitur. At ubi pars resoluta est, pro vi et mali et corporis, vel sanguis mittendus, vel alvus ducenda. Cetera eadem in utroque casu facienda sunt: siquidem vitare praecipue convenit frigus; paulatimque ad exercitationes revertendum est, sic ut ingrediatur ipse protinus, si potest: si id crurum imbecillitas prohibet, vel gestetur, vel motu lecti concutiatur: tum id

(1) Servius ad locum illum Virgilii lib. 3. Aeneid. *Talibus attonitus visis, et voce deorum*, ita scribit: *proprie attonitus dicitur, cui casus vicini fulminis, et sonitus tonitruum dant stuporem*. Vide Senecam lib. 1. Natur. quaest. cap. 27. (2) Morbus quem Celsus hic describit, et a Graecis ἀποπληξίαν appellari ait, is est, quem alii καταληψιν vocant; ut jampridem docuerunt Swietenius, et Morgagnus Sed cum Celsus in capite proxime sequenti dicat, nervorum resolutionem quae tota corpora infestat, ἀποπληξίαν a veteribus auctoribus vocatam fuisse, Morgagno non videtur verisimile duos morbos adeo diversos eodem nomine a Graecis esse appellatos, ideoque suspicatur vocem ἀποπληξίαν hoc in loco mendosam esse. Fortasse totum hoc membrum addititium est.

(1) Hippocrates Aphor. 42. Sect. 2. *Solvere apoplexiam fortem impossibile, levem vero, non facile.*

(*) Cap. XXVI. *De Attonitis.*
(**) Cap. XXVII. *De resolutione nervorum.*

membrum, quod deficit, si potest, per se; sin minus, per alium moveatur, et vi quadam ad consuetudinem redeat. Prodest etiam torpentis membri summam cutem exasperasse, vel urticis caesam, vel imposito sinapi, sic ut, ubi rubere coeperit corpus, haec removeantur. Scilla quoque contrita, bulbique contriti cum ture recte imponuntur. Neque alienum est, resina cutem tertio quoque die diutius vellere, pluribus etiam locis; aliquando sine ferro cucurbitulas admovere. Unctioni vero aptissimum est vetus oleum, vel nitrum aceto et oleo mixtum. Quin etiam fovere aqua calida marina, vel, si ea non est, tamen salsa, magnopere necessarium est. Ac si quo loco vel naturales, vel etiam manufactae tales natationes sunt, iis potissimum utendum est; praecipueque in his agitanda membra, quae maxime deficiunt: si id non est, balneum tamen prodest. Cibus esse debet ex media materia, maximeque ex venatione; potio sine vino aquae calidae: si tamen vetus morbus est, interponi quarto vel quinto die purgationis causa vinum graecum salsum potest. Post coenam utilis vomitus est.

2. Interdum vero etiam (1) nervorum dolor oriri solet. In hoc casu non vomere, non medicamentis urinam movere, non exercitatione sudorem, ut quidam praecipiunt, expedit. Bibenda aqua est: bis die in lectulo leniter satis diu corpus prefricandum est, deinde retento spiritu: ab ipsa exercitatione potius superiores partes movendae: balneo raro utendum: mutandum subinde peregrinationibus coelum. Si dolor est, ea ipsa pars sine oleo, nitro ex aqua perungenda est; deinde involvenda, et subjicienda pruna lenis, et sulphur, atque ita id suffumigandum; idque aliquamdiu faciendum, sed jejuno, cum bene jam concoxerit. Cucurbitulae quoque saepe dolenti parti admovendae sunt, pulsandusque leniter inflatis vesicis bubulis is locus est. Utile est etiam sevum miscere (2) cum hyoscya-

(1) Dolor scilicet tendinum, et ligamentorum: haec enim Celsus nervos appellare solet. Videtur autem is morbus esse, quem nunc rheumatismum, sive arthritidem vocant, diversum a podagra chiragraque; quae a Celso articulorum vitia dicuntur. In prima parte capitis 8. lib. 2. *articulorum vitia, ut podagrae chiragraeque, si juvenes tentarunt* etc. et in secunda parte ejusdem cap. *articuli vero cui sic dolent, ut super eos ex callo quaedam tubercula innata sint, numquam liberantur: quaeque eorum vitia vel in senectute coeperunt* etc. Ea initio lib. 4. cap. 22. et 23. et 24. adnumerat iis morbis qui fiunt in partibus; nervorum autem dolorem hic ponit inter eos corporis affectus qui *certis partibus assignari non possunt*; ut ostendunt ea verba cap. 1. proximi lib. 5. *ea genera morborum, quae in totis corporibus ita sunt, ut iis certae sedes assignari non possint*. In hoc morbo non vomitum, non urinam, non sudorem movendum, et in ipso potissimum dolore gestatione vehementi utendum esse docet; in dolore articulorum et urinam et sudorem movere jubet; et in podagra chiragraque, *cum dolor urget, mane gestari* (non tamen vehementer) *deinde ferri in ambulationem, ibi se dimovere*. Animadvertendum etiam, quaedam medicamenta quae partibus nervorum dolore affectis imponenda esse dicit, in articulorum dolore idonea non esse. (2) Dioscorides lib. 4. cap. 69. tradit hyoscyami semen et assumtum, et extrinsecus impositum dolorem levare.

mi et urticae contritis seminibus, sic ut omnium par modus sit, idque imponere: fovere aqua, in qua sulphur decoctum sit. Utriculi quoque recte imponuntur aqua calida repleti, aut bitumen cum bordeacea farina mixtum. Atque in ipso potissimum dolore utendum gestatione vehementi est: quod in aliis doloribus pessimum est.

3. Tremor autem nervorum aeque vomitu medicamentisque urinam moventibus intenditur. Inimica etiam habet balnea, assasque sudationes. Bibenda aqua est: acri ambulatione utendum; itemque unctionibus frictionibusque, maxime per seipsum: pila, similibusque superiores partes dimovendae: cibo quolibet utendum, dummodo concoctioni utique studeatur: secundum cibum, curis abstinendum: rarissima venere utendum est. Si quando quis in eam prolapsus est, tum oleo leniter diuque in lectulo perfricari manibus puerilibus potius, quam virilibus, debet.

4. Suppurationes autem, quae in aliqua interiori parte oriuntur, ubi natae fuerint, primum id agere oportet per ea cataplasmata, quae reprimunt, ne coitus inutilis materiae fiat; deinde, si haec victa sunt, per ea malagmata, quae digerunt, ut dissipetur. Quod si consequuti non sumus, sequitur ut evocetur: deinde ut maturescat. Omnis tum vomicae finis est, ut rumpatur: indiciumque est pus vel alvo vel ore redditum. Sed nihil facere oportet, quo minus quidquid est puris excedat. Utendum maxime sorbitionibus est, et aqua calida. Ubi pus (1) ferri desiit, transeundum ad faciles quidem, sed tamen validiores et frigidos cibos, frigidamque aquam, sic, ut ab egelidis tamen initium fiat. Primoque cum melle quaedam edenda, ut nuclei pinei, vel graecae nuces, vel abellanae: postea submovendum id ipsum, quo maturius induci cicatrix possit. Medicamentum eo tempore ulceri est succus assumtus vel porri vel marrubii, et omni cibo porrum ipsum adjectum. Oportebit autem uti in iis partibus, quae non afficientur, frictionibus; item ambulationibus lenibus: vitandumque erit, ne vel luctando, vel currendo, vel alia ratione sanescentia ulcera exasperentur. In hoc enim morbo perniciosus, ideoque omni modo cavendus sanguinis vomitus est.

(1) Id est fluere. Sic. lib. 5. cap 25. secl. 8 *sanguis multus fertur*: cap 28. secl. 12. ejusdem lib. *ex carne pus laeve, album, copiosius fertur*. Ad locum illum Plinii lib. 32. cap. 10. secl. 42. *Sanguinem fieri piscium cibo putant; sisti, polypo tuso illitoque*; Harduinus haec adnotat: *Sic Mss omnes, non cieri; etsi sequitur* sisti: *Sanguinem fieri, gigni ex eo cibo significat, vimque hanc ei alimento inesse*. Ego legerim *sanguinem ferri*.

A. CORNELII CELSI

ARTIUM LIBER NONUS

IDEM

MEDICINAE

QUARTUS.

Cap. I (*). Hactenus reperiuntur ea genera morborum, quae in totis corporibus ita sunt, ut iis certae sedes assignari non possint: nunc de iis dicam, quae sunt in partibus. Facilius autem omnium interiorum morbi curationesque in notitiam venient, si prius eorum sedes breviter ostendero. Caput igitur, eaque, quae in ore sunt, non lingua tantummodo palatoque terminantur; sed etiam quatenus oculis nostris exposita sunt. In dextra sinistraque circa guttur venae grandes, quae σφαγίτιδες nominantur; itemque arteriae, quas καρωτίδας vocant, sursum procedentes ultra aures feruntur. At in ipsis cervicibus glandulae positae sunt, quae interdum cum dolore intumescunt. Deinde duo itinera incipiunt: alterum asperam arteriam nominant; alterum (1) stomachum. Arteria exterior ad pulmonem; stomachus interior ad ventriculum fertur: illa spiritum; hic cibum recipit. Quibus cum diversae viae sint, qua coeunt, exigua in arteria sub ipsis faucibus lingua est; quae, quum spiramus, attollitur; quum cibum potionemque assumimus, arteriam claudit. Ipsa autem arteria dura et cartilaginosa in gutture assurgit; ceteris partibus residit. Constat ex circulis quibusdam compositis ad imaginem earum vertebrarum, quae in spina sunt: ita tamen, ut ex parte exteriore aspera, ex interiore, stomachi modo laevis sit: eaque descendens ad praecordia cum pulmone committitur (2). Is spongiosus, ideoque spiritus capax, et a tergo spinae ipsi junctus, in duas fibras ungulae bubulae modo dividitur. Huic cor annexum est, natura musculosum, in pectore sub sinisteriore mamma situm; duosque quasi

(1) Cicero lib. 2. de N. D. cap. 45. *Linguam ad radices ejus haerens, excipit stomachus....... Is utraque ex parte tonsillas attingens, palato extremo atque intimo terminatur*. Graeci οἰσοφάγον appellant. (2) Cicero lib. 2. de N. D. cap. 55. *In pul-*

(*) Cap. I. *De humani corporis interioribus sedibus.*

ventriculos habet. At sub corde atque pulmone transversum ex valida membrana septum est, quod a praecordiis uterum diducit; idque nervosum, multis etiam venis per id discurrentibus, a superiore parte, non solum intestina, sed jecur quoque lienemque discernit. Haec viscera proxime, sed infra tamen posita, dextra sinistraque sunt. Jecur a dextra parte sub praecordiis ab ipso septo orsum (3), intrinsecus cavum, extrinsecus gibbum: quod prominens leviter ventriculo insidet, et in quatuor fibras dividitur. Ex inferiore vero parte ei fel inhaeret. At lienis sinistra, non eidem septo, sed intestino innexus est, natura mollis et rarus, longitudinis crassitudinisque modicae; isque paulum a costarum regione in uterum excedens, ex maxima parte sub his conditur. Atque haec quidem juncta sunt. Renes vero diversi; qui lumbis sub imis costis inhaerent, a parte earum rotundi, ab altera resimi; qui et venosi sunt, et ventriculos habent, et tunicis superconteguntur. Ac viscerum quidem hae sedes sunt. Stomachus vero, qui intestinorum principium est, nervosus a septima spinae vertebra incipit; circa praecordia cum ventriculo committitur. Ventriculus autem (4), qui receptaculum cibi est, constat ex duobus tergoribus; isque inter lienem et jecur positus est, utroque ex his paulum super eum ingrediente. Suntque etiam membranulae tenues, per quas inter se (5) tria ista connectuntur, junguntur que ei septo, quod transversum esse supra posui. Inde ima ventriculi pars paulum in dexteriorem partem conversa, in summum intestinum coartatur. Hanc juncturam πυλωρὸν Graeci vocant, quoniam portae modo in inferiores partes ea, quae excreturi sumus, emittit. Ab ea jejunum intestinum incipit, non ita implicitum: cui tale vocabulum est, quia numquam, quod accipit, continet; sed protinus in inferiores partes transmittit. Inde tenuius intestinum est, in sinus vehementer implicitum: orbes vero ejus (6) per membranulas singuli cum inferioribus connectuntur; qui in dexteriorem partem conversi, et e regione dexterioris coxae finiti, superiores tamen partes magis complent. Deinde id intestinum cum crassiore altero transverso committitur, quod a dextra parte incipiens, in sinisteriorem pervium et longum est, in dexteriorem non est; ideoque caecum nominatur. At id, quod pervium est, late fusum atque sinuatum, minusque quam superiora intestina nervosum, ab utraque parte huc atque illuc volutum, magis tamen sinisteriores inferioresque partes tenens, contingit jecur atque ventriculum: deinde

monibus autem inest raritas quaedam, et assimilis spongiis mollitudo, ad hauriendum spiritum aptissima. (3) Sic de calvaria lib. 8. cap. 1. *ex interiore parte concava, extrinsecus gibba.* (4) Cicero lib. 2. de N. D. cap. 54. *Sed cum alvi natura subjecta stomacho, cibi et protinus receptaculum sit.* (5) Ventriculus, lienis, jecur. — (6) Haec Morgagno videntur ex bruto aliquo a Celso fuisse descripta; *neque enim*, inquit, *nisi ex obvio animante aliqua, canis simili, mesaraeum spectasset*, membranulas *dixisset, aut certe adipem, unde crassescerent, his innasci, non siluisset, qui id*

cum quibusdam membranulis a sinistro rene venientibus jungitur; atque hinc dextra recurvatum (7) in imo dirigitur, qua excernit; ideoque id ibi rectum intestinum nominatur. Contegit vero universa haec omentum, ex inferiore parte laeve et strictum, ex superiore mollius; cui adeps quoque innascitur; quae sensu, sicut cerebrum quoque et medulla, caret. At a renibus singulae venae, colore albae, ad vesicam feruntur: οὐρητῆρας Graeci vocant, quod per eas inde descendentem urinam in vesicam destillare concipiunt. Vesica autem in ipso sinu nervosa et duplex, cervice plena atque carnosa, jungitur per venas cum intestino, eoque osse, quod pubi subest: ipsa soluta atque liberior est: aliter in viris atque in feminis posita. Nam in viris juxta rectum intestinum est, potius in sinistram partem inclinata; in feminis super genitale earum sita est, superque elapsa, ab ipsa vulva sustinetur. Tum in masculis iter urinae spatiosius et compressius a cervice hujus descendit ad colem: in feminis brevius et plenius, super vulvae cervicem se ostendit. Vulva autem in virginibus quidem admodum exigua est: in mulieribus vero, nisi ubi gravidae sunt, non multo major, quam ut manu comprehendatur. Ea (8) recta tenuataque cervice, quem canalem vocant, contra mediam alvum orsa, inde paulum ad dexteriorem coxam convertitur; deinde super rectum intestinum progressa, iliis feminae latera sua innectit. Ipsa autem ilia inter coxas et pubem imo ventre posita sunt. A quibus ac pube abdomen sursum versus ad praecordia pervenit; ab exteriore parte evidenti cute; ab interiore laevi membrana inclusum, quae omento jungitur; περιτόναιος autem a Graecis nominatur.

Cap. II (*). His veluti in conspectum quemdam, quatenus scire curanti necessarium est, adductis, remedia singularum laborantium partium exsequar, orsus a capite: sub quo nomine nunc significo eam partem, quae capillo tegitur: nam oculorum, aurium, dentium dolor, et si quis similis est, alias erit explicandus. In capite autem interdum acutus et pestifer morbus est, quam κεφαλαίαν Graeci vocant: cujus notae sunt, horror validus, nervorum resolutio, oculorum caligo, mentis alienatio, vomitus, sic ut vox supprimatur; vel sanguinis ex naribus cursus, sic ut corpus frigescat, anima deficiat: prae-

in omento non erat taciturus. (7) In ima parte; ut *in summo* pro in summa parte lib. 8. cap. 1. lata scapularum ossa *in imo cartilaginosa, posteriore parte velut innatant, quoniam nisi in summo, nulli ossi inhaerescunt.* (8) Quaerunt Anatomici, humanumne uterum, an bruti alicujus Celsus descripserit. Quidam putant humanae magis quam brutorum vaginae convenire; multoque magis, quod super non, ut in brutis, sub recto intestino progredi dicitur: fatentur tamen in brutis quoque idem dici posse, si supino, ut fit in dissectionibus, corporis situ spectentur. Vide Acta Eruditorum Lipsiensi an. 1745. m. Jun. p. 1. Morgagno pleraque quae in toto hoc capite traduntur, videntur potius ut in stante homine, quam ut in supino intelligi posse.

(*) Cap. II. *De curationibus morborum capitis.*

ter haec, dolor intolerabilis, maxime circa tempora, vel occipitium. Interdum autem in capite longa imbecillitas, sed neque gravis, neque periculosa per hominis aetatem est: interdum gravior dolor, sed brevis, neque tamen mortiferus; qui vel vino, vel cruditate, vel frigore, vel igne, aut sole contrahitur. Hique omnes dolores modo cum febre, modo sine hac sunt; modo in toto capite, modo in parte; interdum sic, ut oris quoque proximam partem excrucient. Praeter haec etiamnum invenitur genus, quod potest longum esse; ubi humor cutem inflat, eaque intumescit, et prementi digito cedit: ὑδροκέφαλον Graeci appellant. Ex his id, quod secundo loco positum est, dum leve est, qua sit ratione curandum, dixi, quum persequerer ea, quae sani homines in imbecillitate partis alicujus facere deberent. Quae vero auxilia sint capitis, ubi cum febre dolor est, eo loco explicitum est, quo febrium curatio exposita est. Nunc de ceteris dicendum est. Ex quibus id, quod acutum est, et id, quod supra consuetudinem intenditur, idque quod ex subita causa, etsi non pestiferum, tamen vehemens est, primam curationem habet, qua sanguis mittatur. Sed id, nisi intolerabilis dolor est, supervacuum est: satiusque est abstinere a cibo; si fieri potest, etiam a potione; si non potest, aquam bibere. Si postero die dolor remanet, alvum ducere, sternutamenta evocare, nihil assumere, nisi aquam. Saepe enim dies unus aut alter totum dolorem hac ratione discutit; utique si ex vino vel cruditate origo est. Si vero in his auxilii parum est, tonderi oportet ad cutem: deinde considerandum est, quae causa dolorem excitarit. Si calor, aqua frigida multa perfundere caput expedit: spongiam concavam imponere subinde in aqua frigida expressam: ungere rosa et aceto, vel potius his tinctam lanam succidam imponere, aliave refrigerantia cataplasmata. At si frigus nocuit, caput oportet perfundere aqua calida marina, vel certe salsa, aut in qua laurus decocta sit: tum caput vehementer perfricare: deinde calido oleo implere et veste velare. Quidam etiam id devinciunt; alii cervicalibus vestimentisque onerant, et sic levantur; alios calida cataplasmata adjuvant. Ergo etiam ubi causa incognita est, videre oportet, refrigerantia magis, an calefacientia leniant, et iis uti, quae experimentum approbarit. At si parum causa discernitur, perfundere caput primum aqua calida, sicut supra praeceptum est, vel salsa, vel ex lauro decocta; tum frigida posca. Illa in omni vetusto capitis dolore communia sunt: sternutamenta excitare; inferiores partes vehementer perfricare; gargarizare iis quae salivam movent; cucurbitulas temporibus et occipitio admovere; sanguinem ex naribus detrahere; resina subinde tempora pervellere, et imposito sinapi exulcerare ea, quae male habent, ante linteolo subjecto, ne vehementer arrodat; candentibus ferramentis, ubi dolor est, ulcera excitare; cibum permodicum cum aqua sumere: ubi levatus est dolor, in balneum ire, ibi multa aqua prius calida, deinde frigida per caput perfundi: si discussus ex toto dolor est, etiam

ad vinum reverti; sed postea semper, antequam quidquam aliud, aquam bibere. Dissimile est id genus, quod humorem in caput contrahit. In hoc tonderi ad cutem necessarium est; deinde imponere sinapi sic, ut exulceret: si id parum profuit, scalpello utendum est. Illa cum hydropicis communia sunt, ut exerceatur, insudet, vehementer perfricetur, cibis potionibusque utatur urinam praecipue moventibus.

CAP. III (*). Circa faciem vero morbus innascitur, quem Graeci κυνικὸν σπασμὸν nominant (1). Isque cum acuta fere febre oritur; os cum motu quodam pervertitur (2); *ideoque nihil aliud est, quam distentio oris*; accedit crebra coloris in facie totoque corpore mutatio; somnus in promptu est. In hoc sanguinem mittere optimum est: si finitum eo malum non est, ducere alvum: si ne sic quidem discussum est, albo veratro vomitum movere. Praeter haec necessarium est vitare solem, lassitudinem, vinum. Si discussum his non est, utendum est cursu; frictione in eo, quod laesum est, leni et multa; in reliquis partibus breviore, sed vehementi. Prodest etiam movere sternutamenta; caput radere; idque perfundere aqua calida, *vel* marina, vel certe salsa, sic ut ei sulphur quoque adjiciatur; post perfusionem iterum perfricare; sinapi manducare; eodemque tempore affectis oris partibus ceratum, integris idem sinapi, donec arrodat, imponere. Cibus aptissimus ex media materia est.

CAP. IV(**). At si lingua resoluta est, quod interdum per se, interdum ex morbo aliquo fit, sic ut sermo hominis non explicetur; oportet gargarizare ex aqua, in qua vel thymum, vel hyssopum, vel nepeta decocta sit; aquam bibere; caput, et os, et ea, quae sub mento sunt, et cervicem vehementer perfricare; lasere linguam ipsam linere; manducare, quae sunt acerrima, id est sinapi, allium, cepam; magna vi luctari, ut verba exprimantur; (a) exerceri retento spiritu; caput saepe aqua frigida perfundere; nonnumquam multam esse radiculam, deinde vomere.

CAP. V (***). Destillat autem humor de capite interdum in nares, quod leve est; interdum in fauces, quod pejus est; interdum etiam

(1) Caelius Aurelianus lib. 2. cap. 2. Morb. Chron. ita scribit: *spasmus acuta atque celer passio perspicitur; caninus vero raptus, etiam tarda.* (2) Membrum hoc insititium est. Celsus dixisset *distentio nervorum*; sed existimavit supervacuum esse addere quod significat graeca vox σπασμὸς: quae ab ipso semper latine redditur *distentio nervorum*. Lindenius leg. *distortio oris*.

(*) CAP. III. *De morbo qui circa faciem nascitur.*
(**) CAP. IV. *De resolutione linguae.*
(***) CAP. V. *De destillatione ac gravedine.*
(a) 1 Vid. fig. pag. 100 nota a 2.

in pulmonem, quod pessimum est. Si in nares destillat, tenuis per has pituita profluit, caput leviter dolet, gravitas ejus sentitur, frequentia sternutamenta sunt : si in fauces, has exasperat, tussiculam movet. Si in pulmonem, praeter sternutamenta et tussim, est etiam capitis gravitas, lassitudo, sitis, aestus, biliosa urina. Aliud autem, quamvis non multum distans, malum, gravedo est. Haec nares claudit, vocem obtundit, tussim siccam movet : sub eadem salsa est saliva, sonant aures, venae moventur in capite, turbida urina est. Haec omnia κορύζας Hippocrates nominat : nunc video apud Graecos in gravedine hoc nomen servari; destillationem κατασταγμὸν appellari. Haec autem et brevia, et si neglecta sunt, longa esse consuerunt. Nihil pestiferum est, nisi quod pulmonem exulcerat. Ubi aliquid ejusmodi sentimus, protinus abstinere a sole, balneo, vino, venere debemus : inter quae unctione, et assueto cibo nihilo minus uti licet. Ambulatione tantum acri, sed tecta utendum est, et post eam caput atque os supra quinquagies perfricandum. Raroque fit, ut, si biduo, vel certe triduo nobis temperavimus, id vitium non levetur. Quo levato, si in destillatione crassa facta pituita est, vel in gravedine nares magis patent, balneo utendum est, multaque aqua prius calida, post egelida, fovendum os caputque; deinde cum cibo pleniore vinum bibendum. At si aeque tenuis quarto die pituita est, vel nares aeque clausae videntur, assumendum est vinum amineum austerum ; deinde rursus biduo aqua; post quae ad balneum, et ad consuetudinem revertendum est. Neque tamen illis ipsis diebus, quibus aliqua omittenda sunt, expedit tamquam aegros agere ; sed cetera omnia quasi sanis facienda sunt, praeterquam si diutius aliquem et vehementius ista sollicitare consuerunt : huic enim quaedam curiosior observatio necessaria est. Igitur huic, si in nares vel in fauces destillat, praeter ea, quae supra retuli, protinus primis diebus multum ambulandum est ; perfricandae vehementer inferiores partes ; lenior frictio adhibenda thoraci, ori, capiti ; demenda assueto cibo pars dimidia ; sumenda ova, amylum, similiaque, quae pituitam faciunt crassiorem (1); siti contra, quanta maxima sustineri potest, pugnandum. Ubi per haec idoneus aliquis balneo factus, eoque usus est, adjiciendus est cibo pisciculus, aut caro, sic tamen, ne protinus justus modus cibi sumatur: vino meraco copiosius utendum est. At si in pulmonem quoque destillat, multo magis et ambulatione et frictione opus est ; eademque adhibita ratione in cibis, si non satis (a) illi proficiunt, acrioribus utendum est; magis somno indulgendum, abstinendumque a negotiis omnibus ; aliquando, sed serius,

(1) Hac forma usus est Cicero pro Quintio cap. 14. *cum qui contra pugnent. video.* Celsus autem eodem fere modo loquitur cap. 26. hujus lib. *Ex toto donec convalescat, contra siti, fame, vomitu niti.*

(a) Lupac. corr. *illis proficitur.*

balneum tentandum. In gravedine autem, primo die quiescere, neque esse, neque bibere, caput velare, fauces lana circumdare: postero die surgere, abstinere a potione, aut, si res coegerit, non ultra heminam aquae assumere: tertio die panis non ita multum ex parte interiore cum pisciculo, vel levi carne sumere, aquam bibere: si quis sibi temperare non potuerit, quo minus pleniore victu utatur, vomere: ubi in balneum ventum est, multa calida aqua caput et os fovere usque ad sudorem: tum ad vinum redire. Post quae vix fieri potest, ut idem incommodum maneat: sed si manserit, utendum erit cibis frigidis, aridis, levibus, humore quam minimo, servatis frictionibus exercitationibusque, quae in omni tali genere valetudinis necessariae sunt.

Cap. VI (*). A capite transitus ad cervicem est; quae gravibus admodum morbis obnoxia est. Neque tamen alius importunior acutiorque morbus est, quam is, qui quodam rigore nervorum, modo caput scapulis, modo mentum pectori adnectit, modo rectam et immobilem cervicem intendit. Priorem Graeci ὀπισθότονον, insequentem ἐμπροσθότονον, ultimum τέτανον appellant: quamvis minus subtiliter quidam indiscretis his nominibus utuntur. Ea saepe intra quartum diem tollunt: si hunc evaserunt, sine periculo sunt. Eadem omnia ratione curantur; idque convenit. Sed Asclepiades utique mittendum sanguinem credidit: quod quidam vitandum esse dixerunt, eo quod maxime tum corpus calore egeret; isque esset in sanguine. Verum hoc quidem falsum est (1). Neque enim natura sanguinis est, ut utique caleat; sed ex iis quae in homine sunt, hic celerrime vel calescit, vel refrigescit. Mitti vero nec ne debeat, ex iis intelligi potest, quae de sanguinis missione praecepta sunt. Utique autem recte datur castoreum, et cum hoc piper, vel laser: deinde opus est fomento humido et calido: itaque plerique aqua calida multa cervices subinde perfundunt. Id in praesentia levat; sed opportuniores nervos frigori reddit: quod utique vitandum est. Utilius igitur est cerato liquido primum cervicem perungere; deinde admovere vesicas bubulas, vel utriculos oleo calido repletos, vel ex farina calidum cataplasma, vel piper rotundum cum ficu contusum. Utilissimum tamen est humido sale fovere: quod quomodo fieret jam ostendi. Ubi eorum aliquid factum est, admovere ad ignem, vel, si aestas est, in sole aegrum oportet; maxime oleo vetere; si id non est, syriaco; si ne id quidem est, adipe quam vetustissima cervicem et scapulas et spinam perfricare. Frictio quum omnibus in homine vertebris utilis sit, tum iis praecipue

(1) Hippocrates in lib de corde; *Neque enim sanguis natura calidus est, ut neque alia quaedam aqua, sed calescit. Plerisque tamen calidus videtur.*

(*) Cap. VI. *De cervicis morbis.*

quae in collo sunt. Ergo die nocteque, interpositis tamen qnibusdam temporibus, hoc remedio utendnm est; dum id intermittitur, imponendum malagma aliquod ex calefacientibus. Cavendum vero praecipue frigus; ideoque in eo conclavi, quo cubabit aeger, ignis continuus esse debebit, maximeque tempore antelucano, quo praecipue frigus intenditur. Neque inutile erit caput attonsum habere, idque irino vel cyprino calido madefacere, et superimposito pileo velare; nonnumquam etiam in calidum oleum totum descendere, vel in aquam calidam, in qua foenum graecum decoctum sit, et adjecta olei pars tertia. Alvus quoque ducta saepe superiores partes resolvit. Si vero etiam vehementius dolor crevit, admovendae cervicibus cucurbitulae sunt, sic ut cutis incidatur: eadem aut ferramentis, aut sinapi adurenda. Ubi levatus est dolor, moverique cervix coepit, scire licet cedere remediis morbum. Sed diu vitandus cibus, quisquis mandendus est. Sorbitionibus utendum, itemque ovis sorbilibus, aut mollibus; jus aliquod assumendum. Id si bene processerit, jamque ex toto recte se habere cervices videbuntur, incipiendum erit a pulticula, vel intrita bene madida. Celerius tamen etiam panis mandendus, quam vinum gustandum: siquidem hujus usus praecipue periculosus; ideoque in longius tempus differendus est.

Cap. VII (*). Ut hoc autem morbi genus circa totam cervicem; sic alterum, aeque pestiferum acutumque, in faucibus esse consuevit. Nostri anginam vocant: apud Graecos nomen prout species est. Interdum enim neque rubor, neque tumor ullus apparet; sed corpus aridum est, vix spiritus trahitur, membra solvuntur: id συνάγχην vocant. Interdum lingua faucesque cum rubore intumescunt, vox nihil significat, oculi vertuntur, facies pallet, singultusque est: id κυνάγχην vocant. Illa communia sunt: aeger non cibum devorare, non potionem potest; spiritus ejus intercluditur. Levius est, ubi tumor tantummodo ruborque est, cetera non sequuntur: id παρασυνάγχην appellant. Quidquid est, si vires patiuntur, sanguis mittendus est: *si non abundat*, secundum est ducere alvum. Cucurbitula quoque recte sub mento, et circa fauces admovetur, ut id quod strangulat, evocet. Opus est deinde fomentis humidis: nam sicca spiritum elidunt. Ergo admovere spongias oportet; quae melius in calidum oleum, quam in calidam aquam subinde demittuntur: efficacissimusque est hic quoque salis calidus succus. Tum commodum est, hyssopum, vel nepetam, vel thymum, vel absinthium, vel etiam furfures, aut ficus aridas cum mulsa aqua decoquere, eaque gargarizare: post haec palatum ungere vel felle taurino, vel eo medicamento, quod ex moris est. Polline etiam piperis id recte respergitur. Si per haec parum proficitur, ultimum est incidere satis altis plagis sub ipsis maxillis supra

(*) Cap. VII. *De faucium morbis: et primum de angina.*

collum, et in palato circa uvam, vel eas venas, quae sub lingua sunt; ut per ea vulnera morbus erumpat. Quibus si non fuerit aeger adjutus, scire licet malo victum esse. Si vero his morbus levatus est, jamque fauces et cibum et spiritum capiunt, facilis ad bonam valetudinem recursus est. Atque interdum natura quoque adjuvat, si ex angustiore sede vitium transit in latiorem: itaque rubore et tumore in praecordiis orto, scire licet fauces liberari. Quidquid autem eas levarit, incipiendum est ab humidis, maximeque aqua mulsa decocta: deinde assumendi molles et non acres cibi sunt, donec fauces ad pristinum habitum revertantur. Vulgo audio, si quis (1) pullum hirundinis ederit, angina toto anno non periclitari; servatumque eum ex sale, quum is morbus urget, comburi, carbonemque ejus contritum in aquam mulsam, quae potui detur, infriari, et prodesse. Id quum idoneos auctores ex populo habeat, neque habere quidquam periculi possit, quamvis in monumentis medicorum non legerim, tamen inserendum huic operi meo credidi.

Cap. VIII (*). Est etiam circa fauces malum, quod apud Graecos aliud aliudque nomen habet, prout se intendit. Omne in difficultate spirandi consistit: sed haec dum modica est, neque ex toto strangulat, δύσπνοια appellatur: cum vehementior est, ut spirare aeger sine sono et anhelatione non possit, ἄσθμα cum accessit id quoque, ne nisi recta cervice spiritus trahatur, ὀρθόπνοια. Ex quibus id, quod primum est, potest diu trahi; duo insequentia acuta esse consuerunt. His communia sunt: quod propter angustias, per quas spiritus evadit, sibilum edit, dolor in pectore praecordiisque est, interdum etiam in scapulis, isque modo decedit, modo revertitur; ad haec tussicula accedit. Auxilium est, nisi aliquid prohibet, in sanguinis detractione. Neque id satis est, sed lacte quoque venter solvendus est: liquanda alvus, interdum etiam ducenda, quibus extenuatum corpus incipit spiritum trahere commodius. Caput autem etiam in lecto sublime habendum est; thorax fomentis, cataplasmatisque calidis, aut siccis, aut etiam humidis adjuvandus est; et postea vel malagma superimponendum, vel certe ceratum ex cyprino, vel irino unguento. Sumenda deinde jejuno potui mulsa aqua, cum qua vel hyssopus cocta, vel contrita capparis radix sit. Delingitur etiam utiliter aut nitrum, aut nasturtium, aut allium frictum, deinde contritum et cum melle mixtum: simulque coquuntur mel, galbanum, resina terebinthina, et ubi coierunt, ex his quod fabae magnitudinem

(1) Plinius lib. 30. cap. 4. sect. 12. *Anginis succurritur..... cinere hirundinis ex aqua calida poto. Hujus medicinae auctor est Ovidius poeta. Sed efficaciores ad omnia, quae ex hirundinibus monstrantur etc pulli silvestrium...... Sunt qui cujuscumque hirundinis pullum edendum censent, ne toto anno metuatur id malum*

(*) Cap. VIII. *De difficultate spirandi.*

habet, quotidie sub lingua liquatur: aut sulphuris ignem non experti p.)(. =. abrotoni p.)(. in vini cyatho teruntur, idque tepefactum sorbetur. Est etiam non vana opinio, vulpinum jecur, ubi siccum et aridum factum est, contundi oportere, polentamque ex eo potioni aspergi: vel ejusdem pulmonem quam recentissimum assum, sed sine ferro coctum, edendum esse. Praeter haec sorbitionibus et lenibus cibis utendum est; interdum vino tenui, austero; nonnumquam vomitu. Prosunt etiam quaecumque urinam movent: sed nihil magis quam ambulatio lenta paene usque ad lassitudinem; frictio multa, praecipue inferiorum partium, vel in sole, vel ad ignem, et per seipsum, et per alios, usque ad sudorem.

Cap. IX (*). In interiore vero faucium parte interdum exulceratio esse consuevit. In hac plerique extrinsecus cataplasmatis calidis, fomentisque humidis utuntur: volunt etiam vaporem calidum ore recipi: per quae molliores alii partes eas fieri dicunt, opportunioresque vitio jam haerenti. Sed, si bene vitari frigus potest, tuta illa praesidia; si metus ejus est supervacua sunt. Utique autem perfricare fauces periculosum est: exulcerat enim. Neque utilia sunt, quae urinae movendae sunt; quia possunt, dum transeunt, ibi quoque pituitam extenuare, quam supprimi melius est. Asclepiades multarum rerum, quas ipsi quoque sequuti sumus, auctor bonus, acetum ait quam acerrimum esse sorbendum: hoc enim sine ulla noxa comprimi ulcera. Sed id supprimere sanguinem potest, ulcera ipsa sanare non potest. Melius huic rei lycium est; quod idem quoque aeque probat: vel porri, vel marrubii succus, vel nuces graecae cum tragacantho contritae et cum passo mixtae, vel lini semen contritum et cum dulci vino mixtum. Exercitatio quoque ambulandi currendique necessaria est: frictio a pectore vehemens toti inferiori parti adhibenda. Cibi vero esse debent neque nimium acres, neque asperi; mel, lenticula, tragum, lac, ptisana, pinguis caro, praecipueque porrum, et quidquid cum hoc mixtum est. Potionis quam minimum esse convenit. Aqua dari potest vel pura, vel in qua malum cotoneum, palmulaeve decoctae sint. Gargarizationes quoque lenes: sin hae parum proficiunt, reprimentes utiles sunt. Hoc genus neque acutum est, et potest esse non longum, curationem tamen maturam, ne vehementer et diu laedat, desiderat.

Cap. X (**). Tussis vero fere propter faucium exulcerationem molesta est; quae multis modis contrahitur. Itaque illis restitutis ipsa finitur. Solet tamen interdum per se quoque male habere; et vix, quum vetus facta est, eliditur. Ac modo arida est, modo pituitam ci-

(*) Cap. IX. *De faucium exulceratione.*
(**) Cap. X. *De tussi.*

tat. Oportet hyssopum altero quoque die bibere; spiritu retento currere, sed minime in pulvere; ac lectione uti vehementi, quae primo impeditur a tussi, post eam vincit: tum ambulare: deinde per manus quoque exerceri, et pectus diu perfricare: post haec quam pinguissimae ficus uncias tres super prunam incoctas, esse. Praeter haec, si humida est, prosunt frictiones validae cum quibusdam calefacientibus, sic ut caput quoque simul vehementer perfricetur: item cucurbitulae pectori admotae; sinapi ex parte exteriore faucibus impositum, donec leviter exulceret; potio ex menta, nucibusque graecis et amylo; primoque assumtus panis aridus, deinde aliquis cibus lenis. At si sicca tussis est, quum ea vehementissime urget, adjuvat vini austeri cyathus assumtus, dum ne amplius id, interposito tempore aliquo, quam ter aut quater fiat: item laseris quam optimi paulum devorare opus est; porri vel marrubii succum assumere; scillam delingere; acetum ex ea, vel certe acre sorbere, aut cum spica allii contriti duos vini cyathos. Utilis etiam in omni tussi est peregrinatio, navigatio longa, loca maritima, natationes: cibus interdum mollis, ut malva, ut urtica; interdum acer, ut lac cum allio coctum: sorbitiones quibus laser sit adjectum, aut in quibus porrum incoctum tabuerit: ovum sorbile sulphure adjecto: potui primum aqua calida, deinde invicem aliis diebus haec, aliis vinum.

CAP. XI (*). Magis terreri potest aliquis, quum sanguinem exspuit: sed id modo minus, modo plus periculi habet. Exit modo ex gingivis, modo ex ore: et quidem ex hoc interdum etiam copiose, sed sine tussi, sine ulcere, sine gingivarum ullo vitio; ita ut nihil exscreetur: verum ut ex naribus, sic ex ore aliquando prorumpit. Atque interdum sanguis profluit, interdum simile aquae quiddam, in qua caro recens lota est. Nonnumquam autem is a summis faucibus fertur, modo exulcerata ea parte, modo non exulcerata; sed aut ore venae alicujus adaperto, aut tuberculis quibusdam natis, exque his sanguine erumpente. Quod ubi incidit, neque laedit potio aut cibus, neque quidquam ut ex ulcere exscreatur. Aliquando vero, gutture (1) et arteriis exulceratis, frequens tussis sanguinem quoque extundit: interdum etiam fieri solet, ut aut ex pulmone, aut ex pectore, aut ex latere, aut ex jecinore feratur: saepe feminae, quibus sanguis per menstrua non respondet, hunc exspuunt (2). Auctoresque medici sunt, vel exesa parte aliqua sanguinem exire, vel rupta,

(1) Id est aspera arteria, et ejus ramis, quos βρόγχια Graeci appellant. (2) Sic lib. 7. cap. 7. sect. 6. *Heraclides Tarentinus auctor est, scalpello subsecare* etc Hac forma saepe usus est Livius. Lib. 9. cap. 8. *Samnites sub jugum missos, auctores sunt*; et cap. 31, ejusdem lib. *Hoc bellum a Coss. bellatum, quidam auctores sunt.* Item Plinius lib. 5. cap. 7. sect. 7. *Auctores sunt, et has insulas olim habitatas subsedisse.*

(*) CAP. XI *De sanguinis sputu.*

vel ore alicuius venae patefacto. Primam διάβρωσιν, secundam ῥῆξιν, tertiam ἀναστόμωσιν appellant. Ultima miuime uocet; prima gravissime. Ac saepe quidem eveuit, ut sauguinem pus sequatur. Interdum autem, qui sanguinem ipsum suppressit, satis ad valetudinem profuit. Sed si sequuta ulcera sunt, si pus, si tussis est, prout sedes ipsa est, ita varia et periculosa geuera morborum sunt. Si vero sanguis tautum fluit, expeditius et remedium et finis est. Neque ignorari oportet, iis quibus fluere sanguis solet, aut quibus dolet spiua, coxaeve, aut post cursum vehementem, vel ambulationem, dum febris absit, non esse inutile sanguiuis mediocre profluvium: idque per urinam redditum ipsam quoque lassitudinem solvere: ac ne iu eo quidem terribile esse, qui ex superiore loco decidit; si tamen iu ejus urina nihil novavit: neque vomitum hujus afferre periculum, etiam quum repetit, si aute confirmare et implere corpus licuit: et ex toto uullum nocere qui in corpore robusto, neque nimius est, ueque tussim aut calorem movet. Haec pertinent ad universum: nuue ad ea loca, quae proposui, veniam. Si ex gingivis exit, portulacam manducasse satis est; si ex ore, continuisse eo merum vinum: si parum id proficit, acetum. Si inter haec quoque graviter erumpit, quia consumere hominem potest, commodissimum est, impetum ejus, admota occipitio cucurbitula, sic ut cutis quoque incidatur, avertere: si id mulieri, cui menstrua uon feruntur, evenit, eamdem cucurbitulam incisis inguiuibus ejus admovere. At si ex faucibus, iuterioribusve partibus processit, et metus major est, et cura major adhibenda. Sanguis mittendus est; et si nihilo minus ex ore processit, iterum tertioque, et quotidie paulum aliquid: protinus autem debet sorbere vel acetum, vel cum ture plautaginis aut porri succum; imponendaque extrinsecus supra id quod dolet, lana succida ex aceto est, et id spongia subinde refrigeraudum. Erasistratus horum crura quoque et femora brachiaque pluribus locis deligabat. Id Asclepiades, adeo nou prodesse, etiam inimicum esse proposuit. Sed id saepe commode respondere experimenta testautur. Neque tamen pluribus locis deligari necesse est: sed satis est infra inguina, et super talos, summosque humeros, etiam brachia. Tum, si febris urget, dauda est sorbitio, et potui aqua, iu qua aliquid ex iis, quae alvum adstringunt, decoctum sit: at si abest febris, vel elota alica, vel panis ex aqua frigida, et molle quoque ovum dari potest; potui vel idem quod supra scriptum est, vel viuum dulce, vel aqua frigida. Sed sic bibendum erit, ut sciamus huic morbo sitim prodesse. Praeter haec uecessaria suut quies, securitas, silentium. Caput hujus quoque cubantis sublime esse debet; recteque tondetur. Facies saepe aqua frigida fovenda est. At inimica suut vinum, balneum, venus, iu cibo oleum, acria omuia, item calida fomenta, conclave calidum et inclusum, multa vestimenta corpori injecta, etiam frictioues. Ubi beue sauguis conquievit, tum vero incipiendum est a brachiis, cruribusque; a tho-

race abstinendum. In hoc casu per hiemem locis maritimis; per aestatem mediterraneis opus est.

Cap. XII (*). Faucibus subest stomachus; in quo plura longa vitia incidere consuerunt. Nam modo ingens calor, modo inflatio hunc, modo inflammatio, modo exulceratio afficit: interdum pituita, interdum bilis oritur: frequentissimumque ejus malum est, quo resolvitur; neque ulla re magis aut afficitur, aut corpus afficit. Diversa autem, ut vitia ejus, sic etiam remedia sunt. Ubi exaestuat, aceto cum rosa extrinsecus subinde fovendus est; imponendusque pulvis cum oleo, et ea cataplasmata, quae simul et reprimunt, et emolliunt. Potui, nisi quid obstat, gelida aqua praestanda. Si inflatio est, prosunt admotae cucurbitulae; neque incidere cutem necesse est: prosunt sicca et calida fomenta, sed non vehementissima. Interponenda abstinentia est. Utilis in jejuno potio est absinthii, vel hyssopi, aut rutae. Exercitatio primo lenis, deinde major adhibenda est; maximeque quae superiores partes moveat: quod genus in omnibus stomachi vitiis aptissimum est. Post exercitationem opus est unctione, frictione; balneo quoque nonnumquam, sed rarius; interdum alvi ductione; cibis deinde calidis, neque inflantibus; eodemque modo calidis potionibus, primo aquae, post, ubi resedit inflatio, vini austeri. Illud quoque in omnibus stomachi vitiis praecipiendum est, ut quo modo se quisque aeger refecerit, eo sanus utatur: nam redit huic imbellitas sua, nisi iisdem defenditur bona valetudo, quibus reddita est. At si inflammatio aliqua est, quam fere tumor et dolor sequitur, prima sunt, quies, abstinentia, lana sulphurata circumdata, in jejuno absinthium. Si ardor stomachum urget, aceto cum rosa subinde fovendus est: deinde cibis quidem utendum est modicis; imponenda vero extrinsecus quae simul et reprimunt, et emolliunt: deinde, his detractis, utendum calidis ex farina cataplasmatis, quae reliquias digerant: interdum alvus ducenda: adhibenda exercitatio, et cibus plenior. At si exulceratio stomachum infestat, eadem fere facienda sunt, quae in faucibus exulceratis praecepta sunt. Exercitatio, frictio inferiorum partium adhibenda; adhibendi lenes et glutinosi cibi, sed citra satietatem; omnia acria atque acida removenda; vino, si febris non est, dulci, aut, si id inflat, certe leni utendum; sed neque praefrigido, neque nimis calido. Si vero pituita stomachus impletur, necessarius modo in jejuno, modo post cibum vomitus est: utilis exercitatio, gestatio, navigatio, frictio: nihil edendum bibendumque, nisi calidum; vitatis tantum iis quae pituitam contrahere consuerunt. Molestius est, si stomachus bile vitiosus est. Solent autem ii, qui sic tentantur, interpositis quibusdam diebus, hanc, et quidem, quod pessimum est,

(*) Cap. XII. *De stomachi morbis*

atram vomere. His recte alvus ducitur; potiones ex absinthio dantur; necessaria gestatio, navigatio est; si fieri potest, ex nausea vomitus; vitanda cruditas; sumendi cibi faciles et stomacho non alieni, vinum austerum. Vulgatissimum vero pessimumque stomachi vitium est resolutio, id est quum cibi non tenax est, soletque desinere ali corpus, ac sic tabe consumi. Huic generi inutilissimum balneum est; lectiones, exercitationesque superioris partis necessariae; item unctiones frictionesque. His perfundi frigida, atque in eadem natare; canalibus ejusdem subjicere et stomachum ipsum, et magis etiam a scapulis id quod contra stomachum est; consistere in frigidis medicatisque fontibus (1), quales Cutiliarum Sumbruinarumque sunt, salutare est. Cibi quoque assumendi sunt frigidi, qui potius difficulter concoquuntur, quam facile vitiantur. Ergo plerique, qui nihil aliud concoquere possunt, bubulam concoquunt. Ex quo colligi potest, neque avem, neque venationem, neque piscem dari debere, nisi generis durioris. Potui quidem aptissimum est vinum frigidum, vel certe bene calidum, meracum, potissimum rheticum, vel allobrogicum, aliudve, quod et austerum et resina conditum sit; si id non est, quam asperrimum, maximeque signinum. Si cibus non continetur, danda aqua, et eliciendus plenior vomitus est, iterumque dandus cibus; et tum admovendae duobus infra stomachum digitis cucurbitulae, ibique duabus aut tribus horis continendae sunt. Si simul et vomitus et dolor est, imponenda supra stomachum est lana succida, vel spongia ex aceto, vel cataplasma, quod refrigeret: perfricanda vero non diu, sed vehementer brachia et crura, et calefacienda. Si plus doloris est, infra praecordia quatuor digitis cucurbitula utendum est; et protinus dandus panis ex posca frigida: si non continuit, post vomitum leve aliquid ex iis, quae non aliena stomacho sint: si ne id quidem tenuit, singuli cyathi vini, singulis interpositis horis, donec stomachus consistat. Valens etiam medicamentum est radiculae succus: valentius, acidi punici mali, cum pari modo succi, qui ex dulci punico malo est, adjecto etiam intubi succo, et mentae, sed hujus minima parte; quibus tantumdem, quan-

(1) Alii legunt cum Caesario, *quales Cutiliarum, Subcutiliarumque sunt*. Nempe Caesarius haec adnotavit: *Sic quidem mihi legendum videtur, non autem, ut hactenus legebatur*, Subruinarumque (sic). *Nam cujusmodi sint haec aquae, nondum apud quemquam reperi scriptorem idoneum et probatum; de Subcutiliis vero Plinius* 31. cap 2. *quas in Salinis calidissimas esse dicit.* Sed Caesarius, vir alioquin doctus et diligens, lapsus est. Nam Plinius non *Subcutilias*, sed *Cutilias* vocat; easque, non *calidissimas*, sed *frigidissimas* esse ait. Tacitus lib. 11. Annal. cap 13. ita scribit: *Fontesque aquarum Simbruinis collibus deductas* Claudius *urbi intulit.* Lipsius autem adnotat, veteres libros habere *sub Imbruinis.* Ipse tamen *sub Imbrivinis* legendum censet. *Non enim*, inquit, *ex ipsis collibus deductam aquam vult; sed fontes aquarum qui sub collibus, Romam deductos. Locus ipse in melioribus Livii libris* Imbrivium *lib.* 8. *et Silio*, gelidaque rigantur Imbrivio. *Apud Celsum tamen* Simbruinas *item aquas legas lib.* 4. *cap.* 5. consistere in frigidis medicatisque fontibus quales Cutiliarum, Simbruinarumque sunt 1. Videtur igitur legere in Celso *Simbruinarumque* pro *Sumbrui-*

tum in his omnibus est, aquae frigidae quam optimae misceatur (2). Id enim plus quam vinum ad comprimendum stomachum potest. Supprimendus autem vomitus est, qui per se venit, etsi nausea est. Sed si coacuit intus cibus, aut computruit, quorum utrumlibet ructus ostendit, ejiciendus est; protinusque, cibis assumtis iisdem, quos proxime posui, stomachus restituendus. Ubi sublatus est praesens metus, ad ea redeundum est, quae supra praecepta sunt.

Cap. XIII (*). Stomachus lateribus cingitur; atque in his quoque vehementes dolores esse consuerunt. *Et* initium vel ex frigore, vel ex ictu, vel ex nimio cursu, vel ex morbo est: sed interdum malum intra dolorem est, isque modo tarde, modo celeriter solvitur; interdum ad perniciem quoque procedit, oriturque acutus morbus, qui πλευριτικὸς a Graecis nominatur. Huic dolori lateris febris et tussis accedit: et per hanc exscreatur, si tolerabilis morbus est, pituita; si gravis, sanguis. Interdum etiam sicca tussis est, quae nihil emolitur: idque primo vitio gravius, secundo tolerabilius est. Remedium vero est magni et recentis doloris, sanguis missus. At, sive levior, sive vetustior casus est, vel supervacuum, vel serum id auxilium est; confugiendumque ad cucurbitulas est, ante summa cute incisa. Recte etiam sinapi ex aceto super pectus imponitur, donec ulcera pustulasque excitet; et tum medicamentum, quod humorem illuc citet. Praeter haec circumdare primum oportet latus hapso lanae sulphuratae: deinde, qunm paulum inflammatio se remisit, siccis et calidis fomentis uti. Ab his transitus ad malagmata est. Si vetustior dolor remanet, novissime resina imposita discutitur. Utendum cibis potionibusque calidis; vitandum frigus: inter haec tamen non alienum est extremas partes oleo et sulphure perfricare. Si levata tussis est, leni lectione uti; jamque et acres cibos, et vinum meracius assumere. Quae ita a medicis praecipiuntur, ut tamen sine his rusticos nostros epota ex aqua herba trixago satis adjuvet. Haec in omni lateris dolore communia sunt: plus negotii est, si acutus quoque morbus is factus est. In hoc praeter ea, quae supra posita sunt, haec animadvertenda sunt: ut cibus sit quam maxime tenuis et lenis, praecipueque sorbitio, eaque ex ptisana potissimum, aut jus in quo porrus cum pullo gallinaceo coctus sit; idque non nisi tertio quoque die detur, si tamen per vires licebit: potui vero aqua mulsa, in qua hyssopum, aut ruta decocta sit. Quae quibus tempo-

narumque. (2) Caelius Aurelianus lib. 2. cap. 14. Acut Morb. ubi agit de Cardiacis, ita scribit: *At si in totum non tenuerint cibum cum vino accipientes, tunc ex aceto dabimus quicquam. Si neque ita, rursum ex aqua tentabimus dare. Plerique enim ex vino atque aceto sumentes, cum accepta non tenuissent, aqua conjuncta magis cibos tenuerunt.*

(*) Cap. XIII. *De laterum doloribus.*

ribus danda sint, ex ratione *vel adjectae, vel* levatae febris apparebit; sic, ut in remissione quam maxima dentur: cum eo tamen, ut sciamus non esse ejus generis tussi aridas fauces committendas: saepe enim, ubi nihil est quod exscreetur, continuatur, et strangulat. Ob quam causam dixi etiam pejus id genus esse tussis, quod nihil, quam quod pituitam moveret. Sed hic vinum sorbere, ut supra praecepimus, morbus ipse non patitur: in vicem ejus cremor ptisanae sumendus est. Ut his autem in ipso morbi fervore sustinendus aeger est, sic, ubi paulum is se remisit, alimenta pleniora, et vini quoque aliquid dari potest: dum nihil detur, quod aut refrigeret corpus, aut fauces asperet. Si in refectione quoque manserit tussis, intermittere oportebit uno die; posteroque cum cibo vini paulo plus assumere (1). Atque incipiente quoque tussi, tum non erit alienum, ut supra quoque positum est, vini cyathos sorbere: sed in hoc genere valetudinis dulce, vel certe lene commodius est. Si malum inveteravit, athletico victu corpus firmandum est.

Cap. XIV (*). A compagine corporis ad viscera transeundum est; et in primis ad pulmonem veniendum; ex quo vehemens et acutus morbus oritur, quem περιπνευμονικὸν Graeci vocant. Ejus haec conditio est: pulmo totus afficitur: hunc ejus casum subsequitur tussis, bilem vel pus trahens, praecordiorum totiusque pectoris gravitas, spiritus difficultas, magnae febres, continua vigilia, cibi fastidium, tabes. Id genus morbi plus periculi, quam doloris habet. Oportet, si satis validae vires sunt, sanguinem mittere: si minores, cucurbitulas sine ferro praecordiis admovere. Tum, si satis valet, gestando aegrum digerere: si parum, intra domum tamen dimovere. Potionem autem hyssopi dare, cum quo ficus arida sit incocta; aut aquam mulsam, in qua vel hyssopum, vel ruta decocta sit: frictione uti diutissime in scapulis, proxime ab his in brachiis et pedibus et cruribus, leniter contra pulmonem; idque bis quotidie facere. Quod ad cibum vero pertinet, huic nec salsis opus est, neque acribus, neque amaris, neque alvum adstringentibus, sed paulo lenioribus. Ergo primis diebus danda est sorbitio ptisanae, vel alicae, vel oryzae, cum qua recens adeps cocta sit: cum hac sorbile ovum, nuclei pinei ex melle, panis vel elota alica ex aqua mulsa: potui deinde non solum pura aqua, sed etiam mulsa egelida, aut, si aestas est, etiam frigida; nisi quid obstat. Haec autem altero quoque die, increscente

(1) Vinum non modo cum cibo dandum, verum etiam cyathi ejus tunc sorbendi, cum tussis urget. Haec enim non continenter, sed velut per accessiones quasdam subinde molesta fit. Ita haec verba explicanda videntur ex his quae proxime sequuntur: *tum non erit alienum, ut supra quoque positum est, vini cyathos sorbere*; quae spectant locum illum cap. 10. *at si sicca tussis est, cum ea vehementissime urget, adjuvat vini austeri cyathos assumptus* etc.

(*) Cap. XIV. *De Viscerum morbis, et primo de pulmone*

morbo, dare satis est: ubi in incremento constitit, quantum res patitur, ab omnibus abstinendum est, praeterquam aqua egelida. Si vires desunt, adjuvandae sunt aqua mulsa. Prosuntque adversus dolores imposita calida fomenta, vel ea, quae simul et reprimunt, et emolliunt: prodest impositus super pectus sal bene contritus, cum cerato mixtus; quia leviter cutem erodit, eoque impetum materiae, quo pulmo vexatur, evocat. Utile etiam aliquod malagma est ex iis, quae materiam trahunt. Neque alienum est, dum premit morbus, clausis fenestris aegrum continere: ubi paulum levatus est, ter aut quater die, fenestris aliquantum apertis, purum aerem recipere. Deinde in refectione pluribus diebus a vino abstinere; gestatione, frictione uti; sorbitionibus et prioribus cibis adjicere, ex oleribus porrum, ex carne ungulas, et summa trunculorum atque pisciculos sic, ut diu nihil nisi molle et lene sumatur.

Cap. XV (*). Alterius quoque visceris morbus, id est jecinoris, aeque modo longus, modo acutus esse consuevit: ἡπατικὸν Graeci vocant. Dextra parte sub praecordiis vehemens dolor est; idemque ad latus dextrum, et ad jugulum, humerumque partis ejusdem pervenit; nonnumquam manus quoque dextra torquetur; horror validus est; ubi male est, bilis evomitur; interdum singultus prope strangulat. Et haec quidem acuti morbi sunt. Longioris vero, ubi suppuratio in jecinore est; dolorque modo finitur, modo intenditur; dextra parte praecordia dura sunt, et tument; post cibum major spiritus difficultas est; accedit maxillarum quaedam resolutio. Ubi inveteravit malum, venter et crura pedesque intumescunt; pectus atque humeri, circaque jugulum utrumque extenuatur. Initio sanguinem mittere optimum est: tum venter solvendus est, si non potest aliter, per nigrum veratrum: imponenda extrinsecus cataplasmata, primum quae reprimant, deinde calida, quae (a) diducant; quibus recte iris vel absinthium adjicitur: post haec malagma. Dandae vero sorbitiones sunt, omnesque cibi et calidi, et qui non multum alunt, et fere qui pulmonis quoque dolori conveniunt; praeterque eos, qui urinam movent, potionesque ad id efficaces. Utilia in hoc morbo sunt thymum, satureia, hyssopum, nepeta, anisum, sesamum, lauri baccae (1), pini flos, herba sanguinalis, menta, ex malo cotoneo medium, columbae jecur recens et crudum: ex quibus quaedam per se esse, quaedam adjicere vel sorbitioni, vel potioni licet; sic ta-

(1) Morgagnus, cum Caesalpinus de Plant. lib. 3. cap. 52. scripserit, quosdam, quos ex Theophrasto commemoravit, docuisse pinum praeter fructum, amentum fere, deciduum, quem aliqui florem amentaceum ferre non negaverit; ob haec, inquam, existimat legendum esse *pini flos*, et, si quid mutandum, mavult *pini folia*; pini autem folia hepaticis et Diocles dederit; ut tradit Celius Aurelianus lib. 3. Morb. Chron. cap. 4. et iisdem utilia esse docuerit Dioscorides lib. 1. cap. 74.

(*) Cap. XV. *De hepaticis.*
(a) Lupac. corr. *educant.*

men, ut parce assumantur. Neque alienum est, absinthium contritum ex melle et pipere, ejusque catapotium quotidie devorare. Abstinendum utique est ab omnibus frigidis: neque enim res ulla magis jecur laedit. Frictionibus utendum in extremis partibus: vitandus omnis labor, omnis vehementior motus: ne spiritus quidem diutius continendus est. Ira, trepidatio, pondus, jactus, cursus inimica sunt. Perfusio corporis multa prodest ex aqua, si hiems est, calida; si aestas, tepida: item liberalis unctio, et in balneo sudor. Si vero jecur vomica laborat, eadem facienda sunt, quae in ceteris interioribus suppurationibus. Quidam etiam contra id scalpello aperiunt, et ipsam vomicam adurunt.

Cap. XVI (*). At lienis, ubi affectus est, intumescit, simulque cum eo pars sinistra; eaque dura est, et prementi renititur; venter intentus est; aliquis etiam in cruribus tumor est; ulcera aut omnino non sanescunt, aut certe cicatricem vix recipiunt; in intenta ambulatione, cursuque dolor (1), et quaedam difficultas est. Hoc vitium quies auget: itaque exercitatione et labore opus est; habita tamen ratione, ne febrem ista, si nimium processerint, excitent. Unctiones, frictionesque, et sudores necessarii sunt. Dulcia omnia inimica sunt; item lac et caseus: acida autem maxime conveniunt. Ergo acetum acre per se sorbere, et magis etiam, quod scilla conditum est, expedit. Edenda sunt salsamenta, vel oleae ex muria dura; tinctae in aceto lactucae, intubique ex eodem, betae ex sinapi, asparagus, armoracia (a), pastinaca, ungulae, rostra, aves macrae, ejusdem generis venatio. Potui vero jejuno dari debet absinthium incoctum: at post cibum aqua a ferrario fabro, in qua candens ferrum subinde tinctum sit: haec enim vel praecipue lienem coercet. Quod animadversum est in iis animalibus, quae apud hos fabros educata exiguos lienes habent. Potest etiam dari vinum tenue, austerum; omniaque in cibis et potionibus (b), quae urinae movendae sunt. Praecipueque ad id valet vel trifolii semen, vel cuminum, vel apium, vel serpyllum, vel cytisus, vel portulaca, vel nepeta, vel thymum, vel hyssopum, vel satureia: haec enim inde commodissime videntur humorem educere. Lienis quoque bubulus utiliter esui datur: praecipueque eruca et nasturtium lienem extenuant. Imponenda quoque extrinsecus sunt, quae levent. Fit ex unguento et palmulis *quod μυροβάλανον Graeci vocant*; fit ex lini et nasturtii semine, quo vinum

(a) Cochlearia Armoracia



(1) Caelius Aurelianus lib. 3. cap. 4. Morb Chron. ita scribit: *Quaedam communia jecorosis et lienosis; quaedam specialiter propria: sed communia gravedo, spirationis difficultas, magisque in itinere et ambulationibus clivosis* etc.

(b) Lupac. corr. *quibus urinae moventur.*
(*) Cap. XVI. *De Lienosis.*

et oleum adjicitur: fit ex cupresso viridi, et arida ficu: fit ex sinapi, cui sevi hircini a renibus quarta pars ponderis adjicitur, teriturque in sole, et protinus imponitur. Multisque modis huic rei cappari aptum est: nam et ipsum cum cibo assumere, et muriam ejus cum aceto sorbere commodum est. Quin etiam extrinsecus radicem contritam, vel corticem ejus cum furfuribus, aut ipsum cappari cum melle contritum imponere expedit. Malagmata quoque huic rei aptantur.

CAP. XVII (*). At renes ubi affecti sunt, diu male babent. Pejus est, si frequens biliosus vomitus accedit. Oportet conquiescere: cubare molliter: solvere alvum; si aliter non respondet, etiam ducere; saepe desidere in aqua calida: neque cibum, neque potionem frigidam assumere: abstinere ab omnibus salsis, acribus, acidis, pomis: bibere liberaliter: adjicere modo cibo, modo potioni piper, porrum, ferulam, album papaver, quae maxime inde urinam movere consuerunt. Auxilio quoque bis exulceratis sunt, si adhuc ulcera purganda sunt, cucumeris semina detractis corticibus sexaginta, nuclei ex pinu silvestri duodecim, anisi quod tribus digitis sumi possit, croci paulum, contrita et in duas mulsi potiones divisa. Si vero dolor tantum levandus est, ejusdem cucumeris semina triginta, iidem nuclei viginti, nuces graecae quinque, croci paululum, contrita et cum lacte potui data. Ac super quoque recte quaedam malagmata injiciuntur; maximeque ea, quae humori extrahendo sunt.

CAP. XVIII (**). A visceribus ad intestina veniendum est, quae sunt et acutis et longis morbis obnoxia. Primoque facienda mentio est cholerae; quia commune id stomachi atque intestinorum vitium videri potest. Nam simul et dejectio et vomitus est: praeterque haec inflatio est, intestina torquentur, bilis supra infraque erumpit, primum aquae similis, deinde ut in ea recens caro lota esse videatur, interdum alba, nonnumquam nigra, vel varia. Ergo eo nomine morbum hunc χολέραν Graeci nominarunt. Praeter ea vero, quae supra comprehensa sunt, saepe etiam crura manusque contrahuntur, urget sitis, anima deficit: quibus concurrentibus non mirum est, si subito quis moritur. Neque tamen ulli morbo minori momento succurritur. Protinus ergo, ubi ista coeperunt, aquae tepidae quam plurimum bibere oportet, et vomere. Vix umquam sic non vomitus sequitur; sed etiamsi non incidit, miscuisse tamen novam materiam corruptae prodest; parsque sanitatis est, vomitum esse suppressum. Si id incidit, protinus ob omni potione abstinendum est. Si vero tormina sunt, oportet frigidis et humidis fomentis stomachum fovere; vel si venter dolet, iisdem egelidis sic, ut venter ipse mediocriter calen-

(*) CAP. XVII *De Renum morbis*
(**) CAP. XVIII. *De intestinorum morbis, et primo de Cholera.*

tibus juvetur. Quod si vehementer et vomitus, et dejectio, et sitis vexant, et adhuc subcruda sunt quae vomuntur, nondum vino maturum tempus est: aqua, neque ea ipsa frigida, sed potius egelida danda est: admovendumque naribus est pulegium ex aceto, vel polenta vino adspersa, vel menta secundum naturam est. At quum discussa cruditas est, tum magis verendum est, ne anima deficiat. Ergo tum confugiendum est ad vinum. Id esse oportet tenue, odoratum, cum aqua frigida mixtum; vel polenta adjecta, vel infracto pane, quem ipsum quoque assumere expedit: quotiesque aliquid aut stomachus, aut venter effudit, toties per haec vires restituere. Erasistratus primo tribus vini guttis, aut quinis aspergendam potionem esse dixit; deinde paulatim merum adjiciendum. Is, si et ab initio vinum dedit, et metum eruditatis sequutus est, non sine causa fecit: si vehementem infirmitatem adjuvari posse tribus guttis putavit, erravit. At si inanis est homo, et crura ejus contrahuntur, interponenda potio absinthii est. Si extremae partes corporis frigent, ungendae sunt calido oleo, cui cerae paulum sit adjectum, calidisque fomentis nutriendae. Si ne sub his quidem quies facta est, extrinsecus contra ventriculum ipsum cucurbitula admovenda est, aut sinapi superimponendum. Ubi is constitit, dormire oportet: postero die utique a potione abstinere: die tertio in balneum ire: paulatim se cibo reficere; (1) somno quisquis facile acquiescit *** itemque lassitudine et frigore. Si post suppressam choleram febricula manet, alvum duci necessarium est: tum cibis, vinoque utendum est.

Cap. XIX (*). Sed hic quidem morbus et acutus est, et inter intestina stomachumque versatur sic, ut, cujus potissimum partis sit, non facile dici possit. In ipsius vero ventriculi porta consistit is (1), qui longus esse consuevit: κοιλιακὸς a Graecis nominatur. Sub hoc venter indurescit, dolorque ejus est: alvus nihil reddit, ac ne spiritum quidem transmittit: extremae partes frigescunt, difficulter spiritus

(1) Veteres libri habent *comno quisquie facile adquiescit, itemque lassitudine et frigore*; sed locus corruptus est, et post verbum *adquiescit* aliqua desunt. In margine Ed Costantinianae legit. *somnoque qui facilis acquiescit vitataque lassitudine et frigore*; in Edit. Lindenii: *somnoque quisquis facile adquiescit; vitetque lassitudinem et frigora*

(1) Scaliger haec adnotavit: *Comm scuit colicum cum κοιλιακῷ Celsus. Facilis enim est lapsus* Reprehensionem hanc injustam esse Morgagnus docet: cum Celsus. cap. 14. hujus lib *d certe scripserit, intestini plenioris morbum κόλικὸν nominari. Cum autem manifestum sit, descriptum hic, et curatum a Celso morbum longe alium esse ac qui solet a medicis coeliaca passio nominari*, censet *primum inquirendum, an forte qui ante Celsum de Medicina scripserunt Graeci, non eumdem quem posteriores, morbum eodem nomine designassent; aut si eumdem, an interdum alium quoque: deinde. si nunquam alium quam posteri significassent tum vero cogitandum, an librarii, ut tot alia nomina, graeca praesertim, in describendo vitiarunt, ita aliud a Celso fortasse scriptum in κοιλιακὸς mutassent.* Affert autem exemplum cap 21. hujus lib ubi

Cap. XIX. *De Coeliaco ventriculi morbo.*

redditur. Commodissimum est inter initia calida cataplasmata (2) toto ventri imponere, ut dolorem leniant: post cibum vomere, atque ita ventrem exinanire: proximis deinde diebus cucurbitulas sine ferro ventri et coxis admovere: ventrem ipsum liquare dato lacte, et vino salso, frigido; si tempus anni patitur, etiam viridibus ficis: sic tamen, ne quis aut cibus, aut humor universus detur, sed paulatim. Ergo per intervalla temporis sat est cyathos binos ternosve sumere, et cibum pro portione hujus: commodeque facit cyatho lactis cyathus aquae mixtus, et sic datus: cibique inflantes et acres utiliores sunt; adeo ut lacti quoque recte contritum allium adjiciatur. Procedente vero tempore, opus est gestari; maximeque navigare; perfricari ter aut quater die sic, ut nitrum oleo adjiciatur; perfundi aqua calida post cibum; deinde sinapi imponere per omnia membra, excepto capite, donec arrodantur et rubeant; maximeque si corpus durum et virile est: paulatim deinde faciendus est transitus ad ea, quae ventrem comprimunt. Assa caro danda, valens et quae non facile corrumpatur: potui vero pluvialis aqua decocta, sed quae per binos ternosve cyathos bibatur. Si vetus vitium est, oportet laser quam optimum ad piperis magnitudinem devorare: altero quoque die vinum *vel aquam* bibere: interdum interposito cibo singulos vini cyathos sorbere: ex inferiori parte infundere pluviatilem egelidam aquam, maximeque si dolor in imis partibus remanet.

Cap. XX (*). Intra ipsa vero intestina consistunt duo morbi, quorum alter in tenuiore, alter in pleniore est. Prior acutus est; insequens esse longus potest. Diocles Carystius tenuioris intestini morbum χόρδαψον, plenioris εἰλεὸν nominavit. A plerisque video nunc illum priorem εἰλεὸν, hunc κολικὸν nominari. Sed prior modo supra umbilicum, modo sub umbilico dolorem movet. Fit alterutro loco inflammatio: nec alvus, nec spiritus infra transmittitur: si superior pars affecta est, cibus; si inferior, stercus per os redditur (1): si utrumlibet vetus est (a). Adjicit periculo vomitus biliosus, mali odoris, aut varius, aut niger. Remedium est sanguinem mittere; vel cucurbitulas pluribus locis admovere, non ubique cute incisa: id enim duobus aut tribus locis satis est:

vox κολικὸν in antiquis libris aliter aliterque corrupta est Vide ibi adnotat. 4. (2) Apud Scribonium Largum Compos. 26. legit. *Adjuvat coeliacos, torminosos, ventri toto circumdatum emplastrum*: quod probat Rhodius, confirmatque ex Apulejo, qui lib. 11. Metamorph ita scribit: *Principi magno, Senatuisque, et Equiti, totoque Romano Populo*. Sed major est auctoritas Propertii qui lib. 3. Eleg. 11. v. 57. ita habet: *toto quae praesidet orbi*.

(1) Morgagnus hunc locum sic restituendum putat: *nec spiritus infra transmittitur. Adjicitur*. vel, quoniam in codice est *accidit*, *Accedit periculo, si vomitus biliosus, mali odoris, aut varius, aut niger est. Si superior pars affecta est cibus, si inferior stercus per os redditur; si utrumlibet vetus est*.

(a) Lupac. cor. *Accedit*

(*) Cap. XX. *De tenuioris intestini morbo*.

ex ceteris spiritum evocare abunde est. Tum animadvertere oportet, quo loco malum sit: solet enim contra id tumere. Et si supra umbilicum est, alvi ductio utilis non est: si infra est, alvum ducere, ut Erasistrato placuit, optimum est; et saepe id auxilii satis est. Ducitur autem percolato ptisanae cremore, cum oleo et melle sic, ut praeterea nihil adjiciatur. Si nihil tumet, duas manus imponere oportet supra summum ventrem, paulatimque deducere: invenietur enim mali locus, qui necesse est renitatur; et ex eo deliberari poterit, ducenda, nec ne alvus sit. Illa communia sunt: calida cataplasmata admovere, eaque imponere a mammis usque ad inguina et spinam, ac saepe mutare: brachia cruraque perfricare: demittere totum hominem in calidum oleum: si dolor non quiescit, etiam in alvum ex parte inferiore tres aut quatuor cyathos calidi olei dare. Ubi per haec consequuti sumus, ut jam ex inferiore parte spiritus transmittatur, offerre potui mulsum tepidum non multum: nam ante magna cura vitandum est, ne quid bibat. Si id commode cessit, adjicere sorbitionem. Ubi dolor et febricula quierunt, tum demum uti cibo pleniore; sed neque inflante, neque duro, neque valido, ne intestina adhuc imbecilla laedantur. Potui vero nihil, praeterquam puram aquam. Nam sive quid vinolentum, sive acidum est, id huic morbo alienum est. Ac postea quoque vitare oportet balneum, ambulationem, gestationem, ceterosque corporis motus. Nam facile id malum redire consuevit; et sive frigus subit, sive aliqua jactatio, nisi bene jam confirmatis intestinis, revertitur.

CAP. XXI (*). Is autem morbus, qui in intestino pleniore est, in ea maxime parte est, quam caecam esse proposui. Vehemens fit inflatio, vehementes dolores, dextra magis parte: intestinum, quod verti videtur, prope spiritum elidit. In plerisque post frigora cruditatesque oritur, deinde quiescit; et per aetatem saepe repetens sic cruciat, ut vitae spatio nihil demat. Ubi is dolor coepit, admovere sicca et calida fomenta oportet; sed primo lenia, deinde validiora; simulque frictione ad extremas partes, id est crura brachiaque materiam evocare: si discussus non est, qua dolet, cucurbitulas sine ferro defigere. Est etiam medicamentum ejus rei causa comparatum, *quod κολικὸν nominatur*. Id se reperisse Cassius gloriabatur. Magis prodest potui datum: sed impositum quoque extrinsecus, digerendo spiritum, dolorem levat. Nisi finito vero tormento, recte neque cibus, neque potio assumitur. Quo victu sit utendum iis, qui hoc genere tentantur, jam mihi dictum est.

CAP. XXII (**). Proxima his inter intestinorum mala tormina esse consueverunt: *δυσεντερία* graece vocatur. Intus intestina exulceran-

(*) CAP. XXI. *De morbo intestini plenioris.*
(**) CAP. XXII. *De torminibus.*

tur: ex his cruor manat; iisque modo cum stercore aliquo semper liquido, modo cum quibusdam quasi mucosis excernitur: interdum simul quaedam carnosa descendunt: frequens dejiciendi cupiditas, dolorque in ano est: cum eodem dolore exiguum aliquid emittitur: atque eo quoque tormentum intenditur: idque post tempus aliquod levatur; exiguaque requies est: somnus interpellatur: febricula oritur: longoque tempore id malum, quum inveteraverit, aut tollit hominem, aut, etiamsi finitur, excruciat. Oportet in primis conquiescere; siquidem omnis agitatio exulcerat: deinde jejunum sorbere vini cyathum, cui contrita radix quinquefolii sit adjecta: imponere cataplasmata super ventrem, quae reprimant; quod in superioribus ventris morbis non expedit: quotiesque desedit, subluere aqua calida in qua decoctae verbenae sint: portulacam vel coctam, vel ex dura muria edisse (1); *cibos potionesque eas quae adstringunt alvum.* Si vetustior morbus est, ex inferioribus partibus tepidum infundere vel ptisanae cremorem, vel lac, vel adipem liquatam, vel medullam cervinam, vel oleum, vel cum rosa butyrum, vel cum eadem album crudum ex ovis, vel aquam in qua lini semen decoctum sit; vel, si somnus non accedit, vitellos cum aqua in qua rosae floris folia cocta sint. Levant enim dolorem haec, et mitiora ulcera efficiunt; maximeque utilia sunt, si cibi quoque sequutum fastidium est. Themison muria dura quam asperrima sic utendum memoriae prodidit. Cibi vero esse debent, qui leniter ventrem adstringant. At ea, quae urinam movent, si id consequuta sunt, in aliam partem humorem avertendo, prosunt; si non sunt consequuta, noxam augent: itaque nisi in quibus prompte id facere consuerunt, non sunt adhibenda. Potui, si febricula est, aqua pura calida, vel ea quae ipsa quoque adstringat, dari debet: si non est, vinum leve, austerum. Si pluribus diebus nihil remedia alia juverunt, vetusque jam vitium est, aquae bene frigidae potio assumta ulcera adstringit, et initium secundae valetudinis facit. Sed ubi venter suppressus est, protinus ad calidam potionem revertendum est. Solet autem interdum etiam putris sanies, pessimique odoris descendere: solet purus sanguis profluere. Si superius vitium est, alvus aqua mulsa duci debet; tum deinde eadem infundi, quae supra comprehensa sunt (2). *Valensque est etiam adversus cancerem intestinorum minii gleba cum salis hemina contrita, si mixta his aqua in alvum datur.* At si sanguis profluit, cibi potionesque esse debent, quae adstringant.

Cap. XXIII (*). Ex torminibus interdum intestinorum laevitas oritur; qua continere nihil possunt, et quidquid assumtum est, im-

(1) Membrum insititium et supervacuum. (2) Mihi haec periodus pluribus de causis suspecta est.

(*) Cap XXIII. *De laevitate intestinorum.*

perfectum protinus reddunt. Id interdum aegros trahit, interdum praecipitat. In hoc utique adhibere oportet comprimentia; quo facilius tenendi aliquid intestinis vis sit. Ergo et super pectus ponatur sinapi; exulcerataque cute, malagma quod humorem evocet: et ex verbenis decocta in aqua desideat: et cibos potionesque assumat, quae alvum adstringant: et frigidis utatur perfusionibus. Oportet tamen prospicere, ne, simul his omnibus admotis, vitium contrarium per immodicas inflationes oriatur. Paulatim ergo firmari intestina debebunt, aliquibus quotidie adjectis. Et quum in omni fluore ventris, tum in hoc praecipue necessarium est, non quoties libet desidere, sed quoties necesse est; ut haec ipsa mora in consuetudinem ferendi oneris intestina deducat. Alterum quoque, quod aeque ad omnes similes affectus pertinet, in hoc maxime servandum est; ut, quum pleraque utilia insuavia sint, qualis est plantago et rubi et quidquid malicorio mixtum est, ea potissimum ex his dentur, quae maxime aeger volet: deinde, si omnia ista fastidiet, ad excitandam cibi cupiditatem, interponatur aliquid minus utile, sed magis gratum. Exercitationes et frictiones huic quoque morbo necessariae sunt; et cum his sol, ignis, balneum, vomitus, ut Hippocrati visum est, etiam albo veratro, si cetera parum (a) proficient, evocatus.

CAP. XXIV (*). Nonnumquam autem lumbrici quoque occupant alvum; hique modo ex inferioribus partibus, modo foedius ore redduntur: atque interdum latos eos, qui pejores sunt, interdum teretes videmus. Si lati sunt, aqua potui dari debet, in qua lupinum, aut cortex mori decoctus sit; aut cui adjectum sit contritum vel hyssopum, vel piperis acetabulum, vel scammoniae paulum. Vel etiam pridie, quum multum allium ederit, vomat: posteroque die mali punici tenues radiculas colligat, quantum manu comprehendet; eas contusas in aquae tribus sextariis decoquat, donec tertia pars supersit; huc adjiciat nitri paulum, et jejunus bibat. Interpositis deinde tribus horis, duas potiones sumat. At aquae, vel muriae durae sit adjecta: tum desideat subiecta calida aqua in pelve. Si vero teretes sunt, qui pueros maxime exercent, et eadem dari possunt, et quaedam leviora; ut contritum semen urticae, aut brassicae, aut cumini cum aqua, vel menta cum eadem, vel absinthium decoctum, vel hyssopum ex aqua mulsa, vel nasturtii semen cum aceto contritum. Edisse etiam et lupinum, et allium prodest; vel in alvum oleum subter dedisse.

CAP. XXV (**). Est autem aliud levius omnibus proximis, de quibus supra dictum est, quod τεινεσμὸν Graeci vocant. Id neque acutis,

(a) Lupac corr. *sufficient.*
(*) CAP. XXIV. *De lumbricis alvum occupantibus.*
(**) CAP. XXV. *De tenesmo.*

neque longis morbis annumerari debet; quum et facile tollatur, neque umquam per se jugulet. In hoc aeque atque in torminibus frequens desidendi cupiditas est; aeque dolor ubi aliquid excernitur. Descendunt autem pituitae mucisque similia, interdum etiam leviter subcruenta : sed his interponuntur nonnumquam ex cibo quoque recte coacta. Desidere oportet in aqua calida; saepiusque ipsum anum nutrire; cui plura medicamenta idonea sunt: butyrum cum rosa; acacia ex aceto liqnata; emplastrum id quod τετραφάρμακον Graeci vocant, rosa liquatum; alumen lana circumdatum, et ita appositum; eademque ex inferiore parte indita, quae torminum auxilia sunt; eaedem verbenae decoctae, nt inferiores partes foveantur. Alternis vero diebus aqua, alternis leve et austerum vinum bibendum est. Potio esse debet egelida et frigidae propior; ratio victus talis, qualem in torminibus supra praecepimus.

Cap. XXVI (*). Levior etiam, dum recens, dejectio est; ubi et liquida alvus, et saepius quam ex consuetudine fertur: atque interdum tolerabilis dolor est, interdum gravissimus; idque pejus est. Sed uno die fluere alvum saepe (1) pro valetudine est: atque etiam pluribus, dum febris absit, et intra septimum diem id conquiescat. Purgatur enim corpus, et quod intus laesurum erat, utiliter effunditur. Verum spatium periculosum est: interdum enim tormina ac febriculas excitat, viresque consumit. Primo die quiescere satis est; neque impetum ventris prohibere. Si per se desiit, balneo uti, paulum cibi capere: si mansit, abstinere non solum a cibo, sed etiam a potione. Postero die, si nihilominus liquida alvus est, aeque conquiescere; paulum adstringentis cibi sumere. Tertio die in balneum ire; vehementer omnia praeter ventrem perfricare; ad ignem lumbos, scapulasque admovere; cibis uti, sed ventrem contrahentibus; vino non multo, meraco. Si postero quoque die fluet, plus edisse, sed vomere. Et ex toto, donec conquiescat, contra siti, fame, vomitu niti. Vix enim fieri potest, ut, post hanc animadversionem, alvus non contrahatur. Alia via est ubi velis supprimere: coenare, deinde vomere: postero die in lecto conquiescere; vespere ungi, sed leniter; deinde panis circa selibram ex vino amineo mero sumere; tum assum aliquid, maximeque avem; et postea vinum idem bibere aqua pluviatili mixtum: idque usque quintum diem facere, iterumque vomere. Frigidam autem assidue potionem esse debere, contra priores auctores Asclepiades affirmavit, et quidem quam frigidissimam. Ego experimentis quemque in se credere debere existimo, calida potius, an frigida utatur. Interdum autem evenit, ut

(1) Loco morbi: nam uno die fluere alvum, pro morbo non habetur. Simili formula utitur Seneca epist. 78. *Ex morbo gravi et diutino emergentem, cui sanitatis loco est*

(*) Cap. XXVI. *De ventris fluxu.*

id pluribus diebus neglectum, curari difficilius possit. A vomitu oportet incipere: deinde postero die vespere tepido loco ungi; cibum modicum assumere, vinum meracum quam asperrimum; impositam super ventrem habere cum cerato rutam. In hoc autem affectu corporis neque ambulatione, neque frictione opus est: vehiculo sedisse, vel magis etiam equo, prodest: neque enim ulla res magis intestina confirmat. Si vero etiam medicamentis utendum est, aptissimum est id quod ex pomis fit. Vindemiae tempore in grande vas conjicienda sunt pira atque mala silvestria: si ea non sunt, pira tarentina viridia, vel signina, mala scandiana (2), vel amerina, myrapia; hisque adjicienda sunt cotonea, et cum ipsis corticibus suis punica, sorba, et quibus magis utimur, et torminalia, sic, ut haec tertiam ollae partem teneant: tum deinde ea musto implenda est; coquendumque id, donec omnia quae indita sunt, liquata, in unitatem quamdam coeant. Id gustui non insuave est; et, quandocumque opus est, assumtum leniter, sine ulla stomachi noxa, ventrem tenet. Duo aut tria cochlearia uno die sumsisse, satis est. Alterum valentius genus: myrti baccas legere, ex his vinum exprimere, id decoquere, ut decima pars remaneat, ejusque cyathum sorbere. Tertium, quod quandocumque fieri potest: malum punicum excavare, exemptisque omnibus seminibus, membranas quae inter ea fuerunt, iterum conjicere: tum infundere cruda ova, rudiculaque miscere: deinde malum ipsum super prunam imponere; quod, dum humor intus est, non aduritur: ubi siccum esse coepit, removere oportet, extractumque cochleari, quod intus est, edisse. Aliquibus adjectis, majus momentum habet: itaque etiam in piperatum conjicitur, misceturque cum sale et pipere, atque ex his edendum est. Pulticula etiam, cum qua paulum ex favo vetere coctum sit, et lenticula cum malicorio cocta, rubique cacumina in aqua decocta, et ex oleo atque aceto assumta, efficacia sunt: atque ea aqua in qua vel palmulae, vel malum cotoneum, vel arida sorba, vel rubi decocti sint *potata*: quod genus significo, quoties potionem dandam esse dico, quae adstringat. Tritici quoque hemina in vino amineo austero decoquitur; idque triticum jejuno ac sitienti datur; superque id vinum id sorbetur: quod jure valentissimis medicamentis annumerari potest. Atque etiam potui datur (3) vinum signinum, vel resinatum austerum, vel quodlibet austerum. Contunditurque cum corticibus seminibusque suis punicum malum, vinoque tali miscetur: idque vel merum sorbet aliquis, vel bibit mixtum. Sed medicamentis uti, nisi in vehementibus malis, supervacuum est.

levior accessio. (2) Mala myrapia nullus auctor, quod sciam, commemorat: pira myrrapia habent Columella lib. 12. cap. 10 RR. Plinius, qui *ab odore myrapia* esse dicta tradit lib. 15 cap. 15. sect. 16. (3) Plinius lib. 23. cap. 1. sect. 21. *Alvo citae* vinum *signinum maxime convenire, indubitatum* est.

Cap. XXVII (*). 1. Ex vulva quoque feminis vehemens malum nascitur : proximeque ab stomacho vel afficitur haec , vel corpus afficit. Interdum etiam sic exanimat, ut tamquam comitiali morbo prosternat. Distat tamen hic casus, eo quod neque oculi vertuntur, nec spumae profluunt, nec nervi distenduntur: sopor tantum est. Idque quibusdam feminis crebro revertens perpetuum fit. Ubi incidit , si satis virium est, sanguis missus adjuvat: si parum *est*, cucurbitulae tamen defigendae sunt in inguinibus. Si diutius aut jacet , aut alioqui jacere consuevit, admovere oportet naribus extinctum ex lucerna linamentum, vel aliud ex iis , quae foedioris esse odoris retuli , quod mulierem excitet. Idemque aquae quoque frigidae perfusio efficit. Adjuvatque ruta contrita cum melle , vel ex cyprino ceratum, vel quodlibet calidum et humidum cataplasma naturalibus pube tenus impositum. Inter haec etiam perfricare coxas et poplites oportet. Deinde, ubi ad se rediit , circumcidendum vinum est in totum annum , etiamsi casus idem non revertitur : frictione quotidie utendum totius quidem corporis , praecipue vero ventris et poplitum : cibus ex media materia dandus : sinapi super imum ventrem tertio quoque aut quarto die imponendum , donec corpus rubeat (1). Si durities manet, mollire commode videtur solanum in lac demissum , deinde contritum; et cera alba atque medulla cervina cum irino, aut sevum taurinum vel caprinum cum rosa mixtum. Dandum etiam potui vel castoreum est, vel gith, vel anethum. Si parum pura est, purgetur junco quadrato. Si vero vulva exulcerata est, ceratum ex rosa *fiet*, et recens suilla adeps , et ex ovis album misceatur , idque apponatur; vel album ex ovo cum rosa mixtum, adjecto, quo facilius consistat, contritae rosae pulvere. Dolens vero ea sulphure suffumigari debet. At si purgatio nimia mulieri nocet, remedio sunt cucurbitulae , cute incisa, inguinibus vel etiam sub mammis admotae. Si maligna purgatio est (2) , subjicienda sunt * * * *

* * * * *

(1) Nihil praecedit de duritie, quo haec referantur. Videntur aliqua deesse. — (2) Edd. sex primae, et Ruelliana ita habent: *subjicienda sunt coeuntia*; Manutianae, *subjicienda sunt* * *coeuntia*; Caesariana, Pantiniana, et Stephani, *subjicienda sunt coercentia*; Gryphiana, et Constantiniana , *subjicienda sunt* * *coeuntia*; Costantiniana in margine, *menses evocantia*; Lindeniana , *subjicienda sunt* * *coeuntia*. In Codd. Mss. inter hae verba *subjicienda sunt*, et illa *coeuntia. Id faciunt* etc quae infra posita sunt, magna lacuna est; et in plerisque margine adscriptum est, *Desunt in vetustissimo exemplari duo folia*. Quae desint, Morgagnus ostendit ex ea parte Indicum, qui huic libro praepositi sunt in Codd. Foroliviensi, et Veneto: quae pars huic lacunae respondet: videlicet

CII. Vola (id est *Volva*) *exulcerata est.*
CIII. De Vesica.
CIIII. De calculis in vesica.
CV. In omni dolore vesicae

Ejusmodi indices habentur etiam in Codd. Mediceis II. III. IV. V. et VII. et in mul-

(*) Cap. XXVII. *De vulvae morbo.*

* * * * * * * coeuntia. Id faciunt etiam albae olivae, et nigrum papaver cum melle assumtum, et gummi cum trito semine apii liquatum, et cum cyatho passi datum. Praeter haec in omnibus vesicae doloribus idoneae potiones sunt, quae ex odoribus fiunt, id est spica nardi, croco, cinnamo, casia, similibusque: idemque etiam decocta lentiscus praestat. Si tamen intolerabilis dolor est, et sanguis profluit, etiam sanguinis detractio apta est; aut certe coxis admotae cucurbitulae cute incisa.

2. At quum urina super potionum modum etiam sine dolore profluens maciem et periculum facit, si tenuis est, opus est exercitatione et frictione, maximeque in sole, vel ad ignem: balneum rarum esse debet, neque longa in eo mora: cibus comprimens: vinum austerum meracum, per aestatem frigidum, per hiemem egelidum; sed tantum, quantum (a) minimum sit. Alvus quoque vel ducenda, vel lacte purganda est. Si crassa urina est, vehementior esse debet et exercitatio, et frictio: longior in balneo mora: cibis opus est teneris: vino eodem. In utroque morbo vitanda omnia sunt, quae urinam movere consuerunt.

Cap. XXVIII (*). Est etiam circa naturalia vitium, nimia profusio seminis, quod sine venere, sine nocturnis imaginibus sic fertur, ut, interposito spatio, tabe hominem consumat. In hoc affectu salutares sunt vehementes frictiones, perfusiones, natationesque quam frigidissimae: neque cibi, nec potio, nisi frigida assumta. Vitare autem oportet cruditates et omnia inflantia: nihil ex iis assumere, quae contrahere semen videntur; qualia sunt siligo, simila, ova, alica, amylum, omnis caro glutinosa, piper, eruca, bulbi, nuclei pinei. Neque alienum est fovere inferiores partes aqua decocta ex verbenis comprimentibus: ex iisdem aliqua cataplasmata imo ventri inguinibusque circumdare; praecipueque ex aceto rutam: vitare etiam ne supinus obdormiat.

Cap. XXIX (**). Superest ut ad extremas partes corporis veniam, quae articulis inter se conseruntur. Initium a coxis faciam. Harum ingens dolor esse consuevit: isque hominem saepe debilitat: et quosdam non dimittit. Eoque id genus difficillime curatur, quod fere post longos morbos vis pestifera huc se inclinat: quae ut alias partes libe-

lis Vaticanis: in Med. autem I. et vat. VIII. haec sunt: *De capitis doloribus, de distensione oris, linguae resolutione, destillatione. . . . . dejectione, vulvae, et vesicae vitiis, profusione seminis, coxis, genibus, humeris, pedibus, manibus dolentibus.*

(a) Lupac. corr. *minimum sit: in finiat: alvus.*
(*) Cap. XXVIII. *De Seminis nimia ex naturalibus profusione.*
(**) Cap. XXIX. *De Coxarum morbis.*

rat, sic hanc jam ipsam quoque affectam prehendit. Fovendum primum aqua calida est : deinde utendum calidis cataplasmatis. Maxime prodesse videtur aut cum hordeacea farina, aut cum ficu ex aqua decocta mixtus capparis cortex concisus; vel lolii farina ex vino diluto cocta, et mixta cum arida faece: quae quia refrigescunt, imponere noctu malagmata commodius est. Inulae quoque radix contusa, et ex vino austero postea cocta, et late super coxam imposita, inter valentissima auxilia est. Si ista non solverunt, sale calido et humido utendum est. Si ne sic quidem finitus dolor est, aut tumor ei accedit, incisa cute admovendae sunt cucurbitulae ; movenda urina; alvus, si compressa est, ducenda. Ultimum est, et in veteribus quoque morbis efficacissimum, tribus aut quatuor locis super coxam, cutem candentibus ferramentis exulcerare. Sed frictione quoque utendum est, maxime in sole, et eodem die saepius; quo facilius ea, quae coeundo nocuerunt, digerantur: eaque, si nulla exulceratio est, etiam ipsis coxis; si est, ceteris partibus adhibenda est. Quum vero saepe aliquid exulcerandum candenti ferramento sit, ut materia inutilis evocetur, illud perpetuum est, non ut primum fieri potest, hujus generis ulcera sanare ; sed ea trahere, donec id vitium, cui per haec opitulamur, conquiescat.

CAP. XXX (*). Coxis proxima genua sunt, in quibus ipsis nonnumquam dolor esse consuevit. In iisdem autem cataplasmatis cucurbitulisque praesidium est: sicut etiam quum in humeris, aliisve commissuris dolor aliquis exortus est. Equitare ei, cui genua dolent, inimicissimum omnium est. Omnes autem ejusmodi dolores, ubi inveteraverunt, vix citra ustionem finiuntur.

CAP. XXXI (**). In manibus pedibusque articulorum vitia frequentiora longioraque sunt ; quae in podagris chiragrisve esse consuerunt (1). Ea raro vel castratos, vel pueros ante feminae coitum, vel mulieres, nisi quibus menstrua suppressa sunt, tentant. Ubi sentiri coeperunt, sanguis mittendus est: id enim inter initia statim factum, saepe annuam, nonnumquam perpetuam valetudinem bonam praestat. Quidam etiam, quum asinino lacte epoto sese eluissent, in perpetuum hoc malum evaserunt. Quidam quum totoanno a vino, mulso, venere sibi temperassent, securitatem totius vitae consequuti sunt. Idque utique post primum dolorem servandum est, etiamsi quievit.

(1) Ex Aphorismis 29. et 30. Sect. 6. Galenus in Comment. *Eunuchos podagra non tentari, Hippocratis temporibus verum erat: nunc vero propter nimium tum otium, tum vitae intemperantiam, non item habetur verum.* Seneca epist. 95. *Quid ergo mirandum est, maximum medicorum, ac naturae peritissimum in mendacio deprehendi, cum tot feminae podagricae, calvaeque fiant? Beneficium sexus suis vitiis perdide-*

(*) CAP. XXX. *De Genuum dolore.*
(**) CAP. XXXI. *De manuum, pedum, articulorumque vitiis.*

Quod si jam consuetudo ejus facta est, potest quidem aliquis esse securior iis temporibus, quibus dolor se remisit: majorem vero curam adhibere debet iis quibus id revertitur ; quod fere vere autumnove fieri solet. Quum vero dolor urget, mane gestari debet; deinde ferri in ambulationem, ibi se dimovere ; et si podagra est, interpositis temporibus exiguis, invicem modo sedere, modo ingredi ; tum antequam cibum capiat, sine balneo loco calido leniter perfricari, sudare, perfundi aqua egelida ; deinde cibum sumere ex media materia, interpositis rebus urinam moventibus; quotiesque plenior est, evomere. Ubi dolor vehemens urget, interest sine tumore is sit, an tumor cum calore, an tumor jam etiam obcallucrit. Nam si tumor nullus est, calidis fomentis opus est. Aquam marinam, vel muriam duram fervefacere oportet, deinde in pelvem conjicere, et quum jam homo pati potest, pedes demittere, superque pallam dare, et vestimento tegere ; paulatim deinde juxta labrum ipsum ex eadem aqua leniter infundere, ne calor intus destituat; ac deinde noctu cataplasmata calefacientia imponere (2), maximeque hibisci radicem ex vino coctam.

Si vero tumor calorque est, utiliora sunt refrigerantia, recteque in aqua quam frigidissima articuli continentur; sed neque quotidie, neque diu, ne nervi indurescant. Imponendum vero est cataplasma quod refrigeret ; neque tamen in hoc ipso diu permanendum ; sed ad ea transeundum, quae sic reprimunt, ut emolliant. Si major est dolor, papaveris cortices in vino coquendi, miscendique cum cerato sunt, quod ex rosa factum sit : vel cerae et adipis suillae tantumdem una liquandum, deinde his vinum miscendum, atque ubi quod ex eo impositum est, incaluit, detrahendum, et subinde aliud imponendum est. Si vero tumores etiam obcalluerunt, et dolent, levat spongia imposita, quae subinde ex oleo, et aceto, vel aqua frigida exprimitur; aut pari portione inter se mixta pix, cera, alumen. Sunt etiam plura idonea manibus pedibusque malagmata. Quod si nihil superimponi dolor patitur, id, quod sine tumore est, fovere oportet spongia, quae in aquam calidam demittatur, in qua vel papaveris cortices, vel cucumeris silvestris radix decocta sit: tum inducere articulis crocum cum succo papaveris et ovillo lacte. At si tumor est, foveri quidem debet aqua egelida, in qua lentiscus, aliave verbena ex reprimentibus decocta sit : induci vero medicamentum ex nucibus amaris cum aceto tritis; aut ex cerussa, cui contritae herbae muralis succus sit adjectus. Lapis etiam qui carnem exedit, quem σαρκοφάγον Graeci vocant, excisus, sic, ut pedes capiat, demissos eos, quum dolent, retentosque ibi levare consuevit. Ex quo in Asia lapidi asio gratia est. Ubi dolor et inflammatio se remiserunt, (quod intra diesquarunt.

(2) Plinius lib 20. cap. 4. sect. 14. *Celsus et podagris, quae sine tumore sint, radicem ejus* hibisci *ex vino decoctum imponi jubet.*

draginta fit, nisi vitium hominis accessit), modicis exercitationibus, abstinentia, unctionibus lenibus utendum est, sic, ut etiam cum acopo, vel liquido cerato cyprino articuli perfricentur. Equitare podagricis quoque alienum est. Quibus vero articulorum dolor certis temporibus revertitur, hos ante et curioso victu cavere oportet, ne inutilis materia corpori supersit, et crebriore vomitu; et, si quis ex corpore metus est, vel alvi ductione uti, vel lacte purgari. Quod Erasistratus in podagricis expulit, ne in inferiores partes factus cursus pedes repleret: quum evidens sit, omni purgatione non superiora tantummodo, sed etiam inferiora exinaniri.

Cap. XXXII (*). Ex quocumque autem morbo quis convalescit, si tarde confirmatur, vigilare prima luce debet; nihilominus in lecto conquiescere: circa tertiam horam leniter unctis manibus corpus permulcere: deinde delectationis causa, quantum juvat, ambulare, circumcisa omni negotiosa cogitatione (1), *vel actione*: tum gestari diu: multa (*a*) frictione uti: loca, coelum, cibos saepe mutare: ubi triduo quadriduove vinum bibit, uno aut etiam altero die interponere aquam. Per haec enim fiet, ne in vitia tabem inferentia incidat, et ut mature vires suas recipiat. Quum vero ex toto convaluerit, periculose vitae genus subito mutabit, et inordinate aget. Paulatim ergo debebit, omissis his legibus, eo transire, ut arbitrio suo vivat.

(1) Ego duas voces *vel actione* tollendas puto. Dum aliquis ambulat, vix est ut aliud agere possit; ambulando cogitare de aliquo negotio potest

(*) Cap. XXXII. *De refectione convalescentium a morbo.*
(*a*) Lupac. corr. *opricatione.*

A. CORNELII CELSI

ARTIUM LIBER DECIMUS

IDEM

MEDICINAE

QUINTUS.

(*) Dixi de iis malis corporis, quibus victus ratio maxime subvenit: nunc transeundum est ad eam medicinae partem, quae magis medicamentis pugnat. His multum antiqui auctores tribuerunt, et Erasistratus, et ii qui se ἐμπειρικοὺς nominaverunt; praecipue tamen Herophilus, deductique ab illo viri; adeo ut nullum morbi genus sine his curarent. Multaque etiam de facultatibus medicamentorum memoriae prodiderunt, qualia sunt vel Zenonis, vel Andreae, vel Apollonii, qui Mys cognominatus est. Horum autem usum ex magna parte Asclepiades non sine causa sustulit; et, quum omnia fere medicamenta stomachum laedant, malique succi sint, ad ipsius victus rationem potius omnem curam suam transtulit. Verum, ut illud in plerisque morbis utilius est, sic multa admodum corporibus nostris incidere consuerunt, quae sine medicamentis ad sanitatem pervenire non possunt. Illud ante omnia scire oportet, quod omnes medicinae partes ita innexae sunt, ut ex toto separari non possint; sed ab eo nomen trahant, a quo plurimum petunt. Ergo ut illa, quae victu curat, aliquando medicamentum adhibet, ita illa, quae praecipue medicamentis pugnat, adhibere etiam rationem victus debet, quae multum admodum in omnibus malis corporis proficit. Sed quum omnia medicamenta proprias facultates habeant, ac saepe simplicia opitulentur, saepe mixta; non alienum videtur ante proponere et nomina, et vires, et mixturas eorum; quo minor ipsas curationes exsequentibus mora sit.

Cap. I (**). Sanguinem supprimunt atramentum sutorium, quod Graeci χάλκανθον appellant, chalcitis, acacia, et ex aqua lycium, tus, aloe, gummi, plumbum combustum, porrum, herba sangui-

(*) *De medicamentorum facultatibus.*
(**) Cap. I. *De remediis quae sanguinem supprimunt.*

nalis, creta vel cimolia vel figularis, misy, frigida aqua, vinum, acetum, alumen, melinum, squama et ferri et aeris, atque hujus quoque duae species sunt, alia tantum aeris, alia rubri aeris.

CAP. II (*). Glutinant vulnus myrrha, tus, gummi, praecipueque acanthinum, psyllium, tragacantha, cardamomum, bulbi, lini semen, nasturtium, ovi album, gluten, ichthyocolla, vitis alba, contusae cum testis suis cochleae, mel coctum, spongia vel ex aqua frigida, vel ex vino, vel ex aceto expressa; ex iisdem lana succida; si levis plaga est, etiam aranea.

Reprimunt alumen et scissile, quod σχιστὸν vocatur, et liquidum, melinum, auripigmentum, aerugo, chalcitis, atramentum sutorium.

CAP. III (**). Concoquunt et movent pus nardum, myrrha, costum, balsamum, galbanum, propolis, styrax, turis et fuligo et cortex, bitumen, pix, sulphur, resina, sevum, adeps, oleum.

CAP. IV (***). Aperiunt tamquam ora in corporibus, quod στόμα Graece dicitur, (*a*) cinnamomum, balsamum, (*b*) panaces, juncus quadratus, pulegium, flos albae violae, bdellium, galbanum, resina terebinthina et pinea, propolis, oleum vetus, piper, (*c*) pyrethrum (1), chamaepitys, uva taminia, sulphur, alumen, rutae semen.

CAP. V (****). Purgant aerugo, auripigmentum, *quod ἀρσενικὸν a Graecis nominatur, huic autem et sandarachae in omnia eadem vis, sed validior est*, squama aeris, pumex, iris, balsamum, styrax, tus, turis cortex, resina, et pinea, et terebinthina liquida, oenanthe,

(*) CAP. II. *Quae vulnus glutinent.*
(**) CAP. III. *Quae concoquant et moveant pus.*
(***) CAP. IV. *Quae aperiant ora in corporibus.*
(****) CAP. V. *Quae purgent.*

(*a*) Laurus cinnamomum



(*b*) Pastinaca opopanax



(*c*) Anthemis pyrethrum



lacerti stercus, sanguis columbae, et palumbi, et hirundinis, ammoniacum, bdellium, *quod in omnia idem, quod ammoniacum potest, sed valentius est,* abrotonum, ficus arida, (*a*) coccum gnidium, scobis choris, omphacium, radicula, coagulum, sed maxime leporinum, *cui eadem, quae ceteris coagulis, facultas, sed utique validior est,* fel, vitellus crudus, cornu cervinum, gluten taurinum, mel crudum, misy, chalcitis, crocum, uva taminia, spuma argenti, galla, squama aeris, lapis haematites, minium, costum, sulphur, pix cruda, sevum, adeps, oleum, ruta, porrum, lenticula, ervum.

Cap. VI (*). Rodunt alumen liquidum, sed magis rotundum, aerugo, chalcitis, misy, squama aeris, sed magis rubri, aes combustum, sandaracha, minium sinopicum, galla, balsamum, myrrha, tus, turis cortex, galbanum, resina terebinthina humida, (*b*) piper utrumque, sed rotundum magis, cardamomum, auripigmentum, calx, nitrum et spuma ejus, apii semen, narcissi radix, omphacium, alcyonium, oleum ex amaris nucibus, allium, mel crudum, vinum, lentiscus, squama ferri, fel taurinum, (*c*) scammonia, uva taminia, cinnamomum, styrax (1), cicutae semen, resina, narcissi semen, fel, nuces amarae, *oleumque earum*, atramentum sutorium, chrysocolla, veratrum, cinis.

Cap. VII (**). Exedunt corpus acaciae succus, hebenus, aerugo, squama aeris, chrysocolla, cinis cyprius, nitrum, cadmia, spuma argenti, (*d*) hypocistis, diphryges, sal, auripigmentum, sulphur, cicu-

(1) Ronsseus cicutariam, sive myrrhidem significari putat. Lindenius legit *rutae semen*. Fortasse verius est *erucae semen*, quod corpus erodit; ut dictum est in lib. 2. cap. 33. Animadvertendum tamen quod est apud Plinium lib. 30 cap. 13. sect. 46. *Vespertilionum sanguis psilothri vim habet: sed malis puerorum illitus, non satis proficit, nisi aerugo, vel cicutae semen postea inducatur*. Ita legit Harduinus ex qui-

(*) Cap. VI. *Quae rodant.*
(**) Cap. VII. *Quae exedant corpus.*

(*a*) Daphne Gnidium



(*b*) Piper nigrum



(*c*) Convolvulus scammonia



(*d*) Cytinum hypocistis



ta, sandaracha, salamandra, alcyonium, aeris flos, chalcitis, atramentum sutorium, ochra, calx, *acetum*, galla, alumen, lac caprifici, vel lactucae marinae, quae τιθύμαλλος a Graecis nominatur, fel, turis fuligo, spodium, lenticula, mel, oleae folia, marrubium, lapis haematites, et phrygius, et asius, et scissilis, misy, vinum, acetum.

CAP. VIII (*). Adurunt auripigmentum, atramentum sutorium, chalcitis, misy, aerugo, calx, charta combusta, sal, squama aeris, faex combusta, myrrha, stercus et lacerti, et columbae, et palumbi, et hirundinis, piper, coccum gnidium, allium, diphryges, lac utrumque quod proximo capite supra comprehensum est, veratrum et album et nigrum, cantharides, corallium, pyrethrum, tus, salamandra, eruca, sandaracha, uva taminia, chrysocolla, ochra, alumen scissile, ovillum stercus, oenanthe.

CAP. IX (**). Eadem fere crustas ulceribus tamquam igne adustis inducunt, sed praecipue chalcitis, utique si cocta est, flos aeris, aerugo, auripigmentum, misy, et id quoque magis coctum.

CAP. X (***). Crustas vero has resolvit farina triticea cum ruta, vel porro, aut lenticula, cui mellis aliquid adjectum sit.

CAP. XI (****). Ad discutienda vero ea, quae in corporis parte aliqua coierunt, maxime possunt abrotonum, (a) helenium, amaracus, alba viola, mel, lilium (1), sampsuchus cyprius, lac, sertula campana, serpyllum, cupressus, cedrus, iris, viola purpurea, narcissus, rosa, crocum (2), passum, juncus quadratus, nardum, cinnamomum, casia,

busdam Codicibus: alii vero ex aliis Codd. *nisi erucae, vel cicutae semen*. Sed utrovis modo legatur, ex eo loco colligi potest cicutae semen rodendi facultatem habere.

(1) Plinius lib. 21. cap. 11. sect. 35. *Amaracum Diocles medicus, et Sicula gens adpellavere, quod Aegyptus, et Syria sampsucum*. Idemque lib. 21. cap. 22. sect. 93. *Sampsuchum, sive amaracum, in Cypro laudatissimum, et odoratissimum*. etc. Athenaeus tamen lib. 15. Deipnosoph. cap. 8. tradit ex Diocle amaracum a quibusdam vocari sampsuchum; ab aliis alterum ab altero distingui. Celsus, cum *amaracum* supraposuerit, hic *sampsuchum* addat, cum bis facere videtur. Nisi ita est, hae duae voces tollendae sunt. Caesarius, Gryphius, Paulinus, et Constantinus legunt *sampsucus, cyperus*. Et quamvis Rousseus monuerit lectionem hanc absurdam esse, quod infra sit *juncus quadratus*, hoc est cyperus. (2) Vox haec vel mendosa est, vel addititia. Lindenius legit *prasium*. Sed id a Celso marrubium vocatur cap. 7. et cap. 27. sect. 18. hujus li-

(a) Inula Helenium



(*) CAP. VIII. *Quae adurant*.
(**) CAP. IX. *Quae crustas ulceribus inducant*.
(***) CAP. X. *Quae crustas ulceribus resolvant*
(****) CAP. XI. *Quae discutiant ea, quae in aliqua parte corporis coierunt*.

ammoniacum, cera, resina, uva taminia, spuma argenti, styrax, ficus arida, tragoriganus, lini et narcissi semen, bitumen, sordes ex gymnasio, pyrites lapis, aut molaris, crudus vitellus, amarae nuces, sulphur.

Cap. XII (*). Evocat et educit ladanum, alumen rotundum, hebenus, lini semen, omphacium, fel, chalcitis, bdellium, resina terebinthina et pinea, propolis, ficus arida decocta, stercus columbae, pumex, farina lolii, grossi in aqua cocti, (a) elaterium, lauri baccae, nitrum, sal.

Cap. XIII (**). Laevat id quod exasperatum est, spodium, hebenus, gummi, ovi album, lac, tragacanthum.

Cap. XIV (***). Carnem alit et ulcus implet resina pinea, ochra attice (1), mel, asteriacae, cera, butyrum.

Cap. XV (****). Molliunt aes combustum, terra cretria, nitrum, papaveris lacrima, ammoniacum, bdellium, cera, sevum, adeps, oleum, ficus arida, sesamum, sertula campana, narcissi et radix et semen, rosae folia, coagulum, vitellus crudus, amarae nuces, medulla omnis, stibi, pix, cochlea cocta, cicutae semen, plumbi recrementum; σκωρίαν μολύβδου Graeci vocant; panaces, cardamomum, galbanum, resina, uva taminia, styrax, iris, balsamum, sordes ex gymnasio, sulphur, butyrum, ruta.

Cap. XVI (*****). Cutem purgat mel, sed magis si est cum galla, vel ervo, vel lenticula, vel marrubio, vel iride, vel ruta, vel nitro, vel aerugine.

bri, cap 22. sect. 89. *Marrubium plerique inter praecipuas herbas commendavere, quod Graeci prasion.* Dioscorides lib. 3. cap. 118. *Prasion Romani marrubium vocant.*

(a) Momordica Elaterium



(1) Constantinus putat asteriacen esse asterem, terrae samiae speciem Sed Celsus lib. 6. cap. 6. sect. 12. non asteriacen appellat, sed *terram samiam, quae ἀστὴρ vocatur.* Fortasse legendum *mel erithace, cera.* Varro lib 3. cap. 16 R. R. ita scribit: *Erithacen (al Erhytacen) vocant, quo apes favos extremos inter se conglutinant, aliud melle, propoli*

(*) Cap. XXII. *Quae evocent et educant.*
(**) Cap. XIII. *Quae exasperata laevent.*
(***) Cap. XIV. *Quae carnem nutriant ut ulcus impleant.*
(****) Cap. XV. *Quae molliant.*
(*****) Cap. XVI *Quae cutem purgent.*

Cap. XVII. (*). 1. Expositis simplicibus facultatibus, dicendum est quemadmodum misceantur, quaeque ex his fiant. Miscentur autem varie, neque hujus ullus modus est; quum ex simplicibus alia demantur, alia adjiciantur; iisdemque servatis, ponderum ratio mutetur. Itaque quum facultatum materia non ita multiplex sit, innumerabilia mixturarum genera sunt: quae comprehendi si possent, tamen esset supervacuum. Nam et iidem effectus intra paucas compositiones sunt, et mutare eas cuilibet, cognitis facultatibus, facile est. Itaque contentus iis ero, quas accepi velut nobilissimas. In hoc autem volumine eas explicabo, quae vel desiderari in prioribus potuerunt, vel ad eas curationes pertinent, quas protinus hic comprehendam, sic ut tamen, quae magis communia sunt, simul jungam. Si qua singulis, vel etiam paucis accommodata sunt, in ipsarum locum differam. Sed et ante sciri volo, in uncia pondus denariorum septem esse: unius deinde denarii pondus dividi a me in sex partes, *id est sextantes*, ut idem in sextante denarii habeam, quod Graeci habent in eo quem ὀβολὸν appellant. Id ad nostra pondera relatum paulo plus dimidio scripulo facit.

2. Malagmata vero, atque emplastra, pastillique, quos τροχίσκους Graeci vocant, quum plurima eadem habeant, differunt eo, quod malagmata maxime ex odoribus eorumque etiam surculis, emplastra pastillique magis ex quibusdam metallicis fiunt. Deinde malagmata contusa abunde mollescunt: nam super integram cutem injiciuntur: laboriose vero conteruntur ea, ex quibus emplastra pastillique fiunt, ne laedant vulnera, quum imposita sunt. Inter emplastrum autem et pastillum hoc interest, quod emplastrum utique liquati aliquid accipit: in pastillo tantum arida medicamenta aliquo humore junguntur. Tum emplastrum hoc modo fit: arida medicamenta per se teruntur; deinde mixtis his instillatur aut acetum, aut si quis alius non pinguis humor accessurus est, et ea rursus ex eo teruntur: ea vero, quae liquari possunt, ad ignem simul liquantur; et si quid olei misceri debet, tum infunditur: interdum etiam aridum aliquod ex oleo prius coquitur. Ubi facta sunt, quae separatim fieri debuerunt, in unum omnia miscentur. At pastilli haec ratio est: arida medicamenta contrita humore non pingui, ut vino, vel aceto, coguntur, et rursus coacta, inarescunt; atque, ubi utendum est, ejusdem generis humore diluuntur. Tum emplastrum imponitur, pastillus illinitur, aut alicui molliori ut cerato, miscetur.

Cap. XVIII (**). His cognitis, primum malagmata subjiciam, quae fere non sunt refrigerandi, sed calefaciendi causa reperta. Est tamen, quod refrigerare possit, ad calidas podagras aptum. Habet gal-

(*) Cap. XVII. *De mixturis simplicium rerum, et de ratione ponderum.*
(**) Cap. XVIII *De Malagmat s.*

lae et immaturae et alterius, coriandri seminis, cicutae, lacrimae aridae, gummi, singulorum plenum acetabulum, cerati eloti, quod πεπλυμένου Graeci vocant, selibram. Reliqua fere calefaciunt: sed quaedam digerunt materiam, quaedam extrahunt, quae ἐπισπαστικά vocantur; pleraque certis magis partibus membrorum accomodata sunt.

2. Si materia extrahenda est, ut (1) *in hydropico*, in lateris dolore, in incipiente abscessu, in suppuratione quoque mediocri, aptum est id quod habet resinae aridae, nitri, ammoniaci, galbani, singulorum pondo, cerae pondo. Aut in quo haec sunt: aeruginis rasae, turis, singulorum p. X ii. ammoniaci salis p. X vi; squamae aeris, cerae, singulorum p. X viii. resinae aridae p. X xii. aceti cyathus. Idem praestat cumini farina cum struthio, et melle.

3. Si jecur dolet, id in quo est balsami lacrimae p. X xii. costi, cinnamomi, casiae corticis, myrrhae, croci, junci rotundi, balsami seminis, iridis illyricae, cardamomi, amomi, nardi, singulorum p. X xvi. quibus adjicitur nardinum unguentum, donec cerati crassitudo sit. Et hujus quidem recentis usus est: si vero servandum est, resinae terebinthinae p. X xvi. cerae p. X x. ex vino leni contunduntur, tum eo miscentur.

4. At si lienis torquet, glandis, quam βάλανον μυρεψικήν Graeci vocant, cortex et nitrum paribus portionibus contunduntur, resperguntur que aceto quam acerrimo: ubi cerati crassitudinem habet, linteo ante in aqua frigida madefacto illinitur, et sic imponitur; supraque farina hordeacea injicitur: sed manere ibi non amplius sex horis debet, ne lienem consumat; satiusque est id bis, aut ter fieri.

5. Commune autem jocinori, et lieni (1), *et abscessibus, et strumae, parotidibus, articulis, calcibus quoque suppurantibus, aut aliter dolentibus, etiam concoctiom ventris*, Lysias composuit ex his; opopanacis, styracis, galbani, resinae, singulorum p. X ii. ammoniaci, bdellii, cerae, sevi taurini, iridis aridae p. X iiii. cachryos acetabulo, piperis granis quadraginta: quae contrita irino unguento temperantur.

6. Ad laterum autem dolores compositio est Apollophanis: in qua sunt resinae terebinthinae, turis fuliginis, singulorum p. X iv. bdellii, ammoniaci, iridis, sevi vitulini, aut caprini a renibus, visci, singulorum p. X iv. Haec autem eadem omnem dolorem levant, dura emolliunt, mediocriter calefaciunt.

7. Ad idem Andreae quoque malagma est; quod etiam resolvit, humorem educit, pus maturat, ubi id maturum est, cutem rumpit,

(1) Duae hae voces suspectae sunt. In hoc malagmata imponuntur, non quae materiam extrahunt, sed quae digerunt. Vide lib. 3. cap. 21. Atque Celsus dixisset, opinor, ut alibi, *in aqua inter cutem*: quod etiam congrueret sequentibus verbis *in lateris dolore*.

(1) Haec verba *et abscessibus. . . . . ventris* ex adnotatione aliqua addita sunt; et omnia inepta sunt.

ad cicatricem perducit. Prodest impositum minutis majoribusque abscessibus; item articulis, ideoque et coxis, et pedibus dolentibus; item, si quid in corpore collisum est, reficit; praecordia quoque dura et inflata emollit; ossa extrahit: ad omnia denique valet, quae adjuvare calor potest. Id habet cerae p. Ӿ. xi. visci, sycamini, *quam alias sycomorum vocant*, lacrimae, singulorum p. Ӿ. i. piperis et rotundi, et longi, ammoniaci thymiamatis, bdellii, iridis illyricae, cardamomi, amomi, xylobalsami, turis masculi, myrrhae, resinae aridae, singulorum p. Ӿ. x. pyrethri, cocci gnidii, spumae nitri, salis ammoniaci, aristolochiae creticae, radicis ex cucumere agresti, resinae terebinthinae liquidae, singulorum p. Ӿ. xx. quibus adjicitur unguenti irini, quantum satis est ad ea mollienda atque cogenda.

8. Praecipuum vero est ad resolvenda quae adstricta sunt, mollienda quae dura sunt, dirigenda quae coeunt, id quod ad Polyarchum auctorem refertur. Habet junci quadrati, cardamomi, turis fuliginis, amomi, cerae, resinae liquidae pares portiones.

9. Aliud ad eadem Nilei: crocomagmatis(1), *quod quasi recrementum ejus est*, p. Ӿ. iv. ammoniaci thymiamatis, cerae, singulorum p. Ӿ. xx. ex quibus duo priora ex aceto teruntur, cera cum rosa liquatur, et tum omnia junguntur.

10. Proprie etiam dura emollit id, quod Moschi esse dicitur. Habet galbani unciam, turis fuliginis p. =. cerae, ammoniaci thymiamatis trientes, picis aridae p. ii. aceti heminas tres.

11. Fertur etiam ad digerenda quae coeunt, sub auctore Medio, quod habet cerae p. =. panacis p. Ӿ. s. squamae aeris, aluminis rotundi, item scissilis, singulorum p. Ӿ. i. plumbi combusti p. Ӿ. i. s.

12. Ad eadem Panthemus utebatur calci p. s. sinapis contriti, item foeni graeci, aluminis, singulorum p. i, sevi bubuli p. ii. s.

13. 14. Ad strumam multa malagmata invenio. Credo autem, quo pejus id malum est, minusque facile discutitur, eo plura esse tentata: quae in personis varie responderunt. Andreas auctor est, ut haec misceantur: urticae seminis p. Ӿ. i. piperis rotundi, bdellii, galbani, ammoniaci thymiamatis, resinae aridae, singulorum p. Ӿ iv. resinae liquidae, cerae, pyrethri, piperis longi, lactucae marinae seminis, sulphuris ignem non experti, quod ἄπυρον vocatur, faecis aridae aceti, spumae nitri, salis ammoniaci, sinapis, cardamomi, radicis ex cucumere silvestri, resinae, singulorum p. Ӿ viii. quae ex leni vino contunduntur.

(1) Verba proxima *quod quasi recrementum ejus est* Rodio, et mihi quoque ex glossemate addita videntur. Crocomagma recrementum est, non crocomagmatis, sed croci expressi unguento crocino: ideoque dicendum esset, quod croci unguento expressi recrementum est Plinius lib. 21. cap. 20. sect. 82. ita scribit: *Faex quoque croci expressi unguento crocino, quod crocomagma appellant, habet suas utilitates*; et Dioscorides lib. 1. cap. 26. *crocomagma fit ex unguento crocino, expressis aromatis, et in pastillos redactis.*

15. Expeditius ad idem fit, quod habet visci *seminis* (a), stercoris, resinae, sulphuris ignem non experti pares portiones. Et in quo est sulphuris p.)-(I. lapidis, quem pyriten vocant, p.)-(IV. cumini acetabulum. Item in quo est lapidis ejusdem pars una, sulphuris duae partes, resinae terebinthinae partes tres.

16. Arabis autem cujusdam est ad strumam, et orientia tubercula (1), *quae φύματα vocantur*, quod haec digerit. Habet myrrhae, salis ammoniaci, turis, resinae et liquidae et aridae, crocomagmatis, cerae, singulorum p.)-(. I. lapidis ejus, quem pyriten vocant, p.)-(. IV. quibus quidam adjiciunt sulphuris p.)-(. II.

17. Est etiam proficiens in struma, et in iis tuberibus, quae difficiliter concoquuntur, et in iis, quae καρκινώδη vocantur, quod ex his constat: sulphuris p.)-(. II. nitri p.)-(. IV. myrrhae p.)-(. VI. fuliginis turis p. s. salis ammoniaci p. =. cerae p. I.

18. Protarchus autem ad παρωτίδας, eaque tubercula, quae μελικηρία, *id est, favi vel φύματα*, nominantur, item mala ulcera, pumicis, resinae pineae liquidae, turis fuliginis, spumae nitri, iridis, singulorum p.)-(. VIII. cum cerae p.)-(. IX. miscebat, hisque olei cyathum et dimidium adjiciebat.

19. At adversus panum tum primum orientem, quod φύγεθλον Graeci vocant, et omne tuberculum, *quod φῦμα nominatur*, miscetur ochra, quae Attice nominatur, cum duabus partibus similae, hisque, dum contunduntur, subinde mel instillatur, donec malagmatis crassitudo sit.

20. Discutit etiam omne tuberculum, *quod φῦμα vocatur*, id quod habet calcis, nitri spumae, piperis rotundi, singulorum p.)-(. I. galbani p.)-(. II. salis p.)-(. IV. quae excipiuntur cerato ex rosa facto.

21. Supprimitque omne, quod abscedit, id in quo est galbani, fabae fresae, singulorum p.)-(. I. myrrhae, turis, ex radice capparis corticis, singulorum p.)-(. IV. Satisque omnia abscedentia digerit murex combustus, et bene contritus, aceto subinde adjecto.

22. At si satis sanguis subit, recte imponitur, quod adversus phymata quoque potest. Constat ex his: bdellii, styracis, ammoniaci, galbani, resinae et aridae et liquidae pineae, item ex lentisco, turis, iridis, singulorum p.)-(. II.

23. Καρκινώδη vero *phymata* commode his leniuntur: galbani, visci, ammoniaci, resinae terebinthinae, singulorum p.)-(. I. sevi tau-

(1) Mihi tria verba *quae φύματα vocantur* omnino suspecta sunt: et *orientia tubercula* de omnibus tuberculis, id est furunculo, phymate, et pano intelligenda videntur. Apud Graecos quidem φῦμα generale fere tuberculorum nomen est; apud Celsum vero significat eam tuberculi speciem quae describitur cap. 28. sect. 9. hujus libri, a furunculo et a pano diversam. Vide Ingrassiam de Tumorib. tract: 1. cap. 1. Ex sequentibus autem adnotationibus apparebit, interpretes aliis quoque in locis voci *tubercula* addidisse *quae phymata*, sive *φύματα vocantur*.

(a) Alii *sumini*: vox dubia.

rini p. s. faecis combustae quam maxima portione, dum id siccius non faciat, quam esse malagma oportet.

24. Quod si facie contusa livor subcruentus est, haec compositio nocte et die imposita tollit. Aristolochiae, thapsiae, singulorum p. Ӿ. II. bdellii, styracis, ammoniaci thymiamatis, galbani, resinae aridae, et ex lentisco liquidae, turis masculi, iridis illyricae, cerae, singulorum p. Ӿ. IV. Idem faba quoque imposita proficit.

25. Sunt etiam quaedam malagmata, quae στομωτικὰ Graeci vocant, quoniam aperiendi vim habent. Quale est, quod ex his constat: piperis longi, spumae nitri, singulorum p. Ӿ. II. erysimi p. Ӿ. IV. quae cum melle miscentur. Idoneaque etiam strumae aperiendae sunt. Ejus generis, vehementiusque ex his est id, quod habet calcis p. Ӿ. IV. piperis grana sex, nitri, cerae, singulorum p. Ӿ. X. mellis p. =. olei heminam.

26. Niconis quoque est quod resolvit, aperit, purgat. Habet alcyonium, sulphur, nitrum, pumicem, paribus portionibus; quibus tantum picis, et cerae adjicitur, ut fiat cerati crassitudo.

27. Ad ossa autem Aristogenis fit ex his: sulphuris p. Ӿ. I. resinae terebinthinae, nitri spumae, et ex scilla partis interioris, plumbi cloti, singulorum p. Ӿ. II. turis fuliginis p. Ӿ. VIII. ficus aridae quam pinguissimae, sevi taurini, singulorum p. Ӿ. VIII. cerae p. Ӿ. XII. iridis macedonicae p. Ӿ. VI. sesami fricti acetabulum.

28. Maximeque nervis et articulis malagma convenit. Igitur Euthyclei est, et ad articulos, et ad omnem dolorem, et ad vesicae, et ad recenti cicatrice contractos articulos, quae ἀγκύλας Graeci nominant, conveniens; quod habet fuliginis turis acetabulum, resinae tantumdem, galbani sine surculis sescunciam, ammoniaci, bdellii, singulorum p. =. cerae p. s. Ad eosdem digitos: iridis, ammoniaci, galbani, nitri, singulorum p. Ӿ. XIV. resinae liquidae p. Ӿ. VI. cerae p. Ӿ. XVI.

29. Ad dolores articulorum, Sosagorae: plumbi combusti, papaveris lacrimae, corticis hyoscyami, styracis, peucedani, sevi, resinae, cerae pares portiones.

30. Chrysippi: resinae liquidae, sandarachae, piperis, singulorum p. Ӿ. XII. quibus cerae paululum adjicitur.

31. Ctesiphontis: cerae creticae, resinae terebinthinae, nitri quam ruberrimi, singulorum p. s. olei cyathi tres. Sed id nitrum ante per triduum, instillata aqua, teritur, et cum sextario ejus incoquitur, donec omnis humor consumatur. Potest vero ea compositio etiam ad parotidas, phymata, strumam, omnemque coitum humoris emolliendum.

32. Ad articulos, fici quoque aridae partem nepetae mixtam; vel uvam taminiam sine seminibus cum pulegio recte aliquis imponit.

33. Eadem podagrae praesidio sunt. Sed ad eam fit Aristonis quo-

que, quod habet nardi, cinnamomi, casiae, (*a*) chamaeleontis, junci rotundi, singulorum p. X. viii. sevi caprini ex irino liquati p. X. xx. iridis p. X. i. quae in aceto quam acerrimo jacere per xx. dies debet. Idem autem etiam recentia phymata doloresque omnes discutit.

34. At Theoxenus ad pedum dolores, sevi a renibus partem tertiam, salis partes duas miscebat, hisque membranulam illitam imponebat; tum superinjiciebat ammoniacum thymiama in aceto liquatum.

35. At Numenius podagram, ceterosque articulos induratos hoc molliebat: abrotoni, rosae aridae, papaveris lacrimae, singulorum p. X. iii. resinae terebinthinae p. X. iv. turis, spumae nitri, singulorum p. X. viii. iridis, aristolochiae, singulorum p. X. xii. cerae p. iii. quibus adjicitur (1) cedri cyathus unus, olei laurei cyathi tres, olei acerbi sextarius.

36. Si quando autem in articulis callus increvit, Dexius docuit imponere calcis p. X. iv. cerussae p. X. viii. resinae pineae p. X. xx. piperis grana xxx. cerae p. =. quibus, dum contunduntur, hemina vini lenis instillatur.

Cap. XIX (*). Ex emplastris autem nulla majorem usum praestant, quam quae cruentis protinus vulneribus injiciuntur: ἔναιμα Graeci vocant. Haec enim reprimunt inflammationem, nisi magna vis eam cogit, atque illius quoque impetum minuunt, tum glutinant vulnera quae id patiuntur, cicatricem iisdem inducunt. Constant autem ex medicamentis non pinguibus; ideoque ἀλίπαρα nominantur.

1. Optimum ex his est, quod barbarum vocatur. Habet aeruginis rasae p. X. xii. spumae argenti p. X. xx. aluminis, picis aridae, resinae pineae aridae, singulorum p. X. i. quibus adjiciuntur olei et aceti singulae heminae.

2. Alterum ad idem, quod κωακὸν vocant, habet spumae argenti p. X. c. resinae aridae tantumdem: sed spuma prius ex tribus olei heminis coquitur. His duobus emplastris color niger est, qui fere talis fit ex pice atque resina: at ex bitumine nigerrimus; ex aerugine, aut aeris squama, viridis; ex minio ruber; ex cerussa albus.

(*a*) Carlina Acaulis



(1) Cedrus pro oleo cedrino; quemadmodum cyprus pro oleo cyprino, rosa pro oleo rosaceo. Cap. 24. sect. 3. hujus lib. *Et hoc quidem magis purgat: magis vero emollit, si pro rosa cyprus infunditur.*

(*) Cap. XIX. *De Emplastris.*

3. Paucae admodum compositiones sunt, in quibus aliquid mixturae varietas novat. Ergo id quoque nigrum est, quod βασιλικὸν nominatur. Habet opopanacis p. Ӿ. I. galbani p. Ӿ. II. picis, et resinae, singulorum p. Ӿ. X. olei dimidium cyathum.

4. At quia perviride est SMARAGDINUM appellatur: in quo snnt resinae pineae p. Ӿ. III. cerae p. Ӿ. I. aeruginis p. S. turis fuliginis p. =. olei tantumdem, aceti, quo fuligo et aerugo in unum cogantur.

5. Est etiam coloris fere rufi, quod celeriter ad cicatricem vulnera perducere videtur. Habet turis p. Ӿ. I. resinae p. Ӿ. II. squamae aeris p. Ӿ. IV. spumae argenti p. Ӿ. XX. cerae p. Ӿ. C. olei heminam.

6. Praeterea est, quam ῥάπτουσαν a glutinando vocant. Constat ex his: bituminis, aluminis scissilis, p. Ӿ. IV. spumae argenti p. Ӿ. XL. olei veteris hemina.

7. Praeterea sunt quaedam generis ejusdem, quae, quia capitibus fractis maxime conveniunt, κεφαλικὰ a Graecis nominantur. Philotae compositio habet terrae eretriae, chalcitidis, singulorum p. Ӿ. IV. myrrhae, aeris combusti, singulorum p. Ӿ. X. ichthyocollae p. Ӿ. VI. aeruginis rasae, aluminis rotundi, misy crudi, aristolochiae, singulorum p. Ӿ VIII. squamae aeris p. Ӿ. X. turis masculi p. Ӿ. II. cerae p. I. rosae, et olei acerbi ternos cyathos, aceti quantum satis est, dum arida ex eo conteruntur.

8. Aliud ad idem VIRIDE: aeris combusti, squamae aeris, myrrhae, ichthyocollae, singulorum p. Ӿ. VI. misy crudi, aeruginis rasae, aristolochiae, aluminis rotundi, singulorum. p. Ӿ. VIII. cerae p. Ӿ. I. olei hemina, aceti quod satis sit.

9. Puri autem movendo non alind melius, quam quod expeditissimum est: τετραφάρμακον a Graecis nominatur. Habet pares portiones cerae, picis, resinae, sevi taurini; si id non est, vitulini.

10. Alterum ad idem, ἐννεαφάρμακον nominatur; quod magis purgat. Constat ex novem rebus, cera, melle, sevo, resina, myrrha, rosa, medulla vel cervina vel vitulina vel bubula, oesypo, butyro: quorum ipsorum quoque pondera paria miscentur.

11. Sunt autem quaedam emplastra, quibus ntriusque rei facultas est: quae, si singula habenda sunt, meliora sunt; sed in copia rejicienda sunt; iis potius adhibitis, quae proprie id quod eo tempore opus est, consequuntur. Exempli causa duo proponam. Est igitur ad vulnera ATTALUM; quod habet squamae aeris p. Ӿ. XVI. turis fuliginis p. Ӿ. XV. ammoniaci tantumdem, resinae terebinthinae liquidae p. Ӿ. XXV. sevi taurini tantumdem, aceti heminas tres, olei sextarium. At inter ea, quae fracto capiti accomodantur, habent quidam id, quod ad auctorem Judaeum refertur. Constat ex his: salis p. Ӿ. IV. squamae aeris rubri, aeris combusti, singulorum p. Ӿ. XII. ammoniaci thymiamatis, turis fuliginis, resinae aridae, singulorum p.

Ӿ. XVI. resinae colophoniacae, cerae, sevi vitulini curati, singulorum p. Ӿ. XX. aceti sesquicyatho, olei minus cyatho. Τεθεραπευμένα *Graeci appellant, quae* curata vocant, quum ex sevo, puta, omnes membranulae diligenter exemptae sunt, *aut ex alio medicamento.*

12. Sunt etiam quaedam emplastra nobilia ad extrahendum, quae ipsa quoque ἐπισπαστικὰ nominantur: quale est quod, quia lauri baccas habet, διὰ δαφνίδων appellatur. In eo est, resinae terebinthinae p. Ӿ. X. nitri, cerae, picis aridae, baccarum lauri, singulorum p. Ӿ. XX. olei paulum. Quoties aut baccam, aut nucem, aut simile aliquid posuero, scire oportebit, antequam expendatur, ei summam pelliculam esse demendam.

13. Aliud eodem nomine, quod puri quoque movendo est. Sevi vitulini, ammoniaci thymiamatis, picis, cerae, nitri, baccarum lauri, resinae aridae, aristolochiae, pyrethri pares portiones.

14. Praeter haec est Philocratis; quod habet salis ammoniaci p. Ӿ. VII. aristolochiae p. Ӿ. VIII. cerae, resinae terebinthinae, fuliginis turis, singulorum p. Ӿ. XV. spumae argenti p. Ӿ. XXXII. Quibus, ut pus quoque moveant, iridis p. Ӿ. IV. et galbani p. Ӿ. VI. adjiciuntur.

15. Optimum tamen ad extrahendum est id, quod a similitudine sordium ῥυπῶδες Graeci appellant. Habet myrrhae, croci, iridis, propolis, bdellii, capitulorum punici mali, aluminis et scissilis et rotundi, misy, chalcitidis, atramenti sutorii cocti, opopanacis, salis ammoniaci, visci, singulorum p. Ӿ. IV aristolochiae p. Ӿ VIII. squamae aeris p. Ӿ. XVI. resinae terebinthinae p. Ӿ. LXXV. cerae, et sevi vel taurini vel hircini, singulorum p. Ӿ. C.

16. Hecataeo quoque auctore emplastrum generis ejusdem fit ex his: galbani p. Ӿ. II. fuliginis turis p. Ӿ. IV. picis p. Ӿ. VI. cerae, et resinae terebinthinae, singulorum p. Ӿ. VIII. quibus paulum irini unguenti miscetur.

17. Valensque ad idem emplastrum VIRIDE ALEXANDRINUM est. Habet aluminis scissilis p. Ӿ. VIII. salis ammoniaci p. Ӿ. VIII. =. squamae aeris p. Ӿ. XVI. myrrhae, turis, singulorum p. Ӿ. XVIII. cerae p. Ӿ. CL. resinae colophoniacae aut pineae p. Ӿ. CC. olei heminam, aceti sextarium.

18. Quaedam antem sunt emplastra exedentia, quae σηπτὰ Graeci vocant: quale est id, quod habet resinae terebinthinae, fuliginis turis, singulorum p. =. squamae aeris p. Ӿ. I. ladani p. Ӿ. II. aluminis tantumdem, spumae argenti p. Ӿ. IV.

19. Exest etiam vehementer corpus, atque ossa quoque resolvit, et supercrescentem carnem coercet id, quod habet spumae argenti, squamae aeris uncias singulas, nitri ignem non experti, lapidis asii, aristolochiae p. sextantes, cerae, resinae terebinthinae, turis, olei veteris, atramenti sutorii, salis ammoniaci p. s. aeruginis rasae p. bessem, aceti scillitici heminam, vini aminei tantumdem.

20. Sunt etiam adversus morsus quaedam accomodata; quale est Diogenis NIGRUM, quod habet bituminis, cerae, resinae pineae aridae, singulorum p. Ӿ. XX. spumae argenti p. Ӿ. C. olei sextarium. Aut in quo sunt squamae aeris p. Ӿ. IV. cerussae, et aeruginis rasae, singulorum p. Ӿ. VIII. ammoniaci p. Ӿ. XII. cerae, resinae pineae, singulorum p. Ӿ. XXV. spumae argenti p. Ӿ. C. olei sextarium. Aut in quo sunt squamae aeris p. Ӿ. XIV. galbani p. Ӿ. VI. cerussae, et aeruginis rasae, singulorum p. Ӿ. VIII. ammoniaci p. Ӿ. XII. cerae, resinae pineae, singulorum p. Ӿ. XXXV. spuma argenti concoquitur.

21. Rubrum quoque emplastrum, quod EPHESIUM vocatur, huc aptum est. Habet resinae terebinthinae p. Ӿ. II. galbani p. Ӿ IV. minii sinopici p. Ӿ. VI. turis fuliginis p. Ӿ. VI. cerae p. Ӿ. VIII. spumae argenti p. Ӿ. XXXVI. olei veteris heminam.

22. Item id, quod ex his constat: squamae aeris, turis fuliginis, singulorum p. Ӿ. IV. galbani p. Ӿ. VI. salis ammoniaci p. Ӿ. XII. =. cerae p. Ӿ. XXV. olei tribus heminis. Haec autem aliis quoque recentioribus vulneribus recte imponuntur.

23. Sunt etiam alba lenia; λευκὰ *Graeci vocant*; fere non gravibus vulneribus accomodata, praecipueque senilibus: quale est quod habet cerussae p. Ӿ. XXXII. sevi vitulini curati, et cerae, singulorum p. Ӿ. XLVIII. olei heminas tres, ex quibus cerussa coquitur.

24. Aliud, quod habet cerussae p. Ӿ. XX. cerae p. Ӿ. XXXV. olei heminam, aquae sextarium. Quae quoties adjiciuntur cerussae vel spumae argenti, scire licet illa ex his coquenda esse. Est autem ea percandida compositio, *quae supra posita est*, ideoque ELEPHANTINE nominatur.

25. Lenia quoque quaedam emplastra sunt, quas λιπαρὰς fere Graeci nominant; ut id quod habet minii p. Ӿ. IV. spumae argenti. p. Ӿ. XXV. cerae, et adipis suillae, singulorum p. Ӿ. XXXVII. vitellos quatuor.

26. Alia compositio generis ejusdem: cerae, resinae terebinthinae, singulorum p. Ӿ. VI. cerussae p. Ӿ. VIII. spumae argenti, plumbi recrementi, σκωρίαν μολύβδου *Graeci vocant*, singulorum p. Ӿ. XX. cicini olei et myrtei singulae heminae.

27. Tertia, quae ad auctorem Archagathum refertur: misy cocti, aeris combusti, singulorum p. Ӿ. IV. cerussae coctae p. Ӿ. VIII. resinae terebinthinae p. Ӿ. X. spumae argenti p. Ӿ. VI.

28. Etiamnum generis ejusdem: spumae argenti, cerae, adipis suillae, singulorum p. Ӿ. XXVII. vitelli cocti quatuor, rosae hemina. Aut cerati ex oleo myrteo facti partes tres, adipis suillae pars quarta, paulum ex plumbi recremento. Aut, spumae argenti selibra, ex olei hemina, et aquae marinae altera, cocta, donec bullire desierit, cui paulum cerae sit adjectum. Aut, pares portiones cerae, sevi, stibi, spumae argenti, cerussae.

Cap. XX (*). 1. Pastilli quoque facultates diversas habent. Sunt enim ad recentia vulnera glutinanda sanandaque apti : qualis est, qui habet chalcitidis, misy, spumae nitri, floris aeris, gallae, aluminis scissilis modice cocti, singulorum p. Ӿ. i. aeris combusti, capitulorum mali punici, singulorum p. Ӿ. iii. Hunc oportet diluere aceto, ac sic, ubi vulnus glutinandum est, illinere. At, si nervosus aut musculosus is locus est, commodius est cerato miscere, sic, ut illius octo partes, nona hujus sit.

Alius ad idem constat ex his : bituminis, aluminis scissilis, singulorum p. Ӿ. i. aeris combusti p. Ӿ. iv. spumae argenti p. Ӿ. xi. olei sextario.

2. Sed longe Polyidae celeberrimus est, σφραγὶς autem nominatur : qui habet aluminis scissilis p. Ӿ. i. =. atramenti sutorii p. Ӿ. ii. myrrhae p. Ӿ. v. aloes tantumdem, capitulorum punici mali, fellis taurini, singulorum p. Ӿ. vi. quae contrita vino austero excipiuntur.

3. Ad ulcera sordida, et nigritiem in auribus, naribus, obscenis partibus, inflammationesque eorum : chrysocollae p. Ӿ. i. atramenti sutorii, aluminis scissilis, singulorum p. Ӿ. ii. halicacabi corticis p. Ӿ. iv. minii p. Ӿ. vi. spumae argenti p. Ӿ. xii. cerussae p. Ӿ. xvi. quae ex aceto et coguntur, et, ubi utendum est, diluuntur.

4. Andronis vero est ad uvam inflammatam, ad naturalia sordida, etiam cancro laborantia : gallae, atramenti sutorii, myrrhae, singulorum p. Ӿ. i. aristolochiae, aluminis scissilis, singulorum p. Ӿ. ii. capitulorum punici mali p. Ӿ. xxv. ex passo coacta, et, quum usus exigit, aceto vel vino diluta, prout valentius aut levius vitium est, cui medendum est.

5. Proprie autem ad ani fissa, vel ora venarum fundentia sanguinem, *vel cancrum*: aeruginis p. Ӿ. ii. myrrhae p. Ӿ. xii. stibis, lacrimae papaveris, acaciae, singulorum p. Ӿ. xvi. quae ex vino et teruntur, et in ipso usu deliquantur.

6. Expellere autem ex vesica cum urina calculum videtur haec compositio: casiae, croci, myrrhae, costi, nardi, cinnamomi, dulcis radicis, balsami, hyperici pares portiones conteruntur; deinde vinum lene instillatur, et pastilli fiunt, qui singuli habeant p. Ӿ. = hique singuli quotidie mane jejuno dantur.

Cap. XXI (**). Haec tria compositionum genera, *id est, quae in malagmatis, pastillis, emplastrisque sunt*, maximum praecipueque varium usum praestant. Sed alia quoque utilia sunt; ut ea quae feminis subjiciuntur : πεσσοὺς Graeci vocant. Eorum haec proprietas est : medicamenta composita molli lana excipiuntur, eaque lana naturalibus conditur.

(*) Cap. XX. *De pastillis.*
(**) Cap. XXI. *De pessis.*

1. Ad sanguinem autem evocandum, cauneis duabus adjicitur nitri p. Ӿ· I. aut allii semen conteritur, adjicitur myrrhae paululum, et unguento susino miscetur: aut cucumeris silvestris pars interior ex lacte muliebri diluitur.

2. Ad vulvam molliendam ovi vitellus, et foenum graecum, et rosa, et crocum temperantur. Aut elaterii p. Ӿ·=.salis tantumdem, uvae taminiae p. Ӿ· VI. melle excipiuntur.

3. Aut Boetho auctore: croci, resinae terebinthinae, singulorum p. Ӿ· IV. myrrhae p. Ӿ· = =. rosae p. Ӿ· I. sevi vitulini p. Ӿ· I. =. cerae p. Ӿ· II. miscentur.

4. Optima autem adversus inflammationes vulvae Numenii compositio est, quae habet croci p. Ӿ· =. cerae p. Ӿ· I. butyri p. Ӿ· VIII. adipis anserinae p. Ӿ·XII. vitellos coctos duos, rosae minus cyatho.

5. Si vero infans intus decessit, quo facilius ejiciatur, malicorium ex aqua terendum, eoque utendum est.

6. Si concidere vitio locorum mulier solet, cochleae cum testis suis comburendae conterendaeque, deinde his mel adjiciendum est.

7. Si non comprehendit, adeps leonina ex rosa mollienda est.

CAP.XXII (*). 1.Quaedam autem mixturae medicamentorum sunt, quibus aridis neque coactis utimur sic, ut inspergamus, aut cum aliquo liquido mixta illinamus: quale est ad carnem supercrescentem exedendam, quod habet squamae aeris, fuliginis turis, singulorum p. Ӿ· I. aeruginis p. Ӿ· II. Haec autem eadem cum melle purgant ulcera; cum cera, implent. Misy quoque et galla, si paribus portionibus misceantur, corpus consumunt: eaque vel arida inspergere licet, vel excepta cadmia illinere.

2. Putrem vero carnem continet, neque ultra serpere patitur, et leniter exest, mel vel cum lenticula, vel cum marrubio, vel cum oleae foliis, ante ex vino decoctis: item sertula campana in mulso cocta, deinde contrita: aut calx cum cerato: aut amarae nuces cum allio sic, ut hujus pars tertia sit, paulumque his croci adjiciatur: aut quod habet spumae argenti p. Ӿ· VI. cornu bubuli combusti p. Ӿ· XII. olei myrtei, et vini cyathos ternos: aut quod ex his constat: floris punici mali, atramenti sutorii, aloes, singulorum p. Ӿ· II. aluminis scissilis, turis, singulorum p. Ӿ· IV. gallae p. Ӿ· VIII. aristolochiae p. Ӿ· X. Vehementius idem facit, etiam adurendo, auripigmentum cum chalcitide, et aut nitro, aut calce, aut charta combusta: item sal cum aceto; vel ea compositio, quae habet chalcitidis, capitulorum punici mali, aloes, singulorum p. Ӿ· II. aluminis scissilis, turis, singulorum p. Ӿ· IV. gallae p. Ӿ· VIII. aristolochiae p. Ӿ· X. mellis quantum satis sit ad ea cogenda: vel cantharides Ӿ· I. sul-

(*) CAP. XXII. *De medicamentis quibus aridis utimur.*

phuris p. X. i. lolii p. X. iii. quibus adjicitur picis liquidae quantum satis est ad jungendum: vel chalcitis quoque cum resina et ruta mixta; aut cum eadem resina diphryges: aut uva taminia cum pice liquida. Idem vero possunt faecis vini combustae et calcis, et nitri pares portiones: vel aluminis scissilis p. X. = =. turis, sandarachae, nitri, singulorum p. X. i. gallae p. X. viii. aristolochiae p. X. x. mellis quantum satis est.

3. Est etiam Herae compositio, quae habet myrrhae, chalcitidis, singulorum p. X. ii. aloes, turis, aluminis scissilis, singulorum p. X. iv. aristolochiae, gallae immaturae, singulorum p. X. viii. malicorii contriti p. X. x.

4. Est Judaei, in qua sunt calcis partes duae, nitri quam ruberrimi pars tertia: quae urina impuberis pueri coguntur, donec strigmenti crassitudo sit. Sed subinde is locus, cui id illinitur, madefaciendus est.

5. At Jollas, chartae combustae, sandarachae, singulorum p. X. i. calcis p. X. ii auripigmenti tantumdem miscebat.

6. Si vero ex membrana, quae super cerebrum est, profluit sanguis, vitellus combustus et contritus inspergi debet: si alio loco sanguinis profluvium est, auripigmenti, squamae aeris, singulorum p. X. i. sandarachae p. X. ii marmoris cocti p. X. iv. Eadem cancro quoque obsistunt. Ad inducendam cicatricem, squamae aeris, turis fuliginis, singulorum p. X. ii. calcis p. X. iv. Eadem increscentem quoque carnem coercent.

7. Timaeus autem ad ignem sacrum et *ad cancrum* his utebatur: myrrhae p. X. ii. turis, atramenti sutorii, singulorum p. X. iii. sandarachae, auripigmenti, squamae aeris, singulorum p. X. iv. gallae p. X. vi. cerussae combustae p. X. viii. Ea vel arida inspersa, vel melle excepta idem praestant.

8. Sternutamenta vero vel albo veratro, vel struthio conjecto in nares excitantur, vel his mixtis: piperis, veratri albi, singulorum p. X. =. castorei p. X. i. spumae nitri p. X. i. struthii p. X. iv.

9. Gargarizationes autem aut laevandi causa fiunt, aut reprimendi, aut evocandi. Laevant lac, cremor vel ptisanae, vel furfurum: reprimit aqua, in qua vel lenticula, vel rosa, vel rubus, vel cotoneum malum, vel palmulae decoctae sint: evocant sinapi, piper.

CAP. XXIII (*). Antidota raro, sed praecipue interdum necessaria sunt, quia gravissimis casibus opitulantur. Ea recte quidem dantur collisis corporibus vel per ictus, vel ubi ex alto deciderunt, vel in viscerum, laterum, faucium, interiorumque partium doloribus: maxime autem desideranda sunt adversus venena, vel per morsus, vel per cibos, aut potiones nostris corporibus inserta.

(*) CAP. XXIII. *De antidotis, et quibus malis opitulentur.*

1. Unum est, quod habet lacrimae papaveris p. Ӿ. = =. acori, malobathri, p. Ӿ. v. iridis illyricae, gummi, singulorum p. Ӿ. II. anisi p. Ӿ. III. nardi gallici, foliorum rosae aridorum, cardamomi, singulorum p. Ӿ. IV. petroselini p. Ӿ. IV. = =. trifolii p. Ӿ. v. casiae nigrae, silis, bdellii (1), balsami seminis, piperis albi, singulorum p. Ӿ. v. = =. styracis p. Ӿ. v. = =. myrrhae, opopanacis, nardi syri, turis masculi, hypocistidis succi, singulorum p. Ӿ. VI. castorei p. Ӿ. VI. costi, piperis albi, galbani, resinae terebinthinae, croci, floris junci rotundi, singulorum p. Ӿ. VI. = =. dulcis radicis p. Ӿ. VIII. = =. quae vel melle vel passo excipiuntur.

2. Alterum quod Zopyrus regi Ptolemaeo dicitur composuisse, atque AMBROSIAM nominasse, ex his constat: costi, turis masculi, singulorum p. Ӿ. v. piperis albi p. Ӿ. =. floris junci rotundi p. Ӿ. II. cinnamomi p. Ӿ. III. casiae nigrae p. Ӿ. IV. croci cilicii p. Ӿ. IV. =. myrrhae, quam στακτὴν nominant, p. Ӿ. v. nardi indici p. Ӿ. v. =. quae singula contrita melle cocto excipiuntur; deinde, ubi utendum est, id quod aegyptiae fabae magnitudinem impleat, in potione vini diluitur.

3. Nobilissimum autem est Mithridatis, quod quotidie sumendo rex ille dicitur adversus venenorum pericula tutum corpus suum reddidisse: in quo haec sunt: costi p. Ӿ. =. acori p. Ӿ. v. hyperici, gummi, sagapeni, acaciae succi, iridis illyricae, cardamomi, singulorum p. Ӿ. II. anisi p. Ӿ. III. nardi gallici, (a) gentianae radicis, aridorum rosae foliorum, singulorum p. Ӿ. IV. papaveris lacrimae, petroselini, singulorum p. Ӿ. IV. =. casiae, silis, polii, piperis longi, singulorum p. Ӿ. VI. styracis p. Ӿ. v. =. castorei, turis, hypocistidis succi, myrrhae, opopanacis, singulorum p. Ӿ. VI. malobathri folii p. Ӿ. VI. floris junci rotundi, resinae terebinthinae, galbani, dauci cretici seminis, singulorum p. Ӿ. VI. =. nardi, opobalsami, singulorum p. Ӿ. VI. =. thlaspis p. Ӿ. v. = =. radicis ponticae p. Ӿ. VII. croci, zingiberis, cinnamomi, singulorum p. Ӿ. VIII. Haec contrita melle excipiuntur, et adversus venenum, quod magni-

(a) Gentiana lutea



(1) In aliis Edit. verba haec ita dividuntur: *balsami, seminis piperis albi*, in marg. autem Edit. Constantinianae legitur: *balsami, seminis papaveris albi*. Celsus balsami seminis mentionem facit etiam cap. 18. sect. 3 hujus libri: semen papaveris albi nusquam commemorat.

tudinem nucis graecae impleat, ex vino datur: in ceteris autem affectibus corporis pro modo eorum, vel quod aegyptiae fabae, vel quod ervi magnitudinem impleat, satis est.

Cap. XXIV (*). 1. Acopa quoque utilia nervis sunt: quale est quod habet floris junci rotundi p. ⊬. ɪɪ. = =. costi, junci quadrati, lauri baccarum, ammoniaci, cardamomi, singulorum p. ⊬. ɪɪɪ. =, myrrhae, aeris combusti, singulorum p. ⊬. vɪɪ. iridis illyricae, cerae, singulorum p. ⊬. xɪɪɪ. alexandrini calami, junci rotundi, aspalathi, xylobalsami, singulorum p. ⊬. xxvɪɪɪ. sevi p. ɪ. unguenti irini cyathum.

2. Altmeru quod εὐῶδες vocant, hoc modo fit: cerae p. =. olei tantumdem, resinae terebinthinae ad nucis juglandis magnitudinem, simul incoquuntur; deinde in mortario teruntur, instillaturque subinde quam optimi mellis acetabulum, tum irini unguenti, et rosae terni cyathi.

3. E'γχριστα autem Graeci vocant liquida, quae illinuntur: quale est quod fit ad ulcera purganda et implenda, maxime inter nervos, paribus portionibus inter se mixtis, butyri, medullae vitulinae, sevi vitulini, adipis anserinae, cerae, mellis, resinae terebinthinae, rosae, olei cicini: quae separatim omnia liquantur, deinde liquida miscentur, et tum simul teruntur. Et hoc quidem magis purgat: magis vero emollit, si pro rosa cyprus infunditur.

4. Ad sacrum ignem: spumae argenti p. ⊬. vɪ. cornu bubuli combusti (1) p. ⊬. xɪɪ. conteruntur, adjiciturque invicem vinum, *et id quod specialiter sic vocatur*, et myrteum, donec utriusque terni cyathi conficiantur.

Cap. XXV (**). 1. Catapotia quoque multa sunt, variisque de causis fiunt. A'νώδυνα vocant, quae somno dolorem levant: quibus uti, nisi nimia necessitas urget, alienum est. Sunt enim ex vehementibus medicamentis, et stomacho alienis. Potest tamen etiam ad concoquendum, quod habet papaveris lacrimae, galbani, singulorum p. ⊬. ɪ. myrrhae, castorei, piperis, singulorum p. ⊬. ɪɪ. ex quibus, quod ervi magnitudinem habet, satis est devorasse.

2. Alterum stomacho pejus, ad somnum valentius, ex his fit; mandragorae p. ⊬. =. apii seminis, item hyoscyami seminis, singulorum p. ⊬. ɪv. quae ex vino teruntur. Unum autem ejusdem magnitudinis, quae supra posita est, abunde est sumsisse.

3. Sive autem capitis dolores, sive ulcera, sive lippitudo, *sive*

(*) Cap. XXIV. *De acopis.*

(1) Verba haec *et id quod specialiter sic vocatur* ab aliquo addita fuerunt, qui myrteum de vino accepit. De adverbio *specialiter* vide adnot. 12. ad cap. 18. lib. 2.

(**) Cap. XXV. *De Catapotiis.*

dentes, sive spiritus difficultas, sive intestinorum tormenta, sive inflammatio vulvae est, sive coxa, sive jecur, aut lienis, aut latus torquet, sive vitio locorum aliquo prolabitur et obmutescit, occurrit dolori per quietem ejusmodi catapotium. Silis, acori, rutae silvestris seminis, singulorum p. Ӿ. I. castorei, cinnamomi, singulorum p. Ӿ. II. papaveris lacrimae, panacis radicis, mandragorae, malorum aridorum, junci rotundi floris, singulorum p. Ӿ. III. piperis grana LVI. Haec per se contrita, rursus instillato subinde passo simul omnia teruntur, donec crassitudo sordium fiat. Ex eo paulum aut devoratur, aut aqua dilnitur, et potui datur.

4. Quin etiam silvestris papaveris, quum jam ad excipiendam lacrimam maturum est, manipulus *qui manu comprehendi potest* in vas demittitur, et superinfunditur aqua, quae id contegat, atque ita coquitur. Ubi jam bene manipulus (*a*) is coctus est, ibidem expressus projicitur, et cum eo humore passum pari mensura miscetur, infervetque, donec crassitudinem sordium habeat. Quum infrixit, catapotia ex eo fiunt ad nostrae fabae magnitudinem, habentque usum multiplicem. Nam et somnum faciunt, vel per se assumta, vel ex aqua data: et aurium dolores levant, adjecto exiguo modo rutae succo, ac passi: et tormina supprimunt ex vino liquata: et inflammationem vulvae coercent, mixta cerato ex rosa facto, cum paulum his croci quoque accessit: et ex aqua fronti inducta, pituitam in oculos decurrentem tenent.

5. Item, si vulva dolens somnum prohibet: croci p. Ӿ. = =. anisi, myrrhae, singulorum p. Ӿ. I. papaveris lacrimae p. Ӿ. III. cicutae seminis p. Ӿ. VIII. miscentur, excipiunturque vino vetere, et quod lupini magnitudinem habet, in tribus cyathis aquae diluitur. Id tamen in febre periculose datur.

6. Ad sanandum jecur: nitri p. Ӿ. =. croci, myrrhae, nardi gallici, singulorum p. Ӿ. I. melle excipiuntur, daturque, quod aegyptiae fabae magnitudinem habeat.

7. Ad lateris dolores finiendos, piperis, aristolochiae, nardi, myrrhae pares portiones.

8. Ad thoracis: nardi p. Ӿ. I. turis, casiae, singulorum p. Ӿ. III. myrrhae, cinnamomi, singulorum p. Ӿ. VI. croci p. Ӿ. VIII. resinae terebinthinae quadrans, mellis heminae tres.

9. Ad tussim Athenionis: myrrhae, piperis, singulorum p. Ӿ I. castorei, papaveris lacrimae, singulorum p. Ӿ. I. quae separatim contusa postea junguntur, et ad magnitudinem fabae nostrae, bina catapotia mane, bina noctu dormituro dantur.

10. Si tussis somnum prohibet, ad utrumque Heraclidis Tarentini: croci p. Ӿ. =. myrrhae, piperis longi, costi, galbani, singulo-

(*a*) Lupae corr. *incoctus*.

rum p. Ӿ. =. cinnamomi, castorei, papaveris lacrimae, singulorum p. Ӿ. I.

11. Quod si purganda ulcera in faucibus tussientibus sunt, panacis, myrrhae, resinae terebinthinae, singulorum p. uncia, galbani p. Ӿ. =. hyssopi p. Ӿ. =-. conterenda sunt, hisque hemina mellis adjicienda, et quod digito excipi potest, devorandum est.

12. Colice vero Cassii ex his constat: croci, anisi, castorei, singulorum p. Ӿ. III. petroselini p. Ӿ. IV. piperis et longi et rotundi, singulorum p. Ӿ. V. papaveris lacrimae, junci rotundi, myrrhae, nardi, singulorum p. Ӿ. VI. quae melle excipiuntur. Id autem et devorari potest, et ex aqua calida sumi.

13. Infantem vero mortuum, aut secundas expellit aquae potio, cui salis ammoniaci p. Ӿ. I. aut cui dictami cretici p. Ӿ. I. adjectum est.

14. Ex partu laboranti erysimum ex vino tepido jejunae dari debet.

15. Vocem adjuvat turis p. Ӿ. I. in duobus cyathis vini datum.

16. Adversus urinae difficultatem: piperis longi, castorei, myrrhae, galbani, papaveris lacrimae, croci, costi, unciae singulae, styracis, resinae terebinthinae, pondo sextantes (1), melampsithii cyathus: ex quibus ad magnitudinem fabae aegyptiae et mane et coenato dari debet.

17. Arteriace vero hoc modo fit: casiae, iridis, cinnamomi, nardi, mirrhae, turis, singulorum p. Ӿ. I. croci p. Ӿ. I. =, piperis grana XXX ex passi tribus sextariis decoquuntur, donec mellis crassitudo his fiat; aut croci, myrrhae, turis, singulorum p. Ӿ. I. conjiciuntur in passi eumdem modum, eodemque modo decoquuntur: aut ejusdem passi heminae tres usque eo coquuntur, donec extracta inde gutta indurescat; eo adjicitur tritae casiae p. Ӿ. I.

CAP. XXVI (*). Quum facultates medicamentorum proposuerim, genera in quibus noxa corpori est, proponam. Ea quinque sunt: quum quid extrinsecus laesit, ut in vulneribus; quum quid intra seipsum corruptum est, ut in cancro; quum quid innatum est, ut in vesica calculus; quum quid increvit, ut vena, quae intumescens in varicem convertitur; quum quid deest, ut quum curta pars aliqua est. Ex his alia sunt in quibus medicamenta, alia in quibus plus manus proficit. Ego, dilatis iis quae praecipue scalpellum et manum postulant, nunc de iis dicam quae maxime medicamentis egent. Dividam autem hanc quo-

(1) Ita ex Krausio. Est autem melampsithium passi genus. Vide Plinium lib. 14. cap. 9. secl. 11. (*)

(*) Lupacch. hanc notulam adjecit: *I. Capella Psythia uvae genus, ex qua optimum conficitur passum* Virg. 2. Georg. *Et passo psythia utilior.*

(*) CAP. XXVI. *De quinque generibus noxam corporis.*

que curandi partem, sicut priorem; et ante dicam de iis quae in quamlibet partem corporis incidunt; tum de iis quae certas partes infestant, Incipiam a vulneribus.

1 In his autem ante omnia scire medicus debet, quae insanabilia sint, quae difficilem curationem habeant, quae promtiorem. Est enim prudentis hominis, primum eum, qui servari non potest, non attingere, nec subire speciem ejus ut occisi, quem sors ipsius interemit: deinde, ubi gravis metus sine certa tamen desperatione est, indicare necessariis periclitantis in difficili rem esse; ne, si victa ars malo fuerit, vel ignorasse, vel fefellisse videatur. Sed ut haec prudenti viro conveniunt, sic rursus histrionis est, parvam rem attollere, quo plus praestitisse videatur. Obligarique aequum est confessione promtae rei, quo curiosius etiam circumspiciat, ne, quod per se exiguum est, majus curantis negligentia fiat.

2. Servari non potest, cui basis cerebri, cui cor, cui stomachus, cui jecinoris portae, cui in spina medulla percussa est; cuive aut pulmo medius, aut jejunum, aut tenuius intestinum, aut ventriculus, aut renes vulnerati sunt; cuive circa fauces grandes venae, vel arteriae praecisae sunt.

3. Vix autem ad sanitatem perveniunt, quibus ulla parte aut pulmo, aut jecinoris crassum, aut membrana, quae continet cerebrum, aut lienis, aut vulva, aut vescica, aut ullum intestinum, aut septum transversum vulneratum est. Ii quoque in praecipiti sunt, in quibus usque ad grandes intusque conditas venas in alis, vel poplitibus mucro descedit. Periculosa etiam vulnera sunt, ubicumque venae majores sunt, quoniam exhaurire hominem profusione sanguinis possunt: idque evenit non in alis tantum atque poplitibus, sed etiam in iis venis quae ad anum testiculosque perveniunt. Praeter haec malum vulnus est, quodcumque in alis, vel feminibus, vel inanibus locis, vel in articulis, vel inter digitos est: item quodcumque musculum, aut nervum, aut arteriam, aut membranam, aut os, aut cartilaginem laesit. Tutissimum omnium, quod in carne est.

4. Et haec quidem loco vel pejora, vel meliora sunt. Modo vero periculum facit quodcumque magnum est.

5. Aliquid etiam in vulneris genere figuraque est. Nam pejus est, quod etiam collisum, quam quod tantum discissum est: adeo ut acuto quoque, quam retuso telo, vulnerari commodius sit. Pejus etiam vulnus est, ex quo aliquid excisum est; ex quove caro alia parte abscissa, alia dependet. Pessimaque plaga in orbem est; tutissima, quae lineae modo recta est. Quo deinde propius huic illive figurae vulnus est, eo vel deterius vel tolerabilius est.

6. Quin etiam confert aliquid et aetas, et corpus, et vitae propositum, et anni tempus: quia facilius sanescit puer vel adolescens, quam senior; valens, quam infirmus; neque nimis tenuis, neque nimis plenus, quam si alterum ex his est; integri habitus, quam corrupti;

exercitatus, quam iners; sobrius et temperans, quam vino venerique deditus. Opportunissimumque curationi tempus vernum est, ant certe neque fervens, neque frigidum: siquidem vulnera et nimius calor et nimium frigus infestant; maxime tamen horum varietas: ideoque perniciosissimus autumnus est.

7. Sed pleraque ex vulneribus oculis subjecta sunt: quorumdam ipsae sedes indices sunt; quas alio loco demonstravimus, quum positus interiorum partium ostendimus. Verumtamen, quia quaedam vicina sunt, interestque, vulnus in summa parte sit, an penitus penetraverit, necessarium est notas subjicere, per quas quid intus ictum sit, scire possimus; et ex quibus vel spes, vel desperatio oriatur.

8. Igitur, corde percusso, sanguis multus fertur, venae elanguescunt, color pallidissimus, sudores frigidi, malique odoris, tamquam irrorato corpore oriuntur: extremisque partibus frigidis matura mors sequitur.

9. Pulmone vero icto, spirandi difficultas est; sanguis ex ore spumans, ex plaga rubens, simulque etiam spiritus cum sono fertur; in vulnus inclinari juvat: quidam sine ratione consurgunt: multi si in ipsum vulnus inclinati sunt, loquuntur; si in aliam partem, obmutescunt.

10. Jecinoris autem vulnerati notae sunt: multus sub dextra parte praecordiorum profusus sanguis; ad spinam reducta praecordia; in ventrem cubandi dulcedo; punctiones, doloresque usque ad jugulum, junctumque ei latum scapularum os, intenti: quibus nonnumquam etiam biliosus vomitus accedit.

11. Renibus vero percussis, dolor ad inguina testiculosque descendit; difficulter urina redditur; eaque aut est cruenta, aut cruor fertur.

12. At liene icto, sanguis niger a sinistra parte prorumpit; praecordia cum ventriculo ab eadem parte indurescunt; sitis ingens oritur; dolor ad jugulum, sicut jecinore vulnerato, venit.

13. At quum vulva percussa est, dolor in inguinibus, et coxis, et feminibus est; sanguinis pars per vulnus, pars per naturale descendit; vomitus bilis insequitur; quaedam obmutescunt; quaedam mente labuntur; quaedam, sui compotes, nervorum oculorumque dolore urgeri se confitentur; morientesque eadem, quae corde vulnerato patiuntur.

14. Sin cerebrum membranave ejus vulnus accepit, sanguis per nares, quibusdam etiam per aures exit; fereque bilis vomitus insequitur; quorumdam sensus obtunduntur, appellatique ignorant; quorumdam trux vultus est; quorumdam oculi, quasi resoluti, huc atque illuc moventur; fereque tertio, vel quinto die delirium accedit; multorum etiam nervi distenduntur: ante mortem autem plerique fascias, quibus caput deligatum est, lacerant, ac nudum vulnus frigori objiciunt.

15. Ubi stomachus autem percussus est, singultus, et bilis vomitus insequitur; si quid cibi vel potionis assumtum est, id redditur cito; venarum motus elanguescunt; sudores tenues oriuntur, per quos extremae partes frigescunt.

16. Communes vero jejuni intestini et ventriculi vulnerati notae sunt: nam cibus et potio per vulnus exeunt; praecordia indurescunt; nonnumquam bilis per os redditur: intestino tantum sedes inferior est. Cetera intestina icta vel stercus, vel odorem ejus exhibent.

17. Medulla vero, quae in spina est, percussa, nervi resolvuntur, aut distenduntur; sensus intercidit; interposito tempore aliquo sine voluntate inferiores partes vel semen, vel urinam, vel etiam stercus excernunt.

18. At si septum transversum percussum est, praecordia sursum contrahuntur; spina dolet; spiritus rarus est; sanguis spumans fertur.

19. Vesica vero vulnerata, dolent inguina; quod super pubem est, intenditur; pro urina, sanguis: at ex ipso vulnere urina descendit; stomachus afficitur; itaque aut bilem vomunt, aut singultiunt; frigus, et ex eo mors sequitur.

20. His cognitis, etiamnum quaedam alia noscenda sunt, ad omnia vulnera ulceraque, de quibus dicturi sumus, pertinentia. Ex his autem exit sanguis, sanies, pus. Sanguis omnibus notus est; sanies est tenuior hoc, varie crassa et glutinosa et colorata; pus crassissimum albidissimumque, glutinosius et sanguine et sanie. Exit autem sanguis ex vulnere recenti, aut jam sanescente; sanies *est* inter utrumque tempus; pus ex ulcere jam ad sanitatem spectante. Rursus et sanies et pus quasdam species graecis nominibus distinctas habent. Est enim quaedam sanies, quae vel ἰχὼρ, vel μελίκηρα nominatur: est pus, quod ἐλαιῶδες appellatur. Ἰχὼρ tenuis, subalbidus, ex malo ulcere exit, maximeque ubi nervo laeso, inflammatio sequuta est. Melicera crassior est, glutinosior, subalbida, mellique albo subsimilis. Fertur haec quoque ex malis ulceribus, ubi nervi circa articulos laesi sunt; et inter haec loca, maxime ex genibus. Ἐλαιῶδες tenue, subalbidum, quasi unctum, colore atque pinguitudine oleo albo non dissimile apparet in magnis ulceribus sanescentibus. Malus autem est sanguis nimium aut tenuis, aut crassus, colore vel lividus, vel niger, aut pituita mixtus, aut varius: optimus calidus, rubens, modice crassus, non glutinosus. Itaque protinus ejus vulneris expedita magis curatio est, ex quo sanguis bonus fluxit: itemque postea spes in iis major est, ex quibus melioris generis quaeque proveniunt. Sanies igitur mala est multa, nimis tenuis, livida, aut pallida, aut nigra, aut glutinosa, aut mali odoris, aut quae et ipsum ulcus, et junctam ei cutem erodit: melior est non multa, modice crassa, subrubicunda, aut subalbida. Ἰχὼρ autem pejor est multus, crassus, sublividus aut subpallidus, glutinosus, ater, calidus, mali odoris: tolerabilior est su-

balbidus, qui cetera omnia contraria prioribus habet. Melicera autem mala est multa et percrassa: melior quae et tenuior et minus copiosa est. Pus inter haec optimum est. Sed id quoque pejus est multum, tenue, dilutum; magisque si ab initio tale est: itemque si colore sero simile, si pallidum, si lividum, si faeculentum est: praeter haec si male olet; nisi tamen locus hunc odorem excitat. Melius est, quo minus est, quo crassius, quo albidius: itemque si laeve est, si nihil olet, si aequale est. Modo tamen convenire et magnitudini vulneris, et tempori debet: nam plus ex majore, plus nondum solutis inflammationibus naturaliter fertur. Ἐλαιῶδες quoque pejus est multum, et parum pingue: quo minus ejus, quoque id ipsum pinguius, eo melius est.

21. Quibus exploratis, ubi aliquis ictus est, qui servari potest, protinus prospicienda duo sunt: ne sanguinis profusio, neve inflammatio interimat. Si profusionem timemus; (quod ex sede vulneris, et ex magnitudine ejus, et ex impetu ruentis sanguinis intelligi potest); siccis linamentis vulnus implendum est, supraque imponenda spongia ex aqua frigida expressa, ac manu super comprimenda. Si parum sic sanguis conquiescit, saepius linamenta mutanda sunt; et, si sicca parum valent, aceto madefacienda sunt. Id vehemens ad sanguinem supprimendum est; ideoque quidam id vulneri infundunt. Sed alius rursus metus subest; ne, nimis valenter ibi retenta materia, magnam inflammationem postea moveat. Quae res efficit, ut neque rodentibus medicamentis, neque adurentibus, et ob id ipsum inducentibus crustam, sit utendum; quamvis pleraque ex his sanguinem suppriment: sed, si semel ad ea decurritur, iis potius, quae mitius idem efficiunt. Quod si illa quoque profluvio vincuntur, venae quae sanguinem fundunt, apprehendendae, circaque id quod ictum est, duobus locis deligandae, intercidendaeque sunt (1), ut et in se ipsae coeant, et nihilominus ora praeclusa habeant. Ubi ne id quidem res patitur, possunt ferro candenti aduri. Sed etiam satis multo sanguine effuso ex eo loco quo neque nervus, neque musculus est, ut, puta, in fronte, vel superiore capitis parte, commodissimum tamen est cucurbitulam admovere a diversa parte, ut illuc sanguinis cursus revocetur.

22. Et adversus profusionem quidem in his auxilium est: adverversus inflammationem autem in ipso sanguinis cursu. Ea timeri potest, ubi laesum est vel os, vel nervus, vel cartilago, vel musculus; aut ubi parum sanguinis pro modo vulneris fluxit. Ergo quoties quid tale erit, sanguinem mature supprimere non oportebit; sed pati fluere, dum tutum erit, adeo ut si parum fluxisse videbitur, mitti quo-

(1) Id est, ut venarum, quae intercisae sunt, capita sese contrahant. Aetius lib. 16. cap. 51. *Cogimur aliquando etiam magnis venis vinculum obligare, atque etiam aliquando totas ipsas dissecare, transversas videlicet. Sic enim utraque pars utrinque retrahitur, et ab incumbentibus corporibus tegitur, et occultatur.* Vide etiam Paulum Aeginetam lib. 4. cap. 53.

que ex brachio debeat; utique si corpus juvenile et robustum et exercitatum est: multoque magis, si id vulnus ebrietas praecessit. Quod si musculus laesus videbitur, praecidendus erit: nam percussus, mortiferus est; praecisus, sanitatem recipit.

23. Sanguine autem vel suppresso, si nimius erumpit; vel exhausto, si per se parum fluxit; longe optimum est vulnus glutinari. Potest autem id quod vel in cute, vel etiam in carne est, si nihil ei praeterea mali accedit: potest caro alia parte dependens, alia inhaerens; si tamen etiamnum integra est, et conjunctione corporis fovetur. In iis vero qnae glutinantur, duplex curatio est. Nam si plaga in molli parte est, sni debet; maximeque, si discissa auris ima est, vel imus nasus, vel frons, vel bucca, vel palpebra, vel labrum, vel circa guttur cntis, vel venter. Si vero in carne vulnus est, hiatque, neque in unnm orae facile attrahnntur, sutura qnidem aliena est; imponendae vero fibulae (a) sunt; ἀγκτῆρας Graeci nominant; quae oras, paulum tamen contrahant, quo minus lata postea cicatrix sit. Ex his autem colligi potest, id quoque quod alia parte dependens, alia inhaerebit, si alienatum adhuc non est, suturam, an fibulam postulet. Ex quibus neutra ante debet imponi, quam intus vulnus purgatum est; ne quid ibi concreti sanguinis relinquatur. Id enim et in pus vertitur, et inflammationem movet, et glutinari vulnus prohibet. Ne linamentum quidem, quod supprimendi sanguinis causa inditum est, ibi reliquendum est: nam id quoque inflammat. Comprehendi vero sutura, vel fibula, non cntem tantum, sed aliquid etiam ex carne, nbi suberit haec, oportebit; quo valentius haereat, neque cutem abrumpat. Utraque optima est ex acia molli, non nimis torta, quo mitius corpori insidat. Utraque neque nimis rara, neque nimis crebra injicienda. Si nimis rara est, non continet: si nimis crebra est, vehementer afficit: quia, quo saepius acus corpus transuit, quoque plura loca injectum vincnlum mordet, eo majores inflammationes oriuntur; magisque aestate. Neutra etiam vim ullam desiderat; sed eatenus utilis est, qua cutis dncentem quasi sua sponte subse-

(a) Specimen fibularum, quibus veteres utebantur, quarumque non paucae in variis Musaeis collectae, a Rhodio in suo *De Acia et de fibulis antiquorum* opere, aere incisae observantur. Vide *Farmacopea Celsiana* in II. Vol.; et opus ipsum Rhodii paulo infra in hoc Vol.



quitur. Fere tamen fibulae latius vulnus esse patiuntur: sutura oras jungit, quae ne ipsae quidem inter se contingere ex toto debent; ut si quid intus humoris concreverit, sit qua emanet. Si quod vulnus neutrum horum recipit, id tamen purgari debet. Deinde omni vulneri primo imponenda est spongia ex aceto expressa: si sustinere aliquis aceti vim non potest, vino utendum est. Levius plaga juvatur etiam, si ex aqua frigida expressa spongia imponitur. Sed ea, quocumque modo imposita est, dum madet, prodest: itaque, ut inarescat, non est committendum. Licetque sine peregrinis, et conquisitis, et compositis medicamentis vulnus curare. Sed si quis huic parum confidit, imponere medicamentum debet, quod sine sevo compositum sit ex iis, quae cruentis vulneribus apta esse proposui; maximeque si caro est, barbarum; si nervi, vel cartilago, vel aliquid ex eminentibus, quales aures, vel labra sunt, Polyidae sphragidem. Alexandrinum quoque viride nervis idoneum est: eminentibusque partibus ea quam Graeci ῥάπτουσαν vocant. Solet etiam, colliso corpore, exigua parte findi cutis. Quod ubi incidit, non alienum est scalpello latius aperire; nisi muscoli, nervique juxta sunt, quos incidi non expedit: ubi satis diductum est, medicamentum imponendum est. At si id quod collisum est, quamvis parum diductum est, latius tamen aperiri propter nervos aut musculos non licet, adhibenda sunt ea quae humorem leniter extrahant; praecipueque ex his id, quod ῥυπῶδες vocari proposui. Non alienum est etiam, ubicumque vulnus grave est, imposito quo id juvetur, insuper circumdare lanam succidam ex aceto et oleo: vel cataplasma, si mollis is locus est, quod leniter reprimat; si nervosus, aut musculosus, quod emolliat.

24. Fascia vero ad vulnus deligandum lintea aptissima est; eaque lata esse debet, ut semel injecta non vulnus tantum, sed paulum utrimque etiam oras ejus comprehendat. Si ab altera parte caro magis recessit, ab ea melius attrahitur: si aeque ab utraque, transversa comprehendere oras debet; aut si id vulneris ratio non patitur, media primum inficienda est; ut tum in utramque partem ducatur. Sic autem deliganda est, ut et contineat, neque adstringat: quod non continetur, elabitur; quod nimis adstrictum est, cancro periclitatur. Hieme saepius fascia circumire debet: aestate quoties necesse est. Tum extrema pars ejus inferioribus acu assuenda est: nam nodus vulnus laedit, nisi tamen longe est. Illo neminem decipi decet, ut propriam viscera curationem requirant, de quibus supra posui. Nam plaga ipsa curanda extrinsecus vel sutura, vel alio medicinae genere est. In visceribus nihil movendum est; nisi, ut si quid aut ex jecinore, aut liene, aut pulmone dumtaxat extremo dependet, praecidatur. Alioquin vulnus interius ea victus ratio, eaque medicamenta sanabunt, quae cuique visceri convenire superiore libro proposui.

25. His ita primo die ordinatis, homo in lecto collocandus est; isque, si grave vulnus est, abstinere, quantum vires patiuntur, ante

inflammationem, a cibo debet; bibere, donec sitim finiat, aquam calidam, vel, si aestas est, ac neque febris, neque dolor est, etiam frigidam. Adeo tamen nihil perpetuum est, sed semper pro vi corporis aestimandum, ut imbecillitas etiam cibum protinus facere necessarium possit; tenuem scilicet, et exiguum, qui tantum sustineat. Multique etiam ex profluvio sanguinis intermorientes ante ullam curationem vino reficiendi sunt: quod alioqui inimicissimum vulneri est.

26. Nimis vero intumescere vulnus, periculosum; nihil intumescere, periculosissimum est: illud indicium est magnae inflammationis; hoc emortui corporis. Protinusque, si mens homini consistit, si nulla febris accessit, scire licet mature vulnus sanum fore. Ac ne febris quidem terrere debet, si in magno vulnere, dum inflammatio est, permanet. Illa perniciosa est, quae vel levi vulneri supervenit, vel ultra tempus inflammationis durat, vel delirium movet: vel si nervorum rigor, aut distentio, quae ex vulnere orta est, ea non finitur. Vomitus quoque biliosus non voluntarius, vel protinus ut percussus est aliquis, vel dum inflammatio manet, malum signum est in iis dumtaxat, quorum vel nervi, vel etiam nervosi loci vulnerati sunt. Sponte tamen vomere, non alienum est; praecipue iis, quibus in consuetudine fuit: sed neque protinus post cibum, neque jam inflammatione orta, neque quum in superioribus partibus plaga est.

27. Biduo sic vulnere habito, tertio die id aperiendum, detergendaque sanies ex aqua frigida est, eademque rursus injicienda sunt. Quinto jam die, quanta inflammatio futura est, se ostendit. Quo die, rursus detecto vulnere, considerandus color est: qui si lividus, aut pallidus, aut varius, aut niger est, scire licet malum vulnus esse; idque quandocumque animadversum est, terrere nos potest. Album, aut rubicundum esse *vulnus*, commodissimum est. Item cutis dura, crassa, dolens, periculum ostendit: bona signa sunt, ubi haec sine dolore, tenuis et mollis est. Sed si glutinatur vulnus, aut leviter intumuit, eadem sunt imponenda quae primo fuerunt; si gravis inflammatio est, neque glutinandi spes est, ea quae pus moveant. Jamque aquae quoque calidae necessarius usus est, ut et materiam digerat, et duritiam emolliat, et pus citet. Ea sic temperanda est, ut manu contingendi jucunda sit; et usque eo adhibenda, donec aliquid ex tumore minuisse, coloremque ulceri magis naturalem reddidisse videatur. Post id fomentum, si late plaga non patet, imponi protinus emplastrum debet; maximeque, si grande vulnus est, tetrapharmacum; si in articulis, digitis, locis cartilaginosis, rhypodes: at si latius hiat, idem illud emplastrum liquari ex irino unguento oportet, eoque illita linamenta disponi per plagam; deinde emplastrum supra dari, et super id succidam lanam: minusque etiam quam primo, fasciae adstringendae sunt.

28. Proprie quaedam in articulis visenda sunt. In quibus si praecisi nervi sunt, qui continebant, debilitas ejus partis sequitur. Si

id dubium est, et ex acuto telo plaga est, ea transversa commodior est : si ex retuso et gravi, nullum in figura discrimen est ; sed videndum est, pus supra articulum, an infra nascatur. Si sub eo nascitur, albumque et crassum diu fertur, nervum praecisum esse credibile est; magisque, quo majores dolores inflammationesque, et quo maturius excitatae sunt. Quamvis autem non abscissus nervus est; tamen, si circa tumor durus diu permanet, necesse est et diuturnum ulcus esse, et, sano quoque eo, tumorem permanere : futurumque est, ut tarde membrum id vel extendatur, vel contrahatur. Major tamen in extendendo mora est, ubi recurvato articulo curatio adhibita est ; quam in recurvando eo quod rectum continuerimus. Collocari quoque membrum quod ictum est, ratione certa debet : si glutinandum est, ut superius sit ; si in inflammatione est, ut in neutram partem inclinatum sit; si jam pus profluit, ut devexum sit. Optimum etiam medicamentum quies est : moveri, ambulare, nisi sanis, alienum est. Minus tamen iis periculosum, qui in capite vel brachiis, quam qui in inferioribus partibus vulnerati sunt. Minimeque ambulatio convenit, femine, aut crure, aut pede laborante. Locus in quo cubabit, tepidus esse debebit. Balneum quoque, dum parum vulnus purum est, inter res infestissimas est: nam id et tumidum et sordidum reddit : ex quibus ad cancrum transitus esse consuevit. Lenis frictio recte adhibetur; sed iis partibus quae longius absunt a vulnere.

29. Inflammatione finita, vulnus purgandum est. Id optime faciunt tincta in melle linamenta ; supraque idem emplastrum, vel enneapharmacum dandum est. Tum demum vero purum *ulcus* est, quum rubet, ac nimium neque siccum, neque humidum est. At quodcumque sensu caret, quod non naturaliter sentit, quod nimium aut aridum, aut humidum est, quod aut albidum, aut pallidum, aut lividum, aut nigrum est, id purum non est.

30. Purgato, sequitur ut impleatur. Jamque calida aqua eatenus necessaria est, ut sanies removeatur. Lanae succidae supervacuus usus est: lota melius circumdatur. Ad implendum autem vulnus proficiunt quidem etiam medicamenta aliqua : itaque ea adhiberi non alienum est; ut butyrum cum rosa, et exigua mellis parte ; aut cum eadem rosa tetrapharmacum ; aut ex rosa linamenta. Plus tamen proficit balneum rarum, cibi boni succi, vitatis omnibus acribus ; sed jam pleniores. Nam et avis, et venatio, et suilla elixa dari potest. Vinum omnibus, dum febris, dum inflammatio est, alienum est: itemque usque ad cicatricem, si nervi, musculive vulnerati sunt ; etiam si alte caro. At si plaga in summa cute generis tutioris est, potest non pervetus, modice tamen datum, ad implendum quoque proficere. Si quid molliendum est, quod in nervosis locis, musculosisque necessarium est, cerato quoque super vulnus utendum est. At si caro supercrevit, modice reprimit siccum linamentum ; vehementius

squama aeris. Si plus est, quod tolli opus est, adhibenda sunt etiamnum vehementiora, quae corpus exedant. Cicatricem post omnia haec commode inducit lycium ex passo aut lacte dilutum; vel etiam per se impositum siccum linamentum.

31. Hic ordo felicis curationis est: sed quaedam tamen pericula incidere consuerunt. Interdum enim vetustas ulcus occupat, inducitur que ei callus, et circum orae crassae livent: post quae, quidquid medicamentorum ingeritur, parum proficit: quod fere negligenter curato ulceri supervenit. Interdum vel ex nimia inflammatione, vel ob aestus immodicos, vel ob nimia frigora, vel quia nimis vulnus adstrictum est, vel quia corpus aut senile, aut mali habitus est, cancer occupat. Id genus a Graecis diductum in species est; nostris vocabulis non est. Omnis autem cancer non solum id corrumpit, quod occupavit, sed etiam serpit: deinde aliis aliisque signis discernitur. Nam modo super inflammationem rubor ulcus ambit, isque cum dolore procedit; ἐρυσίπελας Graeci nominant. Modo ulcus nigrum est, quia caro ejus corrupta est: idque vehementius etiam putrescendo intenditur, ubi vulnus humidum est, et ex nigro ulcere humor pallidus fertur, malique odoris est; carunculaeque corruptae, interdum etiam nervi ac membranae resolvuntur; specillumque demissum descendit aut in latus, aut deorsum: eoque vitio nonnumquam os quoque afficitur. Modo oritur ea quam Graeci γάγγραιναν appellant. Priora in qualibet parte corporis fiunt, hoc in prominentibus membris, id est inter ungues, et alas, vel inguina; fereque in senibus, vel in iis quorum corpus mali habitus est. Caro in ulcere vel nigra, vel livida est, sed sicca et arida; proximaque cutis plerumque sub nigris pustulis impletur: deinde ei proxima vel pallida, vel livida, fereque rugosa et sine sensu est; ulterior in inflammatione est; omniaque ea simul serpunt, ulcus in locum pustulosum; pustulae in eum qui pallet aut livet; pallor aut livor in id quod inflammatum est; inflammatio in id quod integrum est, transit. Inter haec deinde febris acuta oritur, ingensque sitis: quibusdam etiam delirium accedit: alii, quamvis mentis suae compotes sunt, balbutiendo tamen vix sensus suos explicant: incipit affici stomachus: fit foedi spiritus ipso odoris. Atque initium quidem ejus mali recipit curationem: ubi vero penitus insedit, insanabile est; plurimique sub frigido sudore moriuntur.

32. Ac pericula quidem vulnerum haec sunt. Vetus autem ulcus scalpello concidendum est, excidendaeque ejus orae, et quidquid super eas livet aeque incidendum. Si varicula intus est, quae id sanari prohibet, ea quoque excidenda. Deinde ubi sanguis emissus, novatumque vulnus est, eadem curatio adhibenda, quae in recentibus vulneribus exposita est. Si scalpello aliquis uti non vult, potest sanare id emplastrum, quod ex ladano fit: et quum ulcus sub eo exesum est, id quo cicatrix inducitur.

33. Id autem, quod *ἐρυσίπελας* vocari dixi, non solum vulneri supervenire, sed sine hoc quoque oriri consuevit: atque interdum periculum magnum affert; utique si circa cervices aut caput constitit. Oportet, si vires patiuntur, sanguinem mittere: deinde imponere simul reprimentia et refrigerantia; maximeque cerussam solani succo, aut cimoliam cretam aqua pluviali exceptam, aut ex eadem aqua subactam farinam, cupresso adjecta, aut, si tenerius corpus est, lenticula. Quidquid impositum est, betae folio contegendum est, et super linteolum frigida aqua madens imponendum. Si per se refrigerantia parum proderunt, miscenda erunt hoc modo: sulphuris p. X. i. cerussae et croci, singulorum p. X. xii. s. eaque cum vino conterenda sunt, et id his illinendum. At si durior locus est, solani folia contrita suillae adipi miscenda sunt, et illita linteolo superinjicienda.

At si nigrities est, nequedum serpit, imponenda sunt, quae carnem putrem lenius exedant: repurgatumque ulcus sic ut cetera, nutriendum est. Si magis putre est, jamque procedit ac serpit, opus est vehementius erodentibus. Si ne haec quidem evincunt, aduri locus debet, donec ex eo nullus humor feratur: nam quod sanum est, siccum est quum aduritur. Post ustionem putris ulceris, superponenda sunt quae crustas a vivo resolvant: *eas ἐσχάρας Graeci nominant.* Ubi eae exciderunt, purgandum ulcus maxime melle et resina est: sed aliis quoque purgari potest, quibus purulenta curantur; eodemque modo ad sanitatem perducendum est.

34. Gangraenam vero, si nondum plane tenet, sed adhuc incipit, curare non difficillimum est; utique in corpore juvenili: et magis etiam si musculi integri sunt; si nervi vel laesi non sunt, vel leviter affecti sunt; neque ullus magnus articulus nudatus est; aut carnis in eo loco paulum est, ideoque non multum, quod putresceret, fuit; consistitque eo loco vitium, quod maxime fieri in digito potest. In ejusmodi casu primum est, si vires patiuntur, sanguinem mittere: deinde quidquid aridum est, et intentione quadam proximum quoque locum male habet, usque sanum corpus concidere. Medicamenta vero, dum malum serpit, adhibenda nulla sunt, quae pus movere consuerunt; ideoque ne aqua quidem calida. Gravia quoque, quamvis reprimentia, aliena sunt; sed his quam levissimis opus est: superque ea, quae inflammata sunt, utendum est refrigerantibus. Si nihilo magis malum constitit, uri id quod est inter integrum ac vitiatum locum debet. Praecipueque in hoc casu petendum, non a medicamentis solum, sed etiam a victus ratione praesidium est: neque enim id malum, nisi corrupti vitiosique corporis est. Ergo primo, nisi imbecillitas prohibet, abstinentia utendum; deinde danda, quae per cibum potionemque alvum, ideoque etiam corpus, adstringant; sed ea levia. Postea, si vitium constitit, imponi super vulnus eadem debent, quae in putri ulcere praescripta sunt. Ac tum plenioribus quoque cibis uti licebit ex media materia; sed tamen non nisi alvum,

corpusque siccantibus; aqna vero pluviali frigida. Balneum, nisi jam certa fiducia redditae sanitatis est, alienum est: siquidem emollitum in eo vulnus cito rursus eodem malo afficitur. Solent vero nonnumquam nihil omnia auxilia proficere, ac nihilo minus serpere is cancer: inter quae miserum, sed nnicnm auxilinm est, ut cetera pars corporis tuta sit, membrum, quod paulatim emoritur, abscindere.

35. Hae gravissimorum vulnerum curationes snnt. Sed ne illa quidem negligenda, ubi integra cute interior pars collisa est; aut ubi derasum, attritumve aliquid est; ant ubi snrculus corpori infixus est; aut ubi tenue, sed altum vulnus insedit. In primo casu commodissimum est malicorium ex vino coquere, interioremque ejus partem conterere, et cerato miscere ex rosa facto, idque superponere: deinde, ubi cutis ipsa exasperata est, inducere lene medicamentum, qualis lipara est. Deraso vero, detritoque imponendum est emplastrum tetrapharmacum, minuendusque cibus, et vinum subtrahendum. Neque id, quia non habebit altiores ictus, contemnendum erit: siquidem ex ejusmodi casibus saepe cancri fiunt. Quod si levius id erit, et in parte exigua, contenti esse poterimus eodem leni medicamento. Surculum vero, si fieri potest, oportet vel manu, vel etiam ferramento ejicere. Si vel praefractus est, vel altius descendit quam ut id ita fieri possit, medicamento evocandus est. Optime autem educit superimposita arundinis radix, si tenera est, protinus contrita; si jam durior, ante in mulso decocta; cui semper mel adjiciendum est: ant aristolochia cum eodem melle. Pessima ex surculis arundo est, quia aspera est: eademque offensa etiam in filice est. Sed usu cognitum est, utramque adversus alteram medicamentum esse, si contrita ac superimposita est. Facit autem idem in omnibus surculis, quodcumque medicamentum extrahendi vim habet. Idem altis tenuibusque vulneribus aptissimum est. Priori rei Philocratis; huic Hecataei emplastrum maxime convenit.

36. Ubi vero in quolibet vnlnere ventnm ad inducendam cicatricem est; (quod perpurgatis jam, repletisque ulceribus necessarinm est); primum ex aqua frigida linamentum, dum caro alitur; deinde quum jam continenda est, siccum imponendum est, donec cicatrix inducatur: tum deligari super album plumbum oportet, quo et reprimitur cicatrix, et colorem maxime sano corpori similem accipit. Idem radix silvestris cucumeris praestat: idem compositio, quae habet elaterii p. 𐆖. I. spumae argenti p. 𐆖. II. unguenti p. 𐆖, VII. quae excipiuntur resina terebinthina, donec emplastri crassitudo ex omnibus fiat. Ac nigras quoque cicatrices leniter purgant paribus portionibus mixta aerugo et plumbum elotum, eademque resina coacta; sive ungitur cicatrix, quod in facie fieri potest; sive id ut emplastrum imponitur, quod in aliis partibns commodius est. At si vel excrevit cicatrix, vel concava est, stultum est decoris causa rursus et dolorem et medicinam sustinere: alioquin res utrique succurri patitur. Siqui-

dem utraque cicatrix exulcerari scalpello potest: si medicamentum aliquis mavult, idem efficiunt compositiones eae, quae corpus exedunt. Cute exulcerata, super eminentem carnem exedentia medicamenta conjicienda sunt; super concavam, implentia; donec utrumque ulcus sanae cuti aequatur: et tum cicatrix inducatur.

Cap. XXVII (*). 1. Dixi de iis vulneribus, quae maxime per tela inferuntur: sequitur, ut de iis dicam, quae morsu fiunt, interdum hominis, interdum simiae, saepe canis, nonnunquam ferorum animalium', aut serpentium (1). Omnis autem fere morsus habet quoddam virus. Itaque si vehemens vulnus est, cucurbitula admovenda est: si levius, protinus emplastrum injiciendum, praecipueque Diogenis; si id non est, quodlibet ex iis, quae adversus morsus proposui; si ea non sunt, viride alexandrinum; si ne id quidem est, quodlibet non pingue ex iis, quae recentibus vulneribus accomodantur. Sal quoque his, praecipueque ei, quod canis fecit, medicamentum est, si *manus* vulneri imponitur, superque id duobus digitis verberatur: exsaniat enim. Ac salsamentum quoque recte super id vulnus deligatur.

2. Utique autem, si rabiosus canis fuit, cucurbitula virus ejus extrahendum est. Deinde, si locus neque nervosus, neque musculosus est, vulnus id adurendum est: si uri non potest, sanguinem homini mitti non alienum est. Tum usto quidem vulneri superimponenda quae ceteris ustis sunt: ei vero quod expertum ignem non est, ea medicamenta, quae vehementer exedunt. Post quae nullo novo magisterio, sed jam supra posito vulnus erit implendum, et ad sanitatem perducendum. Quidam post rabiosi canis morsum protinus in balneum mittunt, ibique patiuntur desudare, dum vires corporis sinunt, vulnere adaperto, quo magis ex eo quoque virus destillet: deinde multo meracoque vino excipiunt, quod omnibus venenis contrarium est. Idque quum ita per triduum factum est, tutus esse homo a periculo videtur.

Solet autem ex eo vulnere, ubi parum occursum est, aquae timor nasci: ὑδροφόβους Graeci appellant. Miserrimum genus morbi, in quo simul aeger et siti et aquae metu cruciatur: quo oppressis in angusto spes est. Sed unicum tamen remedium est, nec opinantem in piscinam non ante ei provisam projicere, et, si natandi scientiam non habet, modo mersum bibere pati, modo attollere; si habet, interdum deprimere, ut invitus quoque aqua satietur: sic enim simul et sitis et

(1) Plinius lib 18. cap. 4. sect. 8. *Morsus etiam hominis inter asperrimos numeratur*. Ad hunc Celsi locum, ut animadvertit Morgagnus, respexisse videtur Sammonicus, qui scripsit;

Sive homo, seu similis turpissima bestia nobis
Vulnera dente dedit, virus simul intulit atrum.

(*) Cap. XXVII. *De curatione vulnerum, quae per morsus inferuntur.*

aquae metus tollitur. Sed aliud periculum excipit, ne infirmum corpus in aqua frigida vexatum nervorum distentio absumat. Id ne incidat, a piscina protinus in oleum calidum demittendus est. Antidotum autem, praecipue id, quod primo loco posui; ubi id non est, aliud, si nondum aeger aquam horret, potui ex aqua dandum est; et si amaritudine offendit, mel adjiciendum est: si jam is morbus occupavit, per catapotia sumi potest.

3. Serpentium quoque morsus non nimium distantem curationem desiderant: quamvis in ea (1) multum antiqui variarunt; ut in singula genera anguium singula medendi genera praeciperent; aliique alia. Sed in omnibus eadem maxime proficiunt. Igitur in primis super vulnus id membrum deligandum est; non tamen nimium vehementer, ne torpeat: dein venenum extrahendum est. Id cucurbitula optime facit: neque alienum est, ante scalpello circa vulnus incidere, quo plus vitiati jam sanguinis extrahatur. Si cucurbitula non est, (quod tamen vix incidere potest), tum quodlibet simile vas, quod idem possit: si ne id quidem est, homo adhibendus est, qui id vulnus exsugat. Neque hercules scientiam praecipuam habent ii, qui Psylli nominantur; sed audaciam usu ipso confirmatam. Nam venenum serpentis, ut quaedam etiam venatoria venena, quibus Galli praecipue utuntur (2), non gustu, sed in vulnere nocent. Ideoque colubra ipsa tuto estur; ictus ejus occidit. Et si stupente ea, (quod per quaedam medicamenta circulatores faciunt), in os digitum quis indidit, neque percussus est, nulla in ea saliva noxa est. Ergo quisquis, exemplum Psylli sequutus, id vulnus exsuxerit, et ipse tutus erit, et tutum hominem praestabit. Illud interea ante debebit attendere, ne quod in gingivis, palatove, aliave parte oris ulcus habeat. Post haec is homo loco calido collocandus est sic, ut id, quod percussum erit, in inferiorem partem inclinetur. Si neque qui exsugat, neque cucurbitula est, sorbere oportet jus anserinum, vel ovillum, vel vitulinum, et vomere: vivum autem gallinaceum pullum per medium dividere, et protinus calidum super vulnus imponere sic, ut pars interior corpori jungatur. Facit id etiam hoedus agnusve discissus, et calida ejus caro statim super vulnus imposita: emplastra quoque, quae supra comprehensa sunt; aptissimumque est vel ephesium, vel id quod ei subjectum est. Praesensque in aliquo antidoto praesidium est. Si id non est, necessarium est exsorbere potionem meri vini cum pipere, vel quidlibet aliud, quod calori movendo est, nec humorem intus coire patitur: nam maxima pars venenorum frigore interimit. Omnia etiam urinam moventia, quia materiam extenuant, utilia sunt.

4. Haec adversus omnes ictus communia sunt: usus tamen ipse

(1) Vide quae Theophrastus, Dioscorides, Plinius tradiderunt (2) Plinius lib 29. cap 4. sect 18. *Sed et venenum earum aspidum], si sanguinem attingit, aut recens vulnus, statim interimit; inveteratum ulcus, tardius: de cetero potum quantalibet copia, non nocet.* Haec illustravit Redius in lib. *Osservazioni intorno alle Vipere.*

docuit, eum, quem aspis percussit, acetum potius bibere debere. Quod demonstrasse dicitur casus cujusdam pueri, qui quum ab hac ictus esset, et partim ob ipsum vulnus, partim ob immodicos aestus siti premeretur, ac locis siccis alium humorem non reperiret, acetum, quod forte secum habebat, ebibit, et liberatus est. Credo quoniam id, quamvis refrigerandi vim habet (1), tamen habet etiam dissipandi. Quo fit, ut terra respersa eo spumet. Eadem ergo vi verisimile est spissescentem quoque intus humorem hominis ab eo discuti, et sic dari sanitatem.

5. In quibusdam etiam aliis serpentibus certa quaedam auxilia satis nota sunt. Nam scorpio sibi ipse pulcherrimum medicamentum est. Quidam contritum cum vino bibunt: quidam eodem modo contritum super vulnus imponunt: quidam super prunam eo imposito vulnus suffumigant, undique veste circumdata, ne is fumus dilabatur: tum carbonem ejus super vulnus deligant. Bibere autem oportet herbae solaris, quam ἡλιοτρόπιον Graeci vocant, semen, vel certe folia ex vino. Super vulnus vero etiam furfures ex aceto, vel ruta silvatica recte imponitur, vel cum melle sal tostus. Cognovi tamen medicos, qui ab scorpione ictis nihil aliud, quam ex brachio sanguinem miserunt.

6. Et ad scorpionis autem et ad aranei ictum, allium cum ruta recte miscetur, ex oleoque contritum superimponitur.

7. At si cerastes, aut dipsas, aut haemorrhois percussit, polii, quod aegyptiae fabae magnitudinem aequet, arefactum, in duas potiones dividendum est sic, ut ei rutae paulum adjiciatur. Trifolium quoque et mentastrum, et cum aceto panaces aeque proficiunt. Costumque, et casia, et cinnamomum recte per potionem assumuntur.

8. (1) Adversus chelydri vero ictum, panaces, aut laser *quod sit scripulorum* m. s. X. I., vel porri succus cum hemina vini sumendus est, et edenda multa satureia. Imponendum autem super vulnus stercus caprinum ex aceto coactum; aut ex eodem hordeacea farina; aut ruta, vel nepeta cum sale contrita, melle adjecto. Quod in eo quoque vulnere, quod cerastes fecit, aeque valet.

9. Ubi vero phalangium nocuit, praeter eam curationem, quae manu redditur, saepe homo demittendus in solium est, dandusque ei myrrhae et uvae taminiae par modus ex passi hemina; vel radiculae semen, aut polii radix ex vino; et super vulnus furfures ex aceto coacti, imperandumque, ut is conquiescat.

10. Verum haec genera serpentium et peregrina, et aliquanto magis pestifera sunt; maximeque aestuosis locis gignuntur. Italia frigi-

(1) Plinius lib. 23. cap. 1. Sect. 27. *Aceto summa vis est in refrigerando, non tamen minor in discutiendo: ita fit, ut infusum terrae spumet.*

(1) Chersydrum a chelydro discernit Lucanus lib. 9. Pharsal.

Natus et ambiguae coleret qui Syrtidos arva
Chersydros, tractique via fumante chelydri.

dioresque regiones hac quoque parte salubritatem habent, quod minus terribiles angues edunt. Adversus quos satis proficit herba vettonica (*a*), vel cantabrica, vel centaurion, vel argemonia, vel trixago (*b*) vel (1) personata, vel marina pastinaca, singulae binaeve tritae, et cum vino potui datae, et super vulnus impositae. Illud ignorari non oportet, omnis serpentis ictum et jejuni et jejuno magis nocere: ideoque (2) perniciosissimi sunt quum incubant; utilissimumque est, ubi ex anguibus metus est, non ante progredi, quam quis aliquid assumsit.

11. Non tam facile iis opitulari est, qui venenum vel in cibo, vel in potione sumserunt: primum, quia non protinus sentiunt, ut ab angue icti; ita ne succurrere quidem statim sibi possunt: deinde quia noxa non a cute, sed ab interioribus partibus incipit. Commodissimum est tamen, ubi primum sensit aliquis, protinus oleo multo epoto vomere: deinde, ubi praecordia exhausit, bibere antidotum; si id non est, vel merum vinum.

12. Sunt tamen quaedam remedia propria adversus quaedam venena, maximeque leviora. Nam si cantharidas aliquis ebibit, panaces cum lacte contusa, vel galbanum vino adjecto dari, vel lac per se debet. Si cicutam (*c*), vinum merum calidum cum ruta quampluri-

(1) Ita in ma:gine Ed. Constantinianae, et in Ed. Lindenii, in Caesariana, *personatia*, in ceteris, atque in Mss. *personina*. Apud Vegetium lib 3. cap. 4. legebatur *personatiam*; sed Morgagnu‹ emendavit *personatam* ex Columella; qui ita eam nominat lib. 6. cap. 17. Plinius lib· ‹5. cap. 9. sect. 58. ita scribit: *Quidam echion personatam vocant*; et videtur indicare Celsum, et Columellam; et si Columellam tantum, verisimile tamen est, hunc eodem nomine usum esse, quo Celsus usus fuerat. Ex his autem Flinii verbis apparet, *personatam* non eamdem herbam esse atque eam quam ipse *personatam* appellat, ut putat Schnellingius: nam hanc ab echio distinguit et describit sect. 66. ejusdem cap. 9. (2) Aristoteles quoque, et Plinius tradiderunt serpentes ova parere, et incubare. Revera ova gignunt, non tamen incubant. Ea pariunt juxta sterquilinia, aut parietes, aut in arena, locis soli expositis, ibique relinquunt, ut alieno calore foveantur, atque excludantur.

(*a*) Betonica officinalis



(*b*) Teucrium chamaedrys



(*c*) Conium maculatum



mum ingerendum est; deinde is vomere cogendus; posteaque laser ex vino dandum: isque, si febre vacat, in calidum balneum mittendus; si non vacat, ungendus ex calefacientibus est: post quae quies ei necessaria est. Si hyoscyamum (*a*), fervens mulsum bibendum est, aut quodlibet lac, maxime tamen asininum. Si cerussam, jus malvae, vel juglandes ex vino contritae, maxime prosunt. Si sanguisuga epota est, acetum cum sale bibendum est. Si lac intus coiit, aut passum (1), aut coagulum, aut cum aceto laser. Si fungos inutiles quis assumsit, radicula aut e posca, aut cum sale et aceto edenda est. Ipsi vero hi et specie quidem discerni possunt ab utilibus, et cocturae genere idonei fieri. Nam sive ex oleo inferbuerunt, sive piri surculus cum his inferbuit, omni noxa vacant.

13. Adustis quoque locis extrinsecus vis infertur: itaque sequi videtur, ut de his dicam. Haec autem optime curantur foliis aut lilii, aut linguae caninae (*b*), aut betae in vetere vino oleoque decoctis: quorum quidlibet protinus impositum ad sanitatem perducit. Sed dividi quoque curatio potest in ea, quae mediocriter exedentia reprimentiaque, primo et pustulas prohibeant, et summam pelliculam exasperent: deinde ea quae lenia ad sanitatem perducant. Ex prioribus est lenticulae cum melle farina, vel myrrha cum vino, vel creta cimolia cum turis cortice contrita et aqua coacta, atque ubi usus necessitas incidit, aceto diluta: ex insequentibus, quaelibet lipara; sed idonea maxime est, quae vel plumbi recrementum, vel vitellos habet. Est etiam illa adustorum curatio, dum inflammatio est, impositam habere cum melle lenticulam: ubi ea declinavit, farinam cum ruta, vel porro, vel marrubio, donec crustae cadant: tum ervum cum melle, aut irim, aut resinam terebinthinam, donec ulcus purum sit: novissime siccum linamentum.

(*a*) Hyoscyamus albus



(*b*) Cynoglossum officinale



(1) Duae hae voces in Ed. Lindenii desunt. De hac coaguli facultate vide Scribonium cap. 65. Plinium lib. 30. cap. 14 sect. 47. et Galenum lib. 10. de S. M. F. Aelius lib. 2. cap. 85 ita scribit: *coagendum recenti lacti injectum ipsum cogit, et spissat: id vero quod jam coactum est ex natura sua, dissolvit.*

Cap. XXVIII (*). 1. Ab his quae extrinsecus incidunt, ad ea veniendum est, quae interius, corrupta aliqua corporum parte, nascuntur. Ex quibus non aliud carbunculo pejus est. Ejus hae notae sunt: rubor est, superque eum non nimium pustulae eminent, maxime nigrae, interdum sublividae, aut pallidae; in his sanies esse videtur; infra color niger est; ipsum corpus aridum et durius, quam naturaliter oportet; circaque quasi crusta est; eaque inflammatione cingitur; neque in eo loco levari cutis potest, sed inferiori carni quasi affixa est; somnus urget; nonnumquam horror, aut febris oritur, aut utrumque. Idque vitium subteractis quasi quibusdam radicibus serpit, interdum celerius, interdum tardius: supra quoque procedens inalbescit; dein lividum fit, circumque exiguae pustulae oriuntur: et si circa stomachum faucesve incidit, subito spiritum saepe elidit. Nihil melius est, quam protinus adurere. Neque id grave est: nam non sentit; quoniam ea caro mortua est. Finisque adurendi est, dum ex omni parte sensus doloris est. Tum deinde ulcus, sicut cetera adusta, curandum est. Sequitur enim sub medicamentis erodentibus crusta, undique a viva carne diducta, quae trahit secum quidquid corruptum erat; purusque jam sinus curari potest implentibus. At si in summa cute vitium est, possunt succurrere quaedam vel exedentia tantum, vel etiam adurentia: vis pro magnitudine adhibenda est. Quodcumque vero medicamentum impositum est, si satis proficiet, protinus a viva corruptam partem resolvit; certaque esse fiducia potest fere, ut undique vitiosa caro excidat, *qua hujusque rei medicamen exest*. Si id non fit, medicamentumque malo vincitur, utique ad ustionem properandum est. Sed in ejusmodi casu abstinendum a cibo, a vino est: aquam liberaliter bibere expedit: magisque ea servanda sunt, si febricula quoque accessit.

2. Non idem periculum carcinoma affert, nisi imprudentia curantis agitatum est. Id vitium fit maxime in superioribus partibus, circa faciem, nares, aures, labra, mammas feminarum. *Et in jecore autem, aut splene hoc nascitur*. Circa locum aliqua quasi puncta sentiuntur; isque immobilis, inaequalis tumet; interdum etiam torpet. Circa eum inflatae venae quasi recurvantur, haeque pallent, aut livent; nonnumquam etiam in quibusdam delitescunt: tactusque is locus aliis dolorem affert, in aliis eum non habet: et nonnumquam sine ulcere durior aut mollior est, quam esse naturaliter debet; nonnumquam iisdem omnibus ulcus accedit: interdumque nullam habet proprietatem; interdum simile iis est, quae Graeci vocant κονδυλώματα, aspredine quadam et magnitudine sua: colorque ejus ruber est, aut lenticulae similis; neque tuto aufertur: nam protinus aut resolutio nervorum, aut distentio insequitur. Saepe homo ictus obmutescit, at-

(*) Cap. XXVIII. *De interioribus ulceribus, quae aliqua corporum parte corrupta nascuntur.*

que ejus anima deficit. Quibusdam etiam, si id ipsum pressum est, quae circa sunt intenduntur et intumescunt. Ob quae pessimum id genus est. Fereque primum id fit, quod κακόηθες a Graecis nominatur; deinde ex eo id carcinoma quod sine ulcere est: deinde ulcus; ex eo thymium. Tolli nihil, nisi cacoethes potest: reliqua curationibus irritantur; et quo major vis adhibita est, eo magis. Quidam usi sunt medicamentis adurentibus; quidam ferro adusserunt; quidam scalpello exciderunt: neque ulla umquam medicina profecit: sed adusta protinus concitata sunt, et increverunt, donec occiderent; excisa etiam post inductam cicatricem, tamen reverterunt, et causam mortis attulerunt: quum interim plerique nullam vim adhibendo, qua tollere id malum tentent, sed imponendo tantum lenia medicamenta, quae quasi blandiantur, quominus ad ultimam senectutem perveniant, non prohibeantur. Discernere autem cacoethes, quod curationem recipit, a carcinomate, quod non recipit, nemo statim potest, sed tempore et experimento. Ergo ubi primum id vitium notatum est, imponi debent medicamenta adurentia. Si levatur malum, minuunturque ejus indicia, procedere curatio potest et ad scalpellum, et ad ustionem: si protinus irritatum est, scire licet jam carcinoma esse; removendaque sunt omnia acria, omnia vehementia. Sed si sine ulcere is locus durus est, imponi ficum quam pinguissimam, aut rhypodes emplastrum satis est. Si ulcus aequale est, ceratum ex rosa injiciendum est, adjiciendusque ei pulvis ex contrita testa, ex qua faber ferrarius tingere candens ferrum solitus est. Si id nimium supercrevit, tentanda squama aeris est, quae lenissima ex adurentibus est, eatenus, ne quid eminere patiatur: sed ita, si nihil exacerbabit: si minus, eodem cerato contenti esse debebimus.

3. Est etiam ulcus, quod θηρίωμα Graeci vocant. Id et per se nascitur, et interdum ulceri ex alia causa facto supervenit. Color est vel lividus, vel niger; odor foedus; multus, et muco similis humor: ipsum ulcus neque tactum, neque medicamentum sentit; prurigine tantum movetur: at circa dolor est, et inflammatio; interdum etiam febris oritur; nonnumquam ex ulcere sanguis erumpit: atque id quoque malum serpit. Quae omnia saepe intenduntur; fitque ex his ulcus, quod φαγέδαιναν Graeci vocant, quia celeriter serpendo, penetrandoque usque ossa, corpus vorat. Id ulcus inaequale est, coeno simile; inestque multus humor glutinosus, odor intolerabilis, majorque quam pro modo ulceris inflammatio. Utrumque, sicut omnis cancer, fit maxime in senibus, vel iis quorum corpora mali habitus sunt. Curatio utriusque eadem est; sed in majore malo major vis necessaria. Ac primum a victus ratione ordiendum est: ut quiescat in lectulo: ut primis diebus a cibo abstineat, aquam quamplurimam assumat: alvus quoque ei ducatur: dein post inflammationem cibum boni succi capiat, vitatis omnibus acribus; potionis quantum volet sic, ut interdiu quidem aqua contentus sit; in coena vero etiam vi-

ni austeri aliquid bibat. Non aeque tamen fame in iis, quos φαγέδαινα urgebit, atque in iis, qui θηρίωμα adhuc habebunt, utendum erit. Et victus quidem talis necessarius est. Super ulcus vero (1) inspergenda arida oenanthe est, et, si parum proficiet, chalcitis. Ac si quis nervus exesa carne nudatus est, contegendus ante linteolo est, ne sub eo medicamento aduratur. Si validioribus etiamnum remediis opus est, ad eas compositiones veniendum est, quae vehementius adurunt. Quidquid autem inspergitur, averso specillo infundi debet. Superdanda cum melle sunt vel linamenta, vel oleae folia ex vino decocta, vel marrubium: eaque linteolo contegenda in aqua frigida madefacto, dein bene expresso: circaque, qua tumor ex inflammatione est, imponenda, quae reprimant, cataplasmata. Si sub his nihil proficitur, ferro locus aduri debet; diligenter nervis, si qui apparent, ante contectis. Adustum vel medicamentis, vel ferro corpus, primum purgandum, deinde implendum esse, apparere cuilibet ex prioribus potest.

4. Sacer quoque ignis malis ulceribus annumerari debet. Ejus duae species sunt. Alterum est subrubicundum, aut mixtum rubore atque pallore, exasperatumque per pustulas continuas, quarum nulla altera major est, sed plurimae perexiguae. In his semper fere pus, et saepe rubor cum calore est: serpitque id nonnumquam sanescente eo, quod primum vitiatum est: nonnumquam etiam exulcerato, ubi ruptis pustulis ulcus continuatur, humorque exit, qui esse inter saniem et pus videri potest. Fit maxime in pectore, aut lateribus, aut eminentibus partibus, praecipueque in plantis. Alterum autem est in summae cutis exulceratione, sed sine altitudine, latum, sublividum, inaequaliter tamen; mediumque sanescit, extremis procedentibus: ac saepe id, quod jam sanum videbatur, iterum exulceratur: at circa proxima cutis, quae vitium receptura est, tumidior et durior est, coloremque habet ex rubro subnigrum. Atque hoc quoque malo fere corpora seniora tentantur, aut quae mali habitus sunt; sed in cruribus maxime. Omnis autem sacer ignis, ut minimum periculum habet ex iis, quae serpunt; sic prope difficillime tollitur. Medicamentum ejus fortuitum est, uno die febris, quae humorem noxium absumat. Pus, quo crassius et albidius est, eo periculi minus est. Prodest etiam infra ulcera locum caedi, quo plus puris exeat; et id, quo ibi corruptum corpus est, extrahatur. Sed tamen, si febricula accessit, abstinentia, lectulo, alvi ductione opus est. In omni vero sacro igni, neque lenibus et glutinosis cibis, neque salsis et acri-

(1) Codd. Mss. habent alii *inspergenda arida aloenanthe est*; alii. . . . *alo oenanthe est*. Ego pro *aloenanthe* reposui *oenanthe*. In Edd sex primis, et Manutianis legitur *inspergenda arida aloe oenanthe est*; in ceteris, *inspergenda est arida aloe, oenanthe*. Sed oenanthe adurentibus adnumeratur cap. 8. hujus libri: aloe non adurentibus, neque exedentibus adscribitur, sed sanguinem supprimentibus cap. 1. hujus lib. ideoque huc minime apta est.

bus utendum est; sed iis, qui inter utrumque sunt: qualis est panis sine fermento, piscis, hoedus, avis, exceptoque apro, omnis fere venatio. Si non est febricula, et gestatio utilis est et ambulatio et vinum austerum et balneum. Atque in hoc quoque genere potio magis liberalis esse, quam cibus, debet. Ipsa autem ulcera, si mediocriter serpunt, aqua calida; si vehementius, vino calido fovenda sunt: deinde acu pustulae, quaecumque sunt, aperiendae: tum imponenda ea, quae putrem carnem exedunt. Ubi inflammatio sublata, ulcusque purgatum est, imponi lene medicamentum debet. In altero autem genere possunt proficere mala cotonea in vino cocta atque contrita: potest emplastrum vel Herae, vel tetrapharmacum, cui quinta pars turis adjecta sit: potest nigra hedera ex vino austero cocta; ac, si celeriter malum serpit, non aliud magis proficit. Purgato ulcere, quod in summa cute esse proposui, satis ad sanitatem eadem lenia medicamenta proficient.

5. Chironium autem ulcus appellatur, quod et magnum est, et habet oras duras, callosas, tumentes. Exit sanies non multa, sed tenuis; odor malus neque in ulcere, neque in ejus humore est; nulla inflammatio, dolor modicus est; nihil serpit: ideoque nullum periculum adfert; sed non facile sanescit. Interdum tenuis cicatrix inducitur, deinde iterum rumpitur, ulcusque renovatur. Fit maxime in pedibus et cruribus. Super id imponi debet, quod et lene aliquid, et vehemens, et reprimens habeat; quale ejus rei causa fit ex his: squamae aeris, plumbi eloti combusti, singulorum p. Ӿ. IV. cadmiae, cerae, singulorum p. Ӿ. VIII. rosae quantum satis sit ad ceram simul cum eis molliendam.

6. Fiunt etiam ex frigore hiberno ulcera, maxime in pueris, et praecipue in pedibus digitisque eorum, nonnumquam etiam in manibus. Rubor cum inflammatione mediocri est: interdum pustulae oriuntur, deinde exulceratio: dolor autem modicus; prurigo major est: nonnumquam humor exit, sed non multus, qui referre vel pus, vel saniem videtur. In primis multa calida aqua fovendum est, in qua rapa decocta sint; aut si ea non sunt, aliquae verbenae ex reprimentibus. Si nondum adapertum ulcus est, aes, quam maxime calidum quis pati potest, admovendum est. Si jam exulceratio est, imponi debet alumen aequa portione cum ture contritum, vino adjecto, aut malicorium in aqua coctum, deinde contritum. Si summa detracta pellicula est, hic quoque melius lenia medicamenta proficiunt.

7. Struma quoque est tumor, in quo subter concreta quaedam ex pure et sanguine quasi glandulae oriuntur: quae vel praecipue fatigare medicos solent; quoniam et febres movent, nec umquam facile maturescunt; et sive ferro, sive medicamentis curantur, plerumque iterum juxta cicatrices ipsas resurgunt; multoque post medicamenta saepius: quibus id quoque accedit, quod longo spatio detinent. Na-

scuntur maxime in cervice (1); sed etiam in talis et inguinibus *lateribus* (2). In mammis quoque feminarum se reperisse, Meges auctor est. Propter haec et album veratrum recte datur, atque etiam saepius, donec ea digerantur: et medicamenta imponuntur, quae humorem vel educant, vel dissipent; quorum supra mentio facta est. Adurentibus quoque quidam utuntur, quae exedant, crustaque eum locum adstringant: tum vero ut ulcus curant. Quaecumque autem ratio curandi est, corpus, puro ulcere, exercendum atque alendum est, donec ad cicatricem perveniat. Quae quum medici doceant, quorumdam rusticorum experimento cognitum, quem struma male habet, eum, si anguem edit, liberari.

8. Furunculus vero est tuberculum acutum cum inflammatione et dolore; maximeque ubi jam in pus vertitur. Qui ubi adapertus est, et exiit pus, apparet pars carnis in pus versa, pars corrupta, subalbida, subrubra; quem ventriculum quidam furunculi nominant. In eo nullum periculum est, etiamsi nulla curatio adhibeatur: maturescit enim per se, atque erumpit. Sed dolor efficit, ut potior medicina sit, quae maturius liberet. Proprium ejus medicamentum galbanum est: sed alia quoque supra comprehensa sunt. Si cetera desunt, imponi debet primum non pingue emplastrum, ut id reprimat: deinde, si non repressit, quodlibet puri movendo accomodatum: si ne id quidem est, vel resina, vel fermentum. Expresso pure, nulla ultra curatio necessaria est.

9. Phyma vero nominatur tuberculum furunculo simile, sed rotundius et planius, saepe etiam majus. Nam furunculus ovi dimidii magnitudinem raro explet, numquam excedit: phyma etiam latius patere consuevit; sed inflammatio dolorque sub eo minores sunt. Ubi divisum est, pus eodem modo apparet: ventriculus, ut in furunculo, non invenitur: verum omnis corrupta caro in pus vertitur. Id autem in pueris et saepius nascitur et facilius tollitur: in juvenibus rarius oritur, et difficilius curatur: ubi aetas induravit, ne nascitur quidem. Quibus vero medicamentis discuteretur, supra propositum est.

10. Φύγεθλον autem est tumor, non altus, latus, in quo quiddam pustulae simile est. Dolor distentioque vehemens est, et major quam pro magnitudine tumoris; interdum etiam febricula: idque tarde maturescit, neque magnopere in pus convertitur. Fit maxime aut in cervice, aut in alis, aut in inguinibus. Panum a similitudine figurae nostri vocant. Atque id ipsum quo medicamento tolleretur, supra demonstravi.

(1) Vox *lateribus* ex margine irrepsit, ubi ab aliquo posita fuerat ad interpretandam vocem *lateribus*. Vulgo legitur *et in lateribus* Severinus lib 4. de Recondita Abscessuum Natura tradit, in lateribus non strumas, sed quaedam strumis similia oriri: id tamen vitium rarum esse. (2) Hujusmodi tubercula longe diversa ab iis sunt, de quibus dictum est sect. 2. hujus capitis.

11. Sed quum omnes hi nihil nisi minuti abscessus sint, generale nomen trahit latius vitium ad suppurationem spectans. Idque fere fit aut post febres, aut post dolores partis alicujus, maximeque eos, qui ventrem infestarunt. Saepiusque oculis expositum est; siquidem latius aliquid intumescit ad similitudinem ejus, quod phyma vocari proposui, rubetque cum calore, et paulo post etiam cum duritia, magisque nocenter adolescit, et sitim vigiliamque exprimit. Interdum tamen nihil horum in cute deprehendi potest; maximeque ubi altius pus movetur: sed cum siti vigiliaque sentiuntur intus aliquae punctiones. Et quod de subito durius non est, melius est; et quamvis non rubet, coloris tamen aliter mutati est. Quae signa jam pure oriente nascuntur: tumor ruborque multo ante incipiunt. Sed si locus mollis est, avertendus materiae aditus est per cataplasmata, quae simul et reprimunt, et refrigerant: qualia et alias et paulo ante in erysipelate proposui. Si jam durior est, ad ea veniendum est, quae digerant et resolvant: qualis est ficus arida contusa; aut faex mixta cum cerato, quod ex adipe suilla coactum sit (1); aut cucumeris radix, cui ex farina duae partes adjectae sint, ante ex mulso decoctae. Licet etiam miscere aequis portionibus ammoniacum, galbanum, propolim, viscum; pondusque adjicere myrrhae dimidio minus, quam in prioribus singulis erit. Atque emplastra quoque et malagmata idem efficiunt, quae supra explicui. Quod per haec discussum non est necesse est maturescat. Idque quo celerius fiat, imponenda est farina hordeacea (2) ex aqua cocta *** recte miscetur. Eadem autem haec in minoribus quoque abscessibus, quorum nomina proprietatesque supra reddidi, recte fiunt. Eademque omnium curatio: tantum modo distat. Crudum est autem, in quo major quasi venarum motus est et gravitas et ardor et distentio et dolor et rubor et durities; et, si major abscessus est, horror, aut etiam febricula permanet: penitusque condita suppuratione, si pro his, quae alibi cutis ostendit, punctiones sunt. Ubi ista se remiserunt, jamque is locus prurit, et aut sublividus, aut subalbidus est, matura suppuratio est: eaque, ubi (3) vel per ipsa medicamenta, vel etiam ferro aperta est, pus de-

(1) Lindenius legit *aut cucumeris silvestris radix*. Quamvis ad resolvenda, discutiendaque ea quae coierunt, silvestris potissimum cucumeris radix efficax sit, ut docet Dioscorides lib. 4. cap. 155. et Celsus ipse cap. 18. sect. 7. et 13. hujus libri; Plinius tamen lib. 20. cap. 1. sect. 2. expositis silvestrium cucumerum facultatibus, cap. 2. sect. 5. haec addit: *Multi eadem omnia sativis attribuunt.* (2) Desunt aliqua. Lindenius legit *ex aqua cocta, cui et olerum aliquid recte miscetur*, ut habet in margine Ed. Constantini. Sed cur non potius sevum, vel adeps, vel oleum, vel resina; quae omnia pus movent; ut dictum est cap. 3. hujus libri? (*). (3) Huc spectant verba illa sub finem cap. 2. lib. 7. *Cetera eadem incisa suppuratione facienda sunt, quae ubi per medicamenta rupta est, facienda esse proposui.*

(*) Lacunam ita ex Cod. Med. I. restitue; « *imponenda est farina hordeacea. quae ex aqua cocta recte miscetur* ». Miscere enim, pro eo quod praeparare est, veteres dixisse quis nescit? MILLIGAN.

bet emitti. Tum si qua in alis, vel inguinibus sunt, sine linamento nutrienda sunt. In ceteris quoque partibus, si *una* plaga exigua est, si mediocris suppuratio fuit, si non alte penetravit, si febris non est, si valet corpus, aeque linamenta supervacua sunt: in reliquis parce tamen, nec, nisi magna plaga est, imponi debent. Commode vero vel super linamenta, vel sine his imponitur lenticula ex melle, aut malicorium ex vino coctum: quae et per se et mixta idonea sunt. Si qua circa duriora sunt, ad ea mollienda vel malva contrita, vel foeni graeci linive semen ex passo coctum superdandum est. Quidquid deinde impositum est, non adstringi, sed modice deligari debet. Illo neminem decipi decet, ut in hoc genere cerato utatur. Cetera, quae pertinent ad purgandum ulcus, ad implendum, ad cicatricem inducendam, conveniunt quae in vulneribus exposita sunt.

12. Nonnumquam autem ex ejusmodi abscessibus, et ex aliis ulcerum generibus fistulae oriuntur. Id nomen est ulceri alto, angusto, calloso. Fit in omni fere parte corporis; habetque quaedam in singulis locis propria. Prius de communibus dicam. Genera igitur fistularum plura sunt: siquidem aliae breves sunt, aliae altius penetrant; aliae rectae intus feruntur, aliae multoque plures transversae; aliae simplices sunt, aliae duplices triplicesve, ab uno ore orsae, aut etiam in plures sinus dividuntur: aliae rectae, aliae flexae, et tortuosae sunt; aliae intra carnem desinunt, aliae ad ossa aut cartilaginem penetrant, aut, ubi neutrum horum subest, ad interiora perveniunt; aliae deinde facile, aliae cum difficultate curantur, atque etiam quaedam insanabiles reperiuntur. Expedita curatio est in fistula simplici, recenti, intra carnem: adjuvatque ipsam corpus, si juvenile, si firmum est. Inimica contraria his sunt: itemque, si fistula os, vel cartilaginem, vel nervum, vel musculum laesit; si articulum occupavit; si vel ad vesicam, vel ad pulmonem, vel ad vulvam, vel ad grandes venas arteriasve, vel ad inania, ut guttur, stomachum, thoracem penetravit. Ad intestina quoque eam tendere, semper periculosum, saepe pestiferum est. Quibus multum mali accedit, si corpus vel aegrum, vel senile, vel mali habitus est. Ante omnia autem demitti specillum in fistulam convenit, ut quo tendat, et quam alte perveniat, scire possimus; simul etiam protinus humida, an siccior sit: quod extracto specillo patet. Si vero os in vicino est, id quoque disci potest, si jam necne eo fistula penetravit, et quatenus nocuerit. Nam si molle est quod ultimo specillo contingitur, intra carnem adhuc vitium est: si magis id renititur, ad os ventum est. Ibi deinde si labitur specillum, nondum caries est: si non labitur, sed aequali innititur, caries quidem, verum adhuc levis est: si inaequale quoque et asperum subest, vehementius os exesum est. At cartilago ubi (*a*) subsit, ipsa sedes docet; perventumque esse ad eam ex renisu patet.

(*a*) Lupac. corr. *subest.*

Et ex his quidem colliguntur fistularum sedes, spatia, noxae. Simplices vero eae sint, an in plures partes diducantur, cognosci potest ex modo puris; cujus si plus fertur, quam quod simplici spatio convenit, plures sinus esse manifestum est. Quumque fere juxta sint caro, et nervus, et aliqua nervosa, quales fere tunicae membranaeque sunt, genus quoque puris docebit, num plures sinus intus diversa corporis genera perroserint. Siquidem ex carne pus laeve, album, copiosius fertur: at ex nervoso loco, coloris quidem ejusdem, sed tenuius: ex nervo, pingue et oleo non dissimile. Denique etiam corporis inclinatio docet, num in plures partes fistulae penetrarint; quia saepe, quum quis aliter decubuit, aliterque membrum collocavit, pus ferri, quod jam desierat, iterum incipit; testaturque, non solum alium sinum esse, ex quo descendat, sed etiam in aliam corporis partem eum tendere. Sed si et in carne et recens et simplex est, ac neque rugosa neque cava sede, neque in articulo, sed in eo membro, quod per se immobile, non nisi cum toto corpore movetur; satis proficiet emplastrum, quod recentibus vulneribus imponitur, dum habeat vel salem, vel alumen, vel squamam aeris, vel aeruginem, vel ex metallicis aliquid: exque eo collyrium fieri debet altera parte tenuius, altera paulo plenius, idque ea parte, qua tenuius est, antecedente demitti oportet in fistulam, donec purus sanguis se ostendat: quae in omnibus fistularum collyriis perpetua sunt. Idem deinde emplastrum in linteolo superimponendum, supraque injicienda spongia est in acetum ante demissa: solvique quinto die satis est. Genusque victus adhibendum est, quo carnem ali docui. Ac si longius a praecordiis fistula est, ex intervallo jejunum radiculas esse, deinde vomere, necessarium est. Vetustate callosa fit fistula. Callus autem neminem fallit, quia durus est, et aut albus, aut pallidus. Sed tum validioribus medicamentis opus est: quale est, quod habet papaveris lacrimae p. X. I. gummi p. X. III. =. cadmiae p. X. IV. atramenti sutorii p. X. VIII. ex quibus aqua coactis collyrium fit: aut in quo sunt gallae p. X. =. aeruginis, sandarachae, aluminis aegyptii, singulorum p. X. I. atramenti sutorii combusti p. X. II. aut quod constat ex chalcitide, et saxo calcis; quibus auripigmenti dimidio minus, quam in singulis prioribus est, adjicitur, eaque melle cocto excipiuntur. Expeditissimum autem est ex praecepto Megetis, aeruginis rasae p. X. II. conterere, deinde ammoniaci thymiamatis p. X. II. aceto liquare, eoque infuso aeruginem cogere: idque ex primis medicamentis est. Sed ut haec maximi effectus sunt, si cui ista non adsunt, facile tamen est callum quibuslibet adurentibus medicamentis erodere: satisque est vel papyrum intortum, vel aliquid ex penicillo in modum collyrii adstrictum eo illinere. Scilla quoque cocta et mixta cum calce, callum exest. Si quando vero longior et transversa fistula est, demisso specillo, contra principium hujus incidi commodissimum est, et collyrium utrimque demitti. At si duplicem esse fistulam aut mul-

tiplicem existimamus, sic tamen, ut brevis, intraque carnem sit, collyrio uti non debemus (quod unam partem curet, reliquas omittat); sed eadem medicamenta arida in calamum scriptorium conjicienda sunt, isque ori fistulae aptandus, inspirandumque, ut ea medicamenta intus compellantur : aut eadem ex vino liquanda; vel si sordidior fistula est, ex mulso; si callosior, ex aceto sunt; idque intus infundendum. Quidquid inditum est, superponenda sunt, quae refrigerent et reprimant: nam fere, quae circa fistulam sunt, habent aliquid inflammationis. Neque alienum est, ubi quis resolverit, antequam rursus alia medicamenta conjiciat, per oricularium clysterem fistulam eluere, si plus puris fertur, vino; si callus durior est, aceto; si jam purgatur, mulso, vel aqua, in qua ervum coctum sit, sic, ut huic mellis quoque paulum adjiciatur. Fere vero fit, ut ea tunica, quae inter foramen et integram carnem est, victa medicamentis tota exeat, infraque ulcus purum sit. Quod ubi contigit, imponenda glutinantia sunt; praecipueque spongia melle cocto illita. Neque ignoro multis placuisse, linamentum in modum collyrii compositum tinctum melle demitti : sed celerius id glutinatur, quam impletur. Neque verendum est, ne purum corpus puro corpori junctum non coeat; adjectis quoque medicamentis ad id efficacibus; quum saepe exulceratio digitorum, nisi magna cura prospeximus, sanescendo in unum eos jungat.

13. Est etiam ulceris genus, quod a favi similitudine κηρίον a Graecis nominatur : idque duas species habet. Alterum est subalbidum, furunculo simile; sed majus, et cum dolore majore : quod ubi maturescit, habet foramina, per quae fertur humor glutinosus et purulentus; neque tamen ad justam maturitatem pervenit. Si divisum est, multo plus intus corrupti, quam in furunculo, apparet, altiusque descendit. Raro fit in capillis. Alterum est minus, super corpus eminens, durum, latum, subviride, subpallidum, magis exulceratum : siquidem ad singulorum pilorum radices foramina sunt, per quae fertur humor glutinosus, subpallidus, crassitudinem mellis, aut visci referens, interdum olei: si inciditur, viridis intus caro apparet. Dolor autem et inflammatio ingens est, adeo ut acutam quoque febrem movere consuerint. Super id, quod minus crebris foraminibus exasperatum est, recte imponitur et ficus arida, et lini semen in mulso coctum, et emplastra ac malagmata materiam educentia, aut quae proprie huc pertinentia supra posui. Super alterum et eadem medicamenta, et farina ex mulso cocta, sic, ut ei dimidium resinae terebinthinae misceatur; et ficus in mulso decocta, cui paulum hyssopi contriti sit adjectum; et uvae taminiae pars quarta *fico adjecta*. Quod si parum in utrolibet genere medicamenta proficiunt, totum ulcus usque ad sanam carnem excidi oportet. Ulcere ablato, super plagam medicamenta danda sunt, primum, quae pus citent; deinde, quae purgent; tum, quae impleant.

14. Sunt vero quaedam verrucis similia; quorum diversa nomina, ut vitia sunt. Ἀκροχορδόνα Graeci vocant, ubi sub cute coit aliquid durius, et interdnm paulo asperius, coloris ejnsdem; infra tenne, ad cutem latius: idque modicum est, quia raro fabae magnitndinem excedit. Vix unum tantum eodem tempore nascitur; sed fere plnra, maximeque in pueris: eaque nonnumquam subito desinunt, nonnumquam mediocrem inflammationem excitant; sub qua etiam in pus convertuntur. At θύμιον nominatur, quod super corpus quasi verrucula eminet, ad cutem tenue, supra latius, subdurum, et in summo perasperum: idque summum colorem floris thymi repraesentat, nnde ei nomen est; ibique facile finditur, et cruentatur; nonnnmquam aliquantum sanguinis fundit: fereque citra magnitudinem fabae aegyptiae est, raro majus, interdum perexiguum. Modo autem unum, modo plura nascuntur vel in palmis, vel in inferioribus pedum partibus: pessima tamen in obscoenis sunt; maximeque ibi sanguinem fundunt. Μυρμήκια autem vocantur humiliora thymio durioraque: quae radices altius exigunt, majoremque dolorem movent; infra lata, supra autem tenuia; minus sanguinis mittunt; magnitudine vix umquam lupini modum excedunt. Nascuntur ea quoque aut in palmis, aut in inferioribus partibus pedum. Clavus autem nonnumquam quidem etiam alibi, sed in pedibus tamen maxime nascitur, praecipue ex contuso; quamvis interdum aliter: doloremque, etiamsi non alias, tamen ingredienti movet. Ex his acrochordon et thymium saepe etiam per se finiuntur; et quo minora sunt, eo magis: myrmecia et clavi sine curatione vix umqnam desinunt. Acrochordon, si excisa est, nullam radiculam relinquit, ideoque ne renascitur quidem; thymio clavoque excisis, subter rotnnda radicula nascitur, quae penitus descendit ad carnem; eaque relicta idem rursus exigit: myrmecia latissimis radicibus inhaerent; ideoque ne excidi quidem sine magna exnlceratione possunt. Clavum subinde radere commodissimum est: nam sine ulla vi sic mollescit; ac, si sanguinis quoque aliquid emissum est, saepe emoritur. Tollitur etiam, si quis eum circumpurgat, deinde imponit resinam, cui miscuit pnlveris paulum, quem ex lapide molari contrito fecit. Cetera vero genera medicamentis adurenda sunt: aliisque id, quod ex faece vini; myrmeciis id, quod ex alumine et sandaracha fit, aptissimum est. Sed ea, quae circa sunt, foliis contegi debent, ne ipsa quoque exnlcerentur: deinde postea lenticula imponi. Tollit thymium etiam ficus in aqua cocta.

15. At pustulae maxime vernis temporibus oriuntur. Earum plnra genera sunt. Nam modo circa totum corpus partemve aspritudo quaedam fit, similis iis pnstulis, quae ex urtica, vel ex sudore nascuntur: ἐξανθήματα Graeci vocant. Eaeque modo rubent, modo colorem cutis non excedunt. Nonnumquam plures, similes varis oriuntur; nonnumquam majores, *pustulae* lividae, aut pallidae, aut nigrae, aut aliter naturali colore mutato: subestque iis humor; ubi eae ruptae sunt, infra

quasi exulcerata caro apparet; φλύκταιναι graece nominantur. Fiunt vel ex frigore, vel ex igni, vel ex medicamentis. Φλυζάκιον autem paulo durior pustula est, subalbida, acuta; ex qua ipsa quod exprimitur humidum est. Ex pustulis vero nonnumquam etiam ulcuscula fiunt aut aridiora, aut humidiora; et modo tantum cum prurigine, modo etiam cum inflammatione ac dolore; exitque aut pus, aut sanies, aut utrumque. Maximeque id evenit in aetate puerili; raro in medio corpore; saepe in eminentibus partibus. Pessima pustula est, quae ἐπινυκτὶς vocatur. Ea colore vel sublivida, vel subnigra, vel alba esse consuevit: circa hanc autem vehemens inflammatio est; et cum adaperta est, reperitur intus exulceratio mucosa, colore humori suo similis. Dolor ex ea supra magnitudinem ejus est: neque enim ea faba major est. Atque haec quoque oritur in eminentibus partibus, et fere noctu; unde nomen quoque a Graecis ei impositum est. In omnium vero pustularum curatione primum est, multum ambulare atque exerceri; si quid ista prohibet, gestari: secundum est, cibum minuere; abstinere ab omnibus acribus et extenuantibus: eademque nutrices facere oportet, si lactens puer ita affectus est. Praeter haec is qui jam robustus est, si pustulae minutae sunt, desudare in balneo debet; simulque super eas nitrum inspergere, oleoque vinum miscere, et sic ungi; tum descendere in solium. Si nihil sic proficitur, aut si majus pustularum genus occupavit, imponenda lenticula est; detractaque summa pellicula, ad medicamenta lenia transeundum. Epinyctis post lenticulam recte herba quoque sanguinali, vel viridi coriandro curatur. Ulcera ex pustulis facta tollit spuma argenti cum semine foeni graeci mixta, sic, ut his invicem rosa atque intubi succus adjiciatur, donec mellis crassitudo fiat. Proprie ad eas pustulas, quae infantes male habent, lapidis, quem pyriten vocant, p. Ӿ. viii. cum quinquaginta amaris nucibus miscetur, adjiciunturque olei cyathi tres. Sed prius ungi ex cerussa pustulae debent, tum hoc illini.

16. Scabies vero est (1) aspritudo cutis, rubicunda; ex qua pustulae oriuntur, quaedam humidiores, quaedam sicciores. Exit ex quibusdam sanies, fitque ex his continuata exulceratio pruriens, serpitque in quibusdam cito. Atque in aliis quidem ex toto desinit, in aliis vero certo tempore anni revertitur. Quo asperior est, quoque prurit magis, eo difficilius tollitur. Itaque eam, quae talis est, ἀγρίαν *id est feram* Graeci appellant. In hac quoque victus ratio eadem, quae supra, necessaria est. Medicamentum autem ad incipientem hanc idoneum est quod fit ex spodii, croci, aeruginis, singulorum p. Ӿ. =. piperis albi, omphacii, singulorum p. Ӿ. i. cadmiae p. Ӿ. viii. At ubi jam exulceratio est, id, quod fit ex sulphuris p. Ӿ. i. ce-

(1) Ita legendum censet Morgagnus, atque hanc lectionem confirmat ex verbis sequentibus *quo asperior est*. Mihi confirmari posse videtur etiam ex Paulo Aegineta qui lib. 4. cap. 2. ita scribit: *Scabies cutis aspritudo est cum pruritu*: itemque ex Columella apud quem lib. 7. cap. 5. haec habentur de ovium scabie: *subest aspera cu-*

rae p. Ӿ. iv. picis liquidae hemina, olei sextariis duobus: quae simul incoquuntur, dum crassitudo mellis fiat. Est etiam, quod ad Protarchum auctorem refertur. Habet farinae lupinorum sextarium, nitri cyathos quatuor, picis liquidae heminam, resinae humidae selibram, aceti cyathos tres. Crocum quoque, lycium, aerugo, myrrha, cinis, aequis portionibus recte miscentur, et ex passo coguntur: idque (2) omnem pituitam utique sustinet. Ac si nihil aliud est, amurca ad tertiam partem decocta, vel sulphur pici liquidae mixtum, sicut (3) in pecoribus proposui, hominibus quoque scabie laborantibus opitulantur.

17. (1). Impetiginis vero species sunt quatuor. Minime mala est quae similitudine scabiem repraesentat: nam et rubet, et durior est, et exulcerata est, et rodit. Distat autem ab ea, quod magis exulcerata est, et variis similes pustulas habet; videnturque esse in ea quasi bullulae quaedam, ex quibus interposito tempore squamulae resolvuntur; certioribusque haec temporibus revertitur. Alterum genus pejus est, simile papulae fere, sed asperius rubicundiusque, figuras varias habens: squamulae ex summa cute decidunt, rosio major est, celerius et latius procedit, certioribusque etiamnum, quam prior, temporibus et fit, et desinit. Rubra cognominatur. Tertia etiamnum deterior est: nam et crassior est, et durior, et magis tumet; in summa cute finditur, et vehementius rodit; ipsa quoque squamosa, sed nigra; proceditque et late (a), nec tarde; et minus errat in temporibus, quibus aut oritur, aut desinit; neque ex toto tollitur. Nigrae cognomen est. Quartum genus est, quod curationem omnino non recipit, distans colore: nam subalbidum est, et recenti cicatrici simile; squamulasque habet pallidas, quasdam subalbidas, quasdam lenticulae similes; quibus demtis nonnumquam profluit sanguis. Alioquin vero humor ejus albidus est, cutis dura atque fissa est; proceditque latius. Haec vero omnia genera maxime oriuntur in pedibus et manibus; atque ungues quoque infestant. Medicamentum non aliud valentius est, quam quod ad scabiem quoque pertinere sub auctore Protarcho retuli. Serapion autem, nitri p. Ӿ. ii. sulphuris p. Ӿ. iv. excipiebat resina copiosa, eoque utebatur.

18. Papularum vero duo genera sunt. Alterum, in quo per mini-

tis, et quaedam velut porrigo: (2) Reprimit, coercet. Sic. cap. 25. sect. 4. hujus lib. catapotia *ex aqua fronti inducta, pituitam in oculos decurrentem tenent.* Materiam unde scabies oritur, pituitam vocat Hippocrates in lib. de Affect. *Lepra, prurigo, scabies, impetigines, vitiligo, alopeyae ex pituita oriuntur.* Plinius quoque in lib 23. cap. 2. sect. 9., et in lib. 26. cap. 11. sect. 13. atque alibi ejusmodi vitia *eruptiones pituitae* appellat. (3) Videlicet in libris de Agricultura. Lindenius legit *de pecoribus.*

(1) Λειχὴν a Graecis vocatur. Celsus in his quatuor impetiginis speciebus λέπρας quoque Graecorum comprehendere videtur. Plinius lib 20. cap. 6 sect. 14. et alibi lichenas a lepris discernit.

(a) Lupac. corr. *et tarde.*

mas pustulas cutis exasperatur , et rubet , leviterque roditur ; medium habet pauxillo laevius; tarde serpit: idque vitium maxime rotundum incipit, eademque ratione in orbem procedit. Altera autem est, quam ἀγρίαν Graeci appellant: in qua similiter quidem, sed magis cutis exasperatur exulceraturque , ac vehementius et roditur , et rubet, et interdum etiam pilos remittit. Quae minus rotunda est, difficilius sanescit : nisi sublata est, in impetiginem vertitur. Sed levis papula etiam, si jejuna saliva quotidie defricatur, sanescit: major, commodissime murali herba tollitur, si super eadem trita est. Ut vero ad composita medicamenta veniamus, idem illud Protarchi tanto valentius in his est , quanto minus in his vitii est. Alterum ad idem Myronis : nitri rubri , turis , singulorum p. 𐆖. i. cantharidum purgatarum p. 𐆖. ii. sulphuris ignem non experti tantumdem, resinae terebinthinae liquidae p. 𐆖. xx. farinae lolii *f*. i. gith cyathos tres, picis crudae *f*. i.

19. Vitiligo quoque, quamvis per se nullum periculum adfert, tamen et foeda est , et ex malo corporis habitu fit. Ejus tres species sunt. Ἄλφος vocatur, ubi color albus est, fere subasper et non continuus, ut quaedam quasi guttae dispersae esse videantur : interdum etiam latius, et cum quibusdam intermissionibus serpit. Μέλας colore ab hoc differt , quia niger est , et umbrae similis : cetera eadem sunt. Λευκὴ habet quiddam simile alpho, sed magis albida est , et altius descendit ; in eaque albi pili sunt , et lanugini similes. Omnia haec serpunt : sed in aliis celerius , in aliis tardius Alphos et Melas in quibusdam variis temporibus et oriuntur et desinunt : leuce , quem occupavit , non facile dimittit. Priora curationem non difficillimam recipiunt: ultimum vix umquam sanescit ; ac, si quid ei vitio demtum est, tamen non ex toto sanus color redditur. Utrum autem aliquod horum sanabile sit , an non sit , experimento facile colligitur. Incidi enim cutis debet, aut acu pungi : si sanguis exit , quod fere fit in duobus prioribus, remedio locus est ; si humor albidus , sanari non potest. Itaque ab hoc quidem abstinendum est. Super id vero quod curationem recipit, imponenda lenticula mixta cum sulphure et ture, sic, ut ea contrita ex aceto sint. Aliud ad idem, quod ad Irenaeum auctorem refertur. Alcyonium, nitrum, cuminum, fici folia arida paribus portionibus contunduntur, adjecto aceto. His in sole vitiligo perungitur; deinde non ita multo post, ne nimis erodatur, eluitur. Proprie quidam , Myrone auctore , eos, quos alphos vocari dixi , hoc medicamento perungunt : sulphuris p. 𐆖. =. aluminis scissilis p. 𐆖. =. nitri p. 𐆖. = =. myrti aridae contritae acetabulum miscent ; deinde in balneo super vitiliginem inspergunt farinam ex faba, tum haec inducunt. Ii vero, quos melanas vocari dixi, curantur, quum simul contrita sunt alcyonium, tus, hordeum, faba, eaque sine oleo in balneo ante sudorem insperguntur ; tum genus id vitiliginis defricatur.

A. CORNELII CELSI

ARTIUM LIBER UNDECIMUS

IDEM

MEDICINAE

SEXTUS.

Cap. I (*). Dixi de iis vitiis, quae, per totum corpus orientia, medicamentorum auxilia desiderant: nunc ad ea veniam, quae non nisi in singulis partibus incidere consuerunt, orsus a capite. In hoc igitur capillis fluentibus maxime quidem saepe radendo succurritur. Adjicit autem vim quamdam ad continendum ladanum cum oleo mixtum. Nunc de iis capillis loquor, qui post morbum fere fluunt. Nam, quo minus caput quibusdam aetate nudetur, succurri nullo modo potest.

Cap. II (*). Porrigo autem est, ubi inter pilos quaedam quasi squamulae surgunt, eaeque a cute resolvuntur; et interdum madent, multo saepius siccae sunt. Idque evenit modo sine ulcere, modo exulcerato loco: huic quoque modo malo odore, modo nullo accedente. Fereque id in capillo fit, rarius in barba, aliquando etiam in supercilio: ac neque sine aliquo vitio corporis nascitur, neque ex toto inutile est. Nam bene integro capite non exit: ubi aliquod in eo vitium est, non incommodum est summam cutem potius subinde corrumpi, quam id, quod nocet, in aliam partem magis necessariam verti. Commodius est ergo subinde pectendo repurgare, quam id ex toto prohibere. Si tamen ea res nimium offendit (quod humore sequente fieri potest, magisque si is etiam mali odoris est); caput saepe radendum est; dein id superadjuvandum aliquibus ex leniter reprimentibus; quale est nitrum cum aceto, vel ladanum [1] cum myrteo et vino, vel myrobalanum cum vino. Si parum per haec pro-

(1) Oleum myrteum adversus porriginem utile esse tradit etiam Dioscorides lib. 1. cap. 49. et Galenus cap. 8. de C. M. S. L.

(*) Cap. I. *De vitiis singularum corporis partium.*
(**) Cap. II. *De porrigine.*

ficitur, vehementioribus uti licet; cum eo, ut sciamus, utique in recenti vitio id inutile esse.

Cap. III (*). Est etiam ulcus, quod a fici similitudine σύκωσις a Graecis nominatur. Caro excrescit: et id quidem generale est. Sub eo vero duae species sunt. Alterum ulcus durum et rotundum est: alterum humidum et inaequale. Ex duro exiguum quiddam et glutinosum exit: ex humido plus, et mali odoris. Fit utrumque in iis partibus, quae pilis conteguntur: sed id quidem, quod callosum et rotundum est, maxime in barba; id vero, quod humidum, praecipue in capillo. Super utrumque oportet imponere elaterium, aut lini semen contritum et aqua coactum, aut ficum in aqua decoctam, aut emplastrum tetrapharmacum ex aceto subactum. Terra quoque eretria ex aceto liquata recte illinitur.

Cap. IV (**). Arearum quoque duo genera sunt. Commune utrique est, quod emortua summa pellicula pili primum extenuantur, deinde excidunt: ac, si ictus is locus est, sanguis exit liquidus, et mali odoris: increscitque utrumque in aliis celeriter, in aliis tarde. Pejus est, quod densam cutem, et subpinguem, et ex toto glabram fecit. Sed ea, quae ἀλωπεκία nominatur, sub qualibet figura dilatatur. Fit et in capillo, et in barba. Id vero, quod a serpentis similitudine ὀφίασις appellatur, incipit ab occipitio; duorum digitorum latitudinem non excedit; ad aures duobus capitibus serpit; quibusdam etiam ad frontem, donec se duo capita in priore parte committant. Illud vitium in qualibet aetate fit; hoc fere in infantibus: illud vix umquam sine curatione, hoc per se saepe finitur. Quidam haec genera arearum scalpello exasperant: quidam illinunt adurentia ex oleo; maximeque chartam combustam: quidam resinam terebinthinam cum thapsia inducunt. Sed nihil melius est, quam novacula (a) quotidie radere: quia, quum paulatim summa pellicula excisa est, adaperiuntur pilorum radiculae. Neque ante oportet desistere, quam frequentem

(*) Cap. III. *De Sycosi.*
(**) Cap. IV. *De Areis.*

(a) 1. Novacula, quam Andreas de Cruce cum scalpro excisorio Pauli Aegin. comparavit. 2. Novacula ad incidendam cutem Ambr. Paraei. 3. Novacula, quam And. de Cruce tribuit Hippocrati et Celso. Vid. *Farmacopea Celsiana* in II. Volumine.



pilum nasci apparuerit. Id autem, quod subinde raditur, illini (1) atramento scriptorio satis est.

CAP. V (*). Paene ineptiae sunt curare varos, et lenticulas, et ephelidas: sed eripi tamen feminis cura cultus sui non potest. Ex his autem, *quae supra proposui*, vari lenticulaeque vulgo notae sunt; quamvis rarior ea species est, quam semion Graeci vocant; quum sit ea lenticula rubicundior et inaequalior. Ephelis vero a plerisque ignoratur: quae nihil est, nisi asperitas quaedam et durities mali coloris. Cetera non nisi in facie: lenticula etiam in alia parte nonnumquam nasci solet; de qua per se scribere alio loco visum operae pretium non est. Sed vari commodissime tolluntur imposita resina, cui non minus quam ipsa est, aluminis scissilis, et paulum mellis adjectum sit. Lenticulam tollunt galbanum et nitrum, quum pares portiones habent, contritaque ex aceto sunt, donec ad mellis crassitudinem venerint. His corpus illinendum, et, interpositis pluribus horis, mane eluendum est, oleoque leniter ungendum. Ephelidem tollit resina, cui tertia pars salis fossilis et paulum mellis adjectum sit. Ad omnia vero ista, atque etiam ad colorandas cicatrices potest ea compositio, quae ad Tryphonem patrem auctorem refertur. In ea pares portiones sunt (1) myrobalani magmatis, cretae cimoliae subcaeruleae, nucum amararum, farinae hordei atque ervi, struthii albi, sertulae campanae seminis: quae omnia contrita, melle quam amarissimo coguntur, illitumque vespere, mane eluitur.

CAP. VI (**). 1. Sed haec quidem mediocria sunt. Ingentibus vero et variis casibus oculi nostri patent: qui quum magnam partem ad vitae simul et usum et dulcedinem conferant, summa cura tuendi sunt. Protinus autem orta lippitudine, quaedam notae sunt, ex quibus, quid eventurum sit, colligere possimus. Nam si simul et lacrima et tumor et crassa pituita coeperint; si ea pituita lacrimae mixta est; neque lacrima calida est, pituita vero alba et mollis, tumor non durus, longae valetudinis metus non est. At si lacrima multa et calida, pituitae paulum, tumor modicus est, idque in uno oculo est; longum id, sed sine periculo, futurum est. Idque lippitudinis genus minime cum dolore est; sed vix ante vicesimum diem tollitur (1): nonnum-

(1) Quod siccandi vim habet, ut tradit Galenus lib. 9. cap. 3. de S. M. F.

(1) Id est faecis myrobalani ex unguento expressae. Dioscorides lib. 4. cap. 60. tradit lusae myrobalani et expressae recrementum abstergentibus medicamentis adjici, quae adversus porrigines, et scabritias idonea sunt.

(1) Sententia sumpta est ex lib. 2. Praedict. sect. 18. *At si lacrima multa et calida cum paucissima gramia et exiguo tumore, idque ex altero oculo profluat, valde diuturnum id quidem, sed sine periculo fit; idque lipp tudinis genus doloris expers est.*

(*) CAP. V. *De varis, lenticulis et ephelidis.*

(**) CAP. VI. *De oculorum morbis.*

quam per duos menses durat. Quandocumque finitur, pituita alba et mollis esse incipit, lacrimaeque miscetur. At si simul ea utrumque oculum invaserunt, potest esse brevior, sed periculum ulcerum est. Pituita autem sicca et arida dolorem quidem movet, sed maturius desinit; nisi quid exulceravit. Tumor magnus, si sine dolore est, et siccus, sine ullo periculo est: si siccus quidem, sed cum dolore est, fere exulcerat; et nonnumquam ex eo casu fit, ut palpebra cum oculo glutinetur. Ejusdem exulcerationis timor in palpebris pupillisve est, ubi super magnum dolorem lacrimae salsae calidaeque sunt; aut etiam si, tumore jam finito, diu lacrima cum pituita profluit. Pejus etiamnum est, ubi pituita pallida aut livida est, lacrima calida et multa profluit, caput calet, a temporibus ad oculos dolor pervenit, nocturna vigilia urget: siquidem sub his oculus plerumque rumpitur; votumque est, ut tantum exulceretur. Intus ruptum oculum febricula juvat: si foras jam ruptus procidit, sine auxilio est. Si de nigro aliquid albidum factum est, diu manet. At si asperum et crassum est, etiam post curationem vestigium aliquod relinquit. Curari vero oculos sanguinis detractione, medicamento (2), balneo, vino, vetustissimus auctor Hippocrates memoriae prodidit. Sed eorum tempora et causas parum explicuit: in quibus medicinae summa est. Neque minus in abstinentia et alvi ductione saepe auxilii est. Hos igitur interdum inflammatio occupat: ubi cum tumore in his dolor est; sequiturque pituitae cursus, nonnumquam copiosior vel acrior, nonnumquam utraque parte moderatior. In ejusmodi casu prima omnium sunt quies et abstinentia. Ergo primo die, loco obscuro cubare debet sic, ut a sermone quoque abstineat; nullum cibum assumere; si fieri potest, ne aquam quidem; sin minus, certe quam minimum ejus. Quod si graves dolores sunt, commodius secundo die; si tamen res urget, etiam primo sanguis mittendus est; utique si in fronte venae tument, si firmo corpore materia superest. Si vero minor impetus minus acrem curationem requirit, alvum, sed non nisi secundo tertiove die, duci oportet. At modica inflammatio neutrum ex his auxilium desiderat; satisque est uti quiete et abstinentia. Neque tamen in lippientibus longum jejunium necessarium est, ne pituita tenuior atque acrior fiat: sed secundo die dari debet id, quod levissimum videri potest ex iis, quae pituitam faciunt crassiorem; qualia sunt ova sorbilia: si minor vis urget, pulticula quoque, aut panis ex lacte. Insequentibusque

Et in his praecipue judicatio consideranda est, quae prima quidem fit circa vigesimum diem: quod tempus si superat, quadragesimus dies expectandus est, aut si neque in his desinit, in sexaginta diebus solvitur. At toto tempore ad gramiam attentum esse oportet, num in digito (in exemplaribus graecis est δακτύλῳ; sed Foesius recte censet δακρύῳ legendum esse) *misceatur, et alba ac mollis fiat; idque praecipue sub judicationis tempus; tum namque ubi finitur, id evenire solet. Quod si haec utrumque oculum invaserint, majus est ulcerum periculum, sed brevi solvetur.* (2) Hippocrates Aphor. 31. Sect. 6. *Oculorum dolores meri potio, aut balneum, aut venae sectio, aut medicamentum purgans exhibitum solvit.*

diebus, quantum inflammationi detrahetur, tantum adjici cibis poterit ; sed generis ejusdem : utique ut nihil salsum, nihil acre, nihil ex iis, quae extenuant, sumatur; nihil potui praeter aquam. Et victus quidem ratio talis maxime necessaria est. Protinus autem primo die croci p. X. I. et farinae candidae quam tenuissimae p. X. II. excipere oportet ovi albo, donec mellis crassitudinem habeat : idque in linteolum illinere, et fronti agglutinare, ut, compressis venis, pituitae impetum cohibeat. Si crocum non est, tus idem facit. Linteolo an lana excipiatur, nihil interest. Superinungi vero oculi debent sic, ut croci quantum tribus digitis comprehendi potest, sumatur, myrrhae ad fabae, papaveris lacrimae ad lenticulae magnitudinem, eaque cum passo conterantur, et specillo super oculum inducantur. Aliud ad idem : myrrhae p. X. =. mandragorae succi p. X. I. papaveris lacrimae p. X. II. foliorum rosae, cicutae seminis, singulorum p. X. III. acaciae p. X. IV. gummi p. X. VIII. Et haec quidem interdiu : noctu vero, quo commodior quies veniat, non alienum est, superimponere candidi panis interiorem partem ex vino subactam : nam et pituitam reprimit, et, si quid lacrimae processit, absorbet, et oculum glutinari non patitur. Si grave id et durum, propter magnum oculorum dolorem, videtur, ovi et album et vitellus in vas defundendum est; adjiciendumque eo mulsi paulum, idque digito permiscendum : ubi facta unitas est, demitti debet lana mollis bene carpta, quae id excipiat, superque oculos imponi. Ea res et levis est, et refrigerando pituitam coercet, et non exarescit, et glutinari oculum non patitur. Farina quoque hordeacea cocta, et cum malo cotoneo cocto mixta, commode imponitur. Neque ab ratione abhorret, etiam penicillo potissimum uti expresso, si levior impetus est, ex aqua; si major, ex posca. Priora fascia deliganda sunt, ne per somnum cadant : at hoc superimponi satis est, quia et reponi ab ipso commode potest ; et quum inaruit, iterum madefaciendum est. Si tantum mali est, ut somnum diu prohibeat, eorum aliquid dandum est, quae ἀνώδυνα Graeci appellant: satisque est puero, quod ervi; viro, quod fabae magnitudinem impleat. In ipsum vero oculum primo die, nisi modica inflammatio est, nihil recte conjicitur ; saepe enim potius concitatur eo pituita, quam minuitur. A secundo die, gravi quoque lippitudini per indita medicamenta recte succurritur, ubi vel jam sanguis missus, vel alvus ducta est, aut neutrum necessarium esse manifestum est.

2. Multa autem multorumque auctorum collyria ad id apta sunt ; novisque etiamnum mixturis temperari possunt; quum lenia medicamenta, et modice reprimentia, facile et varie misceantur. Ego nobilissima exsequar.

3. Est igitur Philonis, quod habet cerussae elotae, spodii, gummi, singulorum p. X. I. papaveris lacrimae combustae p. X. II. Illud scire oportet hic quoque omnia medicamenta, singula primum per se teri, deinde mixta iterum, adjecta paulatim vel aqua, vel alio humo-

re: gummi, quum quasdam alias facultates habeat, hoc maxime praestare, ut, ubi collyria facta inaruerunt, glutinata sint, neque frientur.

4. Dionysii vero collyrium est: papaveris lacrimae combustae, donec tenerescat, p. X. I. aeris combusti, gummi, singulorum p. X. II. spodii p. X. IV.

5. Cleonis nobile admodum: papaveris lacrimae frictae p. X. I. croci p. X. =. gummi p. X. I. quibus, dum teruntur, adjicitur rosae succus. Aliud ejusdem valentius (1): squamae aeris, quod στόμωμα appellant, p. X. I. croci p. X. II. spodii p. X. IV. plumbi eloti et combusti p. X. VI. gummi tantumdem (2). Attalium quoque ad idem est, maxime ubi multa pituita profluit; castorei p. X. =. aloes p. X. =. croci p. X. I. myrrhae p. X. II. lycii p. X. III. cadmiae curatae p. X. VIII. stibis tantumdem, acaciae succi p. X. XII. (3). Quod gummi hoc non habet, liquidum in pyxidicula servatur. Theodotus vero huic compositioni adjecit papaveris lacrimae combustae p. X. =. aeris combusti et eloti p. X. II. nucleos palmarum combustos numero XX. gummi p. X. XII.

6. At ipsius Theodoti, quod a quibusdam ἀχάριστον nominatur, ejusmodi est: castorei, nardi indici, singulorum p. X. I. lycii p. X. =. papaveris lacrimae tantumdem, myrrhae p. X. II. croci, cerussae elotae, aloes, singulorum p. X. III. cadmiae botryitidis elotae, aeris combusti, singulorum p. X. VIII. gummi p. X. XVIII. acaciae succi p. X. XX. stibis tantumdem; quibus aqua pluviatilis adjicitur.

7. Praeter haec, ex frequentissimis collyriis est, id quod quidam κύθιον, quidam a cinereo colore τέφριον appellant. Amyli, tragacanthae, acaciae succi, gummi, singulorum p. X. I. papaveris lacrimae p. X. II. cerussae elotae p. X. IV. spumae argenti elotae p. X. VIII. quae aeque ex aqua pluviatili conteruntur.

8. Euelpides autem, qui aetate nostra maximus fuit ocularius medicus, utebatur eo, quod ipse composuerat: trigodes nominabat. Castorei p. X. = =. lycii, nardi, papaveris lacrimae, singulorum p. X. I. croci, myrrhae, aloes, singulorum p. X. IV. aeris combusti p. X. VIII. cadmiae et stibis, singulorum p. X. XII. acaciae succi p. X. XXVI. gummi tantumdem.

Quo gravior vero quaeque inflammatio est, eo magis leniri medicamentum debet, adjecto vel albo ovi, vel muliebri lacte. Ac si neque medicus, neque medicamentum praesto est, saepius utrumlibet horum in oculos penicillo ad id ipsum facto infusum, id malum lenit. Ubi vero aliquis relevatus est, jamque cursus pituitae constitit, re-

(1) Plinius lib. 34. cap. 11. sect. 25. ita scribit: *Squamae aeris est alterum genus subtilius, ex summa scilicet lanugine decussum, quod vocant stomoma.* (2) Fortasse legendum *Attalicum* ab Attalo rege, cujus medicamentum ad senum ulcera describit Galenus lib. 1. de C. M. S. G. (3) Gummi praestat, ut facta collyria, cum inaruerunt, non frientur; ut dictum est sect. 3. bujus cap. Collyrium hoc gummi non habet; ideoque liquidum in pyxidicula servandum est.

liquias fortasse leviores futuras discutinnt balneum et vinnm. Igitur lavari debet, leniter ante ex oleo perfricatus, dintiusqne in cruribus et feminibus; multaque calida aqua fovere oculos; deinde per caput prius calida, tum egelida perfundi: a balneo cavere ne quo frigore afflatuve laedatnr: post haec cibo paulo pleniore, quam ex eorum dierum consuetudine, uti, vitatis tamen omnibus pituitam extenuantibus; vinum bibere leve, subausterum, modice vetus, neque effuse, neque timide; nt neque cruditas ex eo, et tamen somnns fiat, lenianturque intus latentia acria. Sed si quis in balneo sensit majorem oculorum pertnrbationem, quam attulerat; quod incidere iis solet, qui manente adhnc pituitae cursu festinarunt; quamprimum discedere debet; nihil eo die vini assumere, cibi minus etiam, quam pridie: deinde qunm primum satis pituita substitit, iterum ad usum balnei redire. Solet tamen evenire nonnnmquam, sive tempestatum vitio, sive corporis, nt pluribus diebus neque dolor, neque inflammatio, et minime pituitae cursus finiatur. Quod nbi incidit, jamque ipsa vetustate res matura est, ab iisdem anxilium petendum est, id est balneo ac vino. Haec enim ut in recentibus malis aliena sunt, quia concitare ea possunt et accendere; sic in veteribus, quae nullis auxiliis cesserunt, admodum efficacia esse consuerunt: videlicet hic quoque, ut alibi, quum secnnda vana fnerint, contrariis adjuvantibus. Sed ante tonderi ad cntem convenit: deinde in balneo aqua calida qnamplurima caput atque oculos fovere: tum utrumque penicillo detergere, et nngere caput irino; continereque in lectulo se, donec omnis calor, qui conceptus est, finiatur, desinatque sudor, qui necessario in capite collectus est: tum ad idem cibi vinique genus veniendnm, sic, ut potiones meracae sint; obtegendumque caput, et quiescendum. Saepe enim post haec gravis somnus, saepe sudor, saepe alvi dejectio pitnitae cursnm finit. Si levatum malum est; quod aliquando serius fit; per plures dies idem fieri oportet, donec ex toto sanitas restituatur. Si diebus iisdem alvus nihil reddit, ducenda est, quo magis superiores partes leventur.

Nonnumquam autem ingens inflammatio tanto impetu erumpit, nt oculos sua sede propellat: πρόπτωσιν id, quoniam oculi procidunt, Graeci appellant. His utique, si vires patiuntur, sanguinem mitti; si id fieri non potest, alvum duci, longioremque inediam indici, necessarium est. Opus antem lenissimis medicamentis est: ideoque Cleonis collyrio quidam, quod ex duobus ante positum est, utuntur. Sed optimum est Nilei; neque de ullo magis inter omnes auctores convenit.

9. Id habet nardi indici, papaveris lacrimae, singulorum p. ✕. —. gummi p. ✕. I. croci p. ✕. II. foliorum rosae recentium p. ✕. IV. quae vel aqua pluviatili, vel vino levi, subaustero coguntur. Neque alienum est malicorium, vel sertulam campanam ex vino coquere,

deinde conterere (1); aut myrtam nigram cum rosae foliis miscere; aut hyoscyami folia cum ovi cocti vitello; aut farinam cum acaciae succo, vel passo, aut mulso: quibus si folia quoque papaveris adjiciuntur, aliquanto valentiora sunt. Horum aliquo praeparato, penicillo fovere oculos oportet ex aqua calida expresso, in qua ante vel myrti vel rosae folia decocta sint: deinde ex illis aliquid imponi. Praeter haec ab occipitio, incisa cute, cucurbitula admovenda est. Quod si per haec restitutus oculus in sedem suam non est, eodemque modo prolapsus permanet, scire oportet lumen esse amissum; deinde futurum, ut aut indurescat is, aut in pus vertatur. Si suppuratio se ostendit, ab eo angulo, qui tempori propior est, incidi oculus debet; ut, effuso pure, et inflammatio ac dolor finiatur, et intus tunicae residant, quo minus foeda postea facies sit: utendum deinde vel iisdem collyriis est ex lacte aut ovo; vel croco, cui album ovi misceatur. At si induruit, et sic emortuus est, ne in pus verteretur, quatenus foede prominebit, excidendum erit sic, ut hamo summa tunica apprehendatur, infra id deinde scalpellus incidat: tum eadem medicamenta erunt conjicienda, donec omnis dolor finiatur. Iisdem medicamentis in eo quoque oculo utendum est, qui primum procidit, deinde per plura loca fissus est.

10. Solent etiam carbunculi ex inflammatione nasci, nonnumquam in ipsis oculis, nonnumquam in palpebris: et in his ipsis, modo ab interiore, modo ab exteriore parte. In hoc casu alvus ducenda est; cibus minuendus; lac potui dandum, ut acria, quae laeserunt, leniantur. Quod ad cataplasmata et medicamenta pertinet, iis utendum quae adversus inflammationes proposita sunt: atque hic quoque Nilei collyrium optimum est. Si tamen carbunculus in exteriore palpebrae parte est, ad cataplasmata aptissimum est lini semen ex mulso coctum; aut, si id non est, tritici farina eodem modo cocta.

11. Pustulae quoque ex inflammatione interdum oriuntur. Quod si inter initia protinus incidit, magis etiam servanda sunt, quae de sanguine et quiete supra proposui: sin serius quam ut sanguis mitti possit, alvus tamen ducenda est: si id quoque aliqua res prohibet, utique victus ratio servanda est. Medicamentis autem hic quoque lenibus opus est, quale Nilei, quale Cleonis est.

12. Id quoque, quod Philalethes vocatur, huic aptum est. Myrrhae, papaveris lacrimae, singulorum p. 𐆖. I. plumbi eloti, terrae samiae, quae ἀστὴρ vocatur, tragacanthae, singulorum p. 𐆖. IV. stibis cocti, amyli, singulorum p. 𐆖. VI. spodii eloti, cerussae elotae, singulorum p. 𐆖. VIII. quae aqua pluviatili excipiuntur. Usus collyrii vel ex ovo, vel ex lacte est.

(1) Myrtus, sive myrta alia candida, alia nigra est, quae etiam valentior; ut tradit Plinius lib. 23. cap. 9 sect. 81. Fortasse myrti baccam Celsus intelligit: quam idem Plinius, et Dioscorides lib. 1. cap. 155. docent, in oculorum inflammatione recte imponi. Myrtam nigram pro bacca habet etiam Cato cap. 125. R. R.

13. Ex pustulis ulcera interdum fiunt; eaque recentia aeque lenibus medicamentis nutrienda sunt, et iisdem fere, quae supra in pustulis posui. Fit quoque proprie ad haec, quod διὰ λιβάνου vocatur. Habet aeris combusti et eloti, papaveris lacrimae frictae, singulorum p. X. I. spodii eloti, turis, stibis combusti et eloti, myrrhae, gummi, singulorum p. X. II.

14. Evenit etiam, ut oculi, vel ambo, vel singuli, minores fiant, quam esse naturaliter debeant: idque et acer pituitae cursus in lippitndine efficit, et continuati fletus, et ictus parum bene curati. In his quoque iisdem lenibus medicamentis ex muliebri lacte ntendum est: cibis vero iis, qui maxime corpus alere et implere consuerunt: vitandaque omni modo causa, quae lacrimas excitet, curaque domesticorum: quorum etiam si quid tale incidit, ejus notitiae subtrahendum. Atque acria qnoqne medicamenta, et acres cibi non alio magis nomine his nocent, quam qnod lacrimas movent.

15. Genus quoque vitii est, quo inter pilos palpebrarum pediculi nascuntur: φθειρίασιν Graeci nominant. Qnod quum ex malo corporis habitn fiat, raro non ultra procedit: sed fere tempore interposito pituitae cursus acerrimus sequitur; exulceratisqne vehementer oculis, aciem quoque ipsam corrumpit. His alvus ducenda est; caput ad cutem tondendum, diuque quotidie jejunis perfricandum; his ambulationibus aliisque exercitationibus diligenter utendum; gargarizandumque ex mulso, in quo nepeta et pinguis ficus decocta sit; saepe in balneo multa calida aqua fovendum caput; vitandi acres cibi; lacte vinoque pingui utendum; bibendumque liberalius, quam edendum est. Medicamenta vero intus quidem lenia danda sunt, ne quid acrioris pituitae concitent; super ipsos vero pediculos alia, quae necare eos, et prohibere, ne similes nascantur, possint. Ad id ipsum spumae nitri p. X. I. sandarachae p. X. I. uvae taminiae p. X. I. simul teruntur, adjiciturque vetus oleum pari portione, atque acetum, donec mellis ei crassitudo sit.

16. Hactenus ocnlorum morbi lenibus medicamentis nutriuntur. Genera deinde alia sunt, quae diversam curationem desiderant; fereque ex inflammationibus nata, sed finitis quoque his manentia. Atque in primis in quibusdam perseverat tenuis pituitae cursus. Quibus alvus inferiore parte evocanda est, demendumque aliquid ex cibo. Neque alienum est illini frontem compositione Andreae: quae habet gummi p. X. I. cerussae, stibis, singulorum p. X. II. spumae argenti coctae et elotae p. X. IV. Sed et ea spuma ex aqua pluviatili coquitur, et arida haec medicamenta ex succo myrti conteruntur. His illita fronte, cataplasma quoque superinjiciendum est ex farina, quae frigida aqua coacta sit, cuique aut acaciae succus, aut cupressus adjecta sit. Cucurbitula quoque, inciso vertice, recte accomodatur; aut ex temporibus sanguis mittitur. Inungi vero eo debet, quod habet squamae aeris, papaveris lacrimae, singulorum p. X. I. cervini cornu

combusti et eloti, plumbi eloti, gummi, singulorum p. Ӿ. IV. turis p. Ӿ. XII. Hoc collyrium, quia cornu habet, διὰ κέρατος nominatur. Quotiescumque non adjicio, quod genus humoris adjiciendum sit, aquam intelligi volo.

17. Ad idem Euelpidis, quod μεμιγμένον nominabat. In eo papaveris lacrimae, et albi piperis, singulae unciae sunt, gummi libra, aeris combusti p. Ӿ. I. S. Inter has autem curationes, post intermissionem aliquam, prosunt balneum et vinum. Quumque omnibus lippientibus vitandi cibi sint, qui extenuant; tum praecipue, quibus tenuis humor diu fertur. Quod si jam fastidium est eorum, quae pituitam crassiorem reddunt, sicut in hoc genere materiae maxime promtum est; confugiendum est ad ea, quae, quia ventrem, corpus quoque adstringunt.

18. At ulcera, si cum inflammatione finita non sunt, aut supercrescentia, aut sordida, aut cava, aut certe vetera esse consuerunt. Ex his supercrescentia collyrio, quod μεμιγμένον vocatur, optime reprimuntur. Sordida purgantur et eodem, et eo, quod σμίλιον nominatur.

19. Habet aeruginis p. Ӿ. IV. gummi tantumdem, ammoniaci, minii sinopici, singulorum p. Ӿ. XVI. quae quidam ex aqua, quidam, quo vehementiora sint, ex aceto terunt.

20. Id quoque Euelpidis, quod χειρῶνα appellabat, hic utile est. Croci p. Ӿ. I. papaveris lacrimae, gummi, singulorum p. Ӿ. II. aeris combusti et eloti, myrrhae, singulorum p. Ӿ. IV. piperis albi p. Ӿ. VI. Sed ante leni, tum hoc inungendum est.

21. Id quoque ejusdem, quod sphaerion nominabat, eodem valet. Lapidis haematitis eloti p. Ӿ. I. =, piperis grana sex, cadmiae elotae, myrrhae, papaveris lacrimae, singulorum p. Ӿ. II. croci p. Ӿ. IV. gummi p. Ӿ. VIII. quae cum vino amineo conteruntur.

22. Liquidum quoque medicamentum ad idem componebat, in quo erant haec: aeruginis p. Ӿ. =. misy combusti, atramenti sutorii, cinnamomi, singulorum p. Ӿ. I. croci, nardi, papaveris lacrimae, singulorum p. Ӿ. I. =. myrrhae p. Ӿ. II. aeris combusti p. Ӿ. III. cineris ex odoribus p. Ӿ. IV. piperis grana XV. Haec ex vino austero teruntur; deinde cum passi tribus heminis decoquuntur, donec corpus unum sit: idque medicamentum vetustate efficacius fit.

23. Cava vero ulcera commodissime implent ex iis, quae supra posita sunt, sphaerion, et id, quod φυλαλγηθούς vocatur. Idem sphaerion vetustis ulceribus, et vix ad cicatricem venientibus optime succurrit.

24. Est etiam collyrium, quod quum ad plura valeat, plurimum tamen proficere in his ulceribus videtur: refertur ad Hermonem auctorem. Habet piperis longi p. Ӿ. I. =. albi p. Ӿ. —. cinnamomi, costi, singulorum p. Ӿ. I. atramenti sutorii, nardi, casiae, castorei, singulorum p. Ӿ. II. gallae p. Ӿ. V. myrrhae, croci, turis, lycii, cerussae, singulorum p. Ӿ. VIII. papaveris lacrimae p. Ӿ. XII. aloes, aeris combusti, cadmiae, singulorum p. Ӿ. XVI. acaciae, stibis, gummi, singulorum p. Ӿ. XXV.

25. Factae vero ex ulceribus cicatrices duobus vitiis periclitantur; ne aut cavae, aut crassae sint. Si cavae sunt, potest eas implere id, quod sphaerion vocari dixi; vel id, quod asclepios nominatur. Habet papaveris lacrimae p. X. II. sagapeni, opopanacis, singulorum p. X. III. aeruginis p. X. IV. gummi p. X. VIII. piperis p. X. XII. cadmiae elotae, cerussae, singulorum. p. X. XVI. At si crassae cicatrices sunt, extenuat vel smilion, vel Canopitae collyrium: quod habet cinnamomi, acaciae, singulorum p. X I. cadmiae elotae, croci, myrrhae, papaveris lacrimae, gummi, singulorum p. X. II. piperis albi, turis, singulorum p. X. III. aeris combusti p. X. VIII. Vel Euelpidis pyxinum, quod ex his constat: salis fossilis p. X. IV. ammoniaci thymiamatis p. X. VIII. papaveris lacrimae p. X. XII. cerussae p. X. XV. piperis albi, croci siculi, singulorum p. X. XXXII. gummi p. X. XIII. cadmiae elotae p. X. VIII. Maxime tamen tollere cicatricem videtur id, quod habet gummi p. X. =. aeruginis p. X. I. crocomagmatis p. X. IV.

26. 27. Est etiam genus inflammationis, in qua, si cui tument ac distenduntur cum dolore oculi, sanguinem ex fronte mitti necessarium est; multaque aqua calida caput atque oculos fovere; gargarizare ex lenticula, vel ex fici cremore; inungi acribus medicamentis, quae supra comprehensa sunt; maximeque eo, quod sphaerion nominatur, quod lapidem haematiten habet. Atque alia quoque utilia sunt, quae ad extenuandam aspritudinem fiunt; de qua protinus dicam.

Haec autem inflammationem oculorum fere sequitur; interdum major, interdum levior. Nonnumquam etiam ex aspritudine lippitudo fit; ipsa deinde aspritudinem auget, fitque ea in aliis brevis, in aliis longa, et quae vix umquam finiatur. In hoc genere valetudinis quidam crassas durasque palbebras, et ficulneo folio, et asperato specillo, et interdum scalpello eradunt; versasque quotidie medicamentis suffricant. Quae neque nisi in magna vetustaque aspritudine, neque saepe facienda sunt: nam melius eodem ratione victus et idoneis medicamentis pervenitur. Ergo exercitationibus utemur, et balneo frequentiore; multaque oculos aqua calida fovebimus: cibos autem sumemus acres et extenuantes; medicamentum id, quod caesarianum vocatur. Habet atramenti sutorii p. X. I. misy p. X. I. =. piperis albi p. X. = =. papaveris lacrimae, gummi, singulorum p. X. II. cadmiae elotae p. X. III. stibis p. X. VI. Satisque constat hoc collyrium adversus omne genus oculorum valetudinis idoneum esse; exceptis iis, quae lenibus nutriuntur.

28. Id quoque, (1) quod Hieracis nominatur, ad aspritudinem pot-

(1) Plinius lib 34. cap. 11. sect 17. *Hieracium vocatur collyrium. quod ita maxime constat. temperatur autem id Hammoniaci unciis quatuor etc. Haec omnia trita aceto Thasio colliguntur in pilulas, excellentis usus contra initia glaucomatum et suffusionum, contra caligines* etc. A Galeno quoque *Hieracium* nominatur in lib. 4. cap. 6. de C. M. S. L.

est. Habet myrrhae p. Ӿ. I. ammoniaci thymiamatis p. Ӿ. I. aeruginis rasae p. Ӿ. IV. Ad idem idoneum est etiam id, quod Canopitae est, et id quod smilion vocatur, et id quod pyxinum, et id quod sphaerion. Si composita medicamenta non adsunt, felle caprino, vel quam optimo melle satis commode aspritudo curatur.

29. Est etiam genus aridae lippitudinis: ξηροφθαλμίαν Graeci appellant. Neque tument, neqne fluunt oculi, sed rubent tantum, et cum dolore quodam graves sunt, et noctu prae gravi pituita inhaerescunt: quantoque minor generis hujus impetus, tanto finis minus expeditus est. In hoc vitio multum ambulare, multum exerceri, lavari saepe, ibique desudare, multaque frictione uti necessarium est. Cibi neque ii qui implent, neque nimium acres, apti sunt, sed inter hos medii. Mane, ubi concoxisse manifestum est, non est alienum ex sinapi gargarizare; tum deinde capnt atque os diutins perfricare.

30. Collyrium vero aptissimum est, quod rhinion vocatur. Habet myrrhae p. Ӿ. =. papaveris lacrimae, acaciae succi, piperis, gummi, singulorum p. Ӿ I. lapidis haematitis, lapidis phrygii, lycii, lapidis scissilis, singulorum p. Ӿ. II. aeris combusti p. Ӿ. IV. Ac pyxinum quoque eodem accomodatum est.

31. Si vero scabri oculi sunt, quod maxime in angulis esse consuevit, potest prodesse rhinion, *id quod supra positum est*; potest similiter id, quod habet aeruginis rasae, piperis longi, papaveris lacrimae, singulorum p. Ӿ. II. piperis albi, gummi, singulorum p. Ӿ. IV. cadmiae elotae, cerussae, singulorum p. Ӿ. VI. Nullum tamen melius est quam Euelpidis, quod βασιλικὸν nominabat. Habet papaveris lacrimae, cerussae, lapidis asii, singulorum p. Ӿ. II. gummi p. Ӿ. III. piperis albi p. Ӿ. IV. croci p. Ӿ. VI. psorici p. Ӿ. XIII. Nulla autem per se materia est, quae psoricum nominetur; sed chalcitidis aliquid, et cadmiae dimidio plus ex aceto simul conteruntur, idque(1) in vas fictile additum, et contectum ficulneis foliis, sub terra reponitur, sublatumque post dies viginti rursus teritur, et sic appellatur. Verum de basilico quoque collyrio convenit, ad omnes affectus oculorum id esse idoneum, qui non lenibus medicamentis curantur. Ubi non sunt autem medicamenta composita, scabros angulos laevant et mel et vinnm: succurritque et his et aridae lippitudini, si quis panem ex vino subactum super oculum imponit. Nam quum fere sit humor aliquis, qni modo ipsum oculum, modo angulos, aut palpebras exasperat, sic, et si quid prodit humoris, extrahitur, et si quid juxta est, repellitur.

32. Caligare vero oculi nonnumquam ex lippitudine, nonnnmquam etiam sine hac, propter senectutem imbecillitatemve aliam,

(1) Sic cap. 8. hujus lib. sect. 2. *addita in narem per linamentum, aut penicillum ea compositio* etc Eodem modo locutus est Varro lib. 1. cap. 134. R. R. *uva in ollulas addatur*; et Plinius lib. 23. cap. 6. sect. 64. *Dentium quoque dolori hic succus caprifici appositus in lana prodest, aut in cava eorum additus.*

consuerunt. Si ex reliquiis lippitudinis id vitium est , adjnvat collyrium, quod asclepios nominatur; adjuvat id, quod ex crocomagmate fit.

33. Proprie etiam ad id componitur, quod διὰ χρόνου vocant. Habet piperis p. ✕. I. croci cilicii, papaveris lacrimae , cerussae , singulorum p. ✕. II. psorici, gummi, singulorum p. ✕. IV.

34. At si ex senectute aliave imbecillitate id est, recte inungi potest et melle quam optimo, et cyprino , et oleo vetere. Commodissimum tamen est balsami partem unam , et olei veteris , aut cyprini partes dnas, mellis quam acerrimi partes tres miscere. Utilia hic quoque medicamenta sunt, quae ad caliginem proxime, quaeque ad extenuandas cicatrices supra comprehensa sunt. Cuicumque vero oculi caligabunt , huic opus erit multa ambulatione atque exercitatione ; frequenti balneo ; ubi totum quidem corpus perfricandum est, praecipue tamen caput, et quidem irino, donec insudet ; velandumque postea, nec detegendum, antequam sudor et calor domi conquierint. Tum cibis utendum acribus et extenuantibus; interpositisque aliquibus diebus , ex sinapi gargarizandum.

35. Suffusio quoque , quam Graeci ὑπόχυσιν nominant , interdum oculi potentiae, qua cernit , se opponit Quod si inveteravit , manu curandum est: inter initia nonnumquam certis observationibus discutitur. Sanguinem ex fronte vel naribus mittere ; in temporibus venas adurere; gargarizando pitnitam evocare; suffumigare; oculos acribus medicamentis innngere, expedit. Victus optimus est, qui pitnitam extenuat.

36. Ac ne resolntio quidem oculorum , quam παράλυσιν Graeci nominant, alio victus modo, vel aliis medicamentis curanda est. Exposuisse tantum genus vitii satis est. Igitur interdum evenit, modo in altero oculo , modo in utroque , aut ex ictu aliquo , aut ex morbo comitiali, aut ex distentione nervorum, qua vehementer ipse ocnlus concussus est , ut is neque quoqnam intendi possit , neque omnino consistat ; sed huc illucve sine ratione moveatur , ideoque ne conspectum quidem rerum praestet.

37. Non multum ab hoc malo distat id, quod μυδρίασιν Graeci vocant. Pupilla (1) funditnr et dilatatur, aciesque ejus (2) hebetescit, ac paene caligat. Difficillime genus id imbecillitatis eliditur. In utraque vero, *id est et paralysi et mydriasi*, pugnandum est per eadem omnia , quae in caligine oculorum praecepta sunt , paucis tantum mutatis : siquidem ad caput irino interdum acetum, interdum nitrum adjicien-

(1) Verba fundo et dilato jungit etiam Cicero lib. 3. cap. 15. de Fin. *Sed quamquam negent, nec virtutes nec vitia crescere: attamen utrumque eorum fundi quadammodo, et quasi dilatari putant.* (2) Lectionem Rhodius confirmat loco illo Plinii lib. 18. cap. 7. sect. 23. *certum est, aciem in cultris tonsorum hebetescere*; et ex Corn. Frontone de Differenl. Vocum, *Hebescit, quod natura obstupescit; hebetescit, quod amittit aciem.*

dum est; melle inungi satis est. Quidam in posteriore vitio calidis aquis usi relevatique: quidam sine ulla manifesta causa subito obcaecati sunt. Ex quibus nonnulli, quum aliquandiu nihil vidissent, repentina profusione alvi lumen receperunt. Quo minus alienum videtur, et recenti re, et interposito tempore, medicamentis quoque moliri dejectiones, quae omnem noxiam materiam in inferiora depellant.

38. Praeter haec imbecillitas oculorum est, ex qua quidam interdiu satis, noctu nihil cernunt: quod in feminam bene respondentibus menstruis non cadit. Sed sic laborantes inungi oportet (1) sanie jecinoris, maxime hircini, sin minus caprini, ubi id assum coquitur, excepta: atque edi quoque ipsum jecur debet. Licet tamen etiam iisdem medicamentis non inutiliter uti, quae vel cicatrices, vel aspritudinem extenuant. Quidam contrito semini portulacae mel adjiciunt eatenus, ne id ex specillo destillet, eoque inungunt. Exercitationibus, balneo, frictionibus, gargarizationibus iisdem his quoque utendum est.

39. Et haec quidem in ipsis corporibus oriuntur. Extrinsecus vero interdum sic ictus oculum laedit, ut sanguis in eo suffundatur. Nihil commodius est, quam sanguine vel columbae, vel palumbi, vel hirundinis inungere. Neque id sine causa fit; quum horum acies extrinsecus laesa interposito tempore in antiquum statum redeat, celerrimeque hirundinis. Unde etiam locus fabulae factus est (1), per parentes id herba restitui (2), quod per se sanescit. Eorum ergo sanguis nostros quoque oculos ab externo casu commodissime tuetur, hoc ordine; ut sit hirundinis optimus, deinde palumbi, minime efficax columbae, et illi ipsi, et nobis. Supra percussum vero oculum, ad inflammationem leniendam, non est alienum imponere etiam cataplasma. Sal ammoniacus, vel quilibet alius quam optime teri debet, sic, ut ei paulatim oleum adjiciatur, donec crassitudo strigmenti fiat; id deinde miscendum est cum hordeacea farina, quae ex mulso decocta sit. Facile autem, recognitis omnibus, quae medici prodiderunt, apparere cuilibet potest vix ullum ex iis, quae supra comprehensa sunt, oculi vitium esse, quod non simplicibus quoque, et promtis remediis submoveri possit.

Cap. VII. (*). 1. Hactenus in oculis ea reperiuntur, in quibus me-

(1) Plinius quoque lib. 28. cap. 11. sect. 47. tradit hoc vitium *inassati jecineris caprini sanie inungi*; et Dioscorides lib. 2. cap. 47. ita scribit: *Caprae inassati jecinoris decidua sanie inungi lusciosos, prodest.*

(1) Nomen herbae ab aliquo enarratore additum fuit, fortasse ex Plinio, apud quem haec habentur lib 25. cap. 8. sect. 50. Animalia *quoque invenere herbas, imprimisque chelidoniam. Haec enim hirundines oculis pullorum in nido restituunt visum, ut quidam volunt, etiam erutis oculis.* (2) Vide Redii *Esperienze intorno a cose naturali.*

(*) Cap. VII. *De aurium morbis.*

dicamenta plurimum possunt: ideoque ad aures transeundum est, quarum usum proximum a luminibus natura nobis dedit. Sed in his aliquanto majus periculum est: nam vitia oculorum intra ipsos nocent; aurium inflammationes doloresque (1) interdum etiam ad dementiam mortemque praecipitant. Quo magis inter initia protinus succurrendum est, ne majori periculo locus sit. Ergo ubi primum dolorem aliquis sensit, abstinere et continere se debet. Postero die, si vehementius malum est, caput tondere, idque irino unguento calido perungere et operire. At magnus cum febre vigiliaque dolor exigit, ut sanguis quoque mittatur. Si id aliquae causae prohibent, alvus solvenda est. Cataplasmata quoque calida, subinde mutata, proficiunt; sive foeni graeci, sive lini, sive alia farina ex mulso decocta est. Recte etiam subinde admoventur spongiae ex aqua calida expressae. Tum, levato dolore, ceratum circumdari debet ex irino, aut cyprino factum: in quibusdam tamen melius, quod ex rosa est, proficit. Si vehemens inflammatio somnum ex toto prohibet, adjici cataplasmati debent papaveris cortices fricti atque contriti, sic, ut ex his pars dimidia sit; eaque tum simul mixta ex passo decoquuntur. In aurem vero infundere aliquod medicamentum oportet; quod semper ante tepefieri convenit: commodissimeque per strigilem instillatur. Ubi auris repleta est, super lana mollis addenda est, quae humorem intus contineat. Et haec quidem communia sunt. Medicamentum vero est et rosae, et radicum arundinis succus, et oleum, in quo lumbrici cocti sint, et humor ex amaris nucibus, aut ex nucleo mali persici expressus. Composita vero ad inflammationem doloremque leniendum haec fere sunt: castorei, papaveris lacrimae pares portiones conteruntur, deinde adjicitur his passum: vel papaveris lacrimae, croci, myrrhae par modus sic teritur, ut invicem modo rosa, modo passum instilletur: vel id, quod amarum in aegyptia faba est, conteritur, rosa adjecta; quibus myrrhae quoque paulum a quibusdam miscetur: vel papaveris lacrima, aut tus cum muliebri lacte: vel amararum nucum cum rosa succus: vel castorei, myrrhae, papaveris lacrimae pares portiones cum passo: vel croci p. ⋊. ☰. myrrhae, aluminis scissilis, singulorum p. ⋊. ═. quibus, dum teruntur, paulatim miscentur passi cyathi tres, mellis minus cyatho; idque ex primis medicamentis est: vel papaveris lacrima ex aceto. Licet etiam compositione uti Themisonis; quae habet castorei, opopanacis, papaveris lacrimae, singulorum p. ⋊. ii. (2) spumae lycii p. ⋊. iv. quae contrita passo excipiuntur, donec cerati crassitudinem habeant, atque ita re-

(1) Ex Aphor. 40. Sect. 5. Celsus lib. 2. cap. 7. dixit, *Auris quoque dolor acutus cum febre continua vehementique saepe mentem turbat: et ex eo casu juniores interdum intra septimum diem moriuntur, seniores tardius.* (2) De spuma lycii vide Plinium lib. 24. cap. 14. sect. 77. et Dioscoridem lib. 1. cap. 132. Hac utebatur etiam Andromachus in medicamentis ad aurium vitia compositis, ut tradit Galenus lib. 3. cap. 1. de C. M. S. L. ubi compositionem quoque Laodici regis describit, quae ex iisdem medicamentis constat, ex quibus haec Themisonis; sed differt ponderum ratione

ponuntur. Ubi usus requirit, rursus id medicamentum, adjecto passo, *specillo* teritur. Illud perpetuum est, quotiescumque crassius medicamentum est, quam ut in aurem instillari possit, adjiciendum cum esse humorem, ex quo id componi debet, donec satis liquidum sit.

2. Si vero pus quoque aures habent, recte lycium per se infunditur, aut irinum unguentum; aut porri succus cum melle; aut centaurii succus cum passo; aut dulcis mali punici succus in ipsius cortice tepefactus, adjecta myrrhae exigua parte. Recte etiam miscentur myrrhae, quam σταχτὴν cognominant, p. X. i. croci tantumdem, nuces amarae xxv. mellis sesquicyathus: quae contrita, quum utendum est, in cortice mali punici tepefiunt. Ea quoque medicamenta, quae oris exulcerati causa componuntur, aeque ulcera aurium sanant. Quae si vetustiora sunt, et multa sanies fluit, apta compositio est, quae ad auctorem Erasistratum refertur: piperis p. X. =. croci p. X. =-. myrrhae, misy cocti, singulorum p. X. i. aeris combusti p. X. ii. Haec ex vino teruntur: deinde ubi inaruerunt, adjiciuntur passi heminae tres, et simul incoquuntur: quum utendum est, adjicitur his mel et vinum. Est etiam Ptolemaei *chirurgi* medicamentum, quod habet lentisci p. X. =. gallae p. X. =. omphacii p. X. i. succum punici mali. Est Menophili validum admodum, quod ex his constat: piperis longi p. X. i. castorei p. X. ii. myrrhae, croci, papaveris lacrimae, nardi syriaci, turis, malicorii, ex aegyptia faba partis interioris, nucum amararum, mellis quam optimi, singulorum p. X. iv. quibus, dum teruntur, adjicitur acetum quam acerrimum, donec crassitudo in his passi fiat. Est Cratonis: cinnamomi, casiae, singulorum p. X. =. lycii, nardi, myrrhae, singulorum p. X. i. aloes p. X. ii. mellis cyathi tres, vini sextarius: ex quibus lycium cum vino decoquitur, deinde his alia miscentur. At si multum puris, malusque odor est, aeruginis rasae, turis, singulorum p. X. ii. mellis cyathi duo, aceti quatuor simul incoquuntur: ubi utendum est, dulce vinum miscetur. Aut aluminis scissilis, papaveris lacrimae, acaciae succi par pondus miscetur, hisque adjicitur hyoscyami succi dimidio minor, quam unius ex superioribus, portio; eaque trita ex vino diluuntur. Per se quoque hyoscyami succus satis proficit.

3. Commune vero auxilium adversus omnes aurium casus, jamque usu comprobatum Asclepiades composuit. In eo sunt cinnamomi, casiae, singulorum p. X. i. floris junci rotundi, castorei, albi piperis, longi, amomi, myrobalani, singulorum p. X. ii. turis masculi, nardi syriaci, myrrhae pinguis, croci, spumae nitri, singulorum p. X. iii. quae separatim contrita, rursus mixta, ex aceto conteruntur; atque ita condita, ubi utendum est, aceto diluuntur. *Eodem modo commune auxilium auribus laborantibus est Polybi sphragis ex dulci vino liquata: quae compositio priori libro continetur.* Quod si et sanies profluit, et tumor est, non alienum est, mixto vino per oricu-

larium clysterem eluere; et tum infundere vinum austerum cum rosa mixtum, cui spodii paulum sit adjectum, aut lycium cum lacte, aut herbae sanguinalis succum cum rosa, aut mali punici succum cum exigua myrrhae parte.

4. Si sordida quoque ulcera sunt, melius mulso eluuntur; et tum aliquod ex iis, quae supra scripta sunt, quod mel habeat, infunditur. Si magis pus profluit, et caput utique tondendum est, et multa calida aqua perfundendum, et gargarizandum, et usque ad lassitudinem ambulandum, et cibo modico utendum est. Si cruor quoque ex ulceribus apparuit, lycium cum lacte debet infundi; vel aqua, in qua rosa decocta sit, succo aut herbae sanguinalis, aut acaciae adjecto. Quod si super ulcera caro increvit, eaque mali odoris saniem fundit, aqua tepida elui debet; tum infundi id, quod ex ture et aerugine et aceto et melle fit; aut mel cum aerugine incoctum. Squama quoque aeris cum sandaracha contrita per fistulam recte instillatur.

5. Ubi vero vermes orti sunt, si juxta sunt, protrahendi oriculario specillo sunt: si longius, medicamentis enecandi; cavendumque ne postea nascantur. Ad utrumque proficit album veratrum cum aceto contritum. Elui quoque aurem oportet vino, in quo marrubium decoctum sit. Sub his emortui vermes in primam auris partem prolabuntur, unde facillime educi possunt.

6. Sin foramen auris compressum est, et intus crassa sanies subest, mel quam optimum addendum est. Si id parum proficit, mellis cyatho et dimidio, aeruginis rasae p. X. II. adjiciendum est, incoquendumque, et eo utendum. Iris quoque cum melle ad idem proficit. Item galbani p. X. II. myrrhae et fellis taurini, singulorum p. X. = =. vini quantum satis est ad myrrham diluendam.

7. Ubi vero gravius aliquis audire coepit (quod maxime post longos capitis dolores evenire consuevit); in primis aurem ipsam considerare oportet: apparebit enim aut crusta, qualis super ulcera innascitur, aut sordium coitus. Si crusta est, infundendum est aut oleum calidum, aut cum melle aerugo, vel porri succus, aut cum mulso nitri paulum: atque ubi crusta a corpore jam recedit, eluenda auris aqua tepida est; quo facilius ea per se diducta oriculario specillo protrahatur. Si sordes, eaeque molles sunt, eodem specillo eximendae sunt: at si durae sunt, acetum et cum eo nitri paulum conjiciendum est; quumque emollitae sunt, eodem modo elui aurem purgarique oportet. Quod si capitis gravitas manet, attondendum idem, et leniter, sed diu perfricandum est, adjecto vel irino vel laureo oleo, sic, ut utrilibet paulum aceti misceatur; tum diu ambulandum, leniterque post unctionem aqua calida caput fovendum; cibisque utendum ex imbecillissima et media materia; magisque assumendae dilutae potiones; nonnumquam gargarizandum est. Infundendum autem in aurem castoreum cum aceto et laureo

oleo et succo radiculae corticis; aut cucumeris agrestis succus, adjectis contritis rosae foliis. Immaturae quoque uvae succus cum rosa instillatus adversus surditatem satis proficit.

8. Aliud vitii genus est, ubi aures intra seipsas sonant. Atque hoc quoque fit, ne externum sonum accipiant. Levissimum est, ubi id ex gravedine est: pejus, ubi ex morbo, capitisve longis doloribus incidit; pessimum ubi, magnis morbis venientibus, maximeque comitiali, provenit. Si ex gravedine est, purgare aurem oportet, et spiritum continere, donec inde humor aliquis exspumet. Si ex morbo vel capitis dolore, quod ad exercitationem, frictionem, perfusionem, gargarizationemque pertinet, eadem facienda sunt: cibis non utendum nisi extenuantibus; in aurem dandus radiculae succus cum rosa, vel cum succo radicis ex cucumere agresti: vel castoreum cum aceto et laureo oleo. Veratrum quoque (*a*) ex aceto conteritur, deinde melle cocto excipitur, et inde collyrium factum in aurem demittitur. Si sine his coepit, ideoque novo metu terret, in aurem dari debet castoreum cum aceto, vel irino, aut laureo oleo; aut huic mixtum castoreum cum succo nucum amararum; aut myrrha et nitrum cum rosa et aceto. Plus tamen in hoc quoque proficit victus ratio: eademque facienda sunt, quae supra comprehendi, cum majore quoque diligentia; et praeterea, donec is sonus finiatur, a vino abstinendum. Quod si simul et sonus est, et inflammatio, laureum oleum conjecisse abunde est, aut id, quod ex amaris nucibus exprimitur; quibus quidam vel castoreum, vel myrrham miscent.

9. Solet etiam interdum in aurem aliquid incidere, ut calculus, aliquodve animal. Si pulex intus est, compellendum eo lanae paulum est; quo ipse is subit, et simul extrahitur. Si non est sequutus, aliudve animal est, specillum lana involutum in resinam quam glutinosissimam, maximeque terebinthinam demittendum, idque in aurem conjiciendum, ibique vertendum est: utique enim comprehendet et eximet. Sin aliquid exanime est, specillo oriculario protrahendum est, aut hamulo retuso paulum recurvato: si ista nihil proficiunt, potest eodem modo resina protrahi. Sternutamenta quoque admota id commode elidunt, aut oriculario clystere aqua vehementer intus compulsa. Tabula quoque collocatur, media inhaerens, capitibus utrimque pendentibus, superque eam homo deligatur in id latus versus, cujus auris eo modo laborat, sic, ut extra tabulam non emineat: tum malleo caput tabulae, quod a pedibus est, feritur; atque ita concussa aure, id quod inest, excidit.

Cap. VIII (*). 1. Nares vero intus exulceratas fovere oportet vapore aquae calidae. Id et spongia expressa atque admota fit, et subjecto

(*a*) Lupac corr. *et id ex aceto.*
(*) Cap. VIII *De narium morbis.*

vase oris angusti, calida aqua repleto. Post id fomentum illinenda ulcera sunt aut plumbi recremento, aut cerussa, aut argenti spuma; quum quodlibet horum aliquis conterit, eique, dum teritur, invicem vinum et oleum myrteum adjicit, donec mellis crassitudinem fecerit. Sin autem ea ulcera circa os sunt, pluresque crustas et odorem foedum habent; quod genus Graeci ὄζαιναν appellant; sciri quidem debet vix ei malo posse succurri: nihilo minus tamen haec tentari possunt; ut caput ad cutem tondeatur, assidueque vehementer perfricetur; multa calida aqua perfundatur; multa item ambulatio sit; cibus modicus, neque acer, neque valentissimus. Tum in narem ipsam mel cum exiguo modo resinae terebinthinae conjiciatur, (quod specillo quoque involuto lana fit); attrahaturque spiritu is succus, donec in ore gustus ejus sentiatur; sub his enim crustae resolvuntur, quae tum per sternutamenta elidi debent. Puris ulceribus vapor aquae calidae subjiciendus est: deinde adhibendum aut lycium ex vino dilutum, aut amurca, aut omphacium, aut mentae, aut marrubii succus; aut atramentum sutorium, quod candens factum, deinde contritum sit; aut interior scillae pars contrita, sic, ut horum cuilibet mel adjiciatur: cujus in ceteris admodum exigua pars esse debet; in atramento sutorio tanta, ut ea mixtura liquida fiat; cum scilla utique pars major. Involvendumque lana specillum est, et in eo medicamento tingendum, eoque ulcera implenda sunt: rursusque linamentum involutum et oblongum eodem medicamento illinendum, demittendumque in narem, et ab inferiore parte leniter deligandum. Idque per hiemem et ver bis die; per aestatem et autumnum ter die fieri debet.

2. Interdum vero in naribus etiam carunculae quaedam similes muliebribus mammis nascuntur; eaeque imis partibus, quae carnosissimae sunt, inhaerent. Has curare oportet medicamentis adurentibus, sub quibus ex toto consumuntur. Polypus vero est caruncula modo alba, modo subrubra, quae narium ossibus inhaeret; ac modo ad labra tendens narem implet, modo retro per id foramen, quo spiritus a naribus ad fauces descendit, adeo increscit, uti post uvam conspici possit; strangulatque hominem, maxime austro aut euro flante: fereque mollis est, raro dura; eaque magis spiritum impedit, et nares dilatat; quae fere καρκινώδης est; itaque attingi non debet. Illud aliud genus fere quidem ferro curatur; interdum tamen inarescit, si addita in narem per linamentum aut penicillum ea compositio est, quae habet minii sinopici, chalcitidis, calcis, sandarachae, singulorum p. X. I. atramenti sutorii p. X. II.

Cap. IX (*). In dentium autem dolore, qui ipse quoque maximis tormentis annumerari potest, vinum ex toto circumcidendum est; a

(*) Cap. IX. *De dentium dolore.*

cibo quoque primo abstinendum, deinde eo modico mollique utendum, ne mandentis dentes irritet: tum extrinsecus admovendus per spongiam vapor aquae calidae, imponendumque ceratum ex cyprino aut irino factum, lanaque id comprehendendum, caputque velandum est. Quod si gravior is dolor est, utiliter et alvus ducitur, et calida cataplasmata super maxillas imponuntur, et ore humor calidus cum medicamentis aliquibus continetur, saepiusque mutatur. Cujus rei causa et quinquefolii radix in vino mixto coquitur; et hyoscyami radix vel in posca, vel in vino mixto sic, ut paulum his salis adjiciatur; et papaveris non nimium aridi cortices, et mandragorae radix eodem modo. Sed in his tribus utique vitandum est, ne, quod haustum erit, devoretur. Ex populo quoque alba cortex radicis in hunc usum in vino mixto recte coquitur; et in aceto cornu cervini ramentum; et nepeta cum teda pingui, ac ficus item pinguis vel in mulso, vel in aceto et melle, ex quibus quum ficus decocta est, is humor percolatur. Specillum quoque lana involutum in calidum oleum demittitur, eoque ipse dens fovetur. Quin etiam quaedam quasi cataplasmata (1) in dentem ipsum illinuntur: ad quem usum ex malo punico acido atque arido malicorii pars interior cum pari portione et gallae et pinei corticis conteritur, misceturque his minium; eaque contrita aqua pluviatili coguntur: aut panacis, papaveris lacrimae, peucedani, uvae taminiae sine seminibus pares portiones conteruntur: aut galbani partes tres, papaveris lacrimae pars quarta. Quidquid dentibus admotum est, nihilominus supra maxillas ceratum, quale supra posui, esse debet, lana obtectum. Quidam etiam myrrhae, cardamomi, singulorum p. ⅃-'. I. croci, pyrethri, ficorum partes, singulorum p. ⅃-(. IV. sinapis p. ⅃-(. VIII. contrita linteolo illinunt, imponuntque in humero partis ejus, qua dens dolet; si is superior est, a scapulis; si inferior, a pectore: idque dolorem levat; et, quum levavit, protinus submovendum est. Si vero exesus est dens, festinare ad eximendum eum, nisi res cogit, non est necesse: sed tum omnibus fomentis, quae supra posita sunt, adjiciendae quaedam valentiores compositiones sunt, quae dolorem levant (2); qualis Herae est. Habet autem papaveris lacrimae p. ⅃-(. I. piperis p. ⅃-(. II. soreos p. ⅃-'. X. quae contrita galbano excipiuntur, idque circumdatur. Aut Menemachi, maxime ad maxillares dentes; in qua sunt croci p. ⅃-(. I. cardamomi, turis fuliginis, ficorum partes, pyrethri, singulorum p. ⅃-(. IV. sinapis p. ⅃-(. VIII. Quidam autem miscent pyrethri, piperis, elaterii, singulorum p. ⅃-(. I. aluminis scissilis, papaveris lacrimae, uvae taminiae, sulphuris ignem non experti, bituminis, lauri baccarum, sinapis, singulorum p. ⅃-(. II. Quod si dolor eximi eum cogit, et piperis semen cortice liberatum, et eodem modo bacca hederae conjecta in id fo-

(1) Eodem modo locutus est Celsus cap. 6. hujus lib. *medicamentum in linteolum illinere.* (2) Ita olim legendum conjeci, cum in Cod. Med. I. scriptum invenissem *qualis heae f. Habent autem*; in aliis, *qualis fere est. Habet autem.* Vidi postea in

ramen dentem findit, isque per testas excidit: et plani piscis, quam pastinacam nostri, τρυγὼνα Graeci vocant, aculeus torretur, deinde conteritur, resinaque excipitur, quae denti circumdata hunc solvit; et alumen scissile in id foramen conjectum dentem citat. Sed id tamen involutum lanula demitti commodius est, quia sic, dente servato, dolorem levat. Haec a medicis accepta sunt. Sed agrestium experimento cognitum est, quum dens dolet, herbam mentastrum cum suis radicibus evelli debere, et in pelvem conjici, supraque aquam infundi, collocarique juxta sedentem hominem undique veste contectum; tum in pelvem candentes silices demitti sic, ut aqua tegantur; hominemque eum hiante ore vaporem excipere, ut supra dictum est, undique inclusum. Nam et sudor plurimus sequitur, et per os continens pituita defluit (3); idque saepe longiorem, semper annuam valetudinem bonam praestat.

Cap. X (*). Si vero tonsillae sine exulceratione per inflammationem intumuerunt, caput velandum est; extrinsecus is locus vapore calido fovendus; multa ambulatione utendum; caput in lecto sublime habendum; gargarizandumque reprimentibus. Radix quoque ea, quam dulcem appellant, contusa et in passo mulsove decocta idem praestat. Leniterque quibusdam medicamentis eas illini non alienum est; quae hoc modo fiunt. Ex malo punico dulci succus exprimitur, et ejus sextarius (1) leni igne coquitur, donec ei mellis crassitudo sit; tum croci, myrrhae, aluminis scissilis, singulorum p. ✕. ɪɪ. per se conteruntur, paulatimque his adjiciuntur vini lenis cyathi duo, mellis unus; deinde priori succo ista miscentur, et rursus leniter incoquuntur: aut ejusdem succi sextarius eodem modo coquitur, atque eadem ratione trita haec adjiciuntur; nardi p. ✕. —. omphacii p. ✕. ɪ. cinnamomi, myrrhae, casiae, singulorum p. ✕. ɪ. Eadem autem haec et auribus et naribus purulentis accommodata sunt. Cibus in hac quoque valetudine lenis esse debet, ne exasperet. Quod si tanta inflammatio est, ut spiritum impediat, in lecto conquiescendum; a cibo abstinendum, neque assumendum quidquam praeter aquam calidam est; alvus quoque ducenda est; gargarizandum ex fico et mulso; illinendum mel cum omphacio; extrinsecus admovendus, sed aliquanto diutius, vapor calidus, donec ea suppurent, et per se aperiantur. Si pure substante non rumpuntur hi tumores, incidendi sunt:

Vat. ᴠɪɪɪ. plane scriptum esse *qual's Herae est.* (3) Simile est illud lib. 4. cap. 4. sect. 1 *Vulgo audio, si quis pullum hirundininum ederit, angina toto anno non periclitari*: et id quod est apud Columellam lib. 7. cap. 4. R R. *Hoc modo curatum pecus, anno scabrum fieri non posse Celsus affirmat.*

(1) Ita ex Costantino. Cato R. R. cap. 95. *igni leni coquito*; Varro lib 1. R. R. cap. 64. *decoquunt in ahenis leni igni*; Plinius lib. 21. cap. 19. sect 73. *lenique igni succus coquitur.*

(*) Cap. X. *De tonsillarum inflammatione.*

deinde ex mulso calido gargarizandum. At si modicus quidem tumor, sed exulceratio est, furfurum cremori ad gargarizandum paulum mellis adjiciendum est, illinendaque ulcera hoc medicamento: passi quam dulcissimi tres heminae ad unam coquuntur; tum adjicitur turis p. X. I. croci, myrrhae, singulorum p. X. II. leniterque omnia rursus fervescunt. Ubi pura ulcera sunt, eodem furfurum cremore, vel lacte gargarizandum est. Atque hic quoque cibis lenibus opus est, quibus adjici dulce vinum potest.

CAP. XI (*). Ulcera autem oris, si cum inflammatione sunt; et parum pura ac rubicunda sunt, optime iis medicamentis curantur, quae supra posita ex malis punicis fiunt: continendusque saepe ore reprimens cremor est, cui paulum mellis sit adjectum. Utendum ambulationibus, et non acri cibo. Simul atque vero pura ulcera esse coeperunt, lenis humor, interdum etiam quam optima aqua ore continenda est: prodestque assumtum purum vinum, pleniorque cibus, dum acribus vacet: inspergique ulcera debent alumine scissili, cui dimidio plus gallae immaturae sit adjectum. Si jam crustas habent, quales in adustis esse consuerunt, adhibendae sunt eae compositiones, quas Graeci ἀνθηρὰς nominant. Junci quadrati, myrrhae, sandarachae, aluminis, pares portiones: aut croci, myrrhae, singulorum p. X. II. iridis p. X. I. aluminis scissilis, sandarachae, singulorum p. X. IV. junci quadrati p. X. VIII. aut gallae, myrrae, singulorum p. X. I. aluminis scissilis p. X. II. rosae foliorum p. X. IV. Quidam autem croci p. X. =. aluminis scissilis, myrrhae, singulorum p. X. I. sandarachae p. X. II. junci quadrati p. X. IV. miscent. Priora arida inserguntur; hoc cum melle illinitur; neque ulceribus tantum, sed etiam tonsillis.

Verum ea longe periculosissima ulcera sunt, quas ἄφθας Graeci appellant; sed in pueris: hos enim saepe consumunt. In viris et mulieribus idem periculum non est. Haec ulcera a gingivis incipiunt: deinde palatum, totumque os occupant: tum ad uvam faucesque descendunt; quibus obsessis, non facile fit ut puer convalescat. Ac miserius etiam est, si lactens adhuc infans est; quo minus imperari remedium aliquod potest. Sed in primis nutrix cogenda est exerceri et ambulationibus, et iis operibus, quae superiores partes movent: mittenda in balneum, jubendaque ibi calida aqua mammas perfundere: tum alenda cibis lenibus, et iis qui non facile corrumpuntur; potione, si febricitat puer, aquae; si sine febre est, vini diluti. Ac si alvus nutrici substitit, ducenda est: si pituita in os ejus coiit, vomere debet. Tum ipsa ulcera perungenda sunt melle, cui rhus, quem syriacum vocant, aut amarae nuces adjectae sint: vel mixtis inter se rosae foliis aridis, pineis nucleis, mentae coliculo, melle: vel eo me-

(*) CAP. XI. *De oris ulceribus.*

dicamento, quod ex moris fit; quorum succus eodem modo quo punici mali, ad mellis crassitudinem coquitur, eademque ratione ei crocum, myrrha, alumen, vinum, mel miscetur. Neque quidquam dandum, a quo humor evocari possit. Si vero jam firmior puer est, gargarizare debet iis fere, quae supra comprehensa sunt: ac si lenia medicamenta in eo parum proficiunt, adhibenda sunt ea, quae adurendo crustas ulceribus inducant, quale est scissile alumen, vel chalcitis, vel atramentum sutorium. Prodest etiam fames et abstinentia quanta maxima imperari potest. Cibus esse debet lenis: ad purganda tamen ulcera interdum caseus ex melle recte datur.

Cap. XII (*). Linguae quoque ulcera non aliis medicamentis egent, quam quae prima parte superioris capitis exposita sunt. Sed quae in latere ejus nascuntur, dintissime durant. Videndumque est num contra dens aliquis acutior sit, qui sanescere saepe ulcus eo loco non sinit; ideoque limandus est.

Cap. XIII (**). Solent etiam interdum juxta dentes in gingivis tubercula quaedam oriri dolentia: παρουλίδας Graeci appellant. Haec initio leniter sale contrito perfricare oportet; aut inter se mixtis sale fossili combusto, cupresso, nepeta; deinde eluere os cremore lenticulae, ed inter haec hiare, donec pituitae satis profluat. In majore vero inflammatione iisdem medicamentis utendum est, quae ad ulcera oris supra posita sunt: et mollis linamenti paulum involvendum aliqua compositione ex iis quas ἀνθηράς vocari dixi; demittendumque id inter dentem et gingivam. Quod si tumor id prohibebit, extrinsecus admovendus erit spongia vapor calidus, imponendumque ceratum. Si suppuratio se ostendet, diutius eo vapore utendum erit; et continendum ore calidum mulsum in quo ficus decocta sit: idque subcrudum incidendum, ne, si diutius ibi pus permanserit, os laedat. Quod si major is tumor est, commodius totus exciditur sic, ut ex utraque parte dens liberetur. Pure exemto, si levis plaga est, satis est ore calidam aquam continere, et extrinsecus fovere eodem vapore; si major est, lenticulae cremore uti, iisdemque medicamentis, quibus cetera ulcera oris curantur. Alia quoque ulcera in gingivis plerumque oriuntur; quibus eadem, quae in reliquo ore, succurrunt: maxime tamen mandere ligustrum oportet, succumque eum ore continere. Fit etiam interdum, ut ex gingivae ulcere, sive παρουλὶς fuit, sive non fuit, diutius pus feratur: quod aut corrupto dente, aut fracto, vel aliter vitiato osse: maximeque id per (a) fistulam evenire consuevit. Ubi incidit, locus aperiendus; dens eximendus; testa ossis, si qua

(*) Cap. XII. *De linguae ulceribus.*
(**) Cap. XIII. *De parulidibus et ulceribus gengivarum.*

(a) Lupac. corr. *maximeque id per fissum venire consuevit.*

abscessit, recipienda est; si quid vitiosi est, radendum. Post quae, quid fieri debeat, supra in aliorum ulcerum curatione comprehensum est. Si vero a dentibus gingivae recedunt, eaedem antherae succurrunt. Utile est etiam pira aut mala non permatura mandere, et ore eum humorem continere. Idemque praestare non acre acetum in ore retentum potest.

Cap. XIV (*). Uvae vehemens inflammatio terrere quoque debet. Itaque in hac et abstinentia necessaria est; et sanguis recte mittitur; et, si id aliqua res prohibet, alvus utiliter ducitur: caputque super haec velandum, et sublimius habendum est: tum aqua gargarizandum, in qua simul rubus et lenticula decocta sit. Illinenda quoque ipsa uva vel omphacio, vel galla, vel alumine scissili sic, ut cuilibet eorum mel adjiciatur. Est etiam medicamentum huic aptum, quod andronium appellatur. Constat ex his: alumine scissili, squama aeris rubri, atramento sutorio, galla, myrrha, misy: quae per se contrita mixtaque, rursus paulatim adjecto vino austero teruntur, donec his mellis crassitudo sit. *Chelidoniae quque succo, per cochlear illita uva, maxime prodest* (1). Ubi horum aliquo illita uva est, fere multa pituita decurrit: quumque ea quievit, ex vino calido gargarizandum est. Quod si minor inflammatio est, laser terere, eique adjicere frigidam aquam satis est, eamque aquam cochleari exceptam ipsi uvae subjicere. Ac mediocriter eam tumentem aqua quoque frigida eodem modo subjecta reprimit (2). Ex eadem autem aqua gargarizandum quoque est, *quae vel cum lasere, vel sine eo hac ratione uvae subjecta est.*

Cap. XV (**). Si quando autem ulcera oris cancer invasit, primum considerandum est, num malus corporis habitus sit, eique occurrendum; deinde ipsa ulcera curanda. Quod si in summa parte id vitium est, satis proficit anthera, humido ulceri arida inspersa; sicciori, cum exigua parte mellis illita: si paulo altius, chartae combustae partes duae, auripigmenti pars una: si penitus malum descendit, chartae combustae partes tres, auripigmenti pars quarta; aut pares portiones salis fricti, et iridis frictae; aut item pares portiones chalcitidis, calcis, auripigmenti. Necessarium autem est linamentum in rosa tingere, et super adurentia medicamenta imponere; ne vicinum et sanum locum laedant. Quidam etiam in acris aceti heminam frictum salem conjiciunt, donec tabescere desinat; deinde id acetum coquunt, donec exsiccetur; eumque salem contritum inspergunt. Quoties autem medicamentum injicitur, et ante et post os eluendum est vel cremore lenticulae, vel aqua, in qua aut ervum (1), aut oleae, aut verbenae decoctae sint, sic, ut cuilibet eorum paulum mellis miscea-

(*) Cap. XIV. *De uvae morbo.* (**) Cap. XV. *De cancro oris.*

tur. Acetum quoque ex scilla retentum ore satis adversus haec ulcera proficit: et ex aceto cocto sali, sicut supra demonstratum est, rursus mixtum acetum. Sed et diu continere utrumlibet, et id bis aut ter die facere, prout vehemens malum est, necessarium est. Quod si puer est, cui id incidit, specillum lana involutum in medicamentum demittendum est, et super ulcus tenendum; ne per imprudentiam adurentia devoret. Si dolor in gingivis est, moventurque aliqui dentes, ejici eos oportet: nam curationem vehementer impediunt. Si nihil medicamenta proficient, ulcera erunt adurenda. Quod tamen in labris ideo non est necessarium, quoniam excidere commodius est. Et id quidem aeque adustum atque excisum sine ea curatione, quae *corpori* manu adhibetur, impleri non potest. Gingivarum vero ossa, quae hebetia sunt, in perpetuum ustione nudantur: neque enim postea caro increscit. Imponenda tamen adustis lenticula est, donec sanitatem, qualis esse potest, recipiant.

Cap. XVI (*). Haec in capite fere medicamentis egent. Sub ipsis vero auribus oriri parotides solent; modo in secunda valetudine, ibi inflammatione orta; modo post longas febres, illuc impetu morbi converso. Id abscessus genus est: itaque nullam novam curationem desiderat. Animadversionem tantummodo hanc habet necessariam; quia si sine morbo id intumuit, primum reprimentium experimentum est; si ex adversa valetudine, illud inimicum est, maturarique et quam primum aperiri commodius est.

Cap. XVII (**). Ad umbilicos vero prominentes, ne manu ferroque utendum sit, ante tentandum est ut abstineant; alvus his ducatur; imponatur super umbilicum id, quod ex his constat; cicutae et fuliginis, singulorum p. ✗. i. cerussae elotae p. ✗. iv. plumbi eloti p. ✗. viii. ovis duobus; quibus etiam solani succus adjicitur. Hoc diutius impositum esse oportet; et interim conquiescere hominem; cibo modico uti sic, ut vitentur omnia inflantia.

Cap. XVIII (***). 1. Proxima sunt ea, quae ad partes obscoenas pertinent: quarum apud Graecos vocabula et tolerabilius se habent, et accepta jam usu sunt; quum in omni fere medicorum volumine atque sermone jactentur: apud nos foediora verba, ne consuetudine quidem aliqua verecundius loquentium commendata sunt: ut difficilior haec explanatio sit simul et pudorem et artis praecepta servantibus. Neque tamen ea res a scribendo deterrere me debuit: primum, ut omnia, quae salutaria accepi, comprehenderem: dein, quia in vulgus eorum curatio etiam praecipue cognoscenda est, quae invitissimus quisque alteri ostendit.

(*) Cap. XVI. *De parotidibus.* (**) Cap. XVII. *De umbilico prominente.*
(***) Cap. XVIII. *De obscoenarum partium vitiis.*


2. Igitur si ex inflammatione coles intumuit, reducique summa cutis, aut rursus induci non potest, multa calida aqua fovendus locus est. Ubi vero glans contecta est, oriculario quoque clystere inter eam cutemque aqua calida inserenda est. Si mollita sic et extenuata cutis ducenti paruit, expeditior reliqua curatio est: si tumor vicit, imponenda est vel lenticula, vel marrubium, vel oleae folia ex vino cocta, sic, ut cuilibet eorum, dum teritur, mellis paulum adjiciatur: sursumque coles ad ventrem deligandus est, quod in omni curatione ejus necessarium est. Isque homo continere se, et abstinere a cibo debet, et potione aquae tantum a siti vindicari. Postero die rursus abhibendum iisdem rationibus aquae fomentum est, et cum vi quoque experiendum, an cutis sequatur: eaque, si non parebit, leviter summa scalpello concidenda erit: nam quum sanies profluxerit, extenuabitur is locus, et facilius cutis ducetur. Sive autem hoc modo victa erit, sive numquam repugnaverit, ulcera vel in cutis ulteriore parte, vel in glande, ultrave eam in cole reperientur: quae necesse est aut pura siccaque sint, aut humida et purulenta. Si sicca sunt, primum aqua calida fovenda sunt: deinde imponendum lycium ex vino est, aut amurca cocta cum eodem, aut cum rosa butyrum. Si levis iis humor inest, vino eluenda sunt: tum butyro et rosae mellis paulum, et resinae terebinthinae pars quarta adjicienda est, eoque utendum. At si pus ex iis profluit, ante omnia elui mulso calido debent: tum imponi piperis p. X. I. myrrhae p. X. I. croci, misy cocti, singulorum p. X. II. quae ex vino austero coquuntur, donec mellis crassitudinem habeant. Eadem autem compositio tonsillis, uvae madenti, oris nariumque ulceribus accomodata est. Aliud ad eadem; piperis p. X. =. myrrhae p. X. =. croci p. X. = =. misy cocti p. X. I. aeris combusti p. X. II. quae primum ex vino austero conteruntur; deinde, ubi inaruerunt, iterum teruntur ex passi tribus cyathis, et incoquuntur, donec visci crassitudinem habeant. Aerugo quoque cum cocto melle, et ea, quae ad oris ulcera supra comprehensa sunt, *curant*: aut Erasistrati compositio, aut Cratonis recte super purulenta naturalia imponitur. Folia quoque oleae ex novem cyathis vini coquuntur; his adjicitur aluminis scissilis p. X. IV. lycii p. X. VIII. mellis sesquicyathus: ac, si plus puris est, id medicamentum ex melle; si minus, ex vino diluitur. Illud perpetuum est, post curationem, dum inflammatio manet, quale supra positum est, cataplasma superdare, et quotidie ulcera eadem ratione curare. Quod si pus et multum, et cum malo odore coepit profluere, elui cremore lenticulae debet sic, ut ei mellis paulum adjiciatur: aut oleae, vel lentisci folia, vel marrubium decoquendum est, eoque humore eodem modo cum melle utendum: imponendaque eadem; aut etiam omphacium cum melle; aut id, quod ex aerugine et melle ad aures fit; aut compositio Andronis; aut anthera sic, ut ei paulum mellis adjiciatur. Quidam ulcera omnia, de quibus ad-

*

hunc dictum est, lycio ex vino curant. Si vero ulcus latius atque altius serpit, eodem modo elui debet: imponi vero aut aerugo aut omphacium cum melle; aut Andronis compositio; aut marrubii, myrrhae, croci, aluminis scissilis cocti, rosae foliorum aridorum, gallae, singulorum p.)-(. I. minii sinopici p.)-(. II. quae per se singula primum teruntur, deinde juncta iterum melle adjecto, donec liquidi cerati crassitudinem habeant; tum in aeneo vase leniter coquuntur, ne superfluant; quum jam guttae indurescunt, vas ab igne removetur: idque medicamentum, prout opus est, aut ex melle aut ex vino liquatur. Idem autem per se etiam ad fistulas utile est. Solet etiam interdum ad nervos ulcus descendere; profluitque pituita multa, sanies tenuis malique odoris, non coacta, at aquae similis, in qua caro recens lota est; doloresque is locus, et punctiones habet. Id genus quamvis inter purulenta est, tamen lenibus medicamentis curandum est; quale est emplastrum τετραφάρμακον ex rosa liquatum sic, ut turis quoque paulum ei misceatur; aut id, quod ex butyro, rosa, resina, melle fit; supra vero a me positum est. Praecipueque id ulcus multa calida aqua fovendum est, velandumque, neque frigori committendum. Interdum autem per ipsa ulcera coles sub cute exesus est sic, ut glans excidat. Sub quo casu cutis ipsa circumcidenda est. Perpetuumque est, quoties glans, aut ex cole aliquid vel excidit, vel abscinditur, hanc non esse servandam, ne considat, ulcerique agglutinetur, ac neque reduci possit postea, et fortasse fistulam quoque urinae claudat.

Tubercula etiam, quae φύματα Graeci vocant, circa glandem oriuntur: quae vel medicamentis, vel ferro aduruntur; et quum crustae exciderunt, squama aeris inspergitur, ne quid ibi rursus increscat.

3. Haec citra cancrum sunt; qui quum in reliquis partibus, tum in his quoque vel praecipue ulcera infestat. Incipit a nigritie: quae si cutem occupavit, protinus specillum subjiciendum, eaque incidenda est; deinde orae vulsella (a) prehendendae; tum, quidquid corru-



(a) 1.2.3.4. Specimen vulsellarum ex iis, quae in ruderibus Pompei et Herculani inventae, in R. Musaeo Neapolitano servantur, et a prof. Vulpes descriptae sunt. Vide *Farmacopea Celsiana* in II. Vol.

ptum est, excidendum sic, ut ex integro quoque paulum dematur, idque adurendum. Quoties quid ustum est, id quoque sequitur, ut imponenda lenticula sit; deinde, ubi crustae exciderunt, ulcera sicut alia curentur. At si cancer ipsum colem occupavit, inspergenda aliqua sunt ex adurentibus, maximeque id quod ex calce, chalcitide, auripigmento componitur. Si medicamenta vincuntur, hic quoque scalpello, quidquid corruptum est, sic, ut aliquid etiam integri trahat, praecidi debet. Illud quoque aeque perpetuum est, exciso cancro vulnus esse adurendum. Sed sive ex medicamentis, sive ex ferro crustae occalluerunt, magnum periculum est, ne his decidentibus, ex cole profusio sanguinis insequatur. Ergo longa quiete, et immobili paene corpore opus est, donec ex ipso crustae leniter resolvantur. At si vel volens aliquis, vel imprudens, dum ingreditur, immature crustas diduxit, et fluit sanguis, frigida aqua adhibenda est: si haec parum valet, decurrendum est ad medicamenta, quae sanguinem supprimunt: si ne haec quidem succurrunt, aduri diligenter et timide debet: neque ullo postea motu dandus eidem periculo locus est.

4. Nonnumquam etiam id genus ibi cancri, quod φαγέδαινα a Graecis nominatur, oriri solet. In quo minime differendum, sed protinus iisdem medicamentis, et, si parum valent, ferro adurendum. Quaedam etiam nigrities est, quae non sentitur, sed serpit, ac, si sustinuimus, usque ad vesicam tendit; neque succurri postea potest. Si id in summa glande circa fistulam urinae est, prius in eam tenue specillum demittendum est, ne claudatur; deinde id ferro adurendum: si vero alte penetravit, quidquid occupatum est, praecidendum est. Cetera eadem, quae in aliis cancris, facienda sunt.

5. Occallescit etiam in cole interdum aliquid; idque omni paene sensu caret: quod ipsum quoque excidi debet. Carbunculus autem ibi natus, ut primum apparet, per oricularium clysterem eluendus est: deinde ipse quoque medicamentis urendus, maximeque chalcitide cum melle, aut aerugine cum cocto melle, aut ovillo stercore fricto et contrito cum eodem melle. Ubi is excidit, liquidis medicamentis utendum est, quae ad oris ulcera componuntur.

6. In testiculis vero, si qua inflammatio sine ictu orta est, sanguis ex talo mittendus est: a cibo abstinendum: imponenda ex faba farina ex mulso cocta cum cumino contrito et ex melle coacto; aut contritum cuminum cum cerato ex rosa facto; aut lini semen frictum, contritum, et in mulso coctum; aut tritici farina ex mulso cocta cum cupresso; aut lilii radix contrita. At si iidem induruerunt, imponi debet lini vel foeni graeci semen ex mulso coctum; aut ex cyprino ceratum; aut simila ex vino contrita, cui paulum croci sit adjectum. Si vetustior jam durities est, maxime proficit cucumeris agrestis radix ex mulso cocta, deinde contrita. Si ex ictu tument, sanguinem mitti necessarium est; magisque, si etiam livent: imponendum vero utrum-

libet ex iis, quae cum cumino componuntur, supraque posita sunt; aut ea compositio, quae habet nitri cocti p. Ӿ. i. resinae pineae, cumini, singulorum p. Ӿ. ii. uvae taminiae sine seminibus p. Ӿ. iv. mellis quantum satis sit ad ea cogenda. Quod si ex ictu testiculis aliquid haesit, fere pus quoque increscit; neque aliter succurri potest, quam si, inciso scroto, et pus emissum, et ipse testiculus excisus est.

7. Anus quoque multa taediique plena mala recipit, neque inter se multum abhorrentes curationes habet. Ac primum in eo saepe, et quidem pluribus locis, cutis scinditur: ῥαγάδια Graeci vocant. Id si recens est, quiescere homo debet, et in aqua calida desidere. Columbina quoque ova coquenda sunt, et, ubi induruerunt, purganda: deinde alterum jacere in aqua bene calida debet, altero calido foveri locus sic, ut invicem utroque aliquis utatur. Tum tetrapharmacum, aut rhypodes rosa diluendum est; aut oesypum recens miscendum cum cerato liquido ex rosa facto; aut eidem cerato plumbum elotum adjiciendum; aut resinae terebinthinae myrrha; aut spumae argenti vetus oleum; et quolibet ex his id perugendum. Si quidquid laesum est, extra est, neque intus reconditum, eodem medicamento tinctum linamentum superdandum est, et quidquid ante adhibuimus, cerato contegendum. In hoc autem casu neque acribus cibis utendum, neque asperis, nec alvum comprimentibus: ne aridum quidem quidquam satis utile est, nisi admodum paulum. Liquida, lenia, pinguia, glutinosa meliora sunt. Vino leni uti nihil prohibet.

8. Condyloma autem est tuberculum, quod ex quadam inflammatione nasci solet. Id ubi ortum est, quod ad quietem cibos potionesque pertinet, eadem servari debent, quae proxime scripta sunt. Iisdem etiam ovis recte tuberculum id fovetur: sed desidere ante homo in aqua debet, in qua verbenae decoctae sint ex reprimentibus. Tum recte imponitur et lenticula cum exigua mellis parte; et sertula campana ex vino cocta; et rubi folia contrita cum cerato ex rosa facto; et cum eodem cerato contritum vel cotoneum malum, vel malicorii ex vino cocti pars interior; et chalcitis cocta atque contrita, deinde oesypo ac rosa excepta; et ex ea compositione, quae habet turis p. Ӿ. i. aluminis scissilis p. Ӿ. ii. cerussae p. Ӿ. iii. spumae argenti p. Ӿ. v. quibus, dum teruntur, invicem rosa et vinum instillatur. Vinculum autem ei loco linteolum aut panniculus quadratus est, qui ad duo capita duas ansas, ad altera duo totidem fascias habet; quumque subjectus est, ansis ad ventrem datis, a posteriore parte in eas adductae fasciae conjiciuntur, atque, ubi arctatae sunt, dexterior sinistra, sinisterior dextra procedit, circumdataeque circa alvum inter se novissime deligantur. Sed si vetus condyloma jam induruit, neque sub his curationibus desidit, aduri medicamento potest, quod ex his constat; aeruginis p. Ӿ. ii. myrrhae p. Ӿ. iv. gummi p. Ӿ. viii. turis p. Ӿ. xii. stibis, papaveris lacrimae, acaciae, singulorum p. Ӿ. xvi. Quo medicamento quidam etiam ulcera, de

quibus proxime dixi, renovant. Si hoc parum in condylomate proficit, adhiberi possunt etiam vehementius adurentia. Ubi consumtus est tumor, ad medicamenta lenia transeundum est.

9. Tertium vitium est, ora venarum tamquam capitulis quibusdam surgentia, quae saepe sanguinem fundunt: αἱμοῤῥοΐδας Graeci vocant. Idque etiam in ore vulvae feminarum incidere consuevit. Atque in quibusdam parum tuto supprimitur, qui sanguinis profluvio imbecilliores non fiunt: habent enim purgationem hanc, non morbum. Ideoque curati quidam, quum sanguis exitum non haberet, inclinata in praecordia ac viscera materia, subitis et gravissimis morbis correpti sunt. Si cui vero id nocet, is desidere in aqua ex verbenis debet: imponere maxime malicorium cum aridis rosae foliis contritum; aut ex iis aliqua, quae sanguinem supprimunt. Solet autem oriri inflammatio, maxime ubi dura alvus eum locum laesit. Tum in aqua dulci desidendum est, et id fovendum ovis: imponendi vitelli cum rosae-foliis ex passo subactis: idque, si intus est, digito illinendum; si extra, superillitum panniculo imponendum est. Ea quoque medicamenta, quae in recentibus scissuris posita sunt, hic idonea sunt. Cibis vero in hoc casu iisdem, quibus in prioribus, utendum est. Si ista parum juvant, solent imposita medicamenta adurentia ea capitula absumere. Ac si jam vetustiora sunt, sub auctore Dionysio inspergenda sandaracha est: deinde imponendum id, quod ex his constat: squamae aeris, auripigmenti, singulorum p. ⋊. v. saxi calcis p. ⋊. viii. postero die acu compungendum (a). Adustis capitulis fit cicatrix, quae sanguinem fundi prohibet. Sed quoties is suppressus est, ne quid periculi afferat, multa exercitatione digerenda materia est: praetereaque et viris, et feminis, quibus menstrua non proveniunt, interdum ex brachio sanguis mittendus est.

10. At si anus ipse, vel os vulvae procidit, (nam id quoque interdum fit), considerari debet, purum ne id sit, quod provolutum est, an humore mucoso circumdatum. Si purum est, in aqua desidere homo debet, aut salsa, aut cum verbenis vel malicorio incocta: si humidum, vino austero subluendum est, illinendumque faece vini combusta. Ubi utrolibet modo curatum est, intus reponendum est; imponendaque plantago contrita, vel folia salicis in aceto cocta; tum linteolum et super lana: eaque deliganda sunt, cruribus inter se devinctis.

11. Fungo quoque simile ulcus in eadem sede nasci solet. Id, si hiems est, egelida; si aliud tempus, frigida aqua fovendum est: dein squama aeris inspergenda, supraque ceratum ex myrteo factum, cui paulum squamae, fuliginis, calcis sit adjectum. Si hac ratione non tollitur, vel medicamentis vehementioribus, vel ferro adurendum est.

(a) Lupac. corr. *Adustis capitulis.*

Cap. XIX (*). Digitorum autem vetera ulcera commodissime curantur aut lycio, aut amurca cocta, quum utrilibet vinum adjectum est. In iisdem recedere ab ungue caruncula cum magno dolore consuevit: πτερύγιον Graeci appellant. Oportet alumen (1) melinum rotundum in aqua liquare, donec mellis crassitudinem habeat: tum, quantum ejus aridi fuit, tantumdem mellis infundere, et rudicula miscere, donec similis croco colore fiat, eoque illinere. Quidam ad eumdem usum decoquere simul malunt, quum paria pondera aluminis aridi et mellis miscuerunt. Si hac ratione ea non exciderunt, excidenda sunt: deinde digiti fovendi aqua ex verbenis, imponendumque super medicamentum ita factum: chalcitis, malicorium, squama aeris excipiuntur fico pingui leniter cocta ex melle; aut chartae combustae, auripigmenti, sulphuris ignem non experti par modus cerato miscetur ex myrteo facto: aut aeruginis rasae p. 𐆖. i. squamae aeris p. 𐆖. xii. mellis cyatho coguntur: aut pares portiones miscentur saxi calcis, chalcitidis, auripigmenti. Quidquid horum impositum est, tegendum linteolo aqua madefacto est. Tertio die digitus resolvendus, et, si quid aridi est, iterum excidendum, similisque adhibenda curatio est. Si non vincitur, purgandum est scalpello; tenuibusque ferramentis adurendum, et, sicut reliqua usta, curandum est. At, ubi scabri ungues sunt, circumaperiri debent, qua corpus contingunt: tum super eos ex hac compositione aliquid imponi: sandarachae, sulphuris, singulorum p. ⊢. ii. nitri, auripigmenti, singulorum p. 𐆖. iv. resinae liquidae p. 𐆖. viii. tertioque id die resolvendum est. Sub quo medicamento vitiosi ungues cadunt, et in eorum locum meliores renascuntur.

(1) Ita vocatur etiam a Scribonio Compos 226. Plinius lib. 35. cap 6. sect 19 *melinum appellatur pigmenti genus, quod optimum in insula Melo nascitur.*

(*) Cap. XIX. *De digitorum ulceribus.*

A. CORNELII CELSI

ARTIUM LIBER DUODECIMUS

IDEM

MEDICINAE

SEPTIMUS.

(*) Tertiam esse medicinae partem, quae manu curet, et vulgo notum, et a me propositum est. Ea non quidem medicamenta atque victus rationem omittit; sed manu tamen plurimum praestat: estque ejus effectus inter omnes medicinae partes evidentissimus. Siquidem in morbis quum multum fortuna conferat, eademque saepe salutaria, saepe vana sint; potest dubitari secunda valetudo medicinae, an corporis beneficio contigerit. In iis quoque, in quibus medicamentis maxime nitimur, quamvis profectus evidentior est, tamen sanitatem et per haec frustra quaeri, et sine his reddi saepe, manifestum est: sicut in oculis quoque deprehendi potest; qui a medicis diu vexati, sine his interdum sanescunt. At in ea parte, quae manu curat, evidens est, omnem profectum, ut aliquid ab aliis adjuvetur, hinc tamen plurimum trahere. Haec autem pars, quum sit vetustissima, magis tamen ab illo parente omnis medicinae Hippocrate, quam a prioribus exculta est: deinde, posteaquam diducta ab aliis habere professores suos coepit, in Aegypto quoque increvit, Philoxeno maxime auctore, qui pluribus voluminibus hanc partem diligentissime comprehendit. Gorgias quoque et Sostratus et Heron et Apollonii duo et Ammonius Alexandrinus, multique alii celebres viri, singuli quaedam repererunt. Ac Romae quoque non mediocres professores, maximeque nuper Tryphon pater, et Euelpistus, et, ut ex scriptis ejus intelligi potest, horum eruditissimus Meges, quibusdam in melius mutatis, aliquantum ei disciplinae adjecerunt. Esse autem chirurgus debet adolescens, aut certe adolescentiae propior; manu strenua, stabili, nec umquam intremiscente, eaque non minus sinistra, quam dextra promtus; acie oculorum acri claraque; animo intrepidus, misericors sic,

(*) Praefatio. *De chirurgia, ejusque historia, et de optimi Chirurgi qualitatibus.*

ut sanari velit eum, quem accepit, non ut clamore ejus motus vel magis, quam res desiderat, properet, vel minus, quam necessse est, secet; sed perinde faciat omnia, ac si nullus ex vagitibus alterius affectus oriatur. Potest autem requiri, quid huic parti proprie vindicandum sit: quia vulnerum quoque ulcerumque multorum curationes, quas alibi exsecutus sum, chirurgi sibi vindicant. Ego eumdem quidem hominem posse omnia ista praestare concipio: atque ubi se diviserunt, eum laudo, qui quamplurimum percipit. Ipse autem huic parti ea reliqui, in quibus vulnus facit medicus, non accipit; et in quibus vulneribus ulceribusque plus profici manu, quam medicamento, credo: tum quidquid ad ossa pertinet. Quae deinceps exsequi aggrediar; dilatisque in aliud volumen ossibus, in hoc cetera explicabo; praepositisque iis, quae in qualibet parte corporis fiunt, ad ea, quae proprias sedes habent, transibo.

CAP. I (*). (1). Luxata igitur in quacumque parte corporis sunt, quamprimum sic curari debent, ut, qua dolor est, ea scalpello cutis crebro incidatur, detergeaturque eodem averso profluens sanguis. Quod si paulo tardius subvenitur, jamque etiam rubor est, qua rubet corpus; si tumor quoque accessit, quacumque is est, id optimum auxilium est. Tum superdanda reprimentia sunt; maximeque lana succida ex aceto et oleo. Quod si levior is casus est, possunt etiam sine scalpello, imposita eadem mederi: et, si nihil aliud est, cinis quoque, maxime ex sarmentis; si is non est, quilibet alius ex aceto, vel etiam ex aqua coactus.

(1) *Luxata* omnes antiqui libri tum scripti, tum impressi. Celsus *luxata* vocat, quae Graeci στρέμματα appellant; cum scilicet articulo illaeso, quae circa ipsum sunt nervosae partes distorquentur, ut scribit Galenus in Comment. ad lib. Hippocratis de Medici Officina. Plinius quoque *luxata* vocat. Lib. 20. cap. 13. sect. 15. *Luxata* sanat urtica; lib. 24. cap. 11. sect. 50. *medetur et luxatis, et spinae doloribus* arundinis *radix in aceto illita*; lib. 31. cap. 9. sect. 45. *Luxatis imponitur sal cum farina*. Sed in primis illud attendendum quod scribit lib. 23. cap. 1. sect. 3. *cinis sarmentorum vitiumque et vinaceorum condylomatis, et sedis vitiis ex aceto: item luxatis et ambustis*; quod plane congruit cum eo quod tradit Celsus in fine hujus capiti. Eadem medicamenta ad στρέμματα curanda proponit Dioscorides lib. 1. cap. 116. lib. 4. cap. 95. lib. 5. cap. 1. et cap. 117. Itali *distorsioni*, Galli *entorces* appellant. Lindenius legit *Vexata*; quam vocem sumpsit ex hac adnotatione Constantini: De luxatis libro sequenti, et quod hic tractatur ἐχύμωσις est, id est, sugillatio, quae contusione fit. Ergo hoc loco mendose editum *luxata* pro *sugillata*. Itaque et *contusa* scriptum inveni: itemque *vexata*, quod plane non displicet, si pro contusis sumatur, ut aput Gellium 1. Locus Gellii est in lib. 2. cap. 6. Noct. Attic. *qui fertur et raptatur, atque huc, atque illuc distrahitur, is vexari proprie dicitur*. Sed Morgagnus animadvertit, hinc sequi, *vexationem posse quidem esse sugillationis causam, non ipsam tamen esse sugillationem*: et Celsum sugillationem lib. 5. cap. 18. sect. 24. sic designasse: *si facie contusa livor suberuentus est*; cap. autem 23. ejusdem lib. *collisa corpora vel per ictus, vel ubi ex alto deciderunt* memorasse; et lib. 2. cap. 10. dixisse eodem sensu, *si ex superiore parte aliquis decidit, si contusus est*; ut omnino *contusa* aut *collisa*, non *vexata* hic dicere debuisset.

(*) CAP. I. *De luxatis*.

Cap. II. (*). Verum hoc quidem promtum est. In iis autem negotium majus est, quae per se, vitio intus orto, intumescunt, et ad suppurationem spectant. Ea omnia genera abscessuum esse alias proposui, medicamentaque his idonea exsequutus sum: nunc superest, ut dicam, in iisdem quae manu fieri debeant. Ergo, priusquam indurescant, cutem incidere, et cucurbitulam accomodare oportet, quae quidquid illuc malae corruptaeque materiae coiit, extrahat: idque iterum, tertioque recte fit, donec omne iudicium inflammationis excedat. Neque tamen fas non est, nihil cucurbitulam agere. Interdum enim fit, sed raro, ut quidquid abscedit, velamento suo includatur. Id antiqui tunicam nominabant. Meges, quia tunica omnis nervosa est, dixit non nasci sub eo vitio nervum, quo caro consumeretur, sed, subjecto jam vetustiore pure, callum circumdari. Quod ad curationis rationem nullo loco pertinet; quia quidquid, si tunica est, idem, si callus est, fieri debet. Neque ulla res prohibet, etiamsi callus est, tamen, quia cingit, tunicam nominari. Tum pure quoque maturius haec interdum esse consuevit: ideoque, quod sub ea est, extrahi per cucurbitulam non potest. Sed facile id intelligitur, ubi nihil admota illa mutavit. Ergo, sive id incidit, sive jam durities est, in hac auxilii nihil est; sed, ut alias scripsi, vel avertenda concurrens eo materia, vel digerenda, vel ad maturitatem perducenda est. Si priora contigerunt, nihil praeterea necessarium est. Si pus maturuit, in alis quidem et inguinibus raro secandum est; item ubicumque mediocris abscessus est; item quoties in summa cute, vel etiam carne vitium est: nisi festinare cubantis imbecillitas cogit: satisque est cataplasmatis efficere, ut per se pus aperiatur. Nam fere sine cicatrice potest esse is locus, qui expertus ferrum non est. Si autem altius malum est, considerari debet, nervosusne is locus sit, an non sit. Nam si sine nervis est, candenti ferramento aperiri debet: cujus haec gratia est, quod exigua plaga diutius ad pus evocandum patet, parvaque postea cicatrix fit. At si nervi juxta sunt, ignis alienus est, ne vel distendantur hi, vel membrum debilitent: necessaria vero opera scalpelli est. Sed cetera etiam subcruda aperiri possunt: inter nervos ultima exspectanda maturitas est, quae cutem extenuet, eique pus jungat, quo propius reperiatur. Itemque (1) alia rectam plagam desiderant: in pane, quia fere vehementer cutem extenuat, tota ea super pus excidenda est. Semper autem, ubi scalpellus admovetur, id agendum est, ut et quam minimae et quam paucissimae plagae sint: cum eo tamen, ut necessitati succurramus et in modo, et in numero. Nam majores sinus latius; interdum etiam duabus, aut tribus lineis incidendi sunt. Dandaque opera, ut imus

(1) Docti quidam Chirurgi mihi affirmarunt, deterioris naturae panos se vidisse, in quibus cutis adeo extenuata erat, ut necesse fuerit totam eam excidere.

(*) Cap. II. *De his, quae per se intumescunt, quomodo incidenda, et curanda sint.*

sinus exitum habeat; ne quis humor intus subsidat, qui proxima et adhuc sana rodendo sinuet. Est etiam in rerum natura, ut cutis latius excidenda sit. Nam, ubi post longos morbos totius corporis habitus vitiatus est, lateque se sinus suffudit, et in eo jam cutis pallet; scire licet eam jam emortuam esse, et inutilem futuram: ideoque excidere commodius est; maxime, si circa articulos majores id evenit, cubantemque aegrum fluens alvus exhaurit, neque per alimenta quidquam corpori accedit. Sed excidi ita debet, ut plaga ad similitudinem myrtei folii fiat, quo facilius sanescat: idque perpetuum est, ubicumque medicus et quacumque de causa cutem excidit. Pure effuso, in alis vel inguinibus linamento opus non est; spongia ex vino imponenda est. In ceteris partibus, si aeque linamenta supervacua sunt, purgationis causa paulum mellis infundendum; dein glutinantia superdanda: si illa necessaria sunt, super ea quoque similiter dari spongia eodem modo ex vino expressa debet. Quando autem linamentis opus sit, quando non sit, alias dictum est. Cetera eadem, incisa suppuratione, facienda sunt, quae, ubi per medicamenta rupta est, facienda esse proposui.

Cap. III (*). Protinus autem quantum curatio efficiat, quantumque aut sperari aut timeri debeat, ex quibusdam signis intelligi potest, fereque iisdem, quae in vulneribus exposita sunt. Nam bona signa sunt somnum capere; facile spirare; siti non confici; cibum non fastidire, si febricula fuit, ea vacare: itemque habere pus album, laeve, non foedi odoris. Mala sunt vigilia, spiritus gravitas, sitis, cibi fastidium, febris, pus nigrum, aut foeculentum, et foedi odoris; item procedente curatione eruptio sanguinis; aut, si antequam sinus carne impleatur, orae carnosae fiunt, illa quoque ipsa carne hebete, nec firma. Deficere tamen animam, vel in ipsa curatione, vel postea pessimum omnium est. Quin etiam morbus ipse, sive subito solutus est, dein suppuratio exorta est; sive effuso pure permanet, non injuste terret, Estque inter causas timoris, si sensus in vulnere rodentium non est. Sed ut haec ipsa fortuna huc illucve discernit, sic medici partium est eniti ad reperiendam sanitatem. Ergo quoties ulcus resolverit, eluere id, si reprimendus humor videbitur, vino ex aqua pluviatili mixto, vel aqua, in qua lenticula cocta sit, debebit; si purgandum erit, mulso; rursusque imponere eadem. Ubi jam repressus videbitur humor, ulcusque purum erit, produci carnem conveniet, et foveri *vulnus* pari portione vini ac mellis, superque imponi spongiam ex vino et rosa tinctam. Per quae quum caro producatur, plus tamen, ut alias quoque dixi, victus ratio eo confert; id est, solutis jam febribus et cibi cupiditate reddita, balneum rarum; quotidiana, sed lenis gestatio; cibi potionesque corpori faciendo

(*) Cap. III. *De bonis, malisve signis suppurationum.*

aptae. Quae omnia, per medicamenta quoque suppuratione rupta, sequuntur: sed, quia magno malo vix sine ferro mederi licet, in hunc locum reservata sunt.

Cap. IV (*). 1. Adversus fistulas quoque, si altius penetrant, ut ad ultimas demitti collyrium non possit, si tortuosae sunt, si multiplices, majus in manu quam in medicamentis praesidium est: minusque operae est, si sub cute transversae feruntur, quam si rectae intus tendunt. Igitur, si sub cute transversa fistula est, demitti specillum debet, supraque id ea incidi. Si flexus reperiuntur, hi quoque simul specillo et ferro persequendi sunt: idemque faciendum, si plures se quasi ramuli ostendunt. Ubi ad fines fistulae ventum est, excidendus ex ea totus callus est, superque fibulae dandae, et medicamentum, quo glutinetur. At si recta subter tendit, ubi, quo maxime ferat, specillo exploratum est, excidi is sinus debet: dein fibula oris cutis injicienda est, et aeque glutinantia medicamenta superdanda sunt; aut, si corruptum ulcus est, (quod interdum osse vitiato fit), ubi id quoque curatum est, pus moventia.

2. Solent autem inter costas fistulae subter ire. Quod ubi incidit, eo loco costa ab utraque parte praecidenda et eximenda est, nequid intus corruptum relinquatur. Solent, ubi costas transierunt, septum id, quod transversum a superioribus visceribus intestina discernit, violare. Quod intelligi et ex loco, et ex magnitudine doloris potest; et quia nonnumquam spiritus ea cum humore quasi bullante prorumpit; maximeque, si hunc ore ille continuit. In eo medicinae locus nullus est. In ceteris vero, quae circa costas sanabilia sunt, pinguia medicamenta inimica sunt; ceteris, quae ad vulnera accomodantur, uti licet; optime tamen sicca linamenta, vel, si purgandum aliquid videtur, in melle tincta imponuntur.

3. Ventri nullum os subest; sed ibi perniciosae admodum fistulae fiunt; adeo ut Sostratus insanabiles esse crediderit. Id non ex toto ita se habere usus ostendit. Et quidem, quod maxime mirum videri potest, tutior fistula est contra jecur et lienem et ventriculum, quam contra intestina (a): non quo perniciosior ibi sit, sed quo alteri periculo locum faciat. Cujus experimento moti quidam auctores parum modum rei cognoverunt. Nam venter saepe etiam telo perforatur, prolapsaque intestina conduntur, et oras vulneris suturae comprehendunt: quod, quemadmodum fiat, mox indicabo. Itaque etiam ubi tenuis fistula abdomen perrupit, excidere eam licet, suturaque oras conjungere. Si vero ea fistula latius patuit, excisa necesse est latius foramen relinquat: quod nisi magna vi, utique ab interiore parte,


(*) Cap. IV. *De fistulis.*
(a, Lupac. corr. *non quod perniciosior res ibi sit sed quod.*

sui non potest (1), *qua quasi membrana quaedam finit abdomen, quam περιτόναιον Graeci vocant.* Ergo, ubi aliquis ingredi ac moveri coepit, rumpitur illa sutura, atque intestina evolvuntur: quo fit, ut pereundum homini sit. Sed non omni modo res ea desperationem habet: ideoque tenuioribus fistulis adhibenda curatio est.

4. Propriam etiamnum animadversionem desiderant eae, quae in ano sunt. In has demisso specillo, ad ultimum ejus caput incidi cutis debet: dein novo foramine specillum educi lino sequente, quod in aliam ejus partem, ob id ipsum perforatam, conjectum sit. Ibi linum prehendendum vinciendumque cum altero capite est, ut laxe cutem, quae super fistulam est, teneat: idque linum esse debet crudum, et duplex triplexve, sic tortum, ut unitas facta sit. Interim autem licet negotia agere, ambulare, lavari, cibum capere perinde atque sanissimo. Tantummodo id linum bis die, salvo nodo, ducendum est sic, ut subeat fistulam pars quae superior fuit. Neque committendum est, ut id linum putrescat: sed tertio quoque die nodus resolvendus est, et ad caput alterum recens linum alligandum, eductoque vetere, id in fistula cum simili nodo relinquendum. Sic enim id paulatim cutem, quae supra fistulam est, incidit: simulque et id sanescit, quod a lino relictum est; et id, quod ab eo mordetur, inciditur. Haec ratio curationis longa, sed sine dolore est. Qui festinant, adstringere cutem lino debent, quo celerius secent; noctuque (1) ex penicillo tenuia quaedam intus demittere, ut cutis hoc ipso extenuetur, quo extenditur. Sed haec dolorem movent. Adjicitur celeritati, sicut tormento quoque, si et linum, et id quod ex penicillo est, aliquo medicamento illinitur ex iis, quibus callum exedi posui. Potest tamen fieri, ut ad scalpelli (*a*) curationem etiam illo loco veniendum sit, si intus fistula fert, si multiplex est. Igitur in haec genera demisso

(1) Totum hoc ab aliquo enarratore additum videtur ex cap. 1. lib. 4. ubi tamen non *quasi membrana*, sed *laevis membrana* dicitur; et cap. 17. hujus lib. *interior abdominis membrana*

(1) Plinius lib. 24. cap. 11. sect. 51. *Cognata in Aegypto res est arundini papyrus, praecipuae utilitatis, cum inaruit, ad laxandas siccandasque fistulas, et intumescen-*



(a) Quinque scalpelli chirurgici, Pompejano et Hercolano exfossi, et a B. Vulpes illustrati, qui in R. Musaeo Neapolitano servantur. Vide *Farmacopea Celsiana* in II. Vol.

specillo, duabus lineis incidenda cutis est (2); ut media inter eas habenula tenuis admodum excidatur, ne protinus orae coeant; sitque locus aliquis linamentis, quae quam paucissima superinjicienda sunt: omniaque eodem modo facienda, quae in abscessibus posita sunt. Si vero ab uno ore plures sinus erunt, recta fistula scalpello erit incidenda: ab eo ceterae, quae jam patebunt, lino excipiendae. Si intus aliqua procedet, quo ferrum tuto pervenire non poterit, collyrium demittendum erit. Cibus autem in omnibus ejusmodi casibus, sive manu, sive medicamentis agitur, dari debet humidus; potio liberalis, diuque aqua. Ubi jam caro increscit, tum demum et balneis raris utendum erit, et cibis corpus implentibus.

Cap. V (*). 1. Tela quoque, quae illata corporibus intus haeserunt, magno negotio saepe ejiciuntur. Suntque quaedam difficultates ex generibus eorum; quaedam ex iis sedibus, in quas illa penetrarunt. Omne autem telum extrahitur, aut ab ea parte, qua venit, aut ab ea, in quam tetendit: illic viam, qua redeat, ipsum sibi fecit; hic a scalpello accipit. Nam contra mucronem caro inciditur. Sed si non alte telum insedit, et in summa carne est, aut certe magnas venas et loca nervosa non transiit; nihil melius est, quam, qua venit, id evellere. Si vero plus est per quod telo revertendum, quam quod perrumpendum est; jamque venas nervosque id transiit, commodius est aperire quod superest, eaque extrahere. Nam et propius petitur, et tutius evellitur: et in majore membro, si medium mucro transiit, facilius sanescit, quod pervium est; quia utrimque medicamento fovetur. Sed, si retro telum recipiendum est, amplianda scalpello plaga est; quo facilius id sequatur, quoque minor oriatur inflammatio: quae major fit, si ab illo ipso telo, dum redit, corpus laniatur. Item, si ex alia parte vulnus aperitur, laxius esse debet, quam ut telo postea transeunte amplietur. Summa autem utraque parte habenda cura est, ne nervus, ne vena major, ne arteria incidatur. Quorum ubi aliquid detectum est, excipiendum hamo retuso est, abducendumque a scalpello. Ubi autem satis incisum est, telum eximendum est: tunc quoque eodem modo, et eadem cura habita, ne sub eo, quod eximitur, aliquid eorum laedatur, quae tuenda esse proposui.

2. Haec communia sunt. Propria quaedam in singulis telorum generibus sunt, quae protinus subjiciam. Nihil tam facile in corpus

do ad introitum medicamentorum aperiendas. (2) Habenula dicitur ea cutis pars quae est inter duas has lineas. Sic cap. 7. sect. 8. hujus lib. *tenuis habenula ab ulteriore ora excidenda*; cap. 17. sect. 1. *tenuis excidenda habena est*; et cap. 18. *ab ora tamquam habenulam excidere*. Alibi medium vocatur. Cap. 17. sect. 1. hujus lib. *incidendae scalpello duae lineae sunt, ut, exciso medio, interior membrana utrimque recentem plagam habeat*; et cap. 24. *Si tumor modicus est, semel incidi; si major, duabus lineis debet, ut medium excidatur.*


(*) Cap. V. *De telis e corpore extrahendis.*

quam sagitta conditur, eademque altissime insidit. Haec autem eveniunt, et quia magna vi fertur illa, et quia ipsa in angusto est. Saepius itaque ab altera parte, quam ex qua venit, recipienda est; praecipueque, quia fere spiculis cingitur; quae magis laniant, si retro, quam si contra trahuntur. Sed inde aperta via, caro diduci debet ferramento facto (1) ad similitudinem graecae litterae Y (a): deinde, ubi apparuit mucro, si arundo inhaeret, propellenda est, donec ab altera parte apprehendi et extrahi possit: si jam illa decidit, solumque intus ferrum est, mucro vel digitis apprehendi, vel (2) forcipe, atque ita educi debet. Neque alia ratio extrahendi est, ubi ab ea parte, qua venit, evelli magis placuit. Nam, ampliato vulnere, aut arundo, si inest, evellenda est; aut, si ea non inest, ferrum ipsum. Quod si spicula apparuerunt, eaque brevia et tenuia sunt, forcipe ibi comminui debent, vacuumque ab his telum educi: si ea majora valentioraque sunt, fissis scriptoriis calamis contegenda, ac, ne quid lacerent, sic evellenda sunt. Et in sagittis quidem haec observatio est.

3. Latum vero telum, si conditum est, ab altera parte educi non expedit; ne ingenti vulneri ipsi quoque ingens vulnus adjiciamus. Evellendum est ergo genere quodam ferramenti (1), quod Διοκλεῖον κυαθίσκον Graeci vocant; quoniam auctorem Dioclem habet: quem inter priscos maximosque medicos fuisse jam posui. Lamina vel ferrea, vel etiam aenea, ab altero capite duos utrimque deorsum conversos uncos habet; ab altero duplicata lateribus, leviterque extrema in eam partem inclinata, quae sinuata est, insuper ibi etiam per-

(1) Figura graecae litterae in Codd. Mss. deest. Med. 1. habet ψ a manu Palavicini, eaque littera in antiquas Edd. recepta est. In Ed. Lindenii est v. Mihi *Y* aptior videtur. (2) Ita et hic, et alibi legitur in margine Ed. Constantinianae, et in Ed. Lindenii; atque ita ubique legendum esse Critici contendunt, non *forfice*, ut habent veteres libri. Vide Rhodii adnot. ad Scribonii Compos. 51.

(1) Videtur autem ita vocatum, quod concavum esset, et ad cyathi figuram accederet. In aliis Codd. legitur *quod Diocleum eraphiseon* etc. in Edd sex primis, *quod Diochis Graeci belulcum vocant*; in Caesariana, *quod Diocleum Graeci belulcum vocant*: in Manutianis, alisque, *quod Diocleum Graeci graphiscum vocant*; in Lindeniana, quod *Διοκλέους γραφίσκον* Graeci vocant.



(a) 1. Ferramentum factum ad similitudinem graecae litterae Y ex mea conjectura. 2. Forceps ad extrahendam sagittam ex Scultelo 3. Cyaliscus Dioclis secundum Des Etangs. Vide *Farmacopea Celsiana* in II. Volumine.


forata est. Haec juxta telum transversa demittitur: deinde, ubi ad imum mucronem ventum est, paulum torquetur, ut telum foramine suo excipiat: quum in cavo mucro est, duo digiti, subjecti partis alterius uncis, simul et ferramentum id extrahunt et telum.

4. Tertium genus telorum est, quod interdum evelli debet, plumbea glans, aut lapis, aut simile aliquid, quod, perrupta cute, integrum intus insedit. In omnibus his latius vulnus aperiendum, idque, quod inest, ea qua venit forcipe (*a*) extrahendum est. Accedit vero aliquid difficultatis sub omni ictu, si telum vel ossi inhaesit, vel in articulo se inter duo ossa demersit. In osse usque eo movendum est, donec laxetur is locus, qui mucronem momordit; et tunc vel manu vel forcipe telum extrahendum est: quae ratio in dentibus quoque ejiciendis est. Vix umquam ita telum non sequitur: sed, si morabitur, excuti quoque ictum aliquo ferramento poterit. Ultimum est, ubi non evellitur, terebra juxta forare, ab eoque foramine (1), ad speciem litterae V, contra telum os excidere sic, ut lineae, quae diducuntur, ad telum spectent: eo facto, id necesse est labet, et facile auferatur. Inter duo vero ossa si per ipsum articulum perruperit, circa vulnus duo membra fasciis habenisve deliganda, et per has in diversas partes diducenda sunt, ut nervos distendant: quibus extentis, laxius inter ossa spatium est, ut sine difficultate telum recipiatur. Illud videndum est, sicut in aliis locis posui, ne quis nervus, aut vena, aut arteria a telo laedatur, dum id extrahitur: eadem scilicet ratione, quae supra posita est.

5. At si venenato quoque telo quis ictus est, iisdem omnibus, si fieri potest, etiam festinantius actis, adjicienda curatio est, quae vel epoto veneno, vel a serpente ictis adhibetur. Vulneris autem ipsius, extracto telo, medicina non alia est, quam quae esset, si corpore icto nihil inhaesisset: de qua satis alio loco dictum est.

(1) Cod. Med. I. et Vat. VIII. habent *ad speciem litterae vel*. In exemplari, ut opinor, erat *V* idque indocti librarii pro *vel* acceperunt. In aliis Codd. litterae figura deest. Edd. antiquae habent ↓ ex Palavicino; Lindeniana ν. Cum Celsus non dixerit *graecae litterae*, mihi latina *V* aptissima videtur.

(*a*) Magna forceps Herculanensis in R. Musaeo Neapolitano condita, glandibus plumbeis, lapidibus et aliis peregrinis corporibus arripiendis, et e vulneribus extrahendis, idonea. Vid. *Farmacopea Celsiana* in II. Vol. ubi etiam loquitur de opinione *Ben. Vulpes*, et *Bern. Quarantae*.



Cap. VI (*). Haec evenire in qualibet parte corporis possunt: reliqua certas sedes habent. De quibus dicam, orsus a capite. In hoc multa variaque tubercula oriuntur; γάγγλια, μελικηρίδας, ἀθερώματα nominant; aliisque etiamnum vocabulis quaedam alii discernunt: quibus ego στεατώματα quoque adjiciam. Quae quamvis et in cervice, et in alis, et in lateribus oriri solent; per se tamen non posui; quum omnia ista mediocres differentias habeant, ac neque periculo terreant, neque diverso genere curentur. Omnia autem ista et ex parvulo incipiunt, et diu paulatimque increscunt, et tunica sua includuntur. Quaedam ex his dura ac renitentia, quaedam mollia cedentiaque sunt: quaedam spatio nudantur, quaedam tecta capillo suo permanent: fereque sine dolore sunt. Quid intus habeant, ut conjectura praesagiri potest, sic ex toto cognosci, nisi quum ejecta sunt, non potest. Maxime tamen in iis, quae renituntur, aut lapillis quaedam similia, aut concreti confertique pili reperiuntur: in iis vero, quae cedunt, aut melli simile aliquid, aut tenui pulticulae, aut quasi rasae cartilagini, aut carni hebeti et cruentae; quibus alii aliique colores esse consuerunt. Fereque ganglia renituntur: atheromati subest quasi tenuis pulticula: meliceridi liquidior humor; ideoque pressus circumfluit: steatomati pingue quiddam; idque latissime patere consuevit, resolvitque totam cutem superpositam sic, ut ea labet; quum in ceteris sit adstrictior. Omnia, derasa ante, si capillis conteguntur, per medium oportet incidere. Sed steatomatis tunica quoque secanda est, ut effundatur quidquid intus coiit; quia non facile a cute et subjecta carne ea separatur: in ceteris ipsa tunica inviolata servanda est. Protinus autem alba et intenta se ostendit. Tum scalpelli manubriolo (a) diducenda a cute et carne est, ejiciendaque cum eo, quod intus tenet. Si quando tamen ab inferiore parte tunicae musculus inhaesit, ne is laedatur, superior pars illius decidenda, alia inibi relinquenda est. Ubi tota excmta est, committendae orae, fibulaeque his injicienda, et super medicamentum glutinans dandum est. Ubi vel tota tunica, vel aliquid ex ea relictum est, pus moventia adhibenda sunt.

Cap. VII (**). 1. Sed ut haec neque genere vitii, neque ratione curationis inter se multum distant; sic in oculis, quae manum postulant, et ipsa diversa sunt, et aliter aliterque curantur. Igitur in superioribus palpebris vesicae nasci solent pingues gravesque, quae vix attollere oculos sinunt, levesque pituitae cursus, sed assiduos, in oculis movent. Fere vero in pueris nascuntur. Oportet, compresso digitis duobus oculo, atque ita cute intenta, scalpello transversam lineam incidere, suspensa leviter manu, ne vesica ipsa vulneretur: et, ut lo-

(*) Cap. VI. *De gangliis, de meliceride, et atheromate, et steatomate, capitis tuberculis.*

(**) Cap. VII. *De oculorum vitiis, quae scalpello et manu curantur.*

(a) Vide figuram 4, pag. 235.

cns ei patefactus est, ipsa prorumpat. Tum digitis eam apprehendere, et evellere. Facile autem sequitur. Dein superinungi collyrio debet ex iis aliquo, quo lippientes oculi snperinunguntur: paucissimisque diebus cicatricula inducitur. Molestius est nbi incisa vesica est: effundit enim humorem; neque postea, quia tenuis admodum est, potest colligi. Si forte id incidit, eorum aliquid imponendum est, quae puri movendo sunt.

2. In eadem palpebra supra pilorum locum tuberculum parvulum nascitur, quod a similitudine hordei, a Graecis κριθὴ nominatur. Tunica quiddam, quod difficulter maturescit, comprehensum est. Id vel calido pane, vel cera subinde calefacta foveri oportet sic, ne nimius is calor sit, sed facile ea parte sustineatur: hac enim ratione saepe discutitur, interdum concoquitur. Si pus se ostendit, scalpello dividi debet, et, quidquid intus hnmoris est, exprimi: eodem deinde vapore postea quoque foveri et superinungi, donec ad sanitatem perveniat.

3. Alia quoque quaedam in palpebris huic non dissimilia nascuntur; sed neque utique figurae ejusdem et mobilia, simul atque digito vel hnc vel illuc impelluntur: ideoque ea χαλάζια Graeci vocant. Haec incidi debent, si sub cute sunt, ab exteriore parte; si snb cartilagine, ab interiore: dein scalpelli mannbriolo (a) diducenda ab integris partibus sunt. Ac, si intus plaga est, inungendum primo lenibus, deinde acrioribns: si extra, superdandum emplastrum, quo id glutinetur.

4. Unguis vero, quod πτερύγιον Graeci vocant, est membrannla nervosa oriens ab angulo, quae nonnumquam ad pnpillam qnoque pervenit, eique officit. Saepius a narium, interdum etiam a temporum parte nascitnr. Hunc recentem non difficile est discutere medicamentis, quibus cicatrices in ocnlis extenuantur: si inveteravit, jamque ei crassitndo quoqne accessit, excidi debet. Post abstinentiam vero unius diei, vel adversns in sedili contra medicum is homo collocandus est, vel sic aversus, nt in gremium ejns caput resupinns effundat. Quidam, si in sinistro ocnlo vitium est, adversum: si in dextro, resupinum collocari volunt. Alteram autem palpebram a ministro diduci oportet, alteram a medico: sed ab hoc, si ille adversus est, inferiorem; si supinus, snperiorem. Tnm idem medicus hamulum acutum (b), paulum mucrone intus recurvato, subjicere extremo ungui debet, eumque infigere; atque eam quoque palpebram tradere alteri: ipse, hamulo apprehenso, levare unguem, eumque acu trajicere linum trahente: deinde acum ponere, lini duo capita apprehendere, et per ea erecto ungue, si qua parte oculo inhaeret, manubriolo scalpelli diducere, donec ad angulum veniat: deinde invicem mo-

(a) Vide figuram 4. pag. 235.
(b) Vide figuram hamuli pag 235 fig. 2.

do remittere, modo attrahere, ut sic et initium ejus, et finis anguli reperiatur. Duplex enim periculum est; ne vel ex ungue aliquid relinquatur, quod exulceratum vix ullam recipiat curationem; vel ex angulo caruncula quoque abscindatur, quae, si vehementius unguis ducitur, sequitur; ideoque decipit. Abscissa, patefit foramen, per quod postea semper humor descendit: ῥοάδα Graeci vocant. Verus ergo anguli finis utique noscendus est, qui ubi satis constitit, non nimium adducto ungue, scalpellus adhibendus est; deinde sic excidenda ea membranula, ne quid ex angulo laedatur. Eo deinde ex melle linamentum superdandum est, supraque linteolum, et aut spongia aut lana succida: proximisque diebus diducendus quotidie oculus est, ne cicatrice inter se palpebrae glutinentur; siquidem id quoque tertium periculum accedit: eodemque modo linamentum imponendum, ac novissime inungendum collyrio, quo ulcera ad cicatricem perducantur. Sed ea curatio vere esse debet, aut certe ante hiemem: de qua re ad plura loca pertinente, semel dixisse satis erit. Nam duo genera curationum sunt: alia in quibus eligere tempus non licet, sed utendum est eo, quod incidit; sicut in vulneribus *et fistulis*: alia, in quibus nullus dies urget, et expectare tutissimum et facile est; sicut evenit in iis, quae et tarde increscunt, et dolore non cruciant. In his ver expectandum est: aut, si quid magis pressit, melior tamen autumnus est quam aestas, vel hiems; atque is ipse medius, jam fractis aestibus, nondum ortis frigoribus. Quo magis autem necessaria pars erit quae tractabitur, hoc quoque majori periculo subjecta est: et saepe, quo major plaga facienda, eo magis haec temporis ratio servabitur.

5. Ex curatione vero unguis, ut dixi, vitia nascuntur, quae ipsa aliis quoque de causis oriri solent. Interdum enim fit in angulo, parum ungue exciso, vel aliter, tuberculum, quod palpebras parum diduci patitur: ἐγκανθὶς graece nominatur. Excipi hamulo, et circumcidi debet; hic quoque diligenter temperata manu, ne quid ex ipso angulo abscindatur. Tum exiguum linamentum respergendum est vel cadmia, vel atramento sutorio; inque eum angulum, diductis palpebris, inserendum, supraque eodem modo deligandum: proximisque diebus similiter nutriendum; tantum ut primis aqua egelida, vel etiam frigida foveatur.

6. Interdum inter se palpebrae coalescunt, aperirique non potest oculus. Cui malo solet etiam illud accedere, ut palpebra cum albo oculi cohaerescat; scilicet quum in utroque fuit ulcus negligenter curatum. Sanescendo enim, quod diduci potuit et debuit, glutinavit (1). Ἀγκυλοβλεφάρους sub utroque vitio Graeci vocant. Palpebrae tantum inter se cohaerentes non difficulter diducuntur; sed interdum frustra: nam rursus glutinantur. Experiri tamen oportet; quia bene res

(1) Videlicet et eos in quibus palpebrae inter se coalescunt, et eos in quibus palpebra cum albo oculi cohaesit. Sic autem reposui ex Codd. Mss.

saepius cedit. Igitur (2) aversum specillum (*a*) inserendum, diducendaeque eo palpebrae sunt: deinde exigua penicilla interponenda, donec exulceratio ejus loci finiatur. At ubi albo ipsius oculi palpebra inhaesit, Heraclides Tarentinus auctor est, adverso scalpello subsecare, magna cum moderatione, ut neque ex oculo, neque ex palpebra quidquam abscindatur; ac, si necesse est, ex palpebra potius. Post haec inungatur oculus medicamentis, quibus aspritudo curatur: quotidieque palpebra vertatur, non solum ut ulceri medicamentum inducatur, sed etiam ne rursus inhaereat: ipsique etiam praecipiatur, ut saepe eam duobus digitis attollat. Ego sic restitutum esse neminem memini. Meges se quoque multa tentasse, neque umquam profuisse, quia semper iterum oculo palpebra inhaeserit, memoriae prodidit.

7. Etiamnum in angulo qui naribus propior est, ex aliquo vitio quasi parva fistula aperitur, per quam pituita assiduè destillat: αἰγίλωπα Graeci vocant. Idque assidue male habet oculum: nonnumquam etiam, exeso osse, usque ad nares penetrat. Atque interdum naturam carcinomatis habet; ubi intentae venae et recurvatae sunt, color pallet, cutis dura est, et levi tactu irritatur, inflammationemque in eas partes, quae conjunctae sunt, evocat. Ex his eos, qui quasi carcinoma habent, curare periculosum est: nam mortem quoque ea res maturat. Eos vero, quibus ad nares tendit, supervacuum: neque enim sanescunt. At, quibus id in angulo est, potest adhiberi curatio; cum eo, ne ignotum sit esse difficilem: quantoque angulo propius id foramen est, tanto difficilior est; quoniam perangustum est, in quo versari manus possit. Recenti tamen re mederi facilius est. Ergo hamulo (*b*) summum ejus foraminis excipiendum; deinde totum id cavum, sicut in fistulis dixi, usque ad os excidendum; oculoque et ceteris junctis partibus bene obtectis, os ferramento adurendum est; vehementiusque, si jam carie vexatum est, quo crassior squama absce-

(2) Vide Fabricium ab Aquapendente de Chirurg. Operat. cap. de Ancyloblepharo.




(*a*) 1. Specillum ab una parte capitulatum ab altera tennis, ex specillis Pompejanis a B. Vulpes descriptis. 2. Alterum Specillum a Daremberg ex Musaeo Parisiensi depictum, ab una parte capitulatum (πυρῆν), ab altera formam cochlearis oblongi exhibens (κυαθίσκον), qua parte *specillum aversum* dicebatur. 3. Theca chirurgica a B. Vulpes depicta ex multis in R. Musaeo Neapolitano servatis. Vide *Farmacopea Celsiana* in II. Vol.

(*b*) Vide figuram hamuli 2. 3. pag. seq.

dat. Quidam adurentia imponunt, ut atramentum sutorium, vel chalcitidem, vel aeruginem rasam: quod et tardius et non idem facit. Osse adusto, curatio sequitur eadem, quae in ceteris ustis.

8. Pili vero, qui in palpebris sunt, duabus de causis oculum irritare consuerunt. Nam modo palpebrae superioris summa cutis relaxatur, et procidit; quo fit, ut ejus pili ad ipsum oculum convertantur, quia non simul cartilago quoque se remisit: modo sub ordine naturali pilorum alius ordo subcrescit, qui protinus intus ad oculum tendit. Curationes hae sunt. Si pili nati sunt, qui non debuerunt, tenuis acus ferrea ad similitudinem spathae lata (a), in ignem conjicienda est: deinde candens, sublata palpebra sic, ut ejus perniciosi pili in conspectum curantis veniant, sub ipsis pilorum radicibus ab angulo immittenda est, ut ea tertiam partem palpebrae transuat; deinde iterum, tertioque usque ad alterum angulum: quo fit, ut omnes pilorum radices adustae emoriantur. Tum superimponendum medicamentum est, quod inflammationem prohibeat: atque ubi crustae exciderunt, ad cicatricem perducendum. Facillime autem id genus sanescit. Quidam ajunt acu transui juxta pilos exteriorem partem palpebrae oportere, eamque transmitti duplicem capillum muliebrem ducentem; atque ubi acus transiit, in ipsius capilli sinum, qua duplicatur, pilum esse conjiciendum, et per eum in superiorem palpebrae partem attrahendum, ibique corpori agglutinandum, et imponendum medicamentum, quo foramen glutinetur: sic enim fore, ut is pilus in exteriorem partem postea spectet. Id primum fieri non potest, nisi in pilo longiore; quum fere breves eo loco nascantur. Deinde, si plures pili sunt, necesse est longum tormentum, toties (b) acu trajecta, magnam inflammationem moveat. Novissime quum humor aliquis ibi subsit, oculo et ante per pilos et tum per palpebrae foramina affecto, vix fieri potest, ut gluten, quo vinctus est pilus, non resolvatur: eoque fit, ut is eo, unde vi abductus est, redeat. Ea vero curatio quae palpebrae laxioris ab omnibus frequentatur, nihil habet dubii. Siquidem oportet contecto oculo mediam palpebrae cu-



(a) 1. Specillum Pompejanum, de quo infra. 2. 3. Hamuli etiam Pompejani acuti. 4. Uncus ex Ambr. Paraeo, cujus explicatio etiam infra exhibetur. 5. Acus tenuis. 6. Acus ad similitudinem spathae lata. Vide *Farmacopea Celsiana* in II Vol.

(b) Lupac. corr. *acus trajecta*.

tem, sive ea superior, sive inferior est, apprehendere digitis, ac sic levare: tum considerare quantulo detracto futurum sit, ut naturaliter se habeat. Siquidem hic quoque duo pericula circumstant: si nimium fuerit excisum, ne contegi oculus non possit; si parum, ne nihil actum sit, et frustra sectus aliquis sit. Qua deinde incidendum videbitur, per duas lineas atramento notandum est sic, ut inter oram, quae pilos continet, et propiorem ei lineam, aliquid relinquatur, quod apprehendere acus postea possit. His constitutis, scalpellus adhibendus est: et si superior palpebra est, ante; si inferior, postea propius ipsis pilis incidendum: initiumque faciendum in sinistro oculo, ab eo angulo, qui tempori; in dextro, ab eo qui naribus propior est: idque, quod inter duas lineas est, excidendum. Deinde orae vulneris inter se simplici sutura committendae, operiendusque oculus est. Si parum palpebra descendet, laxanda sutura; si nimium, aut adstringenda, aut etiam rursus tenuis habenula ab ulteriore ora excidenda: ubi secta est, aliae suturae adjiciendae, quae supra tres esse non debent. Praeter haec in superiore palpebra sub pilis ipsis incidenda linea est, ut ab inferiore parte diducti pili sursum spectent: idque, si levis inclinatio est, etiam solum satis tuetur. Inferior palpebra eo non eget. His factis, spongia ex aqua frigida expressa superdeliganda est: postero die glutinans emplastrum injiciendum: quarto suturae tollendae, et collyrio, quod inflammationes reprimat, superinungendum.

9. Nonnumquam autem, nimium sub hac curatione excisa cute, evenit, ut oculus non contegatur: idque interdum etiam alia de causa fit. Λαγωφθάλμους Graeci appellant. In quo si nimium palpebrae deest, nulla id restituere curatio potest: si exiguum, mederi licet. Paulum infra supercilium cutis incidenda est lunata figura, cornibus ejus deorsum spectantibus. Altitudo esse plagae usque ad cartilaginem debet, ipsa illa nihil laesa: nam, si ea incisa est, palpebra concidit, neque attolli postea potest. Cute igitur tantum diducta fit, ut paulum ima ora descendat; hiante scilicet super plaga; in quam linamentum conjiciendum est, quod et conjungi diductam cutem prohibeat, et in medio caruunculam citet: quae ubi eum locum implevit, postea recte oculus operitur.

10. Ut superioris autem palpebrae vitium est, quo parum descendit, ideoque oculum non contegit; sic inferioris, quo parum sursum attollitur, sed pendet et hiat, neque potest cum superiore committi. Atque id quoque evenit interdum ex simili vitio curationis, interdum etiam senectute. Ἐκτρόπιον Graeci vocant. Si ex mala curatione est, eadem ratio medicinae est, quae supra posita est: plagae tantum cornua ad maxillas, non ad oculum convertenda sunt. Si ex senectute est, tenui ferramento id totum extrinsecus adurendum est, deinde melle inungendum: a quarto die vapore aquae calidae fovendum, inungendumque medicamentis ad cicatricem perducentibus.

11. Haec fere circa oculnm in angulis palpebrisque incidere consuerunt. In ipso autem oculo nonnumquam summa attollitur tunica, sive ruptis intus membranis aliquibus, sive laxatis; et similis figura acino fit: unde id σταφύλωμα Graeci vocant. Curatio duplex est: altera, ad ipsas radices per medium transuere acu duo lina ducente; deinde alterius lini duo capita ex superiore parte, alterius ex inferiore adstringere inter se; quae paulatim secando id excidunt: altera in snmma parte ejus ad lenticulae magnitudinem excidere: deinde spodinm aut cadmiam infriare. Utrolibet autem facto, album ovi lana excipiendum et imponendum; posteaque vapore aquae calidae fovendns oculus, et lenibus medicamentis inungendus est.

12. Clavi autem vocantur callosa in albo oculi tubercula; quibus nomen a figurae similitudine est. Hos ad imam radicem perforare acu commodissimum est, infraque eam excidere, deinde lenibus medicamentis inungere.


13. Suffusionis jam alias feci mentionem; quia, quum recens incidit, medicamentis quoque saepe discutitur: sed, ubi vetustior facta est, manus curationem desiderat: quae inter subtilissimas haberi potest. De qua antequam dico, paucis ipsius oculi natura indicanda est: cujus cognitio, quum ad plura loca pertineat, tum vel praecipue ad hunc pertinet. Is igitur summas habet duas tunicas: ex quibus superior a Graecis κερατοειδής vocatur. Ea, qua parte alba est, satis crassa, pupillae loco extenuatur. Huic interior adjuncta est, media parte, qua pnpilla est, modico foramine concava; circa tenuis, ulterioribus partibus ipsa quoqne plenior: quae χοριοειδής a Graecis nominatur. Hae duae tunicae, quum interiora oculi cingant, rursus sub his coeunt; extennataeque et in unum coactae per foramen, quod inter ossa est, ad membranam cerebri perveniunt, eiqne inhaerescunt. Sub his autem, qua parte pnpilla est, locus vacuus est: deinde infra rursus tenuissima tnnica, qnam Herophilns ἀραχνοειδῆ nominavit. Ea media subsidit; eoque cavo continet quiddam, quod a vitri similitudine ὑαλοειδὲς Graeci vocant. Id neqne liquidnm, neque aridum est, sed quasi concretus humor: ex cujus colore pnpillae color vel niger est, vel caesius, quum snmma tunica tota alba sit. Id autem superveniens ab interiore parte membranula includit. Sub his gutta humoris est: ovi albo similis; a qua videndi facultas proficiscitur: κρυσταλλοειδής a Graecis nominatur.

14. Igitur vel ex morbo, vel ex ictu concrescit humor sub dnabus tunicis, qua locum vacuum esse proposni; isque paulatim indurescens, interiori potentiae se opponit. Vitiique ejus plures species sunt; quaedam sanabiles, quaedam quae curationem non admittunt. Nam si exigua suffusio est, si immobilis, colorem vero habet marinae aquae, vel ferri nitentis, et a latere sensnm aliquem fulgoris relinquit, spes superest. Si magna est, si nigra pars oculi, amis-

sa naturali figura, in aliam vertitur (1), si suffusioni color caeruleus est, aut auro similis, si labat, et hac atque illac movetur, vix umquam succurritur. Fere vero pejor est, quo ex graviore morbo majoribusve capitis doloribus, vel ictu vehementiore orta est. Neque idonea curationi senilis aetas est, quae sine novo vitio, tamen aciem hebetem habet: ac ne puerilis quidem; sed inter has media. Oculus quoque curationi neque exiguus, neque concavus, satis opportunus est. Atque ipsius suffusionis quaedam maturitas est. Exspectandum igitur est, donec jam non fluere, sed duritie quadam concrevisse videatur. Ante curationem autem modico cibo uti, bibere aquam triduo debet; pridie ab omnibus abstinere. Post haec in adverso sedili collocandus est loco lucido, lumine adverso sic, ut contra medicus paulo altius sedeat: a posteriore autem parte caput ejus, *qui curabitur*, minister contineat, ut immobile id praestet: nam levi motu eripi acies in perpetuum potest. Quin etiam ipse oculus *qui curabitur*, immobilior faciendus est, super alterum lana imposita et deligata. Curari vero sinister oculus dextra manu, dexter sinistra debet (2). Tum acus admovenda est acuta (*a*), sed non nimium tenuis, eaque recta demittenda est per summas duas tunicas medio loco inter oculi nigrum et angulum tempori propiorem, e regione mediae suffusionis sic, ne qua vena laedatur. Neque tamen timide demittenda est, quia inani loco excipitur. Ad quem quum ventum est, ne mediocriter qui-

(1) Mercurialis *cereus* pro *caeruleus* legendum putat. Sed Morgagnus nihil mutandum censet. Vide epist anat. 17. sect. 33. (2) Ita emendavi locum hunc in libris omnibus aliter aliterque corruptum. Cod. Med. et Vat. VIII. habent *Tum acus admovenda est sicut aut foret, non nimium tenuis, eaque demittenda sed recta est*; alii Codd. *Tum acus admovenda est aut acuta, aut forte nimium* (Med IV. ab alia manu, *non nimium*) *tenuis*; *eaque demittenda, sed recta est*. In margine Ed. Constantinianae, et in Ed Lindenii legitur *Tum acus admovenda est, aut acuta, aut certe non nimium tenuis, eaque demittenda, sed recta est*; Hanc lectionem cum minus probaret Morgagnus a me quaesivit quae sit Cod. Med. 1. scriptura; eaque perspecta, censuit particulam *sicut*, et sequentem littera *a* mendose scriptas esse pro *acuta*; voces autem *ut foret* glossema esse: idemque mihi assensus est, cum dixissem, mihi videri particulam *sed* transferendam esse, et legendum *Tum acus admovenda est acuta, sed non nimium tenuis*.

(*a*) Acus acuta sed non nimium tenuis ad deprimendam suffusionem ex Amb. Paraeo. 2. « *Scalpellus falcatus*, ex una tantum parte incidens, cujus mucroni affixus est globulus. Hoc scalpello utitur Eraclides Tarentinus et Celsus pro separatione palpebrarum, quae coiverunt cum tunica oculi ». (*Scultetus Tom. I. pag.* 13). 3. « Hamulus acutus et mucrone paululum intus recurvatus, qui tam ad palpebram attollendam, quam oculorum unguem levandum, maxime est idoneus ». (*Scultetus Ibid*). 4. Scalpellus acutus et anceps (ex Sculteto) ad excisionem aegylopis paratus. Habet etiam manubriolum osseom. quo unguis ab oculo, et tumores tunicati a partibus, quo inhaerent, separari possunt Vide *Farmacopea Celsiana* in II. Vol.



dem peritus falli potest; quia prementi nihil renititur. Ubi eo ventum est, inclinanda acus ad ipsam suffusionem est, leniterque ibi verti, et paulatim eam deducere infra regionem pupillae debet; ubi deinde eam transiit, vehementius imprimi, ut inferiori parti insidat. Si haesit, curatio expleta est: si subinde redit, eadem acu concidenda, et in plures partes dissipanda est; quae singulae et facilius conduntur, et minus late officiunt. Postea educenda recta acus est, imponendumque lana molli exceptum ovi album, et supra quod inflammationem coerceat, atque ita devinciendum. Post haec opus est quiete, abstinentia, lenium medicamentorum inunctionibus, cibo, (qui postero die satis mature datur), primum liquido, ne maxillae laborent; deinde, inflammatione finita, tali, qualis in vulneribus propositus est. Quibus ut aqua quoque diutius bibatur necessario accedit.

15. De pituitae quoque tenuis cursu, qui oculos infestat, quatenus medicamentis agendum est, jam explicui. Nunc ad ea veniam, quae curationem manus postulant. Animadvertimus autem quibusdam numquam siccescere oculos, sed semper humore tenui madere: quae res aspritudinem continuat, ex levibus momentis inflammationes et lippitudines excitat, totam denique vitam hominis infestat. Idque in quibusdam nulla ope adjuvari potest, in quibusdam sanabile est. Quod primum discrimen nosse oportet, ut alteris succurratur, alteris manus non injiciatur. Ac primum supervacua curatio est in iis, qui ab infantibus id vitium habent; quia necessario mansurum est usque mortis diem. Deinde non necessaria etiam in iis, quibus non multa, sed acris pituita est: siquidem manu nihil adjuvantur; medicamentis, et victus ratione, quae crassiorem pituitam reddit, ad sanitatem perveniunt. Lata etiam capita vix medicinae patent. Tum interest, venae pituitam emittant, quae inter calvariam et cutem sunt, an quae inter membranam cerebri et calvariam. Superiores fere per tempora oculos rigant; inferiores per eas membranas, quae ab oculis ad cerebrum tendunt. Potest autem adhiberi remedium iis, quae supra os fluunt; non potest iis, quae (1) sub osse. Ac ne iis quidem succurritur, quibus pituita utrimque descendit: quia levata altera parte, nihilominus altera infestat. Quid sit autem, hac ratione cognoscitur. Raso capite ea medicamenta, quibus in lippitudine pituita suspenditur, a superciliis usque ad verticem illini debent: si sicci oculi esse coeperunt, apparet per eas venas, quae sub cute sunt, irrigari: si nihilo minus madent, manifestum est sub osse descendere: si est humor, sed levior, duplex vitium est. Plurimi tamen ex laborantibus reperiuntur, quos superiores venae exerceant; ideoque pluribus etiam opitulari licet. Idque non in Graecia tantummodo, sed in aliis quo-

(1) Sic paulo infra, *manifestum est*. pituitam *sub osse descendere*; id est per eas venas quae sunt inter membranam cerebri, et calvariam; ut explicat Morgagnus.

que gentibus celebre est : adeo ut nulla medicinae pars magis per nationes quasque exposita sit. Reperti in Graecia sunt, qui novem lineis cutem capitis inciderent: duabus in occipitio rectis, una super eas transversa: dein duabus super aures, una inter eas item transversa : tribus inter verticem et frontem rectis. Reperti sunt, qui a vertice rectas lineas ad tempora deducerent ; cognitisque ex motu maxillarum musculorum initiis, leviter super eos cutem inciderent, diductisque per retusos hamos oris, insererent linamenta, ut neque inter se cutis antiqui fines committerentur , et in medio caro incresceret, quae venas, ex quibus humor ad oculos transiret, adstringeret. Quidam etiam atramento duas lineas duxerunt a media aure ad mediam alteram aurem, deinde a paribus ad verticem : tum ubi lineae committebantur , scalpello inciderunt ; et post, sanguine effuso, os ibidem adusserunt. Nihilo minus autem et in temporibus, et inter frontem atque verticem eminentibus venis idem candens ferrum admoverunt. Frequens curatio est, venas in temporibus adurere : quae fere quidem in ejusmodi malo tument ; sed tamen , ut inflentur magisque se ostendant, cervix ante modice deliganda est : tenuibusque ferramentis , et retusis venae adurendae; donec in oculis pituitae cursus conquiescat. Id enim signum est quasi excaecatorum itinerum, per quae humor ferebatur. Valentior tamen medicina est, ubi tenues conditaeque venae sunt , ideoque legi non possunt , eodem modo cervice deligata, retentoque ab ipso spiritu, quo magis venae prodeant, atramento notare eas contra tempora , et inter verticem ac frontem : deinde cervice resoluta , qua notae sunt , venas incidere, et sanguinem mittere: ubi satis fluxit, tenuibus ferramentis adurere: contra tempora quidem timide, ne subjecti musculi, qui maxillas tenent, sentiant: inter frontem vero et verticem vehementer , ut squama ab osse secedat. Efficacior tamen etiamnum est Afrorum curatio , qui verticem usque ad os adurunt sic , ut squamam remittat. Sed nihil melius est , quam quod in Gallia quoque Comata fit , ubi venas in temporibus et in superiore capitis parte legunt. Adusta quo modo curanda sint, jam explicui. Nunc illud adjicio; neque ut crustae decidant , neque ut ulcus impleatur, adustis venis, esse properandum; ne vel sanguis erumpat, vel cito pus supprimatur : quum per hoc siccescere eas partes opus sit ; per illud exhauriri opus non sit. Si quando tamen sanguis eruperit , infrianda medicamenta esse, quae sic sanguinem supprimant , ne adurant. Quemadmodum autem venae legendae sint, quidque lectis his faciendum sit, quum venero ad crurum varices, dicam.

Cap. VIII (*). Verum ut oculi multiplicem curationem, etiam manus exigunt; sic in auribus admodum pauca sunt, quae in hac me-

(*) Cap. VIII. *De aurium morbis, qui manu et scalpello curantur.*

dicinae parte tractentur. Solet tamen evenire vel (1) a primo natali die protinus, vel postea facta exulceratione, deinde per cicatricem aure repleta, ut foramen in ea nullum sit, ideoque audiendi usu careat. Quod ubi incidit, specillo tentandum est, alte ne id repletum, an in summo tantum glutinatum sit. Nam si alte est, prementi non cedit: si in summo, specillum protinus recipit. Illud attingi non oportet, ne sine effectus spe distentio oriatur nervorum, et ex ea mortis periculum sit: hoc facile curatur. Nam qua cavum esse debet, vel medicamentum aliquod imponendum est ex adurentibus, vel candente ferro aperiendum, vel etiam scalpello incidendum. Quumque id patefactum, et jam ulcus purum est, conjicienda eo pinna est, illita medicamento cicatricem inducente; circaque idem medicamentum dandum, ut cutis circa pinnam sanescat: quo fit, ut ea remota, postea facultas audiendi sit (2). At ubi aures, in viro puta, perforatae sunt, et offendunt, trajicere id cavum celeriter candente acu satis est, ut leviter ejus orae exulcerentur; aut etiam adurente medicamento idem exulcerare: postea deinde imponere id quod purget; tum quod eum locum repleat, et sic cicatricem inducat. Quod si magnum id foramen est, sicut solet esse in iis, qui majora pondera auribus gesserunt, incidere quod superest ad extremum oportet: supra deinde oras scalpello exulcerare, et postea suere, ac medicamentum, quo id glutinetur, imponere. Tertium est, si quid ibi curti est, sarcire: quae quum in labris quoque et naribus fieri possit, eamdem etiam curationem habeat, simul explicanda est.

Cap. IX (*). Curta igitur in his tribus, si qua parva sunt, curari possunt: si qua majora sunt, aut non recipiunt curationem, aut ita per hanc ipsam deformantur, ut minus indecora ante fuerint. Atque in aure quidem et naribus deformitas sola timeri potest: in labris vero, si nimium contracta sunt, usus quoque necessario jactura fit, quia minus facile et cibus assumitur, et sermo explicatur. Neque enim creatur ibi corpus, sed ex vicino adducitur: quod (1) in levi mu-

(1) Sic cap. 12. sect. 4. hujus lib. *Lingua vero quibusdam cum subjecta carne a primo natali die juncta est.* Cicero quoque *natali die tuo* dixit in epist. 9. ad Attic. lib. 4. (2) Quia alienigenam ostendunt. Plinius lib. 11. cap. 37. sect. 50. ubi de auribus loquitur: *In Oriente quidem et viris aurum gestare eo loci, decus existimatur.* Hinc illud Juvenalis Satira I.

Natus ad Euphratem, molles quod in aure fenestrae
Arguerint, licet ipse negem.

Porro *in viro* Celsus dicit: nam mulieres etiam Romae in auribus se ornabant. Perperam Lindenius omittit tres voces *in viro, puta.*


(1) Ita libri antiqui. Lindenius legit *in levi mutilatione*, ut habet in margine Ed. Constantini. « *Per hunc unum Celsi locum* (ita Facciolatus) *vox mutilatio inter lati-*

(*) Cap. IX. *Curta in auribus, labrisque, ac naribus, quomodo sarciri, et curari possint.*


tatione et nihil eripere, et fallere oculum potest; in magna non potest. Neque senile autem corpus, neque quod mali habitus est, neque in quo difficulter ulcera sanescunt, huic medicinae idoneum est; quia nusquam celerius cancer occupat, et difficilius tollitur. Ratio curationis ejusmodi est: id quod curtum est in quadratum (*a*) redigere; ab interioribus ejus angulis lineas transversas incidere, quae citeriorem partem ab ulteriore ex toto diducant; deinde ea, quae sic resolvimus, in nnum adducere. Si non satis junguntur, ultra lineas, quas ante fecimus, alias duas lnnatas, et ad plagam conversas immittere, quibus summa tantum cntis diducatur: sic enim fit, ut facilius quod adducitur, sequi possit. Quod non vi cogendum est; sed ita adducendum, ut ex facili subsequatur, et dimissum non multum recedat. Interdum tamen ab altera parte cutis hand omnino adducta deformem, qnem reliquit, locum reddit. Hujusmodi loci altera pars incidenda, altera intacta habenda est. Ergo neque ex imis auribus, neque ex medio naso imisve narium partibus, neque ex angulis labrorum quidquam attrahere tentabimus. Utrimque autem petemus, si quid summis auribus, si quid imis, si quid ant medio naso, ant mediis (*b*) naribus, ant mediis labris deerit. Quae tamen interdum etiam duobus locis curta esse consuerunt: sed eadem ratio curandi est. Si cartilago in eo, quod incisum est, eminet, excidenda est: neque enim aut glutinatur, ant acu tuto trajicitur. Neque longe tamen excidi debet, ne inter duas oras liberae cutis utrimque coitus puris fieri possit. Tum junctae orae inter se suendae sunt, utrimque cute apprehensa; et qua priores lineae sunt, ea quoque snturae injiciendae sunt. Siccis locis, uti naribus, illita spuma argenti, satis proficit. In ulteriores vero lunatasque plagas linamentum dandum est, nt caro increscens vulnus impleat. Summaque cura, quod ita sutum est, tuendum esse, apparere ex eo potest qnod

nas obrepsit, et in Juncheri Fabrique Thesauro sine ulla controversia sedem posuit. At mihi dubia erit, donec certiore auctoritate firmetur. Hic enim quinque Editiones meae habent: in levi mutatione ». Vide Epist 3. Morgagni. Et tamen in Tolius Latinitatis Lexico *mutilatio* sedem lenet; quod miror: multoque magis mirabor, si post ea quae ego in prima mea Celsi Editione adnotavi in altera quoque illius Lexici Editione locum tenebit.

(*a*) Lupac. corr. *dirigere*.
(*b*) Eduard. Zeis hanc figuram dabat processus Celsi labro inferiori accomodati



Sed Daremberg eam figuram hoc modo correxit



De hac re fuse in *Farmacopea Celsiana* II. Vol.

de cancro supra posui. Ergo etiam tertio quoque die fovendum erit vapore aquae calidae; rursusque idem medicamentum injiciendum: fereque septimo die glutinatum est. Tum suturae eximi, et ulcus ad sanitatem perdnci debet.

Cap. X (*). Polypum vero, qui in naribus nascitur, ferro praecipue curari jam alias posui. Ergo hunc ferramento acuto, in modum spathae facto, resolvere ab osse oportet: adhibita diligentia, ne infra cartilago laedatur; in qua difficilis curatio est. Ubi abscissus est, unco ferramento extrahendus est. Tum implicitum linamentum, vel aliquid ex penicillo respergendum est medicamento, quo sanguis supprimitur, eoque naris leviter implenda. Sanguine suppresso, linamento vulnus purgandum est. Ubi purum est, eo pinna, eodem modo, quo in aure supra positum est, medicamento illita, quo cicatrix inducitur, intus demittenda, donec ex toto id sanescat.

Cap. XI. (**). Id autem vitium, quod ὄζαινα a Graecis vocatur, si medicamentis non cederet, quemadmodum manu curandum esset, apud magnos chirurgos non reperi: credo, quia res raro ad sanitatem satis proficit, quum aliquod in ipsa curatione tormentnm habeat. Apud quosdam tamen positum est, vel fictilem fistulam, vel enodem scriptorium calamum in narem esse conjiciendum, donec sursum ad os perveniat: tum per id tenue ferramentnm candens dandum esse ad ipsum os: deinde adustnm locnm purgandnm esse aerugine et melle: ubi purus est, lycio ad sanitatem perducendum. Vel narem incidendam esse ab ima parte ad os, ut et conspici locus possit, et facilius candens ferramentum admoveri. Tum sui narem debere; et adustum quidem ulcus eadem ratione curari: suturam vero illini vel spuma argenti, vel alio glutinante.

Cap. XII (***). 1. In ore quoque quaedam manu curantur. Ubi in primis dentes nonnumquam moventur, modo propter radicum imbecillitatem, modo propter gingivarum (1) arescentinm vitium. Oportet in utrolibet candens ferramentum gingivis admovere, ut attingat leviter, non insidat. Adustae gingivae melle illinendae, et mulso eluendae sunt. Ut pura ulcera esse coeperunt, arida medicamenta infrianda sunt ex iis, quae reprimunt. Si vero dens dolores movet, eximique eum, quia medicamenta nihil adjuvant, placuit, circum-

(1) Id est macrescentium: cum scilicet gingivae se contrahunt, et dentes ex parte nudatos relinquunt. Galenus lib. 5. cap. 14. de C. M. S. L. dentes aridos et macros fieri dicit. Verum gengivae aridae fiunt, non dentes.

(*) Cap. IX. *De polypo.*
(**) Cap. XI. *De ozaena.*
(***) Cap. XII. *De oris vitiis, quae manu, et ferro curantur.*

radi debet, ut gingiva ab eo resolvatur: tum is concutiendus est: eademque facienda, donec bene moveatur: nam dens haerens cum summo periculo evellitur, ac nonnumquam maxilla loco movetur. Idque etiam majore periculo in superioribus dentibus fit; quia potest tempora oculosque concutere. Tum, si fieri potest, manu; si minus, forcipe dens excipiendus est: ac, si exesus est, ante id foramen vel linamento, vel bene accomodato plumbo replendum est, ne sub forcipe confringatur. Recta vero forceps ducendus est, ne inflexis radicibus os (a) rarum, cui dens inhaeret, parte aliqua frangatur. Neque ideo nullum ejus rei periculum est; utique in dentibus brevibus, qui fere longiores radices habent: saepe enim forceps, quum dentem comprehendere non possit, aut frustra comprehendat, os gingivae prehendit et frangit. Protinus autem, ubi plus sanguinis profluit, scire licet aliquid ex osse fractum esse. Ergo specillo conquirenda est testa, quae recessit, et vulsella (b) protrahenda est: si non sequitur, incidi gingiva debet, donec labans ossis testa recipiatur. Quod si factum statim non est, indurescit extrisecus maxilla, ut is hiare non possit. Sed imponendum calidum ex farina et fico cataplasma est, donec ibi pus moveatur: tum incidi gingiva debet. Pus quoque multum profluens, ossis fracti nota est. Itaque etiam tunc id extrahi convenit. Nonnumquam etiam, eo laeso, fissura fit: quae eradi debet. Dens autem scaber, qua parte niger est, radendus est, illinendusque rosae flore contrito, cui gallae quarta pars et altera myrrhae sit adjecta: continendumque ore crebro vinum meracum. Atque in eo casu velandum caput, ambulatione multa, frictione capitis, cibo non acri utendum est. At si ex ictu vel alio casu aliqui labant dentes, auro cum iis, qui bene haerent, vinciendi sunt; continendaque ore reprimentia; ut vinum. in quo malicorium decoctum, aut. in quod galla candens conjecta sit. Si quando etiam in pueris ante alter dens nascitur, quam prior excidat, is, qui cadere debuit, circumpurgandus et evellendus est; is, qui natus est, in locum prioris quotidie digito adurgendus, donec ad justam magnitudinem perveniat. Quotiescumque dente exemto radix relicta est, protinus ea quoque ad id facto forcipe (c), quam ῥιζάγραν Graeci vocant, eximenda est.

(a) Lupac. cor. *os gengivarum.*
(b) Vide figuras vulsellarum pag. 214 et 264.



(c) Forceps rostrum corvinum, quam Scultetus *Rhyzagram* Celsi esse censuit 2. Forceps dentaria communis ex eodem Sculteto. Vide *Farmacopea Celsiana* in II. Vol.

2. Tonsillas autem, quae post inflammationes induruerunt; ἀντιάδες autem a Graecis appellantur, quum sub levi tunica sint, oportet digito circumradere et evellere: si ne sic quidem resolvuntur, hamulo excipere, et scalpello excidere: tum os aceto eluere, et illinere vulnus medicamento, quo sanguis supprimatur.

3. Uva, si cum inflammatione descendit, dolorique est, et subrubicundi coloris, praecidi sine periculo non potest: solet enim multum sanguinem effundere: itaque melius est iis uti, quae alias proposita sunt. Si vero inflammatio quidem nulla est, nihilominus autem ea ultra justum modum a pituita deducta est, et tenuis, acuta, alba est, praecidi debet: itemque, si ima, livida et crassa; summa tenuis est. Neque quidquam commodius est, quam vulsella prebendere, sub eaque, quod volumus, excidere. Neque enim ullum periculum est, ne plus minusve praecidatur: quum liceat tantum infra vulsellam relinquere, quantum inutile esse manifestum est; idque praecidere, quo longior uva est, quam esse naturaliter debet. Post curationem eadem facienda sunt, quae in tonsillis proxime posui.

4. Lingua vero quibusdam cum subjecta parte a primo natali die juncta est; qui ob id ne loqui quidem possunt. Horum extrema lingua vulsella prehendenda est; (a) sub eaque membrana incidenda: magna cura habita, ne venae, quae juxta sunt, violentur, et profusione sanguinis noceant. Reliqua curatio vulneris in prioribus posita est. Et plerique quidem, ubi consanuerunt, loquuntur. Ego autem cognovi qui, succisa lingua, quum abunde super dentes eam promeret, non tamen loquendi facultatem consequutus est. Adeo in medicina, etiam ubi perpetuum est, quod fieri debet, non tamen perpetuum est id, quod sequi convenit.

5. Sub lingua quoque interdum aliquid abscedit; quod fere consistit in tunica, doloresque magnos movet. Quod, si exiguum est, incidi semel satis est: si majus, summa cutis usque ad tunicam excidenda est, deinde utrimque orae hamulis excipiendae, et tunica undique circumdata liberanda est: magna diligentia per omnem curationem habita, ne qua major vena incidatur.

6. Labra autem saepe finduntur; eaque res habet cum dolore etiam hanc molestiam, quod sermo prohibetur; qui subinde eas rimas cum dolore diducendo sanguinem citat. Sed has, si in summo sunt, medicamentis curare commodius est, quae ad ulcera oris fiunt: si vero altius descenderunt, necessarium est tenui ferramento adurere, quod spathae simile, quasi transcurrere, non imprimi debet. Postea facienda eadem sunt, quae in auribus adustis exposita sunt.

Cap. XIII (*). At in cervice, inter cutem et asperam arteriam, tu-

(a) Vide fig. 1. pag. 232 specillum cum parte aversa lata et fissa, quam Vulpes ad incidendum frenulum linguae ab antiquis adhibitam fuisse putat.

(*) Cap. XIII. *De cervicis vitio.*

mor increscit: βρογχοκήλην Graeci vocant. Quo modo caro hebes, modo humor aliquis, melli aquaeve similis, includitur; interdum etiam minutis ossibus pili immixti. Ex quibus quidquid est, tunica continetur. Potest autem adurentibus medicamentis curari: quibus summa cutis cum subjecta tunica exeditur. Quo facto, sive humor est, profluit; sive quid densius, digitis educitur: tum ulcus sub linamentis sanescit. Sed scalpelli curatio brevior est. Medio tumore una linea inciditur usque ad tunicam: deinde vitiosus sinus ab integro corpore digito separatur, totusque cum velamento suo eximitur: tum aceto, cui vel salem vel nitrum aliquis adjecit, eluitur; oraeque una sutura junguntur; ceteraque eadem, quae in aliis suturis, superinjiciuntur: leniter deinde, ne fauces urgeat, deligatur. Si quando autem tunica eximi non potuit, intus inspergenda adurentia, linamentisque id curandum est, et ceteris pus moventibus.

CAP. XIV (*). Sunt etiam circa umbilicum plura vitia: de quibus propter raritatem inter auctores parum constat. Verisimile est autem, id a quoque praetermissum, quod ipse non cognoverat: a nullo id, quod non viderat, fictum. Commune omnibus est, umbilicum indecore prominere: causae requiruntur. Meges tres has posuit: modo intestinum eo irrumpere, modo omentum, modo humorem. Sostratus nihil de omento dixit: duobus iisdem adjecit, carnem ibi interdum increscere; eamque modo integram esse, modo carcinomati similem. Gorgias ipse quoque omenti mentionem omisit; sed eadem tria causatus, spiritum quoque interdum eo dixit irrumpere. Heron omnibus his quatuor positis, et omenti mentionem habuit, et ejus, quod simul et omentum et intestinum habuerit. Quid autem horum sit, his indiciis cognoscitur. Ubi intestinum prolapsum est, tumor neque durus, neque mollis est; omni frigore minuitur; non solum sub omni calore, sed etiam retento spiritu crescit; sonat interdum; atque ubi resupinatus est aliquis, delapso intestino, ipse desidit. Ubi vero omentum est, cetera similia sunt; tumor mollior, et ab ima parte latus, extenuatus in vertice est; si quis apprehendit, elabitur. Ubi utrumque est, indicia quoque mixta sunt, et inter utrumque mollities. At caro durior est, semperque etiam resupinato corpore tumet, prementique non cedit, prioribus facile cedentibus. Si vitiosa est, easdem notas habet, quas in carcinomate exposui. Humor autem, si premitur, circumfluit. At spiritus pressus cedit, sed protinus redit: resupinato quoque corpore tumorem in eadem figura tenet. Ex his id, quod ex spiritu vitium est, medicinam non admittit. Caro quoque carcinomati similis cum periculo tractatur: itaque omittenda est. Sana excidi debet; idque vulnus linamentis curari. Humorem quidem vel inciso summo tumore effundunt, et vulnus iisdem linamentis curant.

(*) CAP. XIV. *De umbilici vitiis.*

In reliquis variae sententiae sunt. Ac resupinandum quidem corpus esse, res ipsa testatur; ut in uterum, sive intestinum, sive omentum est, delabatur. Sinus vero umbilici, tum vacuus, a quibusdam duabus regulis exceptus est; vehementerque earum capitibus deligatis, ibi emoritur: a quibusdam, ad imum acu trajecta, duo lina ducente, deinde utriusque lini duobus capitibus diversae partes adstrictae (1); quod in uva quoque oculi fit (2): nam sic id, quod supra vinculum est, emoritur. Adjecerunt quidam, ut, antequam vincirent, summum una linea inciderent, exciderentque; quo facilius digito demisso, quod illuc irrupisset, depellerent: tum deinde vinxerunt. Sed abunde est, jubere spiritum continere, ut tumor, quantus maximus esse potest, se ostendat: tum imam basim ejus atramento notare; resupinatoque homine, digitis tumorem eum premere, ut si quid delapsum non est, manu cogatur: post haec umbilicum attrahere, et qua nota atramenti est, lino vehementer adstringere: deinde partem superiorem aut medicamentis, aut ferro adurere, donec emoriatur: atque, ut cetera usta, ulcus nutrire. Idque non solum ubi intestinum, vel omentum, vel utrumque est; sed etiam ubi humor est, optime proficit. Sed ante quaedam visenda sunt, ne quod ex vinculo periculum sit. Nam curationi neque infans, neque aut robustus annis, aut senex aptus est; sed a septimo fere anno ad quartumdecimum. Deinde ei corpus idoneum est id, quod integrum est: at quod mali habitus est, quodque papulas, impetigines, similiaque habet, idoneum non est. Levibus quoque tumoribus facile subvenitur: at in eorum, qui nimis magni sunt, curatione periculum est. Tempus autem anni et autumnale, et hibernum vitandum est: ver idoneum maxime est: ac prima aestas non aliena est. Praeter haec abstinere pridie debet. Neque id satis est; sed alvus quoque ei ducenda est; quo facilius omnia quae excesserunt, intra uterum considant.

CAP. XV (*). Aquam iis, qui hydropici sunt, emitti oportere, alias dixi. Nunc, quemadmodum id fiat, dicendum est. Quidam autem sub umbilico, fere quatuor interpositis digitis a sinistra parte: quidam, ipso umbilico perforato, id facere consuerunt: quidam, cute primum adusta, deinde interiore abdomine inciso; quia, quod per ignem divisum est, minus celeriter coit. Ferramentum autem demittitur magna cura habita, ne qua vena incidatur. Id tale esse debet, ut fere tertiam digiti partem latitudo mucronis impleat (a); demittendumque ita est, ut membranam quoque transeat, qua caro ab interiore parte finitur: eo tum plumbea aut aenea fistula conjicienda est, vel recurvatis

(1) Subauditur *sunt*; eadem enim constructio est, quae superior; *exceptus est*. Vulgo legitur *adstringuntur*, ex Palavicino. (2) Vide cap. 7. sect. 11. hujus libri.

(*) CAP. XV. *Quomodo aqua hydropicis emittatur.*
(a) Vide figuram 1, pag. seqs. et figuram 5 pag. 250.


in exteriorem partem labris, vel in media circumsurgente quadam mora, ne tota intus delabi possit (a). Hujus ea pars, quae intra, paulo longior esse debet, quam quae extra; ut ultra interiorem membranam procedat. Per hanc effundendus humor est: atque ubi major pars ejus evocata est, claudenda demisso linteolo fistula est; et in vulnere, si id ustum non est, relinquenda. Deinde per insequentes dies circa singulas heminas emittendum, donec nullum aquae vestigium appareat. Quidam tamen etiam non usta cute, protinus fistulam recipiunt, et super vulnus(1) spongiam *** expressam deligant: deinde postero die rursus fistulam demittunt (quod recens vulnus paulum diductum patitur), ut, si quid humoris superest, emittatur: idque bis ita fecisse contenti sunt.

CAP. XVI (*). Nonnumquam autem venter ictu aliquo perforatur; sequiturque, ut intestina evolvantur. Quod ubi incidit, protinus considerandum est, an integra ea sint; deinde, an iis color suus maneat. Si tenuius intestinum perforatum est, nihil profici posse, jam retuli. Latius intestinum sui potest: non quod certa fiducia sit; sed quod dubia spes certa desperatione sit potior; interdum enim glutinatur. Tum si utrumlibet intestinum lividum, aut pallidum, aut nigrum est, quibus illud quoque necessario accedit, ut sensu careat, medicina omnis inanis est. Si vero adhuc ea sui coloris sunt, cum magna festinatione succurrendum est: momento enim alienantur externo et insueto spiritu circumdata. Resupinandus autem homo est, coxis erectioribus; et, si angustius vulnus est, quam ut intestina commode refundantur, incidendum est, donec satis pateat: ac, si jam sicciora intestina sunt, perluenda aqua sunt, cui paulum admodum olei sit adjectum. Tum minister oras vulneris leniter diducere manibus suis, vel etiam duobus hamis (a) interiori membranae injectis, debet: medicus priora semper, intestina, quae posteriora prolapsa sunt, condere

(1) Verba aliqua desunt. Lindenius legit *spongiam, aut succidam lanam ex aqua frigida, vel ex aceto expressam.* Ego malim, *spongiam ex aceto expressam.* Sic proximo cap. 16. *spongiam, aut succidam lanam ex aceto expressam.*

(*) CAP. XVI. *De ventre ictu, perforato, et intestinis vulneratis.*

(a) 1. Scalpellus Scolopomachoerion ex And de Cruce, ad mucronem recurvatus, quem Fabr. ab Aquapendente pro aperitione abdominis hydropicorum ad aquam emittendam laudat. 2. Cannula aenea (in media circumsurgente mora) per quam humor hydropicorum effundebatur. 3. Altera cannula ad idem. Ambae ex instrumentis Pompejanis a B. Vulpes descriptis. Vide *Farmacopea Celsiana* in II. Vol.



sic, ut orbium singulorum locum servet. Repositis omnibus, leniter homo concutiendus est : quo fit ut per se singula intestina in suas sedes deducantur, et in his considant. His conditis, omentum quoque considerandum est: ex quo, si quid jam nigri et emortui est, forfice excidi debet : si integrum est, leniter super intestina deduci. Sutura autem neque summae cutis, neque interioris membranae per se satis proficit ; sed utriusque : et quidem duobus linis injicienda est, et spissior quam alibi ; quia et rumpi facilius motu ventris potest, et non aeque magnis inflammationibus pars ea exposita est. Igitur in duas acus fila conjicienda, eaeque duabus manibus tenendae ; et prius interiori membranae sutura injicienda est sic, ut sinistra manus in dexteriore ora, dextra in sinisteriore a principio vulneris orsa, ab interiore parte in exteriorem acum immittat: quo fit, ut ab intestinis ea pars semper acuum sit, quae retusa est. Semel utraque parte trajecta, permutandae acus inter manus sunt, ut ea sit in dextra, quae fuit in sinistra, ea veniat in sinistram, quam dextra continuit : iterumque eodem modo per oras immittendae sunt : atque ita tertio et quarto, deincepsque permutatis inter manus acubus plaga includenda. Post haec, eadem fila, eaedemque acus ad cutem transferendae, similique ratione ei quoque parti sutura injicienda ; semper ab interiore parte acubus venientibus, semper inter manus trajectis : dein glutinantia injicienda. Quibus aut spongiam, aut succidam lanam ex aceto expressam accedere debere manifestius est, quam ut semper dicendum sit. Impositis his leniter deligari venter debet.

Cap. XVII (*). 1. Interdum autem vel ex ictu aliquo, vel retento diutius spiritu, vel sub gravi fasce, interior abdominis membrana, superiore cute integra, rumpitur. Quod feminis quoque ex utero saepe evenire consuevit: fitque praecipue circa ilia. Sequitur autem, quum superior caro mollis sit, ut non satis intestina contineat, hisque intenta cutis indecore intumescat. Atque id quoque aliter ab aliis curatur. Quidam enim per acum duobus linis ad imam basim immissis sic utrimque devinciunt, quemadmodum et in umbilico, et in uva positum est, ut, quid quid super vinculum est, emoriatur. Quidam medium tumorem excidunt ad similitudinem myrtacei folii; quod semper eodem modo servandum esse jam posuit; et tum oras sutura jungunt. Commodissimum est autem, resupinato corpore, experiri manu, qua parte is tumor maxime cedat, quia necesse est, ea parte rupta membrana sit ; quaque integra est, ea magis obnitatur: tum, qua rupta videbitur, immittendae scalpello duae lineae sunt, ut, exciso medio, interior membrana utrimque recentem plagam habeat; quia, quod vetus est, sutura non coit. Loco patefacto, si qua parte mem-

(*) Cap. XVII. *De interiore membrana abdominis rupta.*

brana non novam plagam, sed veterem habet, tenuis excidenda habena est, quae tantum oras ejus exulceret. Cetera, quae ad suturam reliquamque curationem pertinent, supra comprehensa sunt.

2. Praeter haec evenit, ut in quorumdam ventribus varices sint, quarum quia nulla alia curatio est, quam quae in cruribus esse consuevit, tum eam partem explanaturus, hanc quoque eo differo.

CAP. XVIII (**). Venio autem ad ea, quae naturalibus partibus circa testiculos oriri solent: quae quo facilius explicem, prius ipsius loci natura paucis proponenda est. Igitur testiculi simile quiddam medullis habent: nam sanguinem non emittunt, et omni sensu carent: dolent antem in ictibus et inflammationibus tunicae, quibus ii continentur. Dependent vero ab inguinibus (1) per singulos nervos, qnos κρεμαστῆρας Graeci nominant: cum quorum utroque binae descendunt et venae et arteriae. Haec autem tunica conteguntur tenui, nervosa, sine sanguine, alba, quae ἐλυτροειδὴς a Graecis nominatur. Super eam valentior tunica est, quae interiori vehementer ima parte inhaeret: δαρτὸν Graeci vocant. Multae deinde membranulae venas et arterias, eosque nervos comprehendunt; atque inter duas quoque tunicas superioribus partibus leves parvulaeque sunt. Hactenus propria utrique testiculo et velamenta et auxilia sunt. Communis deinde utrique, omnibusque interioribus sinus est, qui jam conspicitur a nobis: ὄσχεον Graeci, scrotum nostri vocant. Isque ab ima parte mediis tunicis leviter innexus, a superiore tantum circumdatus est. Sub hoc igitur plura vitia esse consuerunt; quae modo ruptis tunicis, quas ab inguinibus incipere proposui, modo his integris fiunt. Siquidem interdum vel ex morbo primum inflammatur, deinde postea pondere abrumpitur; vel ex ictu aliquo protinus rumpitur tunica, quae diducere ab inferioribus partibus intestina debuit: tum pondere eo devolvitur ant omentum, aut etiam intestinum: idque ibi reperta via, paulatim ab inguinibus in inferiores quoque partes nisum, subinde nervosas tunicas, et ob id ejus rei patientes, diducit. Ἐντεροκήλην, et ἐπιπλοκήλην Graeci vocant: apud nos indecorum, sed commune his, herniae nomen est. Deinde si descendit omentum, numquam in scroto tumor tollitur, sive inedia fuit, sive corpus huc illucve conversum, aut alio quo modo collocatum est: itemque, si retentus est spiritus, non magnopere increscit, tactu vero inaequalis est et mollis et

(1) Morgagnus censet, Celsum, temporum suorum morem secutum, vas semen deferens indicare, quod crassiusculo nervo simile, intra illam tunicam cum arteriis et venis ad testem pertinet. Id et ex Ruffo Ephesio ostendit, qui lib. 3. cap. 32. ita scripsit: *nervus quoque cum arteriis concavus ad testem pervenit, qui Suspensor a nostris dici potest: Cremastera Graeci vocant*: et ex multis Celsi ipsius locis, praesertim ex cap. 19. hujus lib. ubi legitur *Purgatus ita testiculus per ipsam plagam cum venis, et arteriis, et nervo suo leniter demittendus est.*

(*) CAP. XVIII. *De testiculorum morbis.*

lubricus. At si intestinum quoque descendit, tumor is sine inflammatione modo minuitur, modo increscit; estque fere sine dolore, et quum conquiescit aliquis aut jacet, interdum ex toto desidit, interdum sic dividitur, ut in scroto exiguae reliquiae maneant: at clamore, et satietate, et si sub aliquo pondere is homo nisus est, crescit: frigore omni contrahitur, calore diffunditur; estque tum scrotum et rotundum, et tactu laeve: idque, quod subest, lubricum est; si pressum est, ad inguen revertitur; dimissumque, iterum cum quodam quasi murmure devolvitur. Et id quidem in levioribus malis evenit. Nonnumquam autem stercore accepto vastius tumet, retroque compelli non potest: adfertque tum dolorem et scroto et inguinibus et abdomini: nonnumquam stomachus quoque affectus primum rufam bilem per os reddit, deinde viridem, quibusdam etiam nigram. Integris vero membranis interdum eam partem humor distringit. Atque ejus quoque species duae sunt. Nam vel inter tunicas is increscit, vel in membranis quae ibi circa venas et arterias sunt, ubi eae gravatae occalluerunt. Ac ne ei quidem humori, qui inter tunicas est, una sedes est. Nam modo inter summam et mediam, modo inter mediam et imam consistit. Graeci communi nomine, quidquid est, ὑδροκήλην appellant: nostri, ut scilicet nullis discriminibus satis cognitis, haec quoque sub eodem nomine, quo priora, habent. Signa autem quaedam communia sunt, quaedam propria; communia, quibus humor deprehenditur; propria, quibus locus. Humorem subesse discimus, si tumor est, numquam ex toto se remittens, sed interdum levior aut propter famem, aut propter febriculam, maximeque in pueris: isque mollis est, si non nimius humor subest; at si is vehementer increvit, renititur sicut uter repletus et arcte adstrictus: venae quoque in scroto inflantur; et, si digito pressimus, cedit humor, circumfluensque id, quod non premitur, attollit, et tamquam in vitro cornuve per scrotum apparet; isque, quantum in ipso est, sine dolore est. Sedes autem ejus sic deprehenditur. Si inter summam mediamque tunicam est, quum digitis duobus pressimus, paulatim humor inter eos revertens subit: scrotum *ipsius* albidius est; si ducitur aut nihil, aut parvulum intenditur: testiculus ea parte neque visu, neque tactu sentitur. At si sub media tunica est, intentum scrotum magis se attollit, adeo ut superior coles sub tumore eo delitescat.

Praeter haec aeque integris tunicis ramex innascitur: κιρσοκήλην Graeci appellant. Venae intumescunt; eaeque intortae, conglomerataeque a superiore parte vel ipsum scrotum implent, vel mediam tunicam, vel imam: interdum etiam sub ima tunica, circa ipsum testiculum nervumque ejus, increscunt. Ex his eae, quae in ipso scroto sunt, oculis patent: eae vero, quae mediae imaeve tunicae insidunt, ut magis conditae, non aeque quidem cernuntur, sed tamen etiam visui subjectae sunt: praeterquamquod et tumoris aliquid est, pro venarum magnitudine ac modo, et id prementi magis renititur, ac per ip-

sos venarum toros inaequale est; et, qua parte id est, testiculus magis justo dependet. Quum vero etiam super ipsum testiculum nervumque ejus id malum increvit, aliquanto longius testicnlus ipse descendit, minorque altero fit utpote (*a*) alimento amisso. Raro, sed aliquando caro quoque inter tunicas increscit: σαρκοκήλην Graeci vocant. Interdum etiam ex inflammatione tumet ipse testiculus, ac febres quoque affert; et, nisi celeriter ea inflammatio conquievit, dolor ad inguina atque ilia pervenit, partesque eae intumescunt; nervus ex quo testiculus dependet plenior fit, simulque indurescit. Super haec inguen quoque nonnumquam ramice impletur: βουβωνοκήλην appellant.

Cap. XIX (*). His cognitis, de curatione dicendum est: in qua quaedam communia omnium sunt, quaedam propria singulorum. Prius de communibus dicam. Loquar autem nunc de iis, quae scalpellum desiderant: nam quae vel sanari non possint, vel aliter nutriri debeant, dicendum erit, simul ad species singulas venero. Inciditur autem interdum inguen, interdum scrotum. In utraque curatione homo ante triduo bibere aquam; pridie abstinere etiam a cibo debet, ipso autem die collocari supinus; deinde, si inguen incidendum est, idque jam pube contegitur, ante radendum est; et tum, extento scroto, ut cutis inguinis intenta sit, id incidendum sub imo ventre, qua cum abdomine tunicae inferiores committuntur. Aperiendum autem audacter est, donec summa tunica, quae ipsius scroti est, incidatur, perveniaturque ad eam, quae media est. Plaga facta, foramen deorsum versus subest. In id demittendus est sinistrae manus digitus index, ut diductis intervenientibus membranulis, sinum laxet. Minister autem, sinistra manu comprehenso scroto, sursum versus id debet extendere, et quam maxime ab inguinibus abducere; primum cum ipso testiculo, dum medicus omnes membranulas, quae super mediam tunicam sunt, si digito diducere non potest, scalpello abscindat: deinde sine eo, ut si delapsus ipsi plagae jungatur, digitoque inde promatur, et super ventrem cum duabus suis tunicis collocetur. Inde, si qua vitiosa sunt, circumcidenda sunt. In quibus quum multae venae discurrant, tenuiores quidem praecidi protinus possunt: majores vero ante longiore lino deligandae sunt, ne periculose sanguinem fundant. Sin media tunica vexata erit, aut sub ea malum increverit, excidenda erit sic, ut alte ad ipsum inguen praecidatur. Infra tamen non tota demenda est: nam quod ad basim testiculi vehementer cum ima tunica connexum est, excidi sine summo periculo non potest: itaque ibi relinquendum est. Idem in ima quoque tunica, si laesa est, faciendum est. Sed non a summa

(*a*) Lupac. corr. *adjumento.*

(*) Cap. XIX. *De testiculorum curationibus, et primo de incisione, curatione inguinie vel scroti.*

inguinis plaga, verum infra paulum ea abscindenda, ne laesa abdominis membrana inflammationes moveat. Neque tamen nimium ex ea rursum relinquendum est, ne postea sinuetur, et sedem eidem malo praestet. Purgatus ita testiculus per ipsam plagam cum venis et arteriis et nervo suo leniter demittendus est; videndumque ne sanguis in scrotum descendat, neve concretus aliquo loco maneat. Quae ita fient, si venis vinciendo medicus prospexerit. Lina, quibus capita earum continebuntur, extra plagam dependere debebunt: quae, pure orto, sine ullo dolore excident. Ipsi autèm plagae injiciendae duae fibulae sunt; et insuper medicamentum, quo glutinetur. Solet autem interdum ab altera ora necessarium esse aliquid excidi, ut cicatrix major et latior fiat. Quod ubi incidit, linamenta super non fulcienda, sed leviter tantum imponenda sunt; supraque ea, quae inflammationem repellant, id est ex aceto vel lana succida, vel spongia: cetera eadem, quae, ubi pus moveri debet, adhibenda sunt. At quum infra incidi oportet, resupinato homine, subjicienda sub scroto sinistra manus est; deinde id vehementer apprehendendum, et incidendum; si parvulum est quod nocet, modice, ut tertia pars integra, ad sustinendum testiculum, infra relinquatur: si majus est, etiam amplius, ut paulum tantummodo ad imum, cui testiculus insidere possit, integrum maneat. Sed primo rectus scalpellus quam levissima manu teneri debet, donec scrotum ipsum diducat: tum inclinandus mucro est, ut transversas membranas secet, quae inter summam mediamque tunicam sunt. Ac, si vitium in proximo est, mediam tunicam attingi non oportet: si sub illa quoque conditur, etiam illa incidenda est; sicut tertia quoque, si illa vitium tegit. Ubicumque autem repertum malum est, ministrum ab inferiore parte exprimere moderate scrotum oportet: medicum, digito manubriolove scalpelli diductam inferiore parte tunicam extra collocare; deinde eam ferramento, quod a similitudine (a) corvum vocant, incidere sic, ut intrare duo digiti, index et medius, possint: his deinde conjectis, incidenda reliqua pars tunicae et inter digitos scalpellus immittendus est, eximendum



(a) 1. Spathumile tenue ex Albucasi. 2. Spathumile subtile, lene, debilis acuitatis, ex eodem. 3. Spathumile habens duas extremitates, ex eodem. 4. Scalper quem And. de Cruce dicit esse *Scolopomachoerion* Graecorum, *Scalprum curvum* Latinorum, *Gamedin* Arabum, *Gamaut* posteriorum Chirurgorum, et *Bisturi* (seu *bistortus*) nuperiorum. 5. Alius quem item And. de Cruce comparavit *Syryngotomo* Graecorum, *Falcicula* Latinorum, *Cajada* Arabum. Vide *Farmacopea Celsiana* in II. Vol.

que aut effundendum quidquid est noxium. Quamcumque autem tunicam quis violavit, illam quoque debet excidere; ac mediam quidem, ut supra dixi, quam altissime ad inguen; imam autem, paulo infra. Ceterum antequam excidantur, venae quoque vinciri lino summae debent; et ejus lini capita extra plagam relinquenda sunt', sicut in aliis quoque venis, quae id requisierint. Eo facto, testiculus intus reponendus est: oraeque scroti suturis inter se committendae; neque paucis, ne parum glutinentur, et longior fiat curatio; neque multis, ne inflammationem augeant. Atque hic quoque videndum est, ne quid in scroto sanguinis maneat: tum imponenda glutinantia sunt. Si quando autem in scrotum sanguis defluxit, aliquidve concretum ex eo decidit, incidi subter id debet; purgatoque eo, spongia acri aceto madens, circumdari. Deligatum autem vulnus omne quod ex his causis factum est, si dolor nullus est, quinque primis diebus non est resolvendum, sed bis die tantum aceto irroranda lana, vel spongia: si dolor est, tertio die resolvendum; et, ubi fibulae sunt, hae incidendae; ubi linamentum, id mutandum est; rosaque et vino madefaciendum id, quod imponitur. Si inflammatio increscit, adjiciendum prioribus cataplasma ex lenticula et melle; vel ex malicorio, quod in austero vino coctum sit; vel ex his mixtis. Si sub his inflammatio non conquieverit, post diem quintum multa calida aqua vulnus fovendum, donec scrotum ipsum et extenuetur, et rugosius fiat: tum imponendum cataplasma ex triticea farina, cui resina pinea adjecta sit: quae ipsa, si robustus curatur, ex aceto; si tener, ex melle coquenda sunt. Neque dubium est, quodcumque vitium fuit, si magna inflammatio est, quin ea, quae pus movent, imponenda sint. Quod si pus in ipso scroto ortum est, paulum id incidi debet, ut exitus detur; linamentumque eatenus imponendum est, ut foramen tegat. Inflammatione finita, propter nervos priore cataplasmate, dein cerato utendum est. Haec proprie ad ejusmodi vulnera pertinent: cetera et in curatione, et in victu, similia iis esse debent, quae in alio quoque vulnerum genere praecipimus.

CAP. XX (*). His propositis ad singulas species veniendum est. Ac si cui parvulo puero intestinum descendit, ante scalpellum experienda vinctura est. Fascia ejus rei causa fit, cui imo loco pila assuta est ex panniculis facta, quae ad repellendum intestinum ipsi illi subjicitur: deinde reliqua fasciae pars arcte circumdatur. Sub quo saepe et intus compellitur intestinum, et inter se tunicae glutinantur. Rursus, si aetas processit, multumque intestini descendisse ex tumore magno patet, adjiciunturque dolor et vomitus; quae ex stercore, ex cruditate eo delapso, fere accidunt, scalpellum adhiberi sine pernicie non posse manifestum est: levandum tantummodo malum, et

(*) CAP. XX. *De intestinis in scrotum devoluti curatione.*

per alias curationes extrahendum est. Sanguis mitti ex brachio debet: deinde, si vires patiuntur, imperanda tridui abstinentia est; si minus, certe pro vi corporis quam longissima. Eodem vero tempore superhabendum cataplasma ex lini semine, quod ante aliquis ex mulso decoxerit. Post haec, et farina hordeacea cum resina injicienda; et is demittendus in solium aquae calidae, cui oleum quoque adjectum sit; dandumque aliquid cibi levis, calidi. Quidam etiam alvum ducunt. Id deducere aliquid in scrotum potest, educere ex eo non potest. Per ea vero, quae supra scripta sunt, levato malo, si quando alias dolor reverterit, eadem erunt facienda. Sine dolore quoque si multa intestina prolapsa sunt, secari supervacuum est: non quo excludi a scroto non possint; nisi tamen id inflammatio prohibuit; sed quod repulsa inguinibus immorentur, ibique tumorem excitent, atque ita fiat mali non finis, sed mutatio. At in eo, quem scalpello curari oportebit, simul atque ad mediam tunicam vulnus in inguine factum pervenerit, duobus hamulis ea juxta ipsas oras apprehendi debebit, dum diductis omnibus membranulis medicus eam liberet. Neque enim cum periculo laeditur, quae excidenda est; quum intestinum esse nisi sub ea non possit. Ubi diducta autem erit, ab inguine usque ad testiculum incidi debebit sic, ne is ipse laedatur; tum excidi. Fere tamen hanc curationem puerilis aetas, et modicum malum recipit. Si vir robustus est, majusque id vitium est, extrahi testiculus non debet, sed in sua sede permanere. Id hoc modo fit. Inguen eadem ratione usque ad mediam tunicam scalpello aperitur; eaque tunica eodem modo duobus hamis excipitur sic, ut (1) a ministro testiculus eatenus contineatur, ne per vulnus exeat: tum ea tunica deorsum versus scalpello inciditur; sub eaque index digitus sinistrae manus ad imum testiculum demittitur, eumque ad plagam compellit: deinde dextrae manus duo digiti, pollex atque index, venam et arteriam et nervum tunicamque eorum a superiore tunica diducunt. Quod si aliquae membranulae prohibent, scalpello resolvuntur, donec ante oculos tota jam tunica sit. Excisis, quae excidenda sunt, repositoque testiculo, ab ora quoque ejus vulneris, quod in inguine est, demenda habenula paulo latior est, quo major plaga sit, et plus creare carnis possit.

Cap. XXI (*). 1. At si omentum descendit, eodem quidem modo, quo supra scriptum est, aperiendum inguen, diducendaeque tunicae sunt:

(1) Lindenius perperam legit *a sinistro*, id est hamo. Nam, ut animadvertit Morgagnus, neuter ex duobus hamis quibus tunica excipitur, sed minister testiculum in sua sede continere debet: quemadmodum alia quoque ejusmodi praestat. Sic superiori cap. *Minister comprehenso scroto, sursum versus id debet extendere*; et cap. 29. hujus lib. *Quoties infans protractus est, tradendus ministro est. Is eum supinis manibus sustinere debet.*

(*) Cap. XXI. *De omenti in scrotum prolapsi curatione.*

considerandum autem est, majorne is modus, an exiguus sit. Nam quod parvulum est, super inguen in uterum vel digito vel averso specillo repellendum est: si plus est, sinere oportet dependere quantum ex utero prolapsum est; idque adurentibus medicamentis illinere, donec emoriatur et excidat. Quidam hic quoque duo lina acu trajiciunt, binisque singulorum capitibus diversas partes adstringunt; sub quo aeque, sed tardius emoritur. Adjicitur tamen hic quoque celeritati, si omentum super vinculum illinitur medicamentis, quae sic exedunt, ne erodant: σηπτὰ Graeci vocant. Fuerunt etiam qui omentum forfice praeciderent: quod in parvulo non est necessarium; si majus est, potest profusionem sanguinis facere; siquidem omentum quoque venis quibusdam, etiam majoribus illigatum est. Neque vero, si discisso ventre id prolapsum forfice praeciditur, quum et emortuum sit, et aliter tutius avelli non possit, inde huc exemplum transferendum est. Vulnus autem curari, si relictum omentum est, sutura debet: si id amplius fuit, et extra emortuum est, excisis oris, sicut supra propositum est.

2. Si vero humor intus est, incidendum est, in pueris quidem, inguen; nisi in his quoque id liquoris ejus major modus prohibet: in viris vero, et ubicumque multus humor subest, scrotum. Deinde, si inguen incisum est, eo protractis tunicis, humor effundi debet: si scrotum, et sub hoc protinus vitium est, nihil aliud quam humor effundendus, abscindendaeque membranae sunt, si quae eum continuerunt; deinde eluendum id ex aqua, quae vel salem adjectum, vel nitrum habeat: si sub media, imave tunica, totae eae extra scrotum collocandae excidendaeque sunt.

Cap. XXII (*). Ramex autem, si super ipsum scrotum est, adurendus est tenuibus et acutis ferramentis, quae ipsis venis infigantur; cum eo, ne amplius quam has urant; maximeque ubi inter se implicatae glomerantur, eo ferrum id admovendum est; tum super farina ex aqua frigida subacta injicienda est; utendumque eo vinculo, quod idoneum esse ani curationibus posui: tertio die lenticula cum melle imponenda est: post, ejectis crustis, ulcera melle purganda, rosa implenda, ad cicatricem aridis linamentis perducenda sunt. Quibus vero super mediam tunicam venae tument, incidendum inguen est, atque tunica promenda, ab eaque venae digito vel manubriolo scalpelli separandae. Qua *parte* vero inhaerebunt, et ab superiore et ab inferiore parte lino vinciendae; tum sub ipsis vinculis praecidendae, reponendusque testiculus est. At ubi supra tertiam tunicam ramex insedit, mediam excidi necesse est. Deinde, si duae tresve venae tument, et ita pars aliqua obsidetur, ut major eo vitio vacet, idem faciendum, quod supra scriptum est; ut et ab inguine,

(*) Cap. XXII. *De ramicis curatione.*

et a testiculo deligatae venae praecidantur, isque condatur. Sin totum id ramex obsederit, per plagam demittendus digitus index erit, subjiciendusque venis sic, ut paulatim eas protrahat; eaeque adducendae, donec is testiculus par alteri fiat: tum fibulae oris sic injiciendae, ut simul eas quoque venas comprehendant. Id hoc modo fit. Acus ab exteriore parte oram vulneris perforat: tum non per ipsam venam, sed per membranam ejus immittitur, per eamque in alteram oram compellitur. Vena vulnerari non debet, ne sanguinem fundat. Membrana semper inter has venas est, ac neque periculum affert, et filo comprehensa illas abunde tenet. Itaque etiam satis est duas fibulas esse. Tum venae, quaecumque protractae sunt, in ipsum inguen averso specillo compelli debent. Solvendi fibulas tempus, inflammatione finita, et purgato vulnere est; ut una simul et oras et venas cicatrix devinciat. Ubi vero inter imam tunicam et ipsum testiculum nervumque ejus ramex ortus est, una curatio est, quae totum testiculum abscindit. Nam neque ad generationem quidquam is confert, et omnibus indecore, quibusdam etiam cum dolore dependet. Sed tum quoque inguen incidendum; media tunica promenda, atque excidenda est; idem in ima faciendum; nervusque, ex quo testiculus dependet, praecidendus: post id venae et arteriae ad inguen lino deligandae, et infra vinculum abscindendae sunt.

Cap. XXIII (*). Caro quoque, si quando inter tunicas increvit, nihil dubii est, quin eximenda sit: sed id, ipso scroto inciso, fieri commodius est. At si nervus induruit, curari res neque manu, neque medicamento potest. Urgent enim febres ardentes, et aut virides, aut nigri vomitus; praeter haec, ingens sitis, et linguae aspritudo; fereque a die tertio spumans bilis alvo cum rosione redditur: ac neque assumi facile cibus, neque contineri potest: neque multo post extremae partes frigescunt, tremor oritur, manus sine ratione extenduntur; deinde in fronte frigidus sudor, eumque mors sequitur.

Cap. XXIV (**). Ubi vero in ipso inguine ramex est, si tumor modicus est, semel incidi; si major, duabus lineis debet, ut medium excidatur: deinde, non extracto testiculo, sicut intestinis quoque prolapsis interdum fieri docui, colligendae venae vinciendaeque, ubi tunicis inhaerebunt, et sub his nodis praecidendae sunt. Neque quidquam novi curatio vulneris ejus requirit.

Cap. XXV (***). 1. Ab his ad ea transeundum est, quae in cole ipso fiunt. In quo si glans nuda est, vultque aliquis eam decoris causa te-

(*) Cap. XXIII. *De carne quae inter tunicas testiculorum increvit, et de nervo indurato.*

(**) Cap. XXIV. *De ramice inguinis.*

(***) Cap. XXV. *Ad tegendam glandem colis, si nuda est*

gere, fieri potest : sed expeditius in puero, quam in viro; in eo, cui id naturale est, quam in eo, qui quarumdam gentium more circumcisus est; in eo, cui glans parva juxtaque eam cutis spatiosior, brevis ipse coles est, quam in quo contraria his sunt. Curatio autem eorum, quibus id naturale est, ejusmodi est. Cutis circa glandem prehenditur et extenditur, donec illam ipsam condat; ibique deligatur: deinde, juxta pubem, in orbem tergus inciditur, donec coles nudetur; magnaque cura cavetur, ne vel urinae iter, vel venae, quae ibi sunt, incidantur. Eo facto, cutis ad vinculum inclinatur, nudaturque circa pubem velut circulus; eoque linamenta dantur, ut caro increscat, et id impleat; satisque velamenti supra latitudo plagae praestet. Sed, donec cicatrix sit, vinctum esse id debet, in medio tantum relicto exiguo urinae itinere. At in eo, qui circumcisus est, sub circulo glandis scalpello diducenda cutis ab interiore cole est. Non ita dolet, quia, summo soluto, diduci deorsum usque ad pubem manu potest; neque ideo sanguis profluit. Resoluta autem cutis rursus extenditur ultra glandem : tum multa frigida aqua fovetur ; emplastrumque circa datur, quod valenter inflammationem reprimat (1); proximisque diebus *** et prope a fame victus est, ne forte eam partem satietas excitet. Ubi jam sine inflammatione est, deligari debet a pube usque circulum : super glandem autem, adverso emplastro imposito, induci. Sic enim fit, ut inferior pars glutinetur ; superior ita sanescat , ne inhaereat.

2. Contra , si glans ita contecta est , ut nudari non possit, (quod vitium Graeci φίμωσιν appellant), aperienda est: quod hoc modo fit. Subter a summa ora, cutis inciditur recta linea usque ad frenum ; atque ita superius tergus relaxatum , cedere retro potest. Quod si parum sic profectum est, aut propter angustias, aut propter duritiem tergoris , protinus triangula forma cutis ab inferiore parte excidenda est sic , ut vertex ejus ad frenum , basis in tergo extremo sit. Tum superdanda linamenta sunt, aliaque medicamenta quae ad sanitatem perducant. Necessarium autem est, donec cicatrix sit, conquiescere: nam ambulatio atterendo ulcus sordidum reddit.

Infibulare quoque adolescentulos (1) interdum vocis, interdum valetudinis causa, quidam consuerunt: ejusque haec ratio est. Cutis, quae super glandem est, extenditur , notaturque utrimque a lateribus atramento , qua perforetur ; deinde remittitur. Si super glandem notae revertuntur, nimis apprehensum est , et ultra notari debet : si glans ab his libera est, is locus idoneus fibulae est. Tum, qua notae

(1) Veteres libri habent *proximisque diebus, ut prope a fame victus est.* Sed evidens est, post verba *proximisque diebus* aliqua deesse. Palavicinus legit *proximisque diebus ut prope a fame victus est, abstineat.* Lindenius vero ita supplet, *proximisque diebus abstinere, donec prope a fame victus s t.* Haec quidem videtur esse Celsi sententia; sed constructio laborat, nisi nova adhibita licentia, verbo *abstinere* additur *debet.*

(1) Vocis causa eos infibulare consuerunt, quos, comoediis, aut tragediis agendis destinabant. Hos exagitat Juvenalis Sat. 6 at grandem Menophili fibulam irridet Martialis epigr. 82. lib. 7.

sunt, cutis acu filum ducente transuitur, ejusque fili capita inter se deligantur, quotidieque id movetur, donec circa foramina cicatriculae fiant. Ubi eae confirmatae sunt, exemto filo fibula additur, quae quo laevior, eo melior est. Sed hoc quidem saepius inter supervacua, quam inter necessaria est.

Cap. XXVI(*). 1. Res vero interdum cogit emoliri manu urinam, quum illa non redditur, aut quia senectute iter ejus collapsum est, aut quia calculus, vel concretum aliquid ex sanguine intus se opposuit: ac mediocris quoque inflammatio saepe eam reddi naturaliter prohibet. Idque non in viris tantummodo, sed in feminis quoque interdum necessarium est. Ergo aenae fistulae (*a*) fiunt; quae, ut omni corpori ampliori minorique sufficiant, ad mares tres; ad feminas duae medico habendae sunt: ex virilibus maxima decem et quinque digitorum; media duodecim; minima novem: ex muliebribus major novem; minor sex. Incurvas vero esse eas paulum, sed magis viriles oportet, laevesque admodum; ac neque nimis plenas, neque nimis tenues. Homo tum resupinus (1) *eo modo, quo in curatione ani figuratur*, super subsellium aut lectum collocandus est. Medicus autem a dextro latere sinistra quidem manu colem masculi continere, dextra vero fistulam demittere in iter urinae debet: atque ubi ad cervicem vesicae ventum est, simul cum cole fistulam inclinatam in ipsam vesicam compellere, eamque, urina reddita, recipere. Femina brevius urinae iter, simul et rectius habet; quod (2) mammulae simile, inter imas oras super naturale positum, non minus saepe auxilio eget aliquanto minus difficultatis exhibet. Nonnumquam etiam prolapsus in ipsam fistulam calculus, quia subinde ea extenuatur, non longe ab exitu inhaerescit. Eum, si fieri potest, oportet evellere vel oriculario specillo, vel eo ferramento, quo in sectione calculus protrahitur. Si id fieri non potuit, cutis extrema quamplurimum attrahenda, et, condita glande, lino vincienda est: deinde a latere recta plaga coles incidendus, et calculus eximendus est: tum cutis remittenda. Sic



(1) Membrum hoc insititium esse Morgagnus docet. Nam, inquit, *in curatione ani figura requiritur aliena omnino a proposito, neque ea a Celso usquam descripta fuit: figura autem quae in curatione calculi ab eo infra proponitur, nimis molesta, et hic minus necessaria est.* (2, Hac voce usus est Varro lib. 2. cap 3. R. R. ubi loquitur de capris; *sub rostra duas ut mammulas pensiles habeant.*

(*) Cap. XXVI. *De urinandi difficultate, et curatione.*

(*a*) Aenea fistula, seu catheter Pompejanum duplicis curvaturae a B. Vulpes descriptum. Vide *Farmacopea Celsiana.* in II. Vol.

enim fit, ut incisum colem integra pars cutis contegat, et urina naturaliter profluat.

2. Quum vesicae vero calculique facta mentio sit; locus ipse exigere videtur, ut subjiciam quae curatio calculosis, quum aliter succurri non potest, adhibeatur. Ad quam festinare, quum praeceps sit, nullo modo convenit. Ac neque omni tempore, neque in omni aetate, neque in omni vitio id experiendum est: sed solo vere; in eo corpore, quod jam novem annos, nondum quatuordecim excessit; et si tantum mali subest, ut neque medicamentis vinci possit, neque jam trahi posse videatur, quominus interposito aliquo spatio interimat. Non quo non interdum etiam temeraria medicina proficiat; sed quo saepius utique in hoc fallat, in quo plura et genera et tempora periculi sunt. Quae simul cum ipsa curatione proponam. Igitur, ubi ultima experiri statutum est, ante aliquot diebus victu corpus praeparandum est: ut modicos, ut salubres cibos, ut minime glutinosos assumat, ut aquam bibat. Ambulandi vero inter haec exercitatione utatur, quo magis calculus ad vesicae cervicem descendat. Quod an inciderit, digitis quoque, sicut in curatione docebo, demissis cognoscitur. Ubi ejus rei fides est, pridie is puer in jejunio continendus est; et tum loco calido curatio adhibenda, quae hoc modo ordinatur. Homo praevalens et peritus in sedili alto considit, supinumque eum et aversum, super genua sua coxis ejus collocatis, comprehendit; reductisque ejus cruribus, ipsum quoque jubet, manibus ad suos poplites datis, eos, quam maxime possit, attrahere; simulque ipse sic eos continet. Quod si robustius corpus ejus est, *qui curatur*, duobus sedilibus junctis, duo valentes insidunt; quorum et sedilia et interiora crura inter se deligantur, ne diduci possint: tum is super duorum genua eodem modo collocatur; atque alter, prout consedit, sinistrum crus ejus, alter dextrum, simulque ipse poplites suos attrahit. Sive autem unus, sive duo continent, super humeros ejus suis pectoribus incumbunt. Ex quibus evenit, ut inter ilia sinus super pubem sine ullis rugis sit extentus, et, in angustum compulsa vesica, facilius calculus capi possit. Praeter haec, etiamnum a lateribus duo valentes objiciuntur, qui circumstantes labare vel unum vel duos, qui puerum continent, non sinunt. Medicus deinde, diligenter unguibus circumcisis (1), unctaque sinistra manu, duos ejus digitos, indicem

(1) Libri antiqui quotquot vidi, habent *atque sinistra manu*. Ego pro *atque* reposui *unctaque*; sic et sententia et constructio recte constant. Cap. 29. hujus lib. simili ratione agendum praecipitur, ubi prope maturus partus intus emortuus, et infans educendus; *medicus unctae manus indicem digitum primum debet inserere .. rursusque alterum digitum demittere*: Quidam Cod. apud Constantinum habet *sedet, atque sinistrae manus duos digitos, indicem et medium, leniter prius unctos oleo, simul in anum ejus demittit.* Malc. *Agitur enim de puero* (utor Morgagni verbis) *cui calculus e vesica excidendus, satis doloribus circa ea loca cruciato, quos cur duos simul digitos immittendo, medicus plus aequo augeat, nulla causa est* —». Milligan addit: Nonne hic vexatissimus adhuc locus sit legendus? *Unguibus circumcisis, utique manu sinistra; duos ejus digitos*, etc.; nimirum sinistra sola inserenda in anum erat, ideoque sola «unguibus circumcisis» neces-

et medium, leniter prius unum, deinde alterum in anum ejus demittit; dextraeque digitos super imum abdomen leniter imponit; ne si utrimque digiti circa calculum vehementer concurrerint, vesicam laedant. Neque vero festinanter in hac re, ut in plerisque, agendum est; sed ita, ut quam maxime id tuto fiat: nam laesa vesica nervorum distentiones cum periculo mortis excitat. Ac primum circa cervicem quaeritur calculus: ubi repertus, minore negotio expellitur. Et ideo dixi, ne curandum quidem, nisi quum hoc indiciis suis cognitum est. Si vero aut ubi non fuit, aut recessit retro, digiti ad ultimam vesicam dantur; paulatimque dextra quoque manus *ejus* ultra translata subsequitur. Atque ubi repertus est calculus; qui necesse est in manus incidat; eo curiosius deducitur, quo minor laeviorque est; ne effugiat, id est ne saepius agitanda vesica sit. Ergo ultra calculum dextra semper manus *ejus* opponitur, sinistrae digiti deorsum eum compellunt, donec ad cervicem pervenitur. In quam, si oblongus est, sic compellendus est (2), ut pronus exeat; si planus, sic, ut transversus sit; si quadratus, ut duobus angulis sedeat; si altera parte plenior, sic, ut prius ea, qua tenuior sit, evadat. In rotundo nihil interesse, ex ipsa figura patet; nisi, si laevior altera parte est, ut ea antecedat. Quum jam eo venit, incidi *super vesicae cervicem*, juxta anum cutis plaga lunata usque ad cervicem vesicae debet, cornibus ad coxas spectantibus paulum: deinde ea parte, qua resima plaga est, etiamnum sub cute altera transversa plaga facienda est, qua cervix aperiatur; donec urinae iter pateat sic, ut plaga paulo major, quam calculus sit. Nam qui metu fistulae, (quam illo loco ῥυάδα Graeci vocant), parum patefaciunt cum majore periculo eodem revolvuntur: quia calculus iter, quum vi promitur, facit, nisi accipit: idque etiam perniciosius est, si figura quoque calculi, vel aspritudo aliquid eo contulit. Ex quo et sanguinis profusio, et distentio nervorum fieri potest: quae si quis evasit, multo tamen patentiorem fistulam habiturus est rupta cervice, quam habuisset incisa. Quum vero ea patefacta est, in conspectum calculus venit: in cujus colore nullum discrimen est. Ipse, si exiguus est, digitis ab altera parte propelli, ab altera protrahi potest: si major, injiciendus a superiore parte uncus est, ejus rei causa factus. Is est ad extremum tenuis, in semicirculi speciem retusae latitudinis; ab exteriore parte laevis, qua corpori jungitur; ab interiore asper, qua calculum attingit. Isque longior potius esse debet: nam brevis extrahendi vim non habet. Ubi injectus est, in utrumque latus inclinandus est, ut appareat, an calculus teneatur; quia, si apprehensus est, ille simul inclinatur. Idque eo nomine opus est, ne quum adduci uncus coeperit, calculus intus effugiat, hic in oram vulneris incidat, eamque convulneret. In qua re quod periculum esset, jam supra proposui. Ubi satis teneri calcu-

sario egebat». (2) Vide Epistolas 3. et 4. Morgagni huic operi adjectas.

lum patet, eodem paene momento triplex motus adhibendus est: in ntrumque latus; deinde extra, sic tamen, nt leniter id fiat, paulumque primo calculus attrahitur: quo facto, attollendus uncus extremus est, nti intus magis maneat, faciliusque illum producat (*a*). Quod si quando a superiore parte calculus parum commode comprehendetur, a latere erit apprehendendus.


Haec est simplicissima curatio. Sed varietas rerum quasdam etiamnnm animadversiones desiderat. Sunt enim quidam non asperi tantummodo, sed spinosi quoque calculi, qui per se quidem delapsi in cervicem, sine ullo periculo eximuntur: in vesica vero non tuto vel hi conquiruntur, vel attrahuntur; quoniam, ubi illam convulnerarunt, ex distentione nervorum mortem maturant: multoque magis, si spina aliqua vesicae inhaeret, eamque quum duceretur, duplicavit. Colligitur autem eo, quod difficilius urina redditur, in cervice calculum esse; eo, quod cruenta destillat illum esse spinosum: maximeque id subjectis digitis quoque experiundum est, neque adhibenda manus, nisi id constitit. Ac tum quoque leniter intus digiti objiciendi, ne violenter promovendo convulnerent: tum incidendum. Multi hic quoque scalpello usi sunt. Meges (quoniam is infirmior est, potestque in aliquam prominentiam incidere, incisoque super illam corpore, qua cavum subest, non secare, sed relinquere, quod iterum incidi necesse sit) ferramentum fecit rectum (*b*), in summa parte labrosum, in ima semicirculatum acutumque. Id receptum inter duos digitos, indicem ac medium, super pollice imposito sic deprimebat, ut simul cum carne, si quid ex calculo promiuebat, incideret: quo consequebatur, ut semel, quantum satis esset, aperiret. Quocumque autem modo cervix patefacta est, leniter extrahi, quod asperum est, debet; nulla, propter festinationem, vi admota.

3. At calculus arenosus, et ante manifestus est; quoniam urina quoque redditur arenosa: et in ipsa curatione; quoniam inter subjectos digitos neque aeque renititur, et insuper dilabitur. Item molles calculos, et ex pluribus minutisque, sed inter se parum adstrictis,

(*a*) Uncus (ex Sculteto), quo in minori apparatu extrahitur calculus; ab externa parte, qua corpori jungitur, laevis; ab interiore, qua calculum attingit, asper. Vide *Farmacopea Celsiana* in II. Volumine.



(*b*) 1. Ferramentum Megetis secundum Vulpes (ex instrumentis Pompejanis in R. Museo Neap. collectis). 2 Idem ex conjectura Des Etangs. 3. Id. ex conjectura Daremberg et mea. Vide *Farmacopea Celsiana* in II. Vol.



compositos indicat urina, trahens quasdam quasi squamulas. Hos omnes, leniter permutatis subinde digitorum vicibus, sic oportet adducere, ne vesicam laedant, neve intus aliquae dissipatae reliquiae maneant, quae postmodum curationi difficultatem faciant. Quidquid autem ex his in conspectum venit, vel digitis, vel unco eximendum est. At si plures calculi sunt, singuli protrahi debent; sic tamen, ut si quis exiguus supererit, potius relinquatur: siquidem in vesica difficulter invenitur, inventusque celeriter effugit. Ita longa inquisitione vesica laeditur, excitatque inflammationes mortiferas; adeo ut quidam secti, quum diu frustraque per digitos vesica esset agitata, decesserint. Quibus accedit etiam, quod exiguus calculus ad plagam urina postea promovetur, et excidit. Si quando autem is major non videtur nisi rupta cervice extrahi posse, findendus est: cujus repertor Ammonius, ob id λιθότομος cognominatus est. Id hoc modo fit. Uncus injicitur calculo sic, ut facile eum concussum quoque teneat, ne is retro revolvatur: tum ferramentum, adhibetur crassitudinis modicae, prima parte tenui, sed retusa, quod admotum calculo, et ex altera parte ictum, eum findit; magna cura habita, ne aut ad ipsam vesicam ferramentum perveniat, aut calculi fractura ne quid incidat.

4. Hae vero curationes in feminis quoque similes sunt; de quibus tamen proprie quaedam dicenda sunt. Siquidem in his, ubi parvulus calculus est, scalpellus supervacuus est; quia is urina in cervicem compellitur; quae et brevior quam in maribus, et laxior est. Ergo et per se saepe excidit, et si in primo, quod est angustius, inhaeret, eodem tamen unco sine ulla noxa educitur. At in majoribus calculis necessaria eadem curatio est. Sed virgini subjici digiti tamquam masculo, mulieri per naturale ejus debent. Tum virgini quidem sub ima sinisteriore ora; mulieri vero inter urinae iter, et os pubis incidendum est sic, ut utroque loco plaga transversa sit. Neque terreri convenit, si plus ex muliebri corpore sanguinis profluit.

5. Calculo evulso, si valens corpus est, neque magnopere vexatum, sinere oportet sanguinem fluere, quo minor inflammatio oriatur: atque ingredi quoque eum paulum non alienum est, ut excidat, si quid intus concreti sanguinis mansit. Quod si per se non destitit, rursus, ne vis omnis intereat, supprimi debet: idque protinus in imbecillioribus ab ipsa curatione faciendum est: siquidem, ut distentione nervorum periclitatur aliquis, dum vesica ejus agitatur; sic alter metus excipit (1), *remotis medicaminibus*, ne tantum sanguinis profluat, ut occidat. Quod ne incidat, desidere is debet in acre ace-

(1) Duo haec verba aliena sunt. Supra enim dictum est, *si fluere sanguis per se non destitit, rursus, ne vis omnis intereat, supprimi debere*; et infra dicitur, *quod ne incidat desidere is debet in acre acetum*. Praecipit igitur Celsus, ut medicamenta admoveantur, non ut removeantur. Vox ipsa *medicaminibus* indicat duo haec verba Celsi non esse.

tum, cui aliquantum salis sit adjectum : sub quo et sanguis fere conquiescit, et adstringitur vesica, ideoque minus inflammatur. Quod si parum proficit, agglutinanda cucurbitula est et inguinibus, et coxis, et super pubem. Ubi jam satis vel evocatus est sanguinis, vel prohibitus, resupinus collocandus est sic, ut caput humile sit, coxae paulum excitentur: ac super vulnus imponendum est duplex aut triplex linteolum, aceto madens. Deinde, interpositis duabus horis, in solium is aquae calidae resupinus demittendus est sic, ut a genibus ad umbilicum aqua teneat, cetera vestimentis circumdata sint; manibus tantummodo pedibusque nudatis, ut et minus digeratur, et ibi diutius maneat. Ex quo multus sudor oriri solet; qui spongia subinde in facie detergendus est : finisque ejus fomenti est, donec infirmando offendat. Tum multo is oleo perungendus, inducendusque hapsus lanae mollis, tepido oleo repletus, qui pubem, et coxas, et inguina, et plagam ipsam, contectam eodem ante linteolo, protegat : isque subinde oleo tepido madefaciendus est; ut neque frigus ad vesicam admittat, et nervos leniter molliat. Quidam cataplasmatis calefacientibus utuntur. Ea plus pondere nocent, quo vesicam urgendo vulnus irritant, quam calore proficiunt. Ergo ne vinculum quidem ullum necessarium est. Proximo die, si spiritus difficilius redditur, si urina non excedit, si locus circa pubem mature intumuit, scire licet in vesica sanguinem concretum remansisse. Igitur, demissis eodem modo digitis, leniter pertractanda vesica est, et discutienda si qua coierunt: quo fit, ut per vulnus postea procidant. Non alienum etiam est, oriculario clystere acetum nitro mixtum per plagam in vesicam compellere: nam sic quoque discutiuntur, si qua cruenta coierunt. Eaque facere etiam primo die convenit, si timemus ne quid intus sit: maximeque ubi ambulando id elicere imbecillitas prohibuit. Cetera eadem facienda sunt : ut demittatur in solium, ut eodem modo panniculus, eodem lana superinjiciatur. Sed neque saepe, neque tamdiu in aqua calida puer habendus, quam adolescens est; infirmus, quam valens; laevi, quam graviore inflammatione affectus; is, cujus corpus digeritur, quam is, cujus adstrictum est. Inter haec vero, si somnus est, et aequalis spiritus, et madens lingua, et sitis modica, et venter imus sedet, et mediocris est cum febre modica dolor, scire licet recte curationem procedere. Atque in his inflammatio fere quinto vel septimo die finitur : qua levata, solium supervacuum est: supini tantummodo vulnus aqua calida fovendum est, ut, si quid urinae rodit, eluatur. Imponenda autem medicamenta sunt pus moventia; et, si purgandum vulnus videbitur, melle linendum. Id si rodet, rosa temperabitur. *Huic curationi aptissimum videtur enneapharmacum emplastrum: nam et sevum habet ad pus movendum, et mel ad ulcus repurgandum; medullam etiam, maximeque vitulinam, quod in id, ne fistula relinquatur, praecipue proficit.* Linamenta vero tum super vulnus non sunt necessaria; super medica-

*

mentum, ad id continendum, recte imponuntur. At ubi vulnus purgatum est, puro linamento ad cicatricem perducendum est. Quibus temporibus tamen, si felix curatio non fuit, varia pericula oriuntur. Quae praesagire protinus licet, si continua vigilia est, si spiritus difficultas, si lingua arida est, si sitis vehemens, si venter imus tumet, si vulnus hiat, si transfluens urina id non rodit, si ante tertium diem quaedam livida excidunt, si is aut nihil, aut tarde respondet; si vehementes dolores sunt, si post diem quintum magnae febres urgent, et fastidium cibi permanet, si cubare in ventrem jucundius est. Nihil tamen pejus est distentione nervorum, et ante nonum diem vomitu bilis. Sed quum inflammationis sit metus, succurri abstinentia, modicis et tempestivis cibis; inter haec fomentis, et quibus supra scripsimus, oportet.

CAP. XXXII (*). Proximus cancri metus est. Is cognoscitur, si et per vulnus, et per ipsum colem fluit sanies mali odoris, cumque ea quaedam a concreto sanguine non abhorrentia, tenuesque carunculae lanulis similes: praeter haec, si orae vulneris aridae sunt, si dolent inguina, si febris (1) non desinit, eaque in noctem augetur, si inordinati horrores accedunt. Considerandum autem est in quam partem cancer is tendat. Si ad colem, induresci is locus, et rubet, et tactu dolorem excitat, testiculique intumescunt: si in ipsam vesicam, ani dolor sequitur, coxae durae sunt, non facile crura extendi possunt: at si in alterutrum latus, oculis id expositum est, paresque utrimque easdem notas, sed minores, habet. Primum autem ad rem pertinet corpus recte jacere, ut superior pars semper ea sit, in quam vitium fertur. Ita, si ad colem it, supinus is collocari debet; si ad vesicam, in ventrem; si in latus, in id quod integrius est. Deinde, ubi ventum fuerit ad curationem, homo in aquam demittetur in qua marrubium decoctum sit, aut cupressus, aut myrtus; idemque humor clystere intus adigetur: tum superponetur lenticula cum malicorio mixta; quae utraque ex vino decocta sint; vel rubus, aut oleae folia eodem modo decocta; aliave medicamenta, quae ad cohibendos purgandosque cancros proposuimus. Ex quibus, si qua erunt arida, per scriptorium calamum inspirabuntur. Ubi stare coeperit cancer, mulso vulnus eluetur: vitabiturque eo tempore ceratum, quod, ad recipiendum id malum, corpus emollit: potius plumbum elotum cum vino inungetur; superque idem linteolo illitum imponetur. Sub quibus perveniri ad sanitatem potest: cum eo tamen, quod non ignoremus, orto cancro saepe affici stomachum, cui cum vesica quaedam consortio est: exque eo fieri, ut neque retineatur cibus, neque, si quis retentus est, concoquatur, neque corpus alatur; ideoque ne vul-

(1) Ita Ed. Lindenii; libri antiqui, *non defuit* « Lupac. *non deficit* ».

(*) CAP. XXVII. *De Cancro qui excisa vesica nascitur.*


nus quidem aut purgari, aut ali possit: quae necessario mortem maturant. Sed ut his succurri nullo modo potest, sic a primo tamen die tenenda ratio curationis est. In qua quaedam observatio, ad cibum quoque potionemque pertinens, necessaria est. Nam cibus inter principia non nisi humidus dari debet: ubi vulnus purgatum est, ex media materia: olera et salsamenta semper aliena sunt. Potione opus est modica. Nam, si parum bibitur, accenditur vulnus, et vigilia urget, et vis corporis minuitur: si plus aequo assumitur, subinde vesica impletur, eoque irritatur. Non nisi aquam autem bibendam esse manifestius est, quam ut subinde dicendum sit. Solet vero sub ejusmodi victu evenire, ut alvus non reddatur. Haec aqua ducenda est, in qua vel foenum graecum, vel malva decocta sit. Idem humor rosa mixtus in ipsum vulnus oriculario clystere agendus est, ubi id rodit urina, neque purgari patitur. Fere vero primo per vulnus exit haec: deinde, eo sanescente, dividitur, et pars per colem descendere incipit, donec ex toto plaga claudatur. Quod interdum tertio mense, interdum non ante sextum, nonnumquam exacto quoque anno fit. Neque desperari debet solida glutinatio vulneris, nisi ubi aut vehementer rupta cervix est, aut ex cancro multae magnaeque caruncula, simulque nervosa aliqua exciderunt. Sed, ut vel nulla ibi fistula, vel exigua admodum relinquatur, summa cura providendum est. Ergo, quum jam ad cicatricem vulnus tendit, extentis jacere feminibus et cruribus oportet: nisi tamen molles arenosive calculi fuerunt. Sub his enim tardius vesica purgatur: ideoque diutius plagam patere necessarium est; et tum demum, ubi jam nihil tale extra fertur, ad cicatricem perduci. Quod si, antequam vesica purgata est, orae se glutinarunt, dolorque et inflammatio redierunt, vulnus digitis vel averso specillo diducendum est; ut torquentibus exitus detur: hisque effusis, quum diutius pura urina descendit, tum demum, quae cicatricem inducant, imponenda sunt; extendendique, ut supra docui, pedes quam maxime juncti. Quod si fistulae metus ex his causis, quas proposui, subesse videbitur, quo facilius claudatur ea, vel certe coangustetur, in anum quoque danda plumbea fistula est, extentisque cruribus femina talique inter se deligandi sunt, donec, qualis futura est, cicatrix sit.

Cap. XXVIII (*). Et hoc quidem commune esse maribus et feminis potest. Proprie vero quaedam ad feminas pertinent: ut in primis, quod earum naturalia nonnumquam, inter se glutinatis oris, concubitum non admittunt. Idque interdum evenit protinus in utero matris: interdum exulceratione in his partibus facta, et per malam curationem his oris sanescendo junctis. Si ex utero est, membrana ori

(*) Cap. XXVIII. *De naturalium feminarum concubitum non admittentium curatione.*

vulvae opposita est: si ex ulcere, caro id replet. Oportet autem membranam duabus lineis inter se transversis incidere ad similitudinem litterae X, magna cura habita, ne urinae iter violetur: deinde undique eam membranam excidere. At si caro increvit, necessarium est recta linea patefacere: tum ab ora vel vulsella (*a*), vel hamo apprehensa, tamquam habenulam excidere; et intus implicitum in longitudinem linamentum; λημνίσκον Graeci vocant; in aceto tinctum demittere, supraque succidam lanam aceto madentem deligare: tertio die solvere, et vulnus, sicut alia vulnera, curare. Quumque jam ad sanitatem tendet, plumbeam fistulam medicamento cicatricem inducente illinere, eamque intus dare: supraque idem medicamentum injicere, donec ad cicatricem plaga perveniat.

Cap. XXIX (*). Ubi concepit autem aliqua, si jam prope maturus partus intus emortuus est, neque excidere per se potest, adhibenda curatio est: quae numerari inter difficillimas potest. Nam et summam prudentiam moderationemque desiderat, et maximum periculum affert. Sed vulvae natura mirabilis, quum in multis aliis, tum in hac re quoque facile cognoscitur. Oportet autem ante omnia resupinam mulierem transverso lecto sic collocare, ut feminibus ejus ipsius ilia comprimantur: quo fit, ut et imus venter in conspectu medici sit, et infans ad os vulvae compellatur: quae, emortuo partu, id comprimit: ex intervallo vero paulum dehiscit. Hac occasione usus medicus, unctae manus indicem digitum primum debet inserere, atque ibi continere, donec iterum id os aperiatur, rursusque alterum digitum demittere, et per easdem occasiones alios, donec tota esse intus manus possit. Ad cujus rei facultatem multum confert et magnitudo vulvae, et vis nervorum ejus, et corporis totius habitus, et mentis etiam robur: quum praesertim intus nonnumquam etiam duae manus dari debeant. Pertinet etiam ad rem, quam calidissimum esse imum ventrem, et extrema corporis; nequedum inflammationem coepisse, sed recenti re protinus adhiberi medicinam. Nam, si corpus jam intumuit, neque demitti manus, neque educi infans nisi aegerrime potest: sequiturque saepe cum vomitu, et cum tremore mor-



(*) Cap. XXIX. *Qua ratione partus emortuus ex utero excutiatur.*

(*a*) Aliae vulsellae ex instrumentis Pompejanis, quae in R. Musaeo Neapolitano servantur, et a B. Vulpes descriptae sunt. Vide *Farmacopea Celsiana* in II Vol.

tifera nervorum distentio. Verum intus emortuo corpori manus injecta protinus habitum ejus sentit: nam aut in caput, aut in pedes conversum est; aut transversum jacet; fere tamen sic, ut vel manus ejus, vel pes in propinquo sit. Medici vero propositum est, ut eum manu dirigat vel in caput, vel etiam in pedes, si forte aliter compositus est. Ac, si nihil aliud est, manus vel pes apprehensus, corpus rectius reddit: nam manus in caput, pes in pedes eum convertit. Tum, si caput proximum est, demitti debet uncus undique laevis, acuminis brevis (a) qui vel oculo, vel auri, vel ori, interdum etiam fronti recte injicitur; deinde attractus infantem educit. Neque tamen quolibet is tempore extrahi debet. Nam, si compresso vulvae ore id tentatum est, non emittente eo, infans abrumpitur, et unci acumen in ipsum os vulvae delabitur; sequiturque nervorum distentio, et ingens periculum mortis. Igitur, compressa vulva, conquiescere; hiante, leniter trahere oportet; et per has occasiones paulatim eum educere. Trahere autem dextra manus uncum; sinistra intus posita infantem ipsum, simulque dirigere eum debet. Solet etiam evenire, ut is infans humore distendatur, exque eo profluat foedi odoris sanies. Quod si tale est, indice digito corpus illud forandum est, ut effuso humore extenuetur; tum id leniter per ipsas manus recipiendum est. Nam uncus injectus hebeti corpusculo facile elahitur: in quo, quid periculi sit, supra positum est. In pedes quoque conversus infans non difficulter extrahitur; quibus apprehensis per ipsas manus commode educitur. Si vero transversus est, neque dirigi potuit, uncus alae injiciendus, paulatimque attrahendus est. Sub quo fere cervix replicatur, retroque caput ad reliquum corpus spectat. Remedio est, cervix praecisa; ut separatim utraque pars auferatur. Id unco fit, qui, pri ori similis, in interiore tantum parte per totam aciem exacuitur (b). Tu m id agendum est, ut ante caput, deinde reliqua pars auferatur: qui a fere, majore parte extracta, caput in vacuam vulvam prolabitur, ex trahique sine summo periculo non potest. Si tamen id incidit, super ventrem mulieris duplici panniculo injecto, valens homo, non


1

(a) Uncus ferri cum manubrio aeris, maximus ex uncis Pompejanis a B. Vulpes descriptis, et forsan uncus est, undique aevis acuminis brevis, quem Celsus ad extrahendum foetum ex utero proponit. Vid. *Farmacopea Celsiana* in II Vol.

(b) Vide uncum Amb. Paraei, fig. 4. pag. 232.

imperitus, a sinistro latere ejus debet assistere, et super imum ventrem ejus duas manus imponere, alteraque alteram premere: quo fit, ut illud caput ad os vulvae compellatur; idque eadem ratione, quae supra posita est, unco extrahitur. At si pes alter juxta repertus est, alter retro cum corpore est, quidquid protractum est, paulatim abscindendum est: et, si clunes os vulvae urgere coeperunt, iterum retro repellendae sunt, conquisitusque pes ejus adducendus. Aliaeque etiamnum difficultates faciunt, ut, qui solidus non exit, concisus eximi debeat. Quoties autem infans protractus est, tradendus ministro est. Is eum supinis manibus sustinere; medicus deinde sinistra manu leniter trahere umbilicum debet ita, ne abrumpat, dextraque eum sequi usque ad eas, quas secundas vocant, quod velamentum infantis intus fuit; hisquo ultimis apprehensis, venulas membranulasque omnes eadem ratione manu diducere a vulva, totumque illud extrahere, et si quid intus praeterea concreti sanguinis remanet. Tum compressis in unum feminibus, illa conclavi collocanda est, modicum calorem, sine ullo perflatu, habente; et super imum ventrem ejus imponenda lana succida in aceto et rosa tincta. Reliqua curatio talis esse debet, qualis in inflammationibus, et in iis vulneribus, quae in nervosis locis sunt, adhibetur.

Cap. XXX (*). 1. Ani quoque vitia, ubi medicamentis non vincuntur, manus auxilium desiderant. Ergo, si qua scissa in eo vetustate induruerunt, jamque callum habent, commodissimum est ducere alvum, tum spongiam calidam admovere, ut relaxentur illa, et foras prodeant: ubi in conspectu sunt, scalpello singula excidere et ulcera renovare; deinde imponere linamentum molle, et super linteolum illitum melle; locumque eum molli lana implere, et ita vincire: altero die, deincepsque ceteris, lenibus medicamentis uti, quae ad recentia eadem vitia necessaria esse, alias proposui: et utique per primos dies sorbitionibus eum sustinere; paulatim deinde cibis adjicere aliquid, generis tamen ejus, quod eodem loco praeceptum est. Si quando autem ex inflammatione pus in his oritur, ubi primum id apparuit, incidendum est; ne anus ipse suppuret. Neque tamen ante properandum est: nam, si crudum incisum est, inflammationi multum accedit, et puris aliquanto amplius concitatur. His quoque vulneribus, lenibus cibis, iisdemque medicamentis opus est.

2. At tubercula, quae χονδυλώματα appellantur, ubi induruerunt, hac ratione curantur. Alvus ante omnia ducitur: tum vulsella tuberculum apprehensum juxta radices exciditur. Quod ubi factum est, eadem sequuntur, quae supra post curationem adhibenda esse proposui: tantummodo, si quid increscit, squama aeris coercendum est.

3. Ora etiam venarum, fundentia sanguinem, sic tolluntur. Ubi san-

(*) Cap. XXX. *De ani vitiis.*

guini, qui effluit, sanies adjicitur, alvus acribus ducitur, quo magis ora promoveantur: eoque fit, ut omnia venarum quasi capitula conspicua sint. Tum si capitulum exiguum est, basimque tenuem habet, adstringendnm lino paulum supra est, quam ubi cum ano committitur: imponenda spongia ex aqua calida est, donec id liveat: deinde aut ungue, aut scalpello supra nodum id exulcerandum est. Quod nisi factum est, magni dolores subsequuntur; interdum etiam urinae difficultas. Si id majus est, et basis latior, hamulo nno aut altero excipiendum est, pauluinque supra basim incidendum: neque relinquendum quidquam ex eo capitulo, neque quidquam ex ano demendum est; quod consequitur is, qui neque nimium, neque parum hamos ducit. Qua incisum est, acns debet immitti, infraque eam lino id capitulum alligari. Si duo triave sunt, imum quodque primum curandum est: si plura, non omnia simnl; ne tempore eodem undique tenerae cicatrices sint. Si sanguis profluit, excipiendus est spongia: deinde linamentum imponendum, ungenda femina, et inguina, et quidquid juxta nlcus est, ceratumque superdandum, et farina bordeacea calida implendus is locus, et sic deligandus est. Postero die is desidere in aqua calida debet, eodemque cataplasmate foveri. Ac bis die, et ante curationem, et post eam, coxendices ac femina liqnido cerato perungenda snnt; tepidoque is loco continendus. Interpositis quinque aut sex diebus, oriculario specillo linamenta educenda; si capitula simul non exciderunt, digito promovenda: tum lenibus medicamentis, iisdemque, quae alibi posui, ulcera ad sanitatem perducenda. Finito vitio, quemadmodum agendum esset, jam alias exposui.

Cap. XXXI (*). Ab his ad crura proximns transitus est. In quibus orti varices non difficili ratione tolluntur. Huc autem et earum venularum, quao in capite nocent; et eorum varicum, qui in ventre snnt curationem distuli: quoniam ubique eadem est. Igitur vena omnis, quae noxia est, aut adusta tabescit, aut manu eximitur. Si recta; si, quamvis transversa, tamen simplex; si modica est, melius aduritur. Si curva est, et velut in orbes quosdam implicatur, pluresque inter se involvuntur, utilius eximere est. Adurendi ratio haec est. Cutis superinciditur: tum patefacta vena, tenui et retuso ferramento candente modice premitur; vitaturque, ne plagae ipsius orae adurantur: quas reducere hamulis facile est. Id interpositis fere quaternis digitis per totum varicem fit: et tum superimponitur medicamentum, quo adusta sanantur. At exciditur hoc modo. Cute eadem ratione super venam incisa, hamulo orae excipiuntur; scalpelloque undique a corpore vena diducitur; caveturque, ne inter haec ipsa laedatur; eique retusus hamulus subjicitur; interpositoque eodem fere spatio,

(*) Cap. XXXI. *De varicibus.*

quod supra positum est, in eadem vena idem fit: quae, quo tendat, facile hamnlo extento cognoscitur. Ubi jam idem, quacumque varices sunt, factum est, uno loco adducta per hamulum vena praeciditur: deinque, qua proximus hamus est, attrahitur et evellitur; ibique rursus abscinditur. Ac sic undique varicibus crure liberato, plagarum orae committuntur, et super emplastrum glutinans injicitur.

Cap. XXXII (*). At, si digiti vel in utero protinus, vel propter communem exulcerationem postea cohaeserunt, scalpello diducuntur: dein separatim uterque non pingui emplastro circumdatur: atque ita per se uterque sanescit. Si vero fuit ulcus in digito, posteaque male inducta cicatrix curvum eum reddit; primum malagma tentandum est: dein si id nihil prodest, (quod et in veteri cicatrice, et ubi nervi laesi sunt, evenire consuevit), videre oportet, nervine id vitium, an cutis sit. Si nervi est, attingi non debet: neque enim sanabile est. Si cutis, tota cicatrix excidenda; quae fere callosa extendi digitum minus patiebatur: tum rectus sic ad novam cicatricem perducendus est.

Cap. XXXIII (**). Gangraenam inter ungues alasque aut inguina nasci; et, si quando medicamenta vincuntur, membrum praecidi oportere, (1) alio loco mihi dictum est. Sed id quoque cum periculo summo fit: nam saepe in ipso opere vel profusione sanguinis, vel animae defectione moriuntur. Verum hic quoque nihil interest, an satis tutum praesidium sit, quod unicum est. Igitur inter sanam vitiatamque partem incidenda scalpello caro usque ad os est sic, ut neque contra ipsum articulum id fiat, et potius ex sana parte aliquid excidatur, quam ex aegra relinquatur. Ubi ad os ventum est, reducenda ab eo sana caro, et circa os subsecanda est, ut ea quoque parte aliquid os nudetur: dein id serrula praecidendum est, quam proxime sanae carni etiam inhaerenti: ac tum frons ossis, quam serrula exasperavit, laevanda est, supraque inducenda cutis; quae sub ejusmodi curatione laxa esse debet, ut quam maxime undique os contegat. Quo cutis inducta non fuerit, id linamentis erit contegendum, et super id spongia ex aceto deliganda. Cetera postea sic facienda, ut in vulneribus, (2) in quibus pus moveri debet, praeceptum est.

(1) Lib. 5. 26. cap. sect 34. (2) Ita habent omnes veteres libri; et ita legendum esse Cocchius docet ex loco quodam Heliodori, Graeci Chirurgi de membris abscindentis; quem locum ipse ita latine reddit: *a tertio quartove die, quum jam sanguinis profusio destitit, curatio adhibenda puri movendo idonea.* Vide ejus orationem de Anat. editam an. 1747.

(*) Cap. XXXII *De digitis cohaerentibus, et curvatis.*
(**) Cap. XXXIII. *De gangraena.*

A. CORNELII CELSI

ARTIUM LIBER DECIMUS TERTIUS

IDEM

MEDICINAE

OCTAVUS.

Cap. I (*). Superest ea pars, quae ad ossa pertinet: quae quo facilius accipi possit, prius positus figurasque eorum indicabo. Igitur calvaria incipit ex interiore parte concava, extrinsecus gibba, utrimque laevis, et qua cerebri membranam contegit, et qua cute, capillum gignente, contegitur: eaque simplex ab occipitio et temporibus; duplex usque in verticem a fronte est: ossaque ejus ab exterioribus partibus dura: ab interioribus, quibus inter se connectuntur, molliora sunt: interque ea venae discurrunt, quas his alimentum subministrare, credibile est. Raro autem calvaria solida sine suturis est: locis tamen aestuosis facilius invenitur; et (1) id caput firmissimum, atque a dolore tutissimum est. Ex ceteris, quo suturae pauciores sunt, eo capitis valetudo commodior est. Neque enim certus earum numerus est, sicut ne locus quidem. Fere tamen duae super aures tempora a superiore capitis parte discernunt: tertia (2) ad aures per verticem tendens, occipitium a summo capite diducit: quarta ab eodem vertice per medium caput ad frontem procedit; eaque modo sub imo capillo desinit, modo frontem ipsam secans inter supercilia finitur. Ex his ceterae quidem suturae in unguem committuntur: eae vero, quae super aures transversae sunt, totis oris paulatim extenuantur; atque ita inferiora ossa superioribus leniter

(1) Contra Hippocrates de Locis In Homine ita scribit: *qui pluree suturas habent, hi capite melius valent.* (2) Ed. Salingiacensis habet *ad nares*. Lindenius legit *ad latera*, ut malebat Paawius. Sed retinendum *ad auree*. Nam, ut animadvertit Morgagnus « *tendere ad aures sutura* dicitur, *non pervenire; quemadmodum lata scapularum ossa infra dicentur* ad spinam tendere, *quam certe non assequuntur: et si tendere non aliud hic quam pervenire, significaret; plura non deeseent capita in quibus ea sutura ubi ad temporum ossa ventum est, se quasi dividere, et in unguem exterius commissa, inter processus Mastoidie radicem, et os sincipitis ad auriculam pergere*

(*) Cap. I. *De positu et figura ossium totius humani corporis.*

insidunt. Crassissimum vero in capite os post aurem est ; qua capillus, ut verisimile est, ob id ipsum non gignitur (3). Sub his quoque musculis, qui tempora continent (4), os medium, in exteriorem partem inclinatum, positum est. At facies suturam habet maximam; quae a tempore incipiens, per medios oculos naresque transversa pervenit ad alterum tempus. A qua breves duae sub interioribus angulis deorsum spectant. Et malae quoque in summa parte singulas transversas suturas habent. A mediisque naribus , aut superiorum dentium gingivis per medium palatum una procedit ; aliaque transversa idem palatum secat. Et suturae quidem in plurimis hae sunt (5). Foramina autem intra caput maxima oculorum sunt; deinde narium; tum quae in auribus habemus. Ex his quae oculorum sunt, recta simpliciaque ad cerebrum tendunt. Narium duo foramina osse medio discernuntur : siquidem hae primum a superciliis , angulisque oculorum osse inchoantur ad tertiam fere partem: deinde in cartilaginem versae , quo propius ori descendunt , eo magis carunculā quoque molliuntur. Sed ea foramina, quae a summis ad imas nares simplicia sunt, ibi rursus in bina itinera dividuntur : aliaque ex his ad fauces pervia, spiritum et reddunt et accipiunt; alia, ad cerebrum tendentia , ultima parte in multa et tenuia foramina dissipantur, per quae sensus odoris nobis datur. In aure quoque primo rectum et simplex iter , procedendo flexuosum , juxta cerebrum in multa et tenuia foramina diducitur , per quae facultas audiendi est. Juxtaque ea duo parvuli quasi sinus sunt; superque eos finitur os , quod transversum a genis tendens, ab inferioribus ossibus sustinetur. Jugale appellari potest ab eadem similitudine, a quo id Graeci ζυγώδες appellant (6). Maxilla (a) vero est molle os, eaque una est: cujus eadem et media , et ima pars mentum est : a quo utrimque procedit ad tempora ; solaque ea movetur. Nam malae cum toto osse, quod superiores dentes

videatur ». (3) Ita hunc locum emendavit Morgagnus iis ipsis Celsi verbis quae habentur cap. 4. hujus lib. *inter musculos qui tempora continent*. In libris antiquis legitur *Sub his quoque musculis qui tempora connectunt*; in margine Ed. Constantinianae, *contegunt* pro *connectunt*. Lindenius ita edidit : *Super hos quoque musculos*, *qui tempora contegunt*; mutatione minime necessaria. *Stante enim homine*, ut Morgagnus docet, *est Jugale os infra totos ferme eos musculos*. (4) Morgagnus censet his verbis eam calvariae partem designari, *quae, sub his musculis latens, contra medium ferme ipsorum in exteriorem inclinatur partem*. In Ed. 1481. et aliis multis pro *inclinatum est inclinatam*. Stephanus perperam legit *os medium in interiorem partem inclinatum*. (5) Paawius haec adnotat *multo tamen capacius quod occiput ostendit foramen*: contra Morgagnus; *Celsus, qui hanc ossium descriptionem non ob aliam causam suscepit*, *nisi* quo facilius accipi possent, *quae de agendis a chirurgo circa ossa erat protinus scripturus*, *alia hic foramina sibi attendenda*, *diserteque memoranda non censuit*: *diserte*, *inquam* : *nam sicuti quae de suturis omnibus dixit*, *satis esse*, *credidit*, *ut inde ossa*, *quae non sigillatim nominabat*, *intelligerentur*; *ita ex eo quod de* spinae medulla cerebro commissa *attingere mox debebat*, *foramen per quod e capite haec intra vertebras descenderet*, *intellectum iri*, *non dubitavit*. (6) Vide a. Morgagni Epistolam in Celsum ; itemque Epistolas 5. 6. et 7. in fine hujus operis.

(a) Lupac. corr. *Maxilla vero maxima est mole.*

exigit, immobiles sunt. Verum ipsius maxillae partes extremae quasi bicornes sunt. Alter processus, infra latior, vertice ipso tenuatur, longiusque procedens sub osse jugali subit, et super id temporum musculis illigatur. Alter brevior et rotundior, et in eo sinu, qui juxta foramina auris est, cardinis modo fit; ibique huc et illuc se inclinans maxillae facultatem motus praestat. Duriores osse dentes sunt: quorum pars maxillae, pars superiori ossi malarum haeret. Ex his quaterni primi, quia secant (7), τομικοί a Graecis nominantur. Hi deinde quatuor caninis dentibus ex omni parte cinguntur. Ultra quos utrimque fere maxillares quini sunt, praeterquam in iis, in quibus ultimi, qui sero gigni solent, non increverunt. Ex his primores singulis radicibus; maxillares utique binis, quidam etiam ternis, quaternisve nituntur. Fereque longior radix breviorem dentem edit; rectique dentis recta etiam radix, curvi flexa est. Exque eadem radice in pueris novus dens subit, qui multo saepius priorem expellit: interdum tamen supra infrave eum se ostendit. Caput autem spina excipit. Ea constat ex vertebris quatuor et viginti. Septem in cervice sunt, duodecim ad costas, reliquae quinque sunt proximae costis. Eae teretes brevesque ab utroque latere processus duos exigunt: mediae perforatae, qua spinae medulla cerebro commissa descendit (8): circa quoque per duos processus tenuibus cavis perviae, per quae a membrana cerebri similes membranulae deducuntur (9). Omnesque vertebrae, exceptis tribus summis, a superiore parte in ipsis processibus paulum desidentes sinus habent: ab inferiore alios deorsum versus processus exigunt. Summa igitur protinus caput sustinet, per duos sinus receptis exiguis ejus processibus. Quo fit (10),

(7) Ita Edd. Ruellii, Gryphii, Pantini, Constantini, et Stephani; Edd. sex primae, *temnici*; Manotianae, τεμνικοί, Caesariana, τέμνικοι, et in margine « alias τομεῖς ». Coechius quoque pro *comie* quod est in Cod. med. 1. legit τομεῖς. Cod. Vat. VIII. habet *comis*, ut Med 1. alii, *tenici*. Enarrator quidam Scholae Salernitanae ad cap. 86. ita scribit: *Dicitur, homini inesse 32. dentes et hoc quidem in corpore bene constituto, ut quaelibet maxilla tam superior, quam inferior sexdecim dentium sit capax. Quaterni primores, sive adversi τομεῖς et τομικοὶ Graece nominantur.* (8) Morgagnus in Epist. 3. ita scribit: *qui haec mutanda cogitarunt, non videntur animadvertisse, quemadmodum, in cervice praesertim, per cavos a superiore facie processus meninges, et nervi exeant, ut neque, si hic particula* per *mutanda sit, capite quoque* 14. *mutari oportere, ubi summo omnium, atque adeo ipsorum etiam consensu scriptum est, vertebras non posse excidere*, nisi et medulla, quae per medium, et duabus membranulis, quae per duos a lateribus processus feruntur, et nervis qui continens, ruptis. (9) Totus hic locus ad vertebras pertinens corruptus est. Verba haec *exceptis tribus summis*, Morgagnus censet, aut non esse Celsi, aut aliter ab eo fuisse scripta. *Nam*, inquit, *si vertebrae tres summae superioribus carent sinibus, itemque processibus inferioribus; quomodo prima vertebra sinus habet, ut est in periodo sequenti, quibus capitis processus recipiat? et quomodo tertia vertebra tubercula quae inferiori inserantur, exigit*; ut dicitur paulo post? (10) Constantinus haec adnotat « Al. *versus moveatur, et tuberibus exasperetur* » Paawius adverbium *sursum* intrusum esse putat, quia *deorsum versus processus tantummodo exserit caput*. Sed retinendum *sursum deorsum versum*, ut attollendi inclinandive capitis motus intelligatur. Ita censet Morgagnus; qui tamen suspicatur aliquid hic redundare, aut aliter legendum esse.

ut caput sursum deorsum versum tuberibus exasperetur (11). Secunda superiori parti inferiori. Quod ad circuitum pertinet, pars summa angustiore orbe finitur: ita superior ei summae circumdata in latera quoque caput moveri sinit (12). Tertia eodem modo secundam excipit: ex quo facilis cervici mobilitas est. Ac ne sustineri quidem caput posset, nisi utrimque recti valentesque nervi collum continerent, quos τένοντας Graeci appellant: siquidem horum inter omnes flexus alter semper intentus ultra prolabi superiora non patitur. Jamque vertebra tertia tubercula, quae inferiori inserantur, exigit. Ceterae processibus deorsum spectantibus in inferiores insinuantur, ac per sinus quos utrimque habent, superiores accipiunt; multisque nervis et multa cartilagine continentur. Ac sic uno flexu modico in pronum dato (13), ceteris negatis, homo et rectus insistit, et aliquid ad necessaria opera curvatur. Infra cervicem vero summa costa contra humerum sita est. Inde sex inferiores usque ad imum pectus proveniunt: eaeque, primis partibus rotundae, et leniter quasi capitulatae, vertebrarum transversis processibus ibi quoque paulum sinuatis, inhaerent: inde latescunt, et in exteriorem partem recurvatae paulatim in cartilaginem degeneraut; eaque parte rursus in interiora leniter flexae committuntur cum osse pectoris (14). Quod valens et

Nam, inquit, *si nihil aliud* Celsus *scripsisset*, *nisi* Quo fit, ut caput sursum deorsum vertatur, *aut* verti possit; *jam satis omnia exposita essent*; tubera *enim*, *quibus*, *additum est*, *caput* exasperari, *iidem nempe* exigui ejus processus *sunt*, *de quibus proxime dictum erat*. Lindenius legit *ut caput deorsum parvis tuberibus exasperetur*. Sed Morgagno vox *parvis* videtur supervacua, quoniam Celsus *exigui processus* supra dixit. (11) Lindenius legit *Secunda superiorie parti inferiori inseritur*, addito verbo *inseritur* ex Codice quodam Constantini. Sed neque verbum hoc in ullo veteri libro scripto editove, quem ego viderim invenitur; neque per id, et mutationes a Lindenio factas locus restitutus est. Morgagnus suspicatur periodum hanc, mendose adeo scriptam, e librorum margine in contextum irrepsisse; et periodo antecedenti *Quo fit*, *ut caput* etc. addendam esse sequentem *Quod ad circuitum pertinet*; ac legendum *secundae pars summa angustiore orbe finitur*. (12) Haec quoque periodus Morgagno videtur aliena. *Num*, inquit, *secunda ab ima etiam parte alterum ejusmodi processum exigit*, *cui tertia ad eundem modum circumdetur vertebra?* (13) Fortasse legendum *et erectus*. Ostendit Celsus quomodo fiat, ut homo aliquantum ad necessaria opera curvetur, et tamen erectus insistat, id est non prolabatur. Hanc lectionem protulit Cocchius ex Cod. Mediceo, cum vulgo legeretur ex aliis Codd. *ceteris negotiis homo et rectus insistit*. Mirari licet Krausium hos Codd. sequi maluisse mutata voce *uno* in *una*. Ita ille scribit: *Locus hic prout a priscis, et a me restitutus est, summam perspicuitatem accipit, si* una *scribas pro* uno. *Nam Celsus ignorare non poterat, homini datum esse flexum et in priora et in posteriora et ad latera*; *ergo non unus flexus datus est*, *quare et Cocchius* ceteris (scil. *flexibus*) negatis *probans*, *errat*. *Si* una *legeris*, *facillimus verborum Celsi explicatus est*. *Scil. quia vertebrae et multa cartilagine et nervis continentur*, *et quia* una *flexus modicus in promptum datus*, *homo et rectus insistit* etc. Ego quidem Cocchio assentior, et Codd. Medic. I. et Vatic. VIII sequor. — (14) Lindenius, et alii legunt *quod valens ac durum* etc. ut est in Ed. Caesarii. Paawius in hunc locum ita scribit: *nisi legatur a jugulo*, *non video qui erroris excusari possit Celsus*. *Quid enim sterno cum faucibus intercedit? universa colli longitudo media visitur*. Morgagnus Paawium ipsum reprehendit, quod non attenderit, *fauces ad imam usque laryngis cartilaginem pervenire*: *quae cartilago in eo qui secundum naturam frequentissimus*, *et prope assiduus est*, *capitis*, *et colli positu*, *ferme summae*

durum a faucibus iucipit, ab utroque latere lunatum, et a praecordiis, jam ipsum quoque cartilagine mollitum, terminatur. Sub costis vero prioribus quinque, quas νόθας Graeci nominant, breves tenuioresque, atque ipsae quoque paulatim in cartilaginem versae, extremis abdominis partibus inhaerescunt; imaque ex his, majore jam parte nihil, nisi cartilago est. Rursus a cervice duo lata ossa (15) utrimque ad scapulas tendunt: nostri scutula operta, ὠμοπλάτας Graeci nominant. Ea in summis verticibus sinuata, ab his triangula, paulatimque latescentia ad spinam tendunt; et quo latiora quaque parte sunt, hoc hebetiora. Atque ipsa quoque, in imo càrtilaginosa, posteriore parte velut innatant; quoniam, nisi in summo, nulli ossi inhaerescunt. Ibi vero validis musculis nervisque constricta sunt. At a summa costa paulo interius, quam ubi ea media est, os excrescit, ibi quidem tenue, procedens vero, quo propius lato scapularum ossi fit (16), eo plenius latiusque et paulum in exteriora curvatum, quod altera verticis parte modice intumescens, sustinet jugulum. Id autem ipsum recurvum, ac neque inter durissima ossa numerandum, altero capite in eo, quod posui, altero in exiguo sinu pectoralis ossis insidit, paulumque motu brachii movetur, et cum lato osse scapularum infra caput ejus nervis et cartilagine connectitur. Hinc humerus incipit, extremis utrimque capitibus tumidus, mollis, sine medulla, cartilaginosus: medius teres, durus, medullosus (17): leniter gibbus in priorem et posteriorem et interiorem; cavus in exteriorem partem. Prior autem pars est, quae a pectore est; posterior, quae ab scapulis; interior, quae ad latus tendit; exterior, quae ab eo recedit: quod ad omnes articulos pertinere in ulterioribus patebit. Superius autem humeri caput rotundius, quam cetera ossa, de quibus adhuc dixi, parvo excessu (18) vertici lati scapularum ossis inseritur, ac

respondet parti ossis pectoris, aut certe non multo supra est. (15) Morgagnus hic quoque communem lectionem contra Paawium tuetur. *Paawius*, inquil, *legendum propemodum censet* ad claviculas, *haud animadvertens, scapulas ibi accipi pro corporis regione; quas autem scapulas nunc vocitant anatomici, duo illa esse lata ossa, quorum descriptionem Celsus recte incipit a superiore, non, ut Paawius facit, ab inferiore, et reliqua illa parte qua* velul innatant. (16) Ita in Codd Med. I. et Vat. VIII. Alii Codd. atque Edd. sex primae, et Manutianae habent *eo plenius latiusque, et paulatim in exteriora curvatum: quod propius altera verticis parte* etc. Caesarius, et alii legunt *eo plenius latiusque, et paulatim in exteriora* (Paawius, *in interiora*) *curvatur: quod propius altera verticis parte* etc. Lindenius, *eo plenius est, paululum in interiora curvatum, quod protinus altera verticis parte* etc Opus est hic legere, quae de hoc difficili ad explicandum loco scripsit Morgagnus in Epist. 7. infra in hoc vol.

(17) Ita hunc locum; *Celso, et re ipsa ducibus; a librariorum facillima in hujusmodi praesertim verbis describendis hallucinatione*, vindicandum censet Morgagnus. Celsus enim haec statim subjicit, superioribus respondentia, *Prior autem pars est, quae a pectore est; posterior, quae ab scapulis; interior, quae ad latus tendit; exterior, quae ab eo recedit.* Codd. Mss. atque Edd. sex primae, Caesariana, Ruelliana, et Pauliniana habent *leniter gibbus et in priorem et in exteriorem partem.* Manutii, Constantinus, et Stephanus legunt *leniter gibbus, et in priorem et posteriorem, interiorem et exteriorem partem*; Lindenius, *leniter cavus, in priorem et interiorem; gibbus in posteriorem et exteriorem partem.* (18) Ita le-

majore parte extra situm nervis deligatur. At inferius duos processus habet: inter quos, quod medium est, magis etiam extremis partibus sinuatur. Quae res sedem brachio praestat: quod constat ex ossibus duobus. Radius, quem κερκίδα Graeci appellant, superior breviorque, et primo tenuior, rotundo et leniter cavo capite exiguum humeri tuberculum recipit; idque ibi nervis et cartilagine continetur. Cubitus inferior longiorque, et primo plenior, in summo capite duobus quasi verticibus exstantibus in sinum humeri, quem inter duos processus ejus esse proposui, se inserit. Primo vero duo brachii ossa juncta paulatim diremuntur, rursusque ad manum coeunt, modo crassitudinis mutato: siquidem ibi radius plenior, cubitus admodum tenuis est. Dein radius, in caput cartilaginosum consurgens (19), in vertice *ejus* sinuatur: cubitus rotundus in extremo, parte altera paulum procedit. Ac, ne saepius dicendum sit, illud ignorari non oportet, plurima ossa in cartilaginem desinere, nullum articulum non sic finiri. Neque enim aut moveri posset, nisi laevi inniteretur; aut cum carne nervisque conjungi, nisi ea media quaedam materia committeret. In manu vero prima palmae pars ex multis minutisque ossibus constat, quorum numerus incertus est. Sed oblonga omnia et triangula, structura quadam inter se connectuntur, quum invicem superior alterius planities sit: eoque fit ex his unius ossis paulum in interiora concavi species. Verum ex manu duo exigui processus in sinum radii conjiciuntur. Tum ex altera parte recta quinque ossa, ad digitos tendentia, palmam explent. A quibus ipsi digiti oriuntur; qui

gendum esse docuit Morgagnus. Vide ejus epist. 2. et 3. Liber Guilandini habet *verticilati*; Cod. Vat. VIII. *vertigillati*; Med. 1. *verticiliati*; a manu autem, non Palavicini, sed alii, recentioris emendatoris *vertici lati*. In aliis Codd. legitur *vertici latis* (in al. *verticilatis*; in al *verticulatis*; in Vat. 1. *articulotis*) *scapularum ossibus*. Vulgo quoque alii legunt *verticilatis*; alii, *verticillatis*; alii, et quidem plerique, *verticulatis scapulorum ossibus*; Lindenius, *verticillati scapularum ossi*. 2 Lupac. leg. uti Targa 1. (19) *Gravis suspicio* (ita scribit Morgagnus) *in ea cadit*, in cervicem ejus insinuatur. *Nam primum quae est cubiti cervix? aut ubi a Celso indicata est? Deinde quomodo radius in imum cubitum insinuatur, si cubitus ibi in radium se insinuat? Denique cum summam radii partem* leniter cavam *esse, a Celso non fuerit praetermissum; quomodo in ima tanto ampliorem sinum omittere potuisset? aut si amisisset; qui mox posset illum, ubi de manu verba facit, non secus ac si propositus antea esset, commemorare? Alii legunt* in verticem ejus sinuatur: *Constantinus in libri margine* in vertice etc ... *Quid tamen adhuc ista faciemus voce* cervicem, *aut* verticem, *aut* vertice? *Verticem ut pro infima radii parte dici potuisse, non negaremus, illa tamen adjecta vox ejus non digna ibi Celso videretur, sive ad radium velis referre, sive ad radii caput. Satis enim fuisset scribere*, in vertice sinuatur. *Si quid ego suspicer, quaeris; a te peto, ut propositum locum attente relegas, et Celsi mentem in describenda alterna illa superius atque inferius radii, et cubiti mutatione perpendas. Continuo idem quod ego, suspicaberis, ut radium quem in summo tenuiorem, quam cubitum, dixerat, in imo dicit esse crassiorem; ita quoque eundem quem illic ostenderat multo minus, quam cubitum, ad juncturam pertinere; hic contra, unum ferme cum manu committi, ostendere debuisse, et quod consequitur, tradere, cubiti loco radium ipsum sinuari. Quod praeclare fecerit, si, ut puto, scripserit* in vicem ejus, *id est* cubiti, sinuatur. *Ita autem scribere potuisse cum aliorum, tum Celsi ipsius commonstrant exempla. Quorum hoc proposito simillimum et maxime geminum, est lib. 4.*

ex ossibus ternis constant (20): omninmque eadem ratio est. Interius os in vertice sinuatur, recipitque exterioris exiguum tuberculnm; nervique ea continent. A qnibus orti ungues indurescunt: ideoque non ossi, sed carni magis radicibus suis inhaerent.

Ac superiores quidem partes sic ordinatae sunt. Ima vero spina in coxarum osse (21) desidit; quod transversum longeque valentissimum, vulvam, vesicam, rectum intestinum tuetur. Idque ab exteriore parte gibbnm; ad spinam resupinatum; a lateribus, id est in ipsis coxis, sinus rotundos habet. A qnibus oritur os, quod pectinem vocant; idque super intestina snb pube transversum, ventrem firmat: rectius in viris, recurvatum magis in exteriora in feminis, ne partum prohibeat. Inde femina ordinntur. Quorum capita rotundiora etiam quam humerornm sunt; quum illa ex ceteris rotundissima sint. Infra vero duos processus a priore et a posteriore parte habent. Dein dura et medullosa (22) et ab exteriore parte gibba, rursus ab inferioribus quoque capitibns intumescunt. Superiora in sinus coxae, sicut humeri in ea ossa, quae scapularum sunt, conjiciuntur: tum infra introrsus leniter tendunt, quo aequalins superiora membra sustineant (23). Atque inferiora quoque capita media sinuantur, quo facilius excipi a cruribus possint. Quae commissura osse parvo, molli, cartilaginoso tegitur: patellam vocant. Haec super innatans, neque nlli ossi inhaerens, sed carne et nervis deligata, pauloque magis ad femoris os tendens (*a*), inter omnes crurum flexus juncturam tuetur. Ipsum autem crus est ex ossibus duobus. Etenim per omnia femur humero, crus brachio simile est: adeo ut habitus quoque et decor alterius ex altero cognoscatnr: quod ab ossibus incipiens, etiam in carne respondet. Verum alterum os ab exteriore parte surae positum est; quod ipsum quoque sura nominatur. Id brevius,

cap. 13. Sed hic vinum sorbere, ut supra praecepimus, morbus ipse non patitur: in vicem ejus cremor ptisanae sorbendus est. (20) *Excepto pollice*, inquit Paawius. *Scilicet haec*, ut ait Morgagnus, *atque alia ejusmodi, etiam quae Paawius non advertit, ut, exempli causa, cruris os quod vocamus fibulam, altero quod tibiam dicimus, brevius esse, hallucinationes sunt magno Viro, et iis temporibus scribenti, eo facilius condonandae, quod plurima simul recte tradidit, et in iis quaedam non iis temporibus expectanda.* (21) Verbum hoc *indicare videtur aliquid de Sacri ossis concavitate, in qua, hactenus extuberans, spina repente subsidit*; ut animadvertit Morgagnus. (22) Crediderim (ita scribit Morgagnus) *Celsum scripsisse*. a priore, *aut, si minus recedere a communi lectione velis*, ab anteriore: *aut si forte* ab exteriore *scripsit non tam quia inde quoque, in nonnullis praesertim corporibus, nonnihil gibba sint, quam ut Hippocrati obsequeretur; non omisisse tamen a priore*, *ut simul id quod multo evidentius est, simul ipsum sequeretur Hippocratem cujus haec verba sunt* (in lib. de Fract. s. 18.) considerare oportet, quod femur gibbosum magis est ad externam partem, quam ad internam, et magis ad anteriorem, quam posteriorem. — (23) Cum omnes legerent *Atque in eo inferiora quoque capita*; Morgagnus censuit, aut inducendas esse duas voces *in eo*, aut fortasse legendum *ideo*. Ego eo fidentius voces illas sustuli, quod in Codd. Med. I. et Val. VIII. scriptum inveni *At in eo inferiora*; mendose scilicet *At in eo* pro *Atque*.

(*a*) Lupac. corr. *inter feminum*.

supraque tenuius, ad ipsos talos intumescit. Alterum a priore parte positum, cui tibiae nomen est, longius et in superiore parte plenius, solum cum femoris inferiore capite committitur; sicut cum humero cubitus. Atque ea quoque ossa, infra supraque conjuncta, media, ut in brachio, dehiscunt. Excipitur autem crus infra osse transverso talorum; idque ipsum super os calcis situm est, quod quadam parte sinuatum, quadam excessus habens, et procedentia ex talo recipit, et in sinum ejus inseritur. Idque sine medulla durum, magisque in posteriorem partem projectum, teretem ibi figuram repraesentat. Cetera pedis ossa ad eorum, quae in manu sunt, similitudinem structa sunt: planta palmae, digiti digitis, ungues unguibus respondent.

Cap. II (*). Omne autem os, ubi injuria accessit, aut vitiatur, aut finditur, aut frangitur, aut foratur, aut colliditur (1), aut loco movetur. Id, quod vitiatum est, primo fere pingue fit; deinde vel nigrum, vel cariosum: quae, supernatis gravibus ulceribus aut fistulis, hisque vel longa vetustate, vel etiam cancro occupatis, eveniunt. Oportet autem ante omnia os nudare, ulcere exciso; et, si latius est ejus vitium, quam ulcus fuit, carnem subsecare, donec undique os integrum pateat; tum id, quod pingue est, semel iterumve satis est admoto ferramento adurere (2), ut ex eo squama secedat; aut radere, donec jam aliquid cruoris ostendatur, quae integri ossis nota est. Nam necesse est aridum sit id, quod vitiatum est. Idem in cartilagine quoque laesa faciendum est: siquidem ea quoque scalpello radenda est, donec integrum id sit, quod relinquitur. Deinde, sive os sive cartilago rasa est, nitro bene trito respergenda est. Neque alia facienda sunt, ubi caries, nigritiesve in summo osse est: siquidem id vel paulo diutius eodem ferramento adurendum, vel radendum est. Qui radit haec, audacter imprimere ferramentum debet, ut et agat aliquid, et maturius desinat. Finis est, quum vel ad album os, vel ad solidum ventum est. Albo finiri ex nigritie vitium, soliditate quadam ex carie, manifestum est. Accedere etiam cruoris aliquid integro supra dictum est. Si quando autem an altius descenderit utrumlibet dubium est, in carie quidem expedita cognitio est. Specillum tenue in foramina demittitur: quod magis minusve intrando, vel in

(1) Sic cap. 8. hujus lib. *moventur autem ossa eedibus suis duobus modis*; el aliquanto inforius, *Quidquid autem loco suo motum est*. Lindenius legit *aut de loco movetur*. (2) Krausius legit *ut ex eo testu secedat*, Morgagnum, ul opinor, seculus, qui existimavil Colsum hic quoquo *testa* scribore potuisse, quo modo scripsit libro 6. cap. 13. et lib. 7. cap. 12. sect. 1. Sed advortendum est, in duobus illis locis Celsum de osse fracto loqui, et tenuem particulam quae ex eo secedil. testam ab eo vocari solere: squamam vero nominari quae secedil ox osse adusto. Lib. 7. cap. 7. sect. 7. *os ferro adurendum eet, vehementiusque, si jam carie vexatum eet, quo crasaior equama*

(*) Cap. II. *Ossa vitiata et corrupta quibus signie cognoscantur, et qua ratione curentur.*

summo cariem esse, vel altius descendisse, testatur (3). Nigrities colligi qnidem potest etiam ex dolore et ex febre, quae nbi mediocria snnt, illa alte descendisse non potest. Manifestior tamen adacta terebra fit: nam finis vitii est, ubi scobis nigra esse desiit. Igitur, si caries alte descendit, per terebram urgenda crebris foraminibus est, quae altitudine vitium aequent: tum in ea foramina demittenda candentia ferramenta sunt, donec siccum os ex toto fiat. Simul enim post haec et resolvetnr ab inferiore osse, quodcnmque vitiatum est; et is sinns carne replebitur; et hnmor aut nullus postea feretur, aut mediocris. Sin autem nigrities est, aut si caries ad alteram quoque partem ossis transiit, oportet excidi (4). *Atque idem quoque in carie, ad alteram partem ossis penetrante fieri potest.* Sed, quod totum vitiatum (*a*) totum eximendum est: si inferior pars integra est, eatenus, quod corruptum est, excidi debet. Item sive capitis, sive pectoris os, sive costa cariosa est, inntilis ustio est, et excidendi necessitas est. Neque audiendi sunt qui, osse nudato, diem tertium exspectant, ut tunc excidant: ante inflammationem enim tutius omnia tractantur. Itaque, quantum fieri potest, eodem momento et cutis incidenda est, et os detegendum, et omni vitio liberandum est. Longeque perniciosissimnm est, quod in osse pectoris est: quia vix, etiamsi recte cessit curatio, veram sanitatem reddit.


Cap. III (*). Exciditnr vero os duobns modis. Si parvulnm est, quod laesum est, modiolo, quam χοινικίδα Graeci vocant: si spatiosius, terebris (*b*). Utriusque rationem proponam. Modiolus ferramentum con-

abscedat; sect. 15. ejusdem cap. *adurere .... ut squama ab osse secedat*; et paulo infra, *verticem usque ad os adurunt sic, ut squamam remittat.* (3) In Ed. Lindenii legitur *Colligi idem potest etiam ex dolore* etc. scilicet an caries altius descenderit: sed perperam. *Nonne Auctor*, inquit Morgagnus, *cum inferius scribit*, sive autem nigrities, quam terebra detexit. sive caries, quam specillum ostendit etc. *satis indicat. haec de terebra ad nigredinem attinere? Est igitur omnino ea scriptura restituenda. quam in codice video, et in cunctis editionibus: Nigrities colligi* etc. *Hanc in illam mutari jusserat Paawius, corruptissimam judicans, quia nigritiem ex symptomatibus colligere non est opus, quippe quae* conspicitur, neque latere potest; *haud animadvertens, non de nigredine quae in summo osse est, sed de profunda illa hic quaeri, de qua, ut Celsus dixerat*, dubium est. (4) Lindenius omittit particulam *Atque*. Morg. animadvertit *huc ex libri*

(*a*) Bern. Quaranta corr. *totum eximendum: et.*

(*) Cap. III. *Quomodo os excidatur.*


(*b*) 1. Modiolus ex And. de Cruce; 2. Alter modiolus ex eodem; 3. Terebrum quod simplici babenaducitur ex eodem; 4. Membranae custos ex eodem; 5. Alius membranae custos (lamina argentea, firma. paulum incurva, ab exteriore parte laevis), ex Fabr. ab Aquapendente, Vido Vidio, Sculteto, etc. Vide *Farmacopea Celsiana* in II. Vol.



*

cavum, teres est, imis oris serratum; per quod medium clavus*, ipse quoque interiore orbe cinctus, demittitur. Terebrarum autem duo genera sunt: alterum simile ei, quo fabri utuntur: alterum capituli longioris, quod ab acuto mucrone incipit, deinde subito latius fit; atque iterum ab alio principio paulo minus quam aequaliter sursum procedit. Si vitium in angusto est, quod comprehendere modiolus possit, ille potius aptatur: et, si caries subest, medius clavus in foramen demittitur; si nigrities, angulo scalpri sinus exiguus fit, qui clavum recipiat, ut eo insistente, circumactus modiolus delabi non possit: deinde is habena, quasi terebra, convertitur. Estque quidam premendi modus, ut et foret, et circumagatur: quia, si leviter imprimitur, parum proficit; si graviter, non movetur. Neque alienum est instillare paulum rosae vel lactis, quo magis lubrico circumagatur; quod ipsum tamen, si copiosius est, aciem ferramenti hebetat. Ubi jam iter modiolo impressum est, medius clavus educitur, et ille per se agitur: deinde, quum sanitas inferioris partis scobe cognita est, modiolus removetur. At si latius vitium est, quam ut illo comprehendatur, terebra res agenda est. Ea foramen fit in ipso fine vitiosi ossis atque integri; deinde alterum non ita longe, tertiumque, donec totus is locus, qui excidendus est, his cavis cinctus sit. Atque ibi quoque, quatenus terebra agenda sit, scobis significat. Tum excisorius scalper (*a*) ab altero foramine ad alterum malleolo adactus, id, quod inter utrumque medium est, excidit; ac sic (*b*) ambitus similis ei fit, qui in angustiorem orbem modiolo imprimitur. Utro modo vero (*c*) id circumductum est, idem excisorius scalper in osse corrupto planus summam quamque testam laevet, donec integrum os relinquatur. Vix umquam nigrities, caries saepe totum os perrumpit; maximeque ubi vitiata calvaria est. Id quoque (1) *signi* specillo si-

ora glossema irrepsisse. Cum enim, inquit, *continuo. et inutiliter bis idem diceretur? imo cur simul idem praeciperetur, et medici arbitrio relinqueretur?* Ipse cum Paawio periodum hanc delendam censet. Constantinus putat relinendam esse, in periodo autem antecedenti tollendas quatuor voces *est, aut si caries*



(*a*) 1. Scalper excisorius planus, ex instrumentis Pompejanis in R. Musaeo Neapolitano servatis; 2. Alter scalper excisorius planus ex And. de Cruce; 3. Scalper excisorius incurvus (*scalpello a doccia*) ex eodem And. de Cruce. 4. Malleus plumbeus ad vitandum strepitum et prohibendam cerebri commotionem, ex eodem And. de Cruce, aliisque. 5. Vectis Pompejanus a B. Vulpes descriptus, quem ad depressiones ossium cranii elevandas, veteres usurpabant. Vide *Farmacopea Celsiana* in II. Vol.

(*b*) Quaranta corr. *aditus.*

(*c*) Quaranta corr. *id cavi inductum est.*

gnificatur (2): quod depressum in id foramen, quod infra solidam sedem habet, et ob id renitens aliquid invenit, et madens exit: si pervium invenit, altius descendens inter os et membranam, nihil oppositum invenit, educiturque siccum: non quo non subsit aliqua vitiosa sanies; sed quoniam ibi, ut in latiore sede, diffusa sit. Sive autem nigrities, quam terebra detexit, sive caries, quam specillum ostendit, os transiit, modioli quidem usus fere supervacuus est; quia latius pateat necesse est, quod jam alte processit. Terebra vero ea quam secundo loco posui, utendum; eaque, ne nimis incalescat, subinde in aquam frigidam demittenda est. Sed tunc majore cura agendum est, quum jam aut simplex os dimidium perforatum est; aut in duplici superius: illud spatium ipsum; hoc sanguis significat. Ergo tum lentius ducenda habena, (*a*) suspendendaque magis sinistra manus est, et saepius attollenda, et foraminis altitudo consideranda; ut quandocumque os perrumpatur, sentiamus, neque periclitemur, ne mucrone cerebri membrana laedatur: ex quo graves inflammationes cum periculo mortis oriuntur. Factis foraminibus, eodem modo media septa, sed multo circumspectius, excidenda sunt, ne forte angulus scalpri eamdem membranam violet; donec fiat aditus, per quem membranae custos (*b*) immittatur; μηνιγγοφύλακα Graeci vocant. Lamina aenea est, firma, paulum resima, ab exteriore parte laevis; quae demissa sic, ut exterior pars ejus cerebro propior sit, subinde ei subjicitur, quod scalpro discutiendum est: ac, si excipit ejus angulum, ultra transire non patitur: eoque et audacius, et tutius, scalprum malleolo medicus subinde ferit, donec undique excisum os eadem lamina levetur, tollique sine ulla noxa cerebri possit. Ubi totum os ejectum est, circumradendae laevandaeque orae sunt, et, si quid scobis membranae insedit, colligendum. Ubi, superiore parte sublata, inferior relicta est, non orae tantum, sed os quoque totum laevandum est; ut sine noxa postea cutis increscat, quae aspero ossi innascens protinus non sanitatem, sed novos dolores movet. Patefacto cerebro, qua ratione agendum sit, dicam, quum ad fracta ossa venero. Si basis aliqua servata est, superimponenda sunt medicamenta non pinguia, quae recentibus vulneribus accomodantur: supraque imponenda lana succida, oleo atque aceto madens. Ubi tempus processit, ab ipso osse caro increscit, eaque factum manu sinum complet. Si quod etiam os adustum est, a parte sana recedit; subitque inter integram atque emortuam partem caruncula, quae, quod abscessit, expellit. *Eaque fere, quia testa tenuis et angusta est,* λεπίς,


(2) Veteres libri habent *qui depressus*; et infra *educiturque siccus*: sed mendose. Nam a Celso alibi semper specillum dicitur; neque specillum masculino genere apud ullum auctorem reperitur.

(*a*) Quaranta corr *suspendendaque manu sinistra est*.
(*b*) Vide figur. 4, 5, pag. 277.

id est squama, a Graecis nominatur. Potest etiam evenire, ut ex ictu neque findatur os, neque perfringatur; sed summum (*a*) tamen collidatur, exaspereturque. Quod ubi incidit, radi et laevari satis est. Haec quamvis maxime fiunt in capite, tamen ceteris quoque ossibus communia sunt: ut, ubicumque idem incidit, eodem remedio sit utendum. (*b*) At quae fracta, fissa, forata, collisa sunt, quasdam proprias in singulis generibus, quasdam communes in pluribus curationes requirunt: de quibus protinus dicam, initio ab eadem calvaria accepto.

Cap. IV (*). Igitur, ubi ea percussa est, protinus requirendum est, num bilem is homo vomuerit; num oculi ejus obcaecati sint; num obmutuerit; num per nares auresve sanguis ei effluxerit; num conciderit; num sine sensu quasi dormiens jacuerit. Haec enim non nisi osse fracto eveniunt: atque, ubi inciderunt, scire licet, necessariam, sed difficilem curationem esse. Si vero etiam torpor accessit; si mens non constat; si nervorum vel resolutio vel distentio sequuta est; verisimile est, etiam cerebri membranam esse violatam: eoque in angusto magis spes est. At si nihil horum sequutum est, potest etiam dubitari, an os fractum sit: et protinus considerandum est, lapide, an ligno, an ferro, an alio telo percussum sit, et hoc ipso laevi an aspero, mediocri an vastiore, vehementer an leviter; quia quo mitior ictus fuit, eo facilius os ei restitisse credibile est. Sed nihil tamen melius est, quam certiore id nota explorare. Ergo, qua plaga est, demitti specillum (*c*) oportet neque nimis tenue, neque acutum; ne, quum in quosdam naturales sinus inciderit, opinionem fracti ossis frustra faciat: neque nimis plenum; ne parvulae rimae fallant. Ubi specillum ad os venit, si nihil nisi laeve et lubricum occurrit, integrum id videri potest: si quid asperi est, utique qua suturae non sint, fractum os esse testatur (1). A suturis se deceptum esse, Hippocrates

(1) Lib. 5. Epidem. Sed Critici omnes existimaut librum illum Hippocratis non esse.



(*a*) Quaranta corr. *tantum* ex Lindenio.
(*b*) Quaranta corr. *Item*.
(*) Cap. IV. *De calvaria fracta*.
(*c*) Specilla Pompejana a B. Vulpes descripta. 1. Specillum (σπαθομήλη) recta parte cum nucleo (πυρὴν), aversa parte latum. 2. Specillum (κυαθίσκος) recta parte cum nucleo, aversa parte concavum, cochlearis instar. 3. Pars lata specilli. 3. Specillum utraque parte capitulatum (διπυρήνη). 5. Specillum recta parte neque nimis tenue, neque acutum, aversa parte fere forma parvi batilli, quod Vulpes censet illud esse quod Celsus ad explorandas fracturas calvariae proponit. — Vide *Farmacopea Celsiana* in II. Vol.

memoriae prodidit; more scilicet magnorum virorum, et fiduciam magnarum rerum habentium. Nam levia ingenia, quia nihil habent, nihil sibi detrahunt: magno ingenio, multaque nihilominus habituro, convenit etiam simplex veri erroris confessio; praecipueque in eo ministerio, quod utilitatis causa posteris traditur; ne qui decipiantur eadem ratione, qua quis ante deceptus est. Sed haec quidem alioquin memoria magni professoris, uti interponeremus, effecit. Potest autem sutura eo nomine fallere, quia aeque aspera est; ut aliquis hanc esse, etiamsi rima est, existimet eo loco, quo subesse hanc verisimile est. Ergo eo nomine decipi non oportet: sed os aperire tutissimum est. Nam neque utique certa sedes, ut supra posui, suturarum est; et potest idem et naturaliter commissum et ictu fissum esse, juxtave aliquid fissum habere. Quin etiam, ubi ictus fuit vehementior, quamvis specillo nihil invenitur, tamen aperire commodius est. Ac si ne tum quidem rima manifesta est, inducendum super os atramentum scriptorium est, deinde scalpro id deradendum: nigritiem enim continet, si quid fissum est. Solet etiam evenire, ut altera parte fuerit ictus, et os altera fiderit. Itaque, si graviter aliquis percussus est, si mala indicia subsequuta sunt, neque ea parte, qua cutis discissa est, rima reperitur; non incommodum est, parte altera considerare, num quis locus mollior sit, et tumeat; eumque aperire: siquidem ibi fissum os reperietur. Nec tamen magno negotio cutis sanescit, etiamsi (*a*) frustra secta est. Os fractum, nisi si succursum est, gravibus inflammationibus afficit, difficiliusque postea tractatur. Raro, sed aliquando tamen, evenit, ut os quidem totum integrum maneat, intus vero ex ictu vena aliqua in cerebri membrana rupta aliquid sanguinis mittat; isque ibi concretus magnos dolores moveat, oculosque obcaecet. Sed fere contra (*b*) id dolor est, et, eo loco cute incisa pallidum os reperitur: ideoque id quoque os excidendum est. Quacumque autem de causa curatio haec necessaria est, si nondum satis cutis patefacta est, latius aperienda est, donec, quidquid laesum est, in conspectu sit. In quo ipso videndum est, ne quid ex (*c*) ipsa membranula, quae sub cute calvariam cingit, super os relinquatur: siquidem haec scalpro terebrisve lacerata vehementes febres cum inflammationibus excitat. Itaque eam commodius est ex toto ab osse diduci. Plagam, si ex vulnere est, talem necesse est habeamus, qualem acceperimus: si manu facienda est, ea fere commodissima est, quae duabus transversis lineis litterae X figuram accipit: (2) tum deinde a singulis procedentibus lingulis cutis subsecatur. Inter quae, si sanguis fertur, spongia subinde in aceto tincta co-

(2) Lingulas a figurae similitudine vocat quatuor partes cutis duabus transversis lineis

(*a*) Quaranta corr. *in frusta.*
(*b*) Quaranta corr. *idque os quoque.*
(*c*) Lupac. corr. *ima membranula.*

hibendus est, occupandusque objectis linamentis, et caput altius excitandum (3). Neque id ullum metum, nisi inter musculos, qui tempora continent, affert (4): sed ibi quoque nihil tutius fit. In omni vero fisso fractove osse protinus antiquiores medici ad ferramenta veniebant, quibus id exciderent. Sed multo melius est ante emplastra experiri, quae calvariae causa componuntur: eorumque aliquod oportet ex aceto mollitum per se super fissum fractumve os imponere: deinde super id aliquanto latius, quam vulnus est, eodem medicamento illitum linteolum, et praeterea succidam lanam aceto tinctam: tum vulnus deligare, et quotidie resolvere; similiterque curare usque ad diem quintum. A sexto die etiam vapore aquae calidae per spongiam fovere: ceteraque eadem facere. Quod si caruncula increscere coeperit, et febricula aut soluta erit, aut levior, et cupiditas cibi reverterit, satisque somni accedet, in eodem medicamento erit perseverandum. Procedente deinde tempore emolliendum id emplastrum, adjecto cerato ex rosa facto; quo facilius carnem producat: nam per se reprimendi vim habet. Hac ratione saepe rimae callo quodam implentur; estque ea ossis velut cicatrix: et latius fracta ossa, si qua inter se non cohaerebant, eodem callo glutinantur; estque id aliquanto melius velamentum cerebro, quam caro, quae exciso osse increscit. Si vero sub prima curatione febris intenditur, brevesque somni, et iidem per somnia tumultuosi sunt, ulcus madet, neque alitur, et in cervicibus glandulae oriuntur, magni dolores sunt, cibique super haec fastidium increscit; tum demum ad manum scalprumque veniendum est. Duo vero sub ictu calvariae pericula sunt (a); ne vel findatur, vel medium desidat. Si fissum est, possunt orae esse compressae, vel quia altera super alteram excessit; vel etiam quia vehementer se rursus commiserunt. Ex quo evenit, ut humor ad membranam quidem descendat, exitum vero non habeat; ac sic eam irritet, et graves inflammationes moveat. At ubi medium desedit, eamdem cerebri membranam os urget: interdum etiam ex fractura quibusdam velut aculeis pungentibus. His ita succurrendum est, ut tamen quam minimum ex osse dematur. Ergo, si ora alteri insedit, satis est id, quod eminet, plano scalpro excidere: quo sublato, jam rima hiat quantum curationi satis est. At si orae inter se comprimuntur, a latere ejus, interposito digiti spatio, terebra foramen faciendum est: ab eoque scalper duabus lineis ad rimam agendus, (5) ad similitudinem (b) litterae V sic, ut vertex ejus a fo-

incisae: quemadmodum epiglotidem exiguam lingulam nominat lib. 4. cap. 1. (3) Videlicet plaga quae manu fit, nullum metum affert. Hunc esse loci hujus sensum, ostendunt verba haec quae proxime sequuntur, *sed ibi quoque nihil tutius fit.* (4) Hippocrates tamen de C. V. sect. 19. id fieri vetat. (5) Ita Codex quidam Constantini. Ex iis quibus ego utor, plerique habent *litterae u.* In med. 1. et Vat. VIII. itemque in

(a) Quaranta corr. *quae.*
(b) Quaranta corr. *litterae Δ.*

ramine (a), basis a rima sit. Quod si rima longius patet, ab altero foramine rursus similis sinus fieri debet: ita nihil latens (b) in eo ossis cavo est, abundeque exitus datur intus laedentibus. Ne si fractum quidem os desedit, totum excidi necesse est: sed, sive totum perfractum est, et ab alio ex toto recessit, sive circumpositae calvariae inhaeret exigua parte, ab eo, quod naturaliter se habet, scalpro dividendum est. Deinde in eo, quod desedit, juxta rimam, quam fecimus, foramina addenda sunt, si in angusto noxa est, duo; si latius patet, tria; septaque eorum excidenda; et tum scalper utrimque ad rimam agendus sic, ut lunatum sinum faciat, imaque pars ejus intus ad fracturam, cornua ad os integrum spectent. Deinde, si qua labant, et ex facili removeri possunt, forcipe ad id facto colligenda sunt, maximeque ea, quae acuta membranam infestant: si id ex facili fieri non potest, subjicienda lamina est, quam custodem ejus membranae esse proposui; et super eam, quidquid spinosum est, et intus eminet, excidendum est: eademque lamina, quidquid deorsum insedit, attollendum. Hoc genus curationis efficit, ut, qua parte fracta ossa tamen inhaerent, solidentur: qua parte abrupta sunt, sine ullo tormento sub medicamentis tempore excidant; spatiumque inter haec satis illis magnum ad extrahendam saniem relinquatur; plusque in osse propugnaculi cerebrum habeat, quam habiturum fuit, eo exciso. His factis, ea membrana acri aceto respergenda est; ut, sive aliquid sanguinis ex ea profluit, cohibeatur, sive intus concretus cruor remanet, discutiatur: tum idem medicamentum eodem modo, qui supra positus est, mollitum, ipsi membranae imponendum est: ceteraque eodem modo facienda sunt quae ad linteolum illitum, et lanam succidam pertinent: collocandusque is loco tepido; et curandum quotidie vulnus; bis etiam aestate. Quod si membrana per inflammationem intumuerit, infundenda erit rosa tepida: si usque eo tumebit ut super ossa quoque emineat, coercebit eam bene trita lenticula, vel folia vitis contrita et cum recenti vel butyro vel adipe anserina mixta; cervixque molliri debebit liquido cerato ex irino facto. Ac si parum pura membrana videbitur, par modus ejus emplastri et mellis miscendus erit: idque superinfundendum: ejusque continendi causa unum aut alterum linamentum injiciendum, et super linteolo, cui emplastrum illitum sit, contegendum. Ubi pura membrana est, eadem ratione adjiciendum emplastro ceratum, ut car-

Edd. antiquis legitur *ad similitudinem C. litterae*; in Ed. Lindenii, *ad similitudinem litterae* Λ. Sed latina littera *V* aptissima est; ut paulo supra littera *X*: et si hic graecam Λ Celsus maluisset, dixisset *ad similitudinem graecae litterae*; ut lib. 7. cap. 7.

(a) Quaranta corr. *bases a rima sint*

(b) Quaranta corr. *in eo osse concavo est*, cum Caesario. Targa, ut minus a Codd. recederet, maluit *nihil latens in eo ossis cavo est*; sed ille ipse non tamen ita Celsum scripsisse existimat.

nem producat. Quod ad abstinentiam vero, et primos ulterioresque cibos potionesque pertinet, eadem, quae in vulneribus praecepi, servanda sunt, eo magis, quo periculosius haec pars afficitur.. Quin etiam (6), quum jam non solum sustineri, sed ali quoque cibis oportebit, tamen erunt vitanda quaecumqne mandenda sunt: item fumus, et quidquid excitat sternutamentum. Spem vero certam faciunt membrana mobilis ac sui coloris, caro increscens rubicunda, facilis motus maxillae atque cervicis. Mala signa sunt, membrana immobilis, nigra, vel livida, vel aliter coloris corrupti, dementia, acris vomitus, nervorum vel resolutio vel distentio, caro livida, maxillarum rigor, atque cervicis. Cetera, quae ad somnum, cibi desiderium, febrem, puris colorem attinent, eadem quae in ceteris vulneribus vel salutaria, vel mortifera sunt. Ubi bene res cedit, incipit ab ipsa membrana; vel si os eo loco duplex est, inde quoque caro increscere; eaque id, quod inter ossa vacuum est, replet: nonnumquam etiam super calvariam excrescit. Quod si incidit, inspergenda squama aeris est, ut id reprimat et cohibeat: eaque *carni* superdanda, quae ad cicatricem perducant. Omnibusque ea locis commode inducitur, excepta frontis ea parte, quae paulum super id est, quod inter supercilia est. Ibi enim (8) vix fieri potest, ut non per omnem aetatem sit exulceratio: quae linteolo medicamentum habente contengenda est. Illa utique, capite fracto, servanda sunt, ut, donec jam valida cicatrix sit, vitentur sol, (*a*) venus, frequens balneum, major vini modus.

CAP. V(*). In naribus vero et os, et cartilago frangi solet; et quidem modo adversa, modo a latere. Si adversa fracta sunt, alterumve ex his, nares desidunt, difficulter spiritus trahitur. Si a latere os fractum est, is locus cavus est: si cartilago, in alteram partem nares declinantur. Quidquid in cartilagine incidit, excitanda ea leniter est, aut subjecto specillo, aut duobus digitis utrimque compressis: deinde in longitudinem implicata linamenta, et molli pellicula cincta circumsutaque intus adigenda sunt; aut eodem modo compositum aliquid ex arido penicillo; aut grandis pinna, gummi, vel fabrili glutine il-

sec. 2. (6) Scilicet *ali aegrum* intelligitur, ut lib. 3. cap. 7. sect. 2. *Maturius (aeger* nimirum) *alendus est. Ali* autem plus esse quam *sustineri*, Celsus ipse non paucis exemplis innuit, ex quibus duo tantum afferam: *utendum est cibis iis, qui maxime corpus alere et implere consuerunt*; lib. 6. cap. 6. sect. 14. *ut nullo tempore iis qui deficit, non sic sustinendus* lib. 3. cap. 5. (7) *Hunc locum* (ita scribit Morgagnus) *Almeloveenius poterat lectoribus explicare, Paawio saltem, quem alioquin saepius nominat, indicato. Causam enim vidissent recte ab hoc conferri in respondentes ei frontis loco Sinus Pituitarios: qui tamen cur id faciant, non recte declarat. Satis autem declaravit postea Verheyenius propter aerem, cum spiritus ducitur, redditurque illac ultro citroque meantem, aut certe tendentem, praeclaro etiam exemplo addito, quo infelix Celsi praedictio non confirmatur modo, sed augetur*. Vide Verheyenii Anat. Corp. Hum. lib. 1. tract. 4. cap. 16.

(*a*) Lupac. corr. *ventus*.

(*) CAP. V. *De naso fracto.*

lita, et molli pellicula circumdata, quae desidere cartilaginem non sinat. Sed, si adversa ea fracta est, aequaliter utraque naris implenda est; si a latere, crassius esse debet ab ea parte, in quam nasus jacet, ab altera tenuius id, quod inseritur. Extrinsecus autem circumdanda habena est mollis, media illita mixtis inter se simila et turis fuligine: eaque ultra aures ducenda, et fronti duobus capitibus agglutinanda est. Id enim corpori quasi gluten inhaerescit, et quum induruit, nares commode continet. Sin quod intus inditum est laedit, sicut maxime fit, ubi interior cartilago perfracta est, excitatae nares eadem tantummodo habena continendae sunt: deinde post quatuordecim dies id ipsum demendum est. Resolvitur autem aqua calida; eaque tum is locus quotidie fovendus est. Sin os fractum est, id quoque digitis in suam sedem reponendum est: atque ubi adversum id ictum est, utraque naris implenda est; ubi a latere, ea in quam os impulsum est: imponendumque ceratum, et paulo vehementius deligandum est; quia callus eo loco non ad sanitatem tantummodo, sed etiam ad tumorem increscit; a tertio die fovendum id aqua calida est; tantoque magis, quanto propius esse sanitati debet. Quod si plura erunt fragmenta, nihilo minus *extrinsecus* singula in suas sedes digitis erunt compellenda; imponendaque extrinsecus eadem habena, et super eam ceratum; neque ultra fascia adhibenda est. At si quod fragmentum undique resolutum cum ceteris non glutinabitur, intelligetur quidem ex humore, qui multus ex vulnere feretur; vulsella (*a*) vero extrahetur: finitisque inflammationibus, imponetur aliquid medicamentum ex iis, quae leniter reprimunt. Pejus est ubi aut ossi aut cartilagini fractae cutis quoque vulnus accessit. Id admodum raro fit. Si incidit, illa quidem nihilo minus eadem ratione in suas sedes excitanda sunt: cuti vero superimponendum emplastrum aliquod ex iis, quae recentibus vulneribus accomodata sunt: sed insuper nullo vinculo deligandum est.

CAP. VI (*). In aure quoque interdum rumpitur cartilago. Quod si incidit, antequam pus oriatur, imponendum glutinans medicamentum est: saepe enim suppurationem prohibet, et aurem confirmat. Illud et in hac et in naribus ignorari non oportet; non quidem cartilaginem ipsam glutinari, circa tamen carnem increscere, solidarique eum locum. Itaque, si cum cute cartilago rupta est, cutis utrimque suitur. Nunc autem de ea dico, quae, cute integra, frangitur. In ea vero si jam pus natum est, aperienda altera parte cutis, et ipsa cartilago contra lunata plaga excidenda est: deinde utendum est medicamento leniter supprimente, quale lycium est aqua dilutum, donec sanguis fluere desinat: tum imponendum linteolum cum empla-

(*a*) Vide figuras vulsellarum pag. 214, et 264.
(*) CAP. VI. *De auribus fractis.*

stro sic, ut pingue omne vitetur; et a parte posteriore lana mollis auri subjicienda est, quae, quod est inter hanc et caput, compleat: tum ea leniter deliganda est; et a tertio die vapore, ut in naribus posui, fovenda. Atque in his quoque generibus abstinentia primis temporibus necessaria est, donec inflammatio finiatur.

Cap. VII (*). Ab his ad maxillam venturus, indicanda quaedam puto communiter ad omnia ossa pertinentia, ne saepius eadem dicenda sint. Omne igitur os modo rectum, ut lignum in longitudinem finditur; modo frangitur transversum; interdum obliquum; atque id ipsum nonnumquam retusa habet capita, nonnumquam acuta; quod genus pessimum est; quia neque facile committuntur, quae nulli retuso innituntur, et carnem vulnerant, interdum nervum quoque, aut musculum. Quin etiam aliquando plura fragmenta fiunt. Sed in aliis quidem ossibus ex toto saepe fragmentum a fragmento recedit: maxillae vero semper aliqua parte, etiam vexata ossa inter se cohaerent. Igitur in primis digitis duobus utrimque prementibus, et ab ore et ab cute, omnia ossa in suam sedem compellenda sunt. Deinde, si maxilla transversa fracta est; sub quo casu fere dens super proximum dentem excedit; ubi ea in suam sedem collocata est, duo proximi dentes, aut, si hi labant, ulteriores inter se seta deligandi sunt. Id in alio genere fracturae supervacuum est: cetera eadem facienda sunt. Nam linteolum duplex, madens vino et oleo, (1) superinjiciendum cum eadem simila et eadem turis fuligine est; deinde aut fascia, aut mollis habena, media in longitudinem incisa, ut utrimque mentum complectatur, et inde capita ejus super caput adducta ibi deligentur. Illud quoque ad omnia ossa pertinens dictum erit; famem primum esse necessariam: deinde a die tertio humidum cibum: sublata inflammatione, paulo pleniorem, eumque, qui carnem alat: vinum per omne tempus esse alienum. Deinde tertio die resolvi debere; foveri per spongiam vapore aquae calidae; eademque, quae primo fuerunt, superdari: idem die quinto fieri, et donec inflammatio finiatur; quae vel nono die, vel septimo fere solvitur. Ea sublata, rursus ossa esse tractanda, ut, si quod fragmentum loco suo non est, reponatur: neque id esse solvendum (2), nisi duae partes ejus

(1) Respicit Celsus ad id quod praecepit cap. 5. hujus lib. *circumdanda habena est mollis, media illita mixtis inter se simila et turis fuligine*. Quod haud animadvertens Lindenius haec verba ita mutavit: *superinjiciendum est, cumque eo simila, et thuris fuligo* (2) Id est duae tertiae partes: quod Schulzius in Exercit de Ossib. Conserv. explicare tentat ex Hippocrate de Fract. sect. 6. Id planissimum faciunt duo Livii loca; alter lib. 2. cap. 22. *Cum Hernicis foedus ictum: agri partes duae ademptae*; sequitur enim, *quid attinuisse Hernicis paulo ante hostibus, capti agri tertiam partem reddi*) alter in lib. 8. cap. 1. *oppidum captum redditumque Privernantibus, praesi-*

(*) Cap. VII. *De maxilla fracta, et quibusdam ad omnia ossa pertinentibus.*

temporis, intra quod quaeque ossa confervent transierint (3). Fere vero inter quartumdecimum et unum et vicesimum diem sanescunt maxilla, malae, jugulum, pectus, latum os scapularum, costae (4), spina, coxarum os, tali, calx, manus, planta (5): inter vicesimum et tricesimum *diem* crura, brachiaque (6): inter septimum et vicesimum et quadragesimnm humeri et femina. Sed (7) de maxilla illud quoque adjiciendum est, quod humidus cibus diu assumendus est: atque etiam, quum tempus processit, in lagano similibusque aliis perseverandum est, donec ex toto maxillam callus firmarit. Itemque, utique primis diebus, habendum silentium.

CAP. VIII (*). 1. Jugulum vero, si transversum fractum est, nonnumquam per se rursus recte coit, et, nisi movetur, sanari sine vinctura potest: nonnumquam vero, maximeque ubi motum est, elabitur; fereque id, quod a pectore est, super id, quod ab humero est, in posteriorem partem inclinatur. Cujus ea ratio est, quod per se non movetur, sed cum humeri motu consentit, itaque, eo subsistente, sub id humerus agitatur. Raro vero admodum in priorem partem jugulum inclinatur; adeo ut magni professores numquam se vidisse memoriae mandarint. Sed locuples tamen ejus rei auctor Hippocrates est. Verum, ut dissimilis uterque casus est, sic quaedam dissimilia requirit. Ubi ad scapulas jugulum tendit, simul dextra manu plana propellendus in posteriorem partem humerus est; et illud in priorem attrahendum. Ubi ad pectus conversum est, ipsum quidem retro dandum, humerus autem in priorem partem adducendus est: ac, si is inferior est, non id, quod a pectore est, deprimendum est, quia immobile est; sed humerus ipse attollendus (1): si casu superior est, id, quod a pectore est, implendum lana, et humerus ad pectus deligandus est. Si acuta fragmenta sunt, incidi contra cutis debet; ex ossibus ea, quae carnem

dio valido imposito: agri partes duae ademptae. (3) Hippocrates de Artic. sect. 17. *viginti diebus maxilla firmatur*: sect. 21. *Costa vero viginti diebus callo firmatur.* (4) Ita haec verba distinguenda esse docuit Morgagnus, et fortasse legendum, *spina, coxarum os, os tali*, vel *coxarum os, talus*. Vulgo legitur *spina coxarum, os tali calx.* (5) Hippocrates de Fract. sect. 17. tibiae ossa quadraginta diebus firmari dixit. Fortasse in exemplari quo usus est Celsus, pro τεσσαράκοντα scriptum erat τριάκοντα. Vox *diem* glossema videtur. (6) Hippocrates de Frac. sect. 10. *Firmatur autem brachii os diebus quadraginta*: sect. 18. *Femur quinquaginta diebus firmatur.* In Ed. Lindeni pro *femina* est *femora.* (7) Tria verba *neque quidquam edendum* aliena sunt. Nam laganum, ut animadvertit Morgagnus, non potabatur, sed comedebatur, ut colligitur ex Acronis Scholio ad locum illum Horatii Satyra 6. lib. 1. *inde domum me*

Ad porri, et ciceris refero laganique catinum.

Dalechampius in Athenaeum lib. 3. cap. 25. Deipnosoph. haec adnotat: *Laganum placenta ex aqua et farina subacta, cocta in jure pingui, addito caseo, pipere, croco, cinnamomo, paululum mutato nomine ab Italis vocatur* Lasagna.

(1) Id est si forte. Hoc cum eo consentit quod est apud Hippocratem loc. cit. *Quod si cui contra juguli fractura eveniat, id quod non admodum contingit* etc. Lindenius

(*) Cap. VIII. *De jugulo fracto.*

vulnerant, praecidenda; tum retusa ossa committenda sunt (2) : si quod ab aliqua parte eminet, opponendum ei triplex linteolum est, in vino et oleo tinctum. Si plura fragmenta sunt, excipienda sunt ex ferula facto canaliculo, eodemque intus incerato, ne fascia diducatur; quae jugulo composito circumdanda est saepius potius, quam valentius : quod ipsum quoque in omnibus ossibus fractis perpetuum est. A dextro vero jugulo, si id fractum est, ad alam sinistram; a sinistro ad dextram, rursusque sub ala sua fascia dari debet : post haec, si jugulum ad scapulas inclinatum est, brachium ad latus; si in partem priorem, ad cervicem deligandum est· supinusque homo collocandus. Cetera eadem facienda, quae supra comprehensa sunt.

2. Sunt vero plura ossa fere immobilia, vel dura, vel cartilaginosa, quae vel franguntur, vel forantur, vel colliduntur, vel finduntur; ut malae, pectus, latum os scapularum, costae, spina, coxarum os, tali, calx, manus, planta. Horum omnium eadem curatio est. Si supra vulnus est, id suis medicamentis nutriendum est : quo sanescente, rimas quoque ossis, ant, si quod foramen est, callus implet. Si cutis integra est, et os laesum esse ex dolore colligimus, nihil aliud, quam quiesciendum; imponendumque ceratum est, et leniter deligandum, donec sanitate ossis dolor finiatur.

Cap. IX (*). 1. Proprie tamen quaedam de costa dicenda sunt; quia juxta viscera est, gravioribusque periculis is locus expositus est. Haec quoque igitur interdum sic finditur, ut ne summum quidem os, sed interior pars ejus, quae rara est, laedatur: interdum sic, ut eam totam in casus perruperit. Si tota fracta non est, nec sanguis expuitur, nec febricula sequitur, nec quidquam suppurat, nisi admodum raro, nec dolor magnus est; tactu tamen is locus leviter indolescit. Sed abunde est eadem, quae supra scripta sunt, facere; et a media fascia incipere deligare, ne in alterutram partem haec cutem inclinet: ab uno vero et vicesimo die, quo utique os esse debet glutinatum, id agendum cibis uberioribus est, ut corpus quam plenissimum fiat, quo melius os vestiat; quod illo loco tenerum adhuc injuriae sub tenui cute expositum est. Per omne autem tempus curationis vitandus clamor (1), sermo quoque multus, ira, motus vehementior corporis, fumus, pulvis, et quidquid vel tussim vel sternutamentum movet: ne spiritum quidem magnopere continere expedit. At si tota costa perfracta est, casus asperior est: nam et graves inflammationes, et febris, et suppuratio, et saepe vitae periculum sequitur (2) *et sanguis spuitur*. Ergo, si vires patiuntur, ab eo brachio,

legit *sin autem superior est.* (2) Ex citato Hippocratis libro. Lindenius legit *et si quod ab aliqua parte eminet opponendum est triplex linteolum.*

(1) Alii omnes legunt *sermo quoque, tumultus.* Ego reposui *multus* pro *tumultus.* Non enim sermo sed sermo multus vitandus est (*a*). (2) Haec verba ab aliqua scio·

(*) Cap. IX. *De costis fractis.*

(*a*) Lupac. cor. *clamor, stridor, quoque tumultus.*

quod super eam costam est, sanguis mittendus est: si non patiuntur, alvus tamen sine ullo acri ducenda est; diutiusque inedia pugnandum. Panis vero ante septimum diem non assumendus; sed una sorbitione vivendum: imponendumque ei loco (3) ceratum ex irino factum, cui cocta quoque resina adjecta sit; aut Polyarchi malagma; aut panni (4) ex vino et rosa et oleo; superque imponenda lana succida mollis, et duae fasciae a mediis orsae, minimeque adstrictae: multo vero magis omnia vitanda, quae supra posui; adeo ut ne spiritus quidem saepius movendus sit. Quod si tussis infestabit, potio sumenda erit vel ex trixagine, vel ex ruta, vel ex *herba* stoechade, vel ex cumino et pipere. Gravioribus vero doloribus urgentibus, cataplasma imponi quoque conveniet vel ex lolio, vel ex hordeo, cui pinguis fici tertia pars sit adjecta. Et id quidem interdiu superjacebit: noctu vero idem aut ceratum, aut malagma, aut panni; quia potest cataplasma decidere. Ergo quotidie quoque resolvetur, donec jam cerato aut malagmate possimus esse contenti. Et decem quidem diebus extenuabitur fame corpus: ab undecimo vero ali incipiet; ideoque etiam laxior, quam primo, fascia circumligabitur. Fereque ea curatio ad quadragesimum diem perveniet. Quod si metus erit suppurationis, plus malagma, quam ceratum ad digerendum proficiet. Si suppuratio vicerit, neque per quae supra scripta sunt, discuti potuerit; omnis mora vitanda erit, ne os infra vitietur: sed, qua parte maxime tumebit, demittendum erit candens ferramentum, donec ad pus perveniat; idque effundendum (5). Si nusquam caput se ostendet, ubi maxime pus subsit sic intelligemus: creta cimolia totum locum illinemus, et siccari patiemur: quo loco maxime (6) humor in ea per-

lo addita videntur, ut opponantur superioribus *nec sanguis exspuitur*. Sed cum dictum sit, *et graves inflammationes, et febrem, et suppurationem, et saepe vitae periculum sequi*, illa omnino supervacua sunt. Neque enim inter tot mala sanguinis sputum periculum majus facit; et certe non sputum sanguinis suppurationem, sed suppuratio sanguinis sputum sequitur. Si quis *ea* retinere velit, transferat ante superiora ea *graves inflammationes*. (3) Veteres libri habent *ceratum ex lino factum*; Ed Lindenii, *ceratum ex lycia factum*. Sed neque ex lino, neque ex lycio ceratum fit. Reposui *ex irino*. Cap. 4 hujus libri habetur *ceratum ex irino*: et lib. 4. cap. 4. sect. 2. *ceratum ex cyprino, vel irino*. (4) Duae voces *et oleo* irrepsisse videntur ex interpretatione duarum antecedentium *et rosa*. (5) Omnino retinendum *caput*; qua in voce omnes veteres libri consentiunt. Morgagnus lectionem hanc confirmat ex Plinio, qui lib. 22. cap 12. sect. 17. dixit, *si nondum caput fecerint* furunculi; et cap ult ejusdem lib. sect. 76. *furunculos priusquam capita faciant*. Addit autem Morgagnus, *ex hac capitis apud Latinos significatione illam ortam apud nostrates videri consuetudinem, ut tumores quibus id accidit, ipsi dicant venire a capo* Caelius Aurelianus lib. 2. cap. 16. Morb. Acut. similiter dixit, *vomicas verticem facere*. (6) Idem tradit Plinius lib. 35. cap. 6. sect. 21. *Eretria terra explet vulnera, si coquatur, ad siccanda praecipueque utilis.... et ad deprehendenda pura. Subesse enim ea intelligunt, si non arescat*. In lib. 1 Hippocratis de Morbis sic habetur: *Si argillam aut aliud quid ejuscemodi illeveris, brevi id resiccat*; et lib. 3 *Linteo tenui in rubrica trita admodum liquida et tepida intincto thoracem obtegito, quaque parte primum resiccatum fuerit, ea sectionem, aut ustionem facere oportet*. Sed Hippocrates loquitur de suppuratione rupta, et pure in thoracis cavum effuso: Celsus vero de suppuratione circa costas facta, et de pure inter cutem et pleuram latente.

severabit, ibi pus proximum erit; eoque uri debebit. Si latius aliquid abscedet, duobus aut tribns locis erit perforandum; demittendumque linamentum, aut aliquid ex penicillo, quod summum lino sit devinctnm, ut facile educatur. Reliqua eadem, quae in ceteris adustis, facienda sunt. Ubi purum erit ulcus, ali corpus debebit, ne tabes, perniciosa futura, id malum subsequatur. Nonnumquam etiam, levius ipso osse affecto, et inter initia neglecto, non pus, sed humor quidam mncis similis intus coit; mollescitque contra cutis: in qua simili ustione ntendum est.

2. In spina quoque est, quod proprie notemus. Nam (1) si id, quod ex vertebra excedit, aliquo modo fractum est, locus quidem concavus fit; punctiones autem in eo sentiuntur; quia necesse est ea fragmenta spinosa esse, quo fit, ut homo in anteriorem partem subinde nitatur. Haec noscendae rei causa sunt. Medicamentis vero iisdem opus est, quae prima parte hujus capitis exposita sunt.

CAP. X (*). 1. Similes rursus ex magna parte casus curationesque snnt humeri et femoris: communia etiam quaedam humeris, brachiis, feminibus, cruribus, digitis. Siquidem ea minime periculose media franguntur: quo propior fractura capiti vel superiori vel inferiori est, eo pejor est: nam et majores dolores adfert, et difficilius curatur. Ea maxime tolerabilis est simplex, transversa: pejor ubi obliqua, atque nbi multa fragmenta: pessima, ubi eadem acuta sunt. Nonnumquam autem fracta in his ossa in suis sedibus remanent: mnlto saepius excidunt, aliudque super alind effertur: idque ante omnia considerari debet; et snnt notae certae. Si suis sedibus sunt, mota resonant, punctionisque sensum repraesentant; tactu inaequalia sunt. Si vero non adversa, sed obliqua junguntur; quod fit ubi loco sno non snnt; membrum id altero brevius est, et musculi ejus tument. Ergo, si hoc deprehensum est, protinus id membrum oportet extendere: nam nervi musculiqe, intenti per ossa, contrahuntur; neque in suum locum veniunt, nisi illos per vim aliquis intendit. Rursus, si primis diebus id omissum est, inflammatio oritur; sub qua et difficile et periculose vis nervis adhibetur: nam distentio nervorum, vel cancer sequitur; vel certe, ut mitissime agatur, pus. Itaque, si ante reposita ossa non sunt, postea reponenda sunt. Intendere autem digitum, vel aliud quodque membrum, si adhnc tenerum est, etiam nnus homo potest; quum alteram partem dextra, alteram sinistra prehendit. Valentius mem-

(1) Hippocrates de Art. sec. ss. Foesius, et Morgagnus posteriorem vertebrae processum significari docent. Caesarius, et alii legunt *si id quod ex vertebra excidit* etc. Gryphius, et Constantinus, *si id ex vertebra excidit* etc. Lindenius, *si quid ex vertebra excidit, aut aliquo modo fractum est*: sed perperam Siquidem, ut animadvertit Morgagnus, hic non agitur de vertebra quae simul et loco mota et fracta est, sed tantum de fracta.

(*) CAP. X. *De humerorum, brachiorum, femorum, crurum, digitorum fractorum.*

brum duobus eget, qui in diversa contendant. Si firmiores nervi sunt, ut in viris robustis, maximeque eorum feminibus et cruribus *evenit*, habenis quoque, vel linteis fasciis utrimque capita articulorum deliganda, et per plures in diversa ducenda sunt. Ubi paulo longius quam naturaliter esse debet, membrum vis fecit, tum demum ossa manibus in suam sedem compellenda sunt: indiciumque ossis repositi est dolor sublatus, et membrum alteri aequatum. Involvendum duplicibus triplicibusve pannis in vino et oleo tinctis; quos linteos esse, commodius est. Fere vero fasciis sex opus est: prima brevissima *adhibenda*, quae circa fracturam ter voluta sursum versum feratur, et quasi in cochleam serpat; satisque est eam ter hoc quoque modo circuire: altera dimidio longiore; eaque, si qua parte os eminet, ab ea; si totum aequale est, undelibet super fracturam debet incipere, priori adversa, deorsumque tendere; atque iterum ad fracturam reversa, in superiore parte ultra priorem fasciam desinere. Super has injiciendum latiore linteo ceratum est, quod eas contineat. Ac, si qua parte os eminet, triplex ea pannus objiciendus, eodem vino et oleo madens. Haec tertia fascia comprehendenda sunt, quartaque sic, ut semper insequens priori adversa sit, et tertia tantum in inferiore parte, tres in superiore finiantur: quia satius est saepius circuire, quam adstringi: siquidem id, quod adstrictum est, alienatur, et cancro opportunum est. Articulum autem quam minime vincire opus est: sed, si juxta hunc os fractum est, necesse est. Deligatum vero membrum in diem tertium continendum est: eaque vinctura talis esse debet, ut primo die nihil offenderit, non tamen laxa visa sit; secundo laxior; tertio jam paene resoluta. Ergo tum rursum id membrum deligandum, adjiciendaque prioribus quinta fascia est: iterumque quinto die resolvendum est, et sex fasciis involvendum sic, ut tertia et quinta infra, ceterae supra finiantur. Quotiescumque autem solvitur membrum, calida aqua fovendum est. Sed, si juxta articulum fractura est, diu instillandum vinum est, exigua parte olei adjecta; eademque omnia facienda, donec adeo inflammatio solvatur, et tenuius quoque, quam ex consuetudine, id membrum fiat: quod si septimus dies non dedit, certe nonus exhibet: tum facillime ossa tractantur. Rursus ergo, si parum commissa sunt, committi debent: si qua fragmenta eminent, in suas sedes reponenda sunt: deinde eodem modo membrum deligandum, ferulaeque super accommodandae sunt, quae fissae circumpositaeque ossa in sua sede contineant: et in quam partem fractura inclinat, ab ea latior valentiorque ferula imponenda est. Easque omnes circa articulum esse oportet resimas, ne hunc laedant; nec ultra adstringi, quam ut ossa contineant: et quum spatio laxentur, tertio quoque die paulum habenis suis coarctari: ac, si nulla prurigo, nullus dolor est, sic manere, donec duae partes ejus temporis, quo quodque os confervet, compleantur: postea levius aqua calida fovere, quia primo digeri materiam opus est, tum

evocari. Ergo cerato quoque liquido id leniter est ungendum, perfricandaque summa cutis est; laxiusque id deligandum, et tertio quoque die solvendum sic, ut, remota calida aqua, cetera eadem fiant; tantummodo singulae fasciae, quoties resolutae fuerint, subtrahantur.

2. Haec communia sunt : illa propria. Siquidem humerus fractus non sic, ut membrum aliud, intenditur : sed homo collocatur alto sedili, medicus autem humiliore adversus. Una fascia, brachium amplexa, ex cervice ipsius, *qui laesus est*, id sustinet: altera, ab altera parte super caput data, ibi accipit nodum : tertia vincto imo humero deorsum demittitur, ibi quoque capitibus ejus inter se vinctis. Deinde ab occipitio ipsius minister sub ea fascia, quam secundo loco posui, porrecto, si dexter humerus ducendus est, dextro, si sinister, sinistro brachio, demissum inter femina ejus *qui curatur* (1) baculum tenet: medicus super eam fasciam, de qua tertio loco dixi, plantam injicit dextram, si sinister; sinistram, si dexter humerus curatur; simulque alteram fasciam minister attollit, alteram premit medicus: quo fit, ut leniter humerus extendatur (a). Fasciis vero, si medium aut imum os fractum est, brevioribus opus est; si summum, longioribus : ut ab eo sub altera quoque ala per pectus et scapulas porrigantur. Protinus vero brachium, quum deligatur (2), sic inclinandum est *** idque efficit, ut ante fascias quoque sic figurandum sit; ne postea suspensum aliter atque quum deligabatur, humerum inclinet. Brachioque suspenso, ipse quoque humerus ad latus

(1) Morgagnus in Cod. Foroliviensi *brachium* scriptum invenit: quam lectionem tanto minus negligendam putat, quod *brachium* legi animadvertit in hoc ipso Celsi loco in Vesalii Chirurgiam relato lib. 2 cap. 8. (2) Locus corruptus. Codd. Mss. habent *eic inclinandum est, idque efficit.* etc. Sed manifestum est, post verba *sic inclinandum est*, aliqua deesse. In Edd. antiquis legitur *sic inclinandum est id quod afficit, ut ante fascias quoque sic figurandum* (in margine Constantinianae, *figuratum*) *sit*; in Ed. Lindenii, *sic inclinandum est, ut id quod afficitur, ante fasciis quoque sic figuratum sit.*



(a) 1. Methodus Hippocratis ad reductionem humeri fracti ex Littré (*Oeuvres compl. d' Hippoc. Tom. III pag.* 445), qui figuram sumsit ab opere Vidi Vidii (*Chirurgia e Graec. in Latin. conversa p.* 157. 2. Methodus Celsi ad reductionem humeri fracti ex Daremberg (*Gazette méd. XVII année*, 1847. *pag.* 127). Vide *Farmacopea Celsiana* in II. Vol.

leniter deligandus est: per quae fit, ut minime moveatur: ideoque ossa sic se habeant, ut aliquis composuit. Quum ad ferulas ventum est, extrinsecus esse earum longissimae debent; a lacerto breviores: sub ala brevissimae: saepiusque eae resolvendae sunt, ubi in vicinia cubiti humerus fractus est; ne ibi nervi rigescant, et inutile brachium efficiant. Quoties solutae sunt, fractura manu continenda; cubitus aqua calida fovendus, et molli cerato perfricandus; ferulaeque vel omnino non imponendae contra eminentia cubiti, vel aliquanto breviores sunt.

3. At si brachium fractnm est, in primis considerandum est, alterum os, an utrumqne comminutum sit: non quo alia in ejusmodi casu curatio sit admovenda; sed primum, ut valentins extendatur, si utrumque os fractum est; quia necesse est minus nervos contrahi altero osse integro, eosque intendente; deinde, ut curiosius omnia in continendis ossibus fiant, si neutrum alteri auxilio est. Nam, ubi alterum integrum est, plus opis in eo, quam in fasciis ferulisque est. Deligari autem brachium debet paulum pollice ad pectus inclinato; siquidem is maxime brachii naturalis habitus est: idque involutum mitella commodissime excipitur; quae latitudine ipsi brachio, perangustis capitibus collo injicitur: atqne ita commode brachium ex cervice suspensum est. Idque panlum snpra cubiti alterius regionem pendere oportet.

4. Quod si ex summo cubito quid fractum sit, glutinare id vinciendo alienum est: fit enim brachium immobile. At si nihil aliud quam dolori occursum est, idem, qui fuit, ejus usus est.

5. In crure aeque ad rem pertinet, alterum saltem os integrum manere. Commnne vero ei femoriqne est, quod, nbi deligatum est, in canalem conjiciendum est. Is canalis et inferiore parte foramina habere debet, per quae, si quis hnmor excesserit, descendat: et a planta moram, quae simul et sustineat eam, et delabi non patiatur: et a lateribus cava, per quae loris datis, morae quaedam crus femurque, ut collocatum est, detineant. Esse etiam is debet a planta, si crus fractum est, circa poplitem; si femur, usque ad coxam; si juxta superius caput femoris sic, ut ipsa quoque ei coxa insit. Neque tamen ignorari oportet, si femur fractum est, fieri brevius; quia numquam in antiquum statum revertitur; summisque digitis postea cruris ejus insisti: (a) sed multo tamen foedior debilitas est, ubi fortunae negligentia quoque accessit.

6. Digitum satis est ad unum surculum post inflammationem deligari.

7. His proprie ad singula membra pertinentibus, rursus illa communia sunt: primis diebus fames: deinde tnm, quum jam increscere callum oportet, liberalius alimentum: longa a vino abstinentia: fo-

(a) Lupac. corr. *sed multo tamen foedior est, ubi fortunae*, etc.

mentum aquae calidae, dum inflammatio est, liberale; quum ea desiit, modicum: tum etiam longior ulterioribus e liquido cerato membris, et mollis tamen unctio. Neque protinus exercendum id membrum, sed paulatim ad antiquos usus reducendum est. Gravius aliquanto est, quum ossis fracturae carnis quoque vulnus accessit; maximeque si id musculi femoris aut humeri senserint: nam et inflammationes multo graviores, et promtiores cancros habent. Ac femur quidem, si ossa inter se recesserunt, fere praecidi necesse est. Humerus *vero* quoque in periculum venit; sed facilius conservatur. Quibus periculis etiam magis id expositum, quod juxta ipsos articulos ictum est. Curiosius igitur agendum est; et musculus quidem per mediam plagam transversus praecidendus: sanguis vero, si parum fluxit, mittendus: corpus inedia extenuandum. Ac reliqua quidem membra lentius intendenda, et lenius in iis ossa in suam sedem reponenda sunt: in his vero neque intendi nervos, neque ossa tractari, satis expedit: ipsique homini permittendum est, ut sic ea collocata habeat, quemadmodum minime laedunt. Omnibus autem his vulneribus imponendum primo linamentum est, vino madens, cui rosae paulum admodum adjectum sit: *cetera eadem.* Deligandaque fasciis sunt aliquanto laxioribus quam si ea plagā non esset; quanto facilius et alienari et occupari cancro vulnus potest (3): numero potius fasciarum id agendum est, ut laxae quoque aeque contineant. Quod in femore humeroque sic fiet, si ossa forte recte concurrerint: sin aliter se habebunt, eatenus circumdari fascia debebit, ut impositum medicamentum contineat. Cetera eadem, quae supra scripsi, facienda sunt: praeterquam quod neque ferulis, neque canalibus, inter quae vulnus sanescere non potest; sed pluribus tantummodo et laxioribus fasciis opus est: ingerendumque subinde in eas est calidum oleum, et vinum; magisque in primo fame utendum; vulnus calida aqua fovendum; frigusque omni ratione vitandum; et transeundum ad medicamenta, quae puri movendo sunt: majorque vulneri, quam ossi cura adhibenda. Ergo quotidie solvendum nutriendumque est. Inter quae si quod parvulum fragmentum ossis eminet, id, si retusum est, in suam sedem dandum: si acutum, ante acumen ejus, si longius est, praecidendum; si brevius, limandum, et utrumque scalpro laevandum: tum ipsum recondendum est: ac, si id manus facere non potest, vulsella, quali fabri utuntur, injicienda est (4) recte se ha-

(3) Ex his verbis apparet, supra non *latioribus*, sed *laxioribus* legendum esse. Quod autem Hippocrates scripsit in lib. de Frac. sec. 23. *Fasciae vero reliquaque aliquanto latius fissa esse debent, quam si vulnus non esset: et quo primum deligatur, multo latius sit quam ulcus*; id Celsus aptissime dixit de omni vulnere loco modo citato lib. 5. *Fascia vero*, inquit, *ad vulnus deligandum.... lata esse debet, ut semel injecta, non vulnus tantum, sed paulum utrimque etiam oras ejus comprehendat*: ideoque opus non habuit idem hic repetere. (4) *Recte se habens caput*, inquit Morgagnus, *videtur hic extremum ossis, cujus ossis fragmentum prominet, firmum, et idoneum ad sustinendum vulsellae illius quasi vectem: quale non fore, si in acutam desinat cuspi-*

benti capiti ab ea parte, qua sima est; ut ea parte qua gibba est, eminens os in suam sedem compellat. Si id majus est, membranulisque cingitur, sinere oportet eas sub medicamentis resolvi, idque os, ubi jam nudatum est, abscindere; quod maturius scilicet faciendum est: potestque ea ratione et os coire, et vulnus sanescere: illud suo tempore; hoc, prout se habet. Nonnumquam etiam in magno vulnere evenit, ut fragmenta quaedam velut emoriantur, neque cum ceteris coeant: quod hic quoque ex modo fluentis humoris colligitur. Quo magis necessarium est, saepius vulnus resolvere, atque nutrire. Sequitur vero, ut id os per se post aliquot dies excidat. Quum tam misera antea conditio vulneris sit, (5) tamen id interdum manus diutiusque facit. Saepe enim integra cute os abrumpitur, protinusque prurigo et dolor oritur. Quod solvere, si accidit, maturius oportet, et fovere aqua, per aestatem, frigida; per hiemem, egelida: deinde ceratum myrteum imponere. Interdum fractura quibusdam velut aculeis carnem vexat. Quo a prurigine et punctionibus cognito, aperire id medicus, eosque aculeos praecidere necesse habet. Reliqua vero curatio in utroque hoc casu eadem est, quae ubi plagam ictus protinus intulit. Puro jam vulnere, cibis hicquoque utendum est carnem producentibus. Si brevius adhuc membrum est, et ossa loco suo non sunt, paxillus tenuis quam laevissimi generis inter ea demitti debet sic, ut capite paulum supra vulnus emineat; isque quotidie plenior adigendus est, donec par id membrum alteri fiat. Tum paxillus removendus; vulnus sanandum est; cicatrix inducta fovenda frigida aqua est, in qua myrtus, hedera, aliaeve similes verbenae decoctae sint, illinendumque medicamentum est, quod siccet: et magis etiam hic quiescendum, donec id membrum confirmetur. Si quando vero ossa non conferbuerunt, quia saepe soluta, saepe mota sunt, in aperto deinde curatio est: possunt enim coire. Si vetustas occupavit, membrum extendendum est, *ut aliquid laedatur*; ossa inter se manu dividenda, ut concurrendo exasperentur, et sic, quid pingue est, eradatur, totumque id quasi recens fiat: magna tamen cura habita, ne nervi musculive laedantur. Tum vino fovendum est, in quo malicorium decoctum sit; imponendumque id ipsum ovi albo mixtum: tertio die resolvendum, fovendumque aqua in qua verbenae, de quibus supra dixi, decoctae sint: quinto die idem faciendum, ferulaeque circumdandae: cetera, et ante, et post, eadem facienda, quae supra scripsi. Solent tamen interdum transversa inter se ossa confervere: eoque et brevius membrum, et indecorum fit; et, si capita acutiora sunt, assiduae punctiones sentiun-

dem, tum ratio docet, tum Hippocrates in re non valde dissimili lib de Fract. sect 27. *Si vero superna ossis pars immutata fuerit, ac confracta, ut vecti adhibendo locus non sit commodus; sed acutum quid prominet; tunc osse scalpendo deraso, securam vecti sedem facere oportet.* (5) Locus corruptus. Sensus videtur esse, interdum medicum vulnus facere debere, quia *saepe integra cute os abrumpitur.*

tur. Ob quam causam frangi rursus ossa et dirigi debent. Id hoc modo fit. Calida aqua multa membrum id fovetur, et ex cerato liquido perfricatur, intenditurque: inter haec medicus pertractans ossa, ut adhuc tenero callo, manibus ea diducit, compellitque id quod eminet in suam sedem: et, si parum valuit, ab ea parte, in quam os se inclinat, involutam lana regulam objicit; atque ita deligando, assuescere iterum vetustae sedi cogit. Nonnumquam autem recte quidem ossa coierunt, superincrevit vero nimius callus; ideoque locus is intumuit. Quod ubi incidit, diu leniterque id membrum perfricandum est ex oleo et sale et nitro; multaque aqua calida salsa fovendum; et imponendum malagma, quod digerat; adstrictiusque alligandum; oleribusque, et praeterea vomitu utendum: per quae cum carne callus quoque extenuatur. Confertque aliquid sinapi cum ficu in alterum *par* membrum impositum, donec id paulum erodat, eoque evocet materiam. Ubi is tumor extenuatus est, rursus ad ordinem vitae revertendum est.

Cap. XI (*). Ac de fractis quidem ossibus hactenus dictum sit. Moventur autem ea sedibus suis duobus modis. Nam modo, quae juncta sunt inter se dehiscunt(1); ut quum latum scapularum os ab humero recedit; et in brachio radius a cubito; et in crure tibia a sura; et interdum a saltu calcis os a talo, (quod raro tamen fit); modo articuli suis sedibus excidunt. Ante de prioribus dicam. Quorum ubi aliquid incidit, protinus is locus cavus est, depressusque digitus sinum invenit: deinde gravis inflammatio oritur; atque in talis praecipue: siquidem febres quoque, et cancros, et nervorum vel distentiones, vel rigores, qui caput scapulis annectunt, movere consuevit. Quorum vitandorum causa facienda eadem sunt, quae in ossibus mobilibus laesis proposita sunt; ut dolor tumorque per ea tollantur. Nam diducta ossa numquam rursus inter se junguntur; et, (2) ut aliquid decoris eo loco, sic nihil usus amittitur. Maxilla vero, et vertebrae, omnesque articuli, quum validis nervis comprehendantur, excidunt aut vi expulsi, aut aliquo casu nervis vel ruptis, vel infirmatis; faciliusque in pueris et adolescentulis, quam in robustioribus. Iique elabuntur in priorem et in posteriorem, in interiorem et in exteriorem partem; quidam omnibus modis, quidam certis: suntque quaedam communia omnium signa, quaedam propria cujusque. Siquidem semper ea parte tumor est, in quam os prorumpit; ea sinus, a qua recessit. Et haec quidem in omnibus deprehenduntur: alia vero in singulis; quae simul atque de quoque dicam, proponenda erunt.

(1) Morgagnus suspicatur, non *ab humero*, sed *ab jugulo* potius esse legendum. (Vide Epist. VII. infra). Ego tamen nihil muto. Vide infra adnot a. et quae ex Hippocrate, Galeno, Polluce, aliisquo ad vocem A'χρώμιον affert Foesius in Aeconomia. — (2) Sic reposui ex multis Codicibus. Hippocrates lib. de Artic. sect. 11.

(*) Cap. XI. *De ossibus luxatis.*

Sed ut excidere omnes articuli possunt, sic non omnes reponuntur. Caput enim numquam compellitur, neque in spina vertebra, neque ea maxilla, quae, utraque parte prolapsa, antequam reponeretur, inflammationem movit. Rursum, qui nervorum vitio prolapsi sunt, compulsi quoque in suas sedes iterum excidunt Ac quibus in pueritia exciderunt, neque repositi sunt, minus quam ceteri crescunt. Omniumque, quae loco suo non sunt, caro emacrescit, magisque in proximo membro, quam in ulteriore: ut, puta, si humerus loco suo non est, major in eo ipso fit, quam iu brachio; major in hoc, quam in manu, macies. Tum pro sedibus, et pro casibus, qui inciderunt, aut major aut minor usus ejus membri relinquitur: quoque iu eo plus usus superest, eo minus id extenuatur. Quidquid autem loco suo motum est, ante inflammationem reponendum est. Si illa occupavit, dum conquiescat, lacessendum non est: ubi finita est, tentandum est in iis membris, quae id patiuntur. Multum autem eo confert et corporis et nervorum habitus. Nam, si corpus tenue, si humidum est, si nervi infirmi, expeditius os reponitur: sed et primo facilius excidit, et postea minus fideliter continetur. Quae contraria his sunt, melius continent: sed id, quod expulsum est, difficulter admittunt. Oportet autem ipsam inflammationem levare, super succida lana ex aceto imposita: a cibo, si valentioris articuli casus est, triduo: interdum etiam quinque diebus abstinere: bibere aquam calidam, dum sitim finiat: curiosiusque haec facere, iis ossibus motis, quae validis plenisque musculis continentur: si vero etiam febris accessit, multo magis. Deinde ex die quinto fovere aqua calida, remotaque lana, ceratum imponere ex cyprino factum, nitro quoque adjecto, donec omnis inflammatio finiatur. Tunc frictionem ei membro adhibere; cibis uti bonis; *uti* vino modice: jamque ad usus quoque suos id membrum promovere; quia motus, ut in dolore pestifer, sic alias saluberrimus corpori est. Haec communia sunt: nunc de singulis dicam.

Cap. XII (*). Maxilla in priorem partem propellitur; sed modo altera parte, modo utraque. Si altera, in contrariam partem ipsa mentumque inclinatur: dentes paribus non respondent; sed sub iis, qui secant, canini sunt. At si utraque, totum mentum in exteriorem partem promovetur; inferioresque dentes longius quam superiores excedunt; intentique super musculi apparent. Primo quoque tempore homo iu sedili collocandus est sic, ut minister a posteriore parte caput ejus contineat, vel sic, ut juxta parietem is sedeat, subjecto inter parietem et caput ejus scorteo pulvino duro; eoque caput per ministrum urgeatur, quo sit immobilius (1): tum *medici* digiti pollices linteolis vel fasciis, ne delabantur, involuti in os ejus conji-

(1) Vox *medici* addita est ex glossemate.

(*) Cap. XII. *De maxilla luxata.*

ciendi, ceteri extrinsecus admovendi sunt. Ubi vehementer maxilla apprehensa est, si una parte procidit, concutiendum mentum, et ad guttur adducendum est: tum simul et caput apprehendendum, et, excitato mento, maxilla in suam sedem compellenda, et os ejus comprimendum est sic, ut omnia paene uno momento fiant. Sin utraque parte prolapsa est, eadem omnia facienda; sed aequaliter retro maxilla agenda est. Reposito osse, si cum dolore oculorum et cervicis iste casus incidit, ex brachio sanguis mittendus est. Quum omnibus vero, quorum ossa mota sunt, primo liquidior cibus conveniat, tum bis praecipue: adeo ut sermo quoque, frequens motu oris per nervos, laedat.

Cap. XIII (*). Caput duobus processibus in duos sinus summae vertebrae demissis super cervicem contineri, in prima parte proposui. Hi processus interdum in posteriorem partem excidunt: quo fit, ut nervi sub occipitio extendantur, mentum pectori agglutinetur, neque bibere is, neque loqui possit, interdum sine voluntate semen emittat: quibus celerrime mors supervenit. Ponendum autem hoc esse credidi, non quo curatio ejus rei ulla sit; sed ut res indiciis cognosceretur, et non putarent sibi medicum defuisse, si qui sic aliquem perdidissent.

Cap. XIV (**). Idem casus manet eos, quorum in spina vertebrae exciderunt. Id enim non potest fieri, nisi et medulla, quae per medium, et duabus membranulis, quae per duos a lateribus processus feruntur, et nervis, qui continent, ruptis. Excidunt autem et in posteriorem partem, et in priorem; et supra septum transversum, et infra. In utram partem exciderint, a posteriore parte vel tumor, vel sinus oritur. Si super septum id incidit, manus resolvuntur, vomitus, aut distentio nervorum insequitur, spiritus difficulter movetur, dolor urget, et aures obtusae sunt. Si sub septo, femina resolvuntur, urina supprimitur, interdum etiam sine voluntate prorumpit. Ex ejusmodi casibus, ut tardius, quam ex capitis, sic tamen intra triduum homo moritur. Nam quod Hippocrates dixit, vertebra in exteriorem partem prolapsa, pronum hominem collocandum esse, et extendendum, tum calce aliquem super ipsum os debere consistere (*a*), et id intus impellere: in iis accipiendum est, quae paulum excesserunt; non in iis, quae totae loco motae sunt. Nonnumquam enim nervorum imbecillitas efficit, ut, quamvis non exciderit vertebra, paulum tamen aut in posteriorem, aut in priorem partem pro-

(*a*) Vide Figuram in Vidi Vidii *Chir. e Graec. in lat. conv.* pag. 239, et in Littré *Oeuv. compl. d'Hippoc. Tom. IV* pag 203

(*) Cap. XIII. *De capite luxato.*
(**) Cap. XIV. *De spina luxata.*

mineat. Id non jugulat : sed ab interiore parte (1) ne contingi quidem potest : ab exteriore si propulsum est, plerumque iterum redit ; nisi, quod admodum rarum est, vis nervis restituta est.

Cap. XV (*). Hnmerns autem modo in alam excidit, modo in partem priorem. Si in alam delapsus est, cubitus recedit ab latere; sursum juxta ejusdem partis aurem cum humero porrigi non potest; longiusque altero id brachium est. Si in priorem partem, summnm quidem brachium extenditur, minus tamen quam naturaliter; difficiliusque in priorem partem, quam in posteriorem cnbitus porrigitur. Igitur, si in alam humerus excidit, et vel puerile adhuc est corpus, vel molle certe, et imbecillis nervis intentum est, satis est collocare id in sedili ; et ex duobus ministris alteri imperare, nt capnt lati scapnlarum ossis leniter reducat; alteri, ut brachium extendat : ipsum posteriore parte residentem (1), manum sub alam ejus conjicere, simulque et illa os, et altera manu brachium ejus ad latus impellere. At si vastius corpus, nervive robustiores snnt, necessaria est spatha lignea, quae et crassitudinem duorum digitorum habet, et longitudine ab ala usque ad digitos pervenit: in qua summa capitulum est rotundnm et leniter cavum, ut recipere particulam aliquam ex capite humeri possit. In ea bina foramina tribus locis sunt, inter se spatio distantibus ; in quae lora mollia conjiciuntur. Eaque spatha, fascia involuta, quo minus tactu laedat, ad alam brachio dirigitur sic, ut caput ejus summae alae subjiciatur: deinde loris suis ad brachium deligatur; uno loco paulum infra humeri caput; altero paulnm supra cubitum ; tertio supra mannm : cui rei protinus intervalla quoque foraminum aptata sunt. Sic brachium deligatum snper scalae gallinariae gradum trajicitur (a) ita alte, ut consi-

(1) Hunc quoque locum restitui ex loco citato Hippocratis de Articulis, ubi legitur *Quo enim pacto* inquit, *ab anteriore parte per ventrem impulsio fieri queat?*
(1) Locus hic a librariis pessime habitus nondum a criticis satis apte emendatus est.

(*) Cap. XV. *De humero luxato.*



(a) Methodus adhibendi Scalam gallinariam, cum spatha, ad reductionem humeri luxati, ex Vido Vidio (*Chir. e Graec in lat conv. pag.* 279). Fere eodem modo Hippocrates adhibebat *Ambi* (*Vid.* Littré: *Oeuv. compl d'Hipp. tom. III. pag.* 51). Vide *Farmacopea Celsiana* in II. Vol.

stere homo ipse non possit; simulque in alteram partem corpus demittitur, in alteram brachium intenditur: eoque fit, ut capite ligni caput humeri impulsum in suam sedem, modo cum sono, modo sine hoc compellatur. Multas alias esse rationes scire facile est uno Hippocrate lecto (2); sed non alia magis usu comprobata est. At si in partem priorem humerus excidit, supinus homo collocandus est; fasciaque, aut habena media alae circumdanda est, capitaque ejus post caput hominis ministro tradenda, brachium alteri; praecipiendumque, ut ille habenam, hic brachium extendat: deinde medicus caput quidem humeri sinistra debet repellere: dextra vero cubitum cum humero attollere, et os in suam sedem compellere: faciliusque id in hoc casu, quam in priore revertitur. Reposito humero, lana alae subjicienda est; si in interiore parte os fuit, ut ei opponatur; si in priore, ut tamen commodius deligetur. Tum fascia, primum sub ala obvoluta, caput ejus debet comprehendere, deinde per pectus ad alteram alam, ab eaque ad scapulas, rursusque ad ejusdem humeri caput tendere, saepiusque eadem ratione circumagi, donec bene id teneat. Vinctus, hac ratione humerus commodius continetur, si adductus ad latus, ad id quoque fascia deligatur.

CAP. XVI (*). In cubito autem tria coire ossa, humeri, radii, et cubiti ipsius, ex iis, quae prima parte hujus voluminis posita sunt, intelligi potuit. Si cubitus, qui annexus humero est, ab hoc excidit, radius, qui adjunctus est, interdum trahitur, interdum subsistit. In omnes vero quatuor partes excidere cubitus potest: sed, si in priorem prolapsus est, extentum brachium est, neque recurvatur: si in posteriorem, brachium curvum est, neque extenditur, breviusque altero est; interdum febrem, vomitumque bilis movet: si in exteriorem, interioremve, brachium porrectum est, sed paulum in eam partem, a qua os recessit, recurvatum. Quidquid incidit, reponendi ratio una est; neque in cubito tantum, sed in omnibus quoque membris longis, quae per articulum longa testa junguntur: utrumque membrum in diversas partes extendere, donec spatium inter ossa liberum sit; tum id os, quod excidit, ab ea parte, in quam prolapsum est, in contrariam impellere. Extendendi tamen alia atque alia

Codd. Mss. atque Edd. sex primae, et Manutianae habent *renum sub ala ejus coire, simulque et ille os* (aliqui Codd. *et ille eos*) *et altera manu* etc. Ego reposui *manum* pro *renum*, *sub alam* pro *sub ala*, *conjicere* pro *coire* (quod ex vetere scriptura *coicere* ortum est) et *illa os* pro *ille os*. Ita locum hunc ad Hippocratis sententiam exegi. Is enim lib. de Artic. sect 1. ita scripsit: *Medicus humerum in suum locum compellet, si interiore articuli prolapsi parte sub alam immissis digitis, ipse quidem capite ad summum humerum obfirmato a costis reducat, genibus vero ad cubiti flexum brachio admotis ad costas repellat*; et in Mochlico; *Humerus reponitur, si pugno quidem in alam injecto, caput sursum repellas, manum vero praeterea ad pectus adducas.* — (2) Hippocrates de Artic. sect. 4. *Haec reponendi humeri ratio longe optima censetur.*

(*) CAP. XVI. *De cubito luxato.*

genera sunt, pront aut nervi valent, aut ossa huc illucve se dederunt. Ac modo manibus solis utendum est, modo quaedam alia adbibenda. Ergo, si in priorem partem cnbitus prolapsus est, extendi per duos manibus, interdum etiam habenis adjectis, satis est: deinde rotundum aliquid a lacerti parte ponendum est, et super id repente cubitus ad humerum impellendus est. At in aliis casibus commodissimum est eadem ratione brachinm extendere, quae fracto humero supra posita est, et tum ossa reponere. Reliqua curatio eadem est, quae in omnibus. Celerius tantum, et saepius id resolvendum est; multo magis aqua calida fovendum; diutius ex oleo et nitro ac sale perfricandum. In cubito enim celerius, quam in ullo alio articulo, sive extra remansit, sive intus revertit, callus circumdatur; isque, si per quietem increvit, flexus illius postea prohibet.

CAP. XVII (*). Manus quoque in omnes quatuor partes prolabitur. Si in posteriorem partem excidit, porrigi digiti non possunt: si in priorem, non inclinantur: si in alterutrum latus, manus in contrarium, id est aut ad pollicem, aut ad minimnm digitum convertitur. Reponi non difficillime potest. Super durum locum, et renitentem ex altera parte intendi manus, ex altera brachium debet sic, ut prona sit, si in posteriorem partem os excidit; supina, si in priorem; si in interiorem exterioremve, in latus. Ubi satis nervi diducti sunt, si in alterutrum latus procidit, manibus in contrarium repellendum est. At iis, quae in priorem posterioremve partem prolapsa sunt, superimponendum durum aliquid, idque supra prominens os manu urgendum est; per quod vis adjecta facilius id in suam sedem compellit.

CAP. XVIII. (**). In palma quoque ossa interdum suis sedibus promoventur, modo in priorem partem, modo in posteriorem: in latus enim moveri, paribus ossibus oppositis, non possunt. Signum id solum est, quod omnium commune est: tumor ab ea parte, in quam os venit; sinus ab ea, a qua recessit. Sed sine intentione, digito tantummodo bene pressum os in suam sedem revertitur.

CAP. XIX (***). At in digitis totidem fere casus, eademque signa sunt, quae in manibus. Sed in his extendendis non aeque vi opus est; quum et articuli breviores, et nervi minus validi sint. Super mensam tantummodo intendi debent, qui vel in priorem, vel in posteriorem partem exciderunt (1); tum jam palma compelli. At id, quod in latus

(1) Locus depravatus. Ita legitur in plerisque Codicibus; nisi quod in iis pro *at id* est *ad id* Med. I. et Vat. VIII. habent *tum jam palma compelli, atque ita in latus* etc. Edd. antiquae, *tum jam palma compelli: atque id quod in latus*, etc. Ed. Lindenii,

(*) CAP. XVII. *De manu luxata.*
(**) CAP. XVIII. *De palma luxata.*
(***) CAP. XIX. *De digitis luxatis.*

elapsum est, digitis restitui (2). Potest tamen conditus articulus medius, aut summus canaliculo aliquo contineri.

Cap. XX (*). Quum de his dixerim, de iis quoque, quae in cruribus sunt, videri possum dixisse: siquidem etiam in hoc casu quaedam similitudo est femori et humero, tibiae et cubito, pedi et manui. Quaedam tamen separatim quoque de his dicenda sunt. Femur in omnes quatuor partes promovetur: saepissime in interiorem; deinde in exteriorem; raro admodum in priorem, aut posteriorem. Si in interiorem partem prolapsum est, crus longius altero, et valgius est: extra enim pes ultimus spectat. Si in exteriorem, brevius, varumque fit, pes intus inclinatur; calx in gressu terram non contingit, sed planta ima; meliusque id crus superius corpus, quam in priore casu, fert, minusque baculo eget. Si in priorem, crus extensum est, complicarique non potest; alteri cruri ad calcem par est, sed ima planta minus in priorem partem inclinatur; dolorque in hoc casu praecipuus est, et maxime urina supprimitur. Ubi cum dolore inflammatio quievit, commode ingrediuntur, (4) rectusque eorum pes est. Si in posteriorem, extendi non potest crus, breviusque est; ubi consistit, calx hic quoque terram non contingit. Magnum autem femori periculum est, ne vel difficulter reponatur, vel repositum rursus excidat. Quidam semper iterum excidere contendunt: sed Hippocrates, et Diocles, et Philotimus, et Nileus, et Heraclides Tarentinus, clari admodum auctores, ex toto se restituisse memoriae prodiderunt. Neque tot genera machinamentorum quoque, ad extendendum in hoc casu femur, Hippocrates, Andreas, Nileus, Nymphodorus, Protarchus (5), Heraclides, aliique quidam reperissent, si id frustra esset. Sed ut haec falsa opinio est, sic illud verum est: quum ibi valentissimi nervi musculique sint, si suum robur habent, vix admittere; si non habent, postea non continere. Tentandum igitur est, et, si tenerum membrum est, satis est habena altera ab inguine, altera a genu intendi: si validius, melius adducent, qui easdem habenas ad valida bacula deligarint; quumque eorum fustium imas partes oppositae morae objecerint, superiores ad se utraque manu traxerint. Etiamnum valentius intenditur membrum super scamnum,

tumque palma compelli: ut ita in locum, unde lapsus est digitus, restituatur. De lectione Lindenii vide Morgag. Epist. VI. VIII. et IX infra. (2) Haec verba in libris antiquis habentur cap. 24. hujus libri post ea *In digitis nihil ultra fieri debet, quam quod in iis qui sunt in manu, positum est;* In Ed. autem Lindenii in fine cap. 20. post illa *ne si motum adhuc nervis laxioribus femur fuerit, rursus erumpat.* Ego, Morgagni conjecturam secutus, ea huc transtuli. Vide epist. 6.

(4) Hippocrates in Mochlico sect. 3. *At quibus priorem in partem femur excidit.... crus hi minime inflectunt, maxime vero extendunt, pes rectus est, crus aequale.* — (5) Vide Morgagni de hoc loco judicium in VII. Epist. infra.

(*) Cap. XX. *De femore luxato.*

cui ab utraque parte axes sunt, ad quos habenae illae deligantur: qui, ut in torcularibus, conversi, rumpere quoque, si quis perseveraverit, non solum extendere nervos et musculos possunt. Collocandus autem homo super id scamnnm est aut pronus, aut supinus, aut in latus sic, ut semper ea pars superior sit, in quam os prolapsum est; ea etiam inferior, a qua recessit. Nervis extentis, si in priorem partem os venit, rotundum aliquid super inguen ponendum; subitoque super id genu adducendum est eodem modo, eademque de causa, qua idem in bracbio fit; protinusque, si complicari femur potest, intus est. In ceteris vero casibus, ubi ossa per vim paulum inter se recesserunt, medicus debet id, quod eminet, retro cogere; minister idem contra coxam propellere. Reposito osse, nihil alind novi curatio requirit, quam ut diutius is in lecto detineatur; ne, si motum adhuc nervis laxioribus femur fuerit, rursus erumpat.

CAP. XXI (*). Genu vero et in exteriorem, et in interiorem, et in posteriorem partem excidere, notissimum est. In priorem non prolabi plerique scripserunt: potestque id vero proximum esse, quum inde opposita patella, ipsa quoque caput tibiae contineat. Meges tamen eum, cui in priorem partem excidisset, a se curatum esse, memoriae prodidit. In his casibus intendi nervi rationibus iisdem, quas in femore retuli, possunt. Et id quidem, quod in posteriorem partem excidit, eodem modo rotundo aliquo super poplitem imposito, adductoque eo crure, reconditur. Cetera vero manibus simul dum ossa in diversas partes compelluntur.

CAP. XXII (**). Talus in omnes partes prolabitur. Ubi in interiorem partem excidit, ima pars pedis in exteriorem partem convertitur: ubi huic contrarius casus, contrarium etiam signum est. At si in priorem partem erumpit, a posteriore latus nervus durus et intentus est; simusque his pes est. Si in posteriorem, calx paene conditur, planta major fit. Reponitur antem is quoque per manus; prius in diversa pede et crure diductis (*a*). Et in hoc quoque casu diutius in lectulo perseverandum est; ne is talus, qui totum corpus sustinet, parum confirmatis nervis ferendo oneri cedat, rursusque prorumpat. Calceamentis quoque humilioribus primo tempore utendum; ne vinctura talum ipsum laedat.

CAP. XXIII (***). Plantae ossa iisdem modis, quibus in manu, pro-

(*a*) Vide figuram *Scamni Hippocratis* in Vid Vidii *Chir. e graec. in lat. convers. pag.* 174.), et in Littré *Oeuv. compl. d'Hipp. tom. IV. pag.* 301).

(*) CAP. XXI. *De genu luxato.*
(**) CAP. XXII. *De talo luxato.*
(***) C P. XXIII. *De planta luxata.*

deunt; iisdemque conduntur. Fascia tantummodo calcem quoque debet comprehendere: ne, quum mediam plantam, imumque ejus vinciri necesse est, liber talus in medio relictus, materiam pleniorem recipiat, ideoque suppuret.

Cap. XXIV (*). In digitis nihil ultra fieri debet, quam quod in iis, qui sunt in manu, positum est.

Cap. XXV (**). Haec facienda sunt in iis casibus, ubi sine vulnere ossa exciderunt (1)... Hic quoque et ingens periculum est, et eo gravius, quo majus membrum est, quove validioribus nervis aut musculis continetur. Ideoque in humeris, femoribusque metus mortis est: ac, si reposita ossa sunt, spes nulla est; non repositis tamen, nonnullum periculum est: eoque major in utroque timor est, quo propius vulnus articulo est. Hippocrates nihil tuto reponi posse, praeter digitos, et plantas, et manus, dixit: atque in his quoque diligenter esse agendum, ne praecipitarent. Quidam brachia quoque et crura reposuerunt; et, ne cancri, distentionesque nervorum orirentur; sub quibus in ejusmodi casu fieret mors matura; sanguinem ex brachio miserunt. Verum ne digitus quidem; in quo minimum, ut malum, sic etiam periculum est; reponi debet aut in inflammatione, aut postea, quum jam vetus res est. Si quoque reposito osse nervi distenduntur, rursus id protinus expellendum est. Omne autem membrum, quod cum vulnere loco motum, neque repositum est, sic jacere convenit, ut maxime cubantem juvat; tantum ne moveatur, neve dependeat. In omnique tali morbo magnum ex longa fame praesidium est: deinde ex curatione eadem, quae proposita est ubi ossibus fractis vulnus accessit. Si nudum os eminet, impedimento semper futurum est: ideo, quod excedit, abscindendum est; imponendaque super arida linamenta sunt, et medicamenta non pinguia; donec, quae sola esse in ejusmodi re sanitas potest, veniat. Nam et debilitas sequitur, et tenuis cicatrix inducitur; quae necesse est facile noxae postea pateat.

(1) In libris antiquis deest altera periodi pars, quae huic opponebatur Lindenius ita supplet: *saepe tamen cum vulnere loco moventur*: ego malim sic: *nonnumquam cum vulnere loco moventur*. Id enim non saepe, sed raro fit.

(*) Cap. XXIV. *De digitis luxatis*.
(**) Cap. XXV. *De his, quae cum vulnere loco moventur*.

TESTIMONIA, ET ELOGIA

DE A. C. CELSO.

COLUMELLA.

De Re Rustica Lib. I. cap. 1. Ut Carthaginensem Magonem rusticationis parentem maxime veneremur ; nam hujus octo et viginti memorabilia illa volumina ex senatus consulto in latinum sermonem conversa sunt : non minorem tamen laudem meruerunt nostrorum temporum viri, Cornelius Celsus, et Julius Atticus. Quippe Cornelius totum corpus disciplinae quinque libris complexus est.

Lib. I. cap. 8. Ejusmodi villicum, *illiteratum sed tenacissimae memoriae*, Cornelius Celsus ait, saepius nummos domino , quam librum afferre , quia nescius literarum vel ipse minus possit rationes confingere , vel per alium propter conscientiam fraudis timere.

Lib. II. cap. 2. Cornelius Celsus non solum agricolationis , sed universae naturae prudens vir.

Lib. II. cap. 9. Nam , quod ait Celsus, ubi mediocris est fructus, optimam quamque spicam legi oportere, separatimque ex ea semen reponere.

Lib. III. cap. 3. Albuelis, *vitis*, utilior , ut ait Celsus , in colle , quam in campo : in arbore , quam in jugo ; in summa arbore, quam in ima, ferax et materiae frequentis , et uvae.

Ibid. Prudentis magistri est. . . . illud in totum praecipere ; quod et Celsus ait, Nullum genus vitium conserendum esse, nisi fama, nullum diutius conservandum, nisi experimento probatum.

Lib. III. cap. 17. Julius Atticus et Cornelius Celsus aetatis nostrae celeberrimi Auctores.

Lib. IV. cap. 8. Celsus et Atticus, quos in re rustica maxime aetas nostra probavit.

Lib. VI. cap. 9. Quamvis doctissimi viri (Celsi) auctoritatem reverebar, tamen ambitione submota, quid ipse censerem non omisi.

Lib. VII cap. 2. Igitur id pecus, *ovillum*, quamvis mollissimum sit, ut ait prudentissime Celsus, valetudinis tutissimae est, minimeque pestilentia laborat.

Lib. VII. cap. 3. Nam melior est, *agnus*, autumnalis verno, sicut ait verissime Celsus.

Lib. VIII. cap. 13. Celsus qui sic ait: Anser neque sine aqua, nec sine multa herba facile sustinetur, neque utilis est, locis consitis, quia , quidquid tenerum contingere potest, carpit. Sicubi vero flumen, aut lacus est, herbaeque copia, nec minus juxta satae fruges, id quoque genus nutrien-

dum est quod etiam nos facere censemus, non quia magni sit fructus, sed quia minimi oneris.

Lib. IX. cap. 1. Quam rationem, *reparandi apes ex juvenco peremto,* diligentius prosequi supervacuum puto, consentiens Celso, qui prudentissime ait; non tanto interitu pecus istud amitti, ut sic requirendum sit.

Lib. IX. cap. 2. Nec quicquam praecipi posse elegantius, quam a Celso jam dictum sit.

Georgicorum Lib. II. var. 479. Qua vi maria alta tumescant, objicibus ruptis. *Phylargyrius* maria alta etc. Celsus Oceanum significari ait, qui aestu suo diffidi terram inter Mauritaniam et Hispaniam: ut hoc sit: *objicibus ruptis.*

QUINTILIANUS.

Instit. Orat. Lib. X. cap. 1. Celsus, vir eruditus, medius inter Brutum et Plancum, eos philosophos Latinos, quos eloquentes literae Romanae fuerunt, « scripsit non parum multa, scepticos sequutus, non sine cultu et nitore ».

Lib. XII. cap. 11. Marcus Censorius Cato, idem orator, idem historiae conditor, idem juris, idem rerum rusticarum peritissimus. Quam multa, imo pene omnia tradidit Varro? Quod instrumentum dicendi M Tullio defuit? Quid plura? quum etiam Cornelius Celsus, mediocri vir ingenio, non solum de his omnibus conscripserit artibus, sed amplius rei militaris, et rusticae etiam, et medicinae praecepta reliquerit?

PLINIUS.

Histor. Natur. Lib. X. 53. Quaedam gallinae omnia gemina ova pariunt, et geminos interdum excludunt, ut Cornelius Celsus auctor est.

Lib. XX. 4. Celsus et podagris, quae sine tumore siut, radicem ejus (hibisci) ex vino decoctam imponi jubet. (Vid. pag. 136 vers. 17).

Lib. XIV. 2. Graecinus, qui alioqui Cornelium Celsum transcripsit.

VEGETIUS.

Re Milit. Lib. I. c. 8. Fidelissime dicturus, quae Cato scripsit; quae Cornelius Celsus, quae Frontinus perstringenda duxerunt.

ISIDORUS.

Origin. Lib. XVII. cap. 1. Nec minus, studium rei rusticae habuerunt postmodum Cornelius Celsus et Julius Atticus, Aemilianus sive Columella, insignis orator, qui totum corpus ejusdem disciplinae complexus est.

VERULAMIUS.

Augmen. Scient. Lib. V. Celsus vir prudens, non solum medicus, graviter et ingenue de empiricis et dogmaticis medicorum sectis loquens, fatetur, etc.

VOSSIUS.

Vitiis. Serm. cap. 16. **Purissimus scriptor Cornelius Celsus.**

CASAUBONUS.

Epist. 29. Medicorum Deus (Celsus).

CAELIUS RHODIGINUS.

Antiq. Lect. XXVI. A. Cornelio Celso versuram facinnt multi. Verum citra illius sententiam nihil ferme promunt; perinde ac verba sint veterum sacrorum, quae demutasse, piaculare flagitium plane censeri debeat.

MORGAGNUS.

Epistolae in Celsum. Vide infra.

TORELLUS.

Epist. ad Morgag. Proximis diebus qnum Celsum evolverem, quo ego auctore, ob singularem Latini sermonis puritatem et elegantiam, mirum in modum delector, etc.

F. FLORIDUS SABINUS.

Lect. Subcisiv. Lib. I. cap. 4. Cornelium Celsum ego tam excellentem scriptorem fuisse reor, ut paucos ei anteponendos Latium protulisse censeam, qnum medicinam tam candide, eleganterque Romanis literis illustraverit, quam potuit, qui ingenium sic ad omnes scientias versatile habuit, ut ad id unum a natura formatus videretur, quod vir praestantissimus tractare constituisset. Itaque qnum ejus, quae exstant, lucubrationibus nihil sit pulchrius, nihil elegantius, quam ornate Philosophica explicasse credendus est? de quibus non pauca ab illo Scepticos imitato scripta fuisse, memoria prodidit Fabius Quintilianus, in iis etiam Celso persaepe (ut ejus de Oratoria Institutione libri testantur) adversatus, quae ad Oratoriam artem spectantia, utinam cum infinitis aliorum voluminibus commune naufragium passa non fuissent. Nam et Celsi ingenium latius agnosceremus, et Rhetoricos ad Herennium libros non modo non ad Celsum, sed ne ad mediocrem quidem Celsi auditorem esse referendos, tamquam in speculo (ut est in proverbio) conspicaremur.

CLAUDIUS VERDERIUS.

Cension in Auct. Cornelius (Celsus) de Latinitate est tam bene meritus, ut inter Latinos videatur is, qui inter Graecos Theophrastus fuit.

VERTUNIANUS.

In Hippoc. De vuln. cap. Ab hoc Latinitatis amantes Latinas morborum nuncupationes repetere debebant.

ULYS. ALDROVANDUS.

De Insect. Lib. I. cap. 3. Nihilo scilicet insolentius atque a Celso gravi, et Latinae linguae Auctore.

H. F. AB AQUAPENDENTE.

Oper. Chir. Par. I. c. 7. Primo sese offert Celsi maxime proprius Latine loquendi modus, quem ego inter caeteros admiror.

Ibid. Par. I. cap. 17. Notetis Celsum, qui adamussim semper loquitur, tres usurpare voces, filum, linum et aciam.

Ibid. Par. I. cap. 32. Mirabilis Celsus in omnibus, quem nocturna versare manu, versare diurna consulo.

GOD. STEWECHIUS.

Ad Veget. de R. M. Lib. III. c. 6. Cornelius Celsus auctor Latinae linguae idoneus, et locuples, si quis alius.

CASPAR BARTHIUS.

Ad Statii Thebaid. Lib. III. Pariter loquitur elegantissimus eorundem temporum aut paullo superiorum auctor Cornelius Celsus, cujus utinam omni genere edita scripta ad nos pervenissent.

Ibid. Lib. II. Nos Cornelium Celsum sequuti ita optime nos Latine loqui putamus, quem ille *(Nonius)* quum minoris alibi auctoritatis esse jactat, cum supercilio suo Grammatico.

JAC. MOSANTUS BRIOSIUS.

Corn. Viq. Cadom. Et ut innumeros alios omittam, sit unus instar omnium inclytus ille tui agnominus Cornelius Celsus : Deus bone! quam diserta illius dictio, quam Latina et castigata! quam beatum, in quo vixit, aevum redolens! Scio sibi persuadere multos, illum non medicum de re medica scripsisse, sed fallunt, aut falluntur.

CHRIST. CELLARIUS.

Proleg. cur. post. de Barbar. et Idiot. serm. lat. Proximus Augusti temporibus Cornelius Celsus fuit Medicinae scriptor elegantissimus a Columella et Quintiliano laudatur, quem ipsi aureo seculo nonnulli inserunt.

Aur. saecul. Accedit Celsus, scriptor vix inferior iis, qui sub Augusto floruerunt.

Saecul. argent. At Cornelius Celsus, nisi ipse consors Augusti aevi, certe eidem proximus.

ROB. BOYLE.

De util. philos. exp. Ex. V. Celso judiciosissimo, quem eruditi Romanum Hippocratem appellant.

Ex. III. Celsi auctoritatem, quum a Dom. Verulamio, aliisque optimis auctoribus, judicio praeprimis pollentibus annumeretur, in sequentibus exercitationibus haud immerito plurimi facio.

JOAN. FREIND.

Epis. ded. tom. de morbis. Celsum principem inter Latinos, virum haud mediocris ingenii, siquis ex rhetorum Scholis profectum et dicendi potius quam medendi artificem putaverit, nec is in re medica parum se esse intelligentem arguit: qui enim artem hanc nostram plenitus calient, illum non sermonis elegantia magis, quam curandi peritiam insignem sentiunt.

MARCUS AUR. SEVERINUS.

Sui in Celsum Commentarii meminit. De Pernion.; De offic. medic.

LIL. GREG. GYRALDUS.

Dialogism. IV. Existimo te, Hieronyme doctissime, probe scire, quantae auctoritatis sit Cornelius Celsus apud Latinos, probeque accedere ad Ciceronis elegantiam. Quapropter soleo libenter ejus lectione delectari.

ALIA TESTIMONIA

GALENUS.

De compos. pharm. sec. loc. Lib. IX. c. 5. Ad dysentericos, coeliacos, et haemoptoicos e Cornelio medico: Myrrhae, thuris, etc.

S. AUGUSTINUS.

De haeres. Praef. Opiniones omnium Philosophorum, qui varias sectas condiderunt usque ad tempora sua sex non parvis voluminibus Celsus (?) quidam absolvit.

CASSIODORUS.

Epistol. Legite Hippocratem atque Galenum latina lingua conversos.... deinde Aurelii Celsi (*alii* Caelii) de Medicina.

GERBERTUS.

Epist. 45. Cum tibi desit artifex medendi nobis remediorum materia, supersedimus describere ea, quae medicorum peritissimi utilia judicaverint vitiato jecori. Quem morbum tu corrupte *postuma*, nostri *apostema*, Celsus Cornelius a Graecis ἡπατικόν dicit appellari.

SIMON JANUENSIS.

Clavis sanationis. Item ex libro Cornelii Celsi de medicina in XIII particulas diviso; hic Cornelius a Plinio commendatur; deinde ex Cassio Felice, qui et ipse a Cornelio multum extollit.

PETRUS DE ABANO

Conciliator differ. Differ. I. Unde Cornelius Celsus vetustissimus auctor Aesculapius sive grece Asclepius celebretur, qui rudem et vulgarem medicinae scientiam paulo subtilius excoluit in Deorum numerum receptus est, etc. etc.

ANONYMUS TRADUCTOR ORIBASII (Balae 1528).

Comp. ad Eust. cap. De gener frical. Item alio modo Celsus fricationem Hippocratis dicit si vehemens sit, indurare corpus... pendere quos demit.

JOANNES CAESARIUS.

In dedic. Op. Celsi. Hic Celsus noster talis tantusque auctor et sit et habeatur, qualis utique et quantus ab eruditissimo quoque censetur, et judicatur; quippe qui in his octo libris de medicina oppido quam eleganter scribens tanto artificio universa morborum genera tractat, exequiturque definiendo, dividendoque, et eorum protinus curationes non uno modo subjungendo; ut ne inter Graecos quidem hujus artis scriptores reperiatur quispiam, qui tam exacte tamque diligenter id praestet, aut praestiterit umquam, licet principes artis medicinae ea natio nobis dederit.

R. CONSTANTINUS.

In dedic. Op. Celsi. Cornelius Celsus, qui imprimis bonus auctor, (ideoque ab aliis primae notae scriptoribus laudatur, multumque approbatur); Qui et Hippocratis fidelis interpres Latinus dici meruit; Qui Medicinam in compendium contuiit; Qui ita castigate, proprie et eleganter loquitur, (versum enim dicendi genus et astrictum sequutus est, in quo rerum sententiosa gravitas, verborumque apta et numerosa, et quasi rotunda constructio), ut non modo a Medicis propter artis scientiam, verum etiam ab omnibus eloquentiae candidatis, propter scribendi venustatem lectitari mereatur, Nullus enim auctor est, si Ciceronem et Plinium excipias, id est, duo linguae Romanae columina, cui plus ipsa latina lingua debeat.

JOH. ANT. VAN DER LINDEN.

In praef. Op. Celsi. Sisto tibi, amice Lector, A. Corn. Celsum, authorem latinissimum, medicum sapientissimum, prudentissimumque. Cujus ego amorem tibi si velim commendare, idem fecero, quod hederam qui suspendit vino veteri et bono. Quemadmodum namque virtutem non potest non amare ac sequi quisquis ejus pulchritudinem atque pretium novit: Ita Celsum nemo non aestimat, nemo non diurna versare manu, versare nocturna studet, quin in succum et sanguinem, quod aiunt, convertere, nisi qui ignorat, quanto nitore atque cultu, quanta industria atque

solertia istos de Re Medica libros octo (solos nobis ex pluribus eisque eruditissimis ingenii ac vigiliarum egregie elaboratarum monumentis reliquos) scripserit, atque ex Hippocrate cumprimis, medicinae parente, contraxerit, adhibitis in omni graviore negotio etiam in consilium aliis, et semper quidem optimis authoribus. Quales omnino necesse est fuisse, si sola confisus ingenii magnitudine, nulla artis exercitatione comparata notitia, tam admirandum nobis opus conciunare est aggressus. Quod me non credere, jam supra dixi. Scepticos in scribendo sequutum, author est Quintilianus. Quod si de sermonis ornatu intellexit, concedi potest: non facile, si de modo doctrinae. Ita enim scripsit, ut qui neutiquam dubitavit, non suam modo sententiam aperte profiteri, sed et summorum quoque virorum ad incudem quum rationis tum esperientiae revocare; quia et necessaria ac laudanda in artibus libertate mutare praecepta eorum, qui medendo scribendoque se ostendebant aberrare, non tam a placitis et a doctrina majorum, quam ab officio medici, quod Asclepiades esse dicebat, referenda nostro, ut toto, ut celeriter, ut jucunde curet. Ubique autem ea usus est modestia Celsus, ut, etsi numquam tanti putaret authorem, quanti hominum salutem, neminem sua tamen laude fraudaret. Quamquam vero jam ipsius aetate Medicina esset in tres sectas, easque plurimum inter se dissentientes, diducta; ita tamen Dogmatica (quae minime omnium deflectebat ab Hippocratica) se applicuit adhesitque, ut nihilominus etiam ab Empiricae atque Methodicae principibus acceperit, quae rationalis conjectura atque fidelis usus comprobassent: dignus vel ipso proposito, ut eum penetrasse cujusvis sectae omnia, atque delectu habito, in hanc velut multorum operum epitomen congessisse meliora quaeque, credamus. Forma operis, supra quam nostrum putat vulgus, ornata est, et ordinata. Sermo toto in opere plenus, purus, venustus, castus, et quod praecipuum est, accommodus rei tradendae; adeo ut in medicina quidem nemo uti meliore scribendi magistro queat. Ordo, quam in toto dilucidus, in partibus articulatus, tam est in utrisque appositus ad usum. Quem ut solum Celsus spectavit, ita nihil eo non pertinens, non necessarium attulit: quin, resectis omnibus, non dicam superfluis, sed quae alinnde et possunt et revera debent accipi, eam solummodo Medicinae partem persecutus est, in qua proprie et principaliter ars consistit.

LEON. TARGA.

In praef. Op. Celsi. Si qua est ars, quam singulari studio ac diligentia Graeci excoluerint, ea certo Medicina est, quae in Oriente summo semper in honore habita ex Aegypto, ut ceterae fere omnes, una cum Philosophia in Graeciam migravit. Ea quippe antiquis temporibus sapientiae pars habebatur et quidem, potissima, utpote quae corpori medetur, quocum animus ipse tam arcta societate conjungitur. Qui in ea inter veteres excelluerint, multi celebrantur: quorum praecipuus Hippocrates Cous, tanta vir auctoritate, ut Medicorum princeps etiamnum habeatur. Hujus autem sectator inter Latinos A. Cornelius Celsus, non his quidem ingenio cum illo comparandus, sed scribendi arte atque elegantia procul dubio longe superior. Nam Medicinam totam octo libris complexus adeo scite in suas

partes distribuit, dilucideque explicavit, ut nihil amplius desiderari posse videatur.

EPIGRAMMATA VARIA IN A. C. CELSUM.

JANUS DOUSE. *(Acad. Leid. Praes.).*

Facta urbana tuo res Rustica munere, scriptis,
Nec minus illustris est Medicina tuis.
Hinc quoque militiae tractasti commoda Rhetor,
Hoc Martem Musis jungere Celse fuit.

BALDUINUS RONSSEUS GANDAV.

Hippocrati quantum debet Cos Insula magno,
Pergama tantundem, docte Galene, tibi.
His tamen ambobus quantum sua patria debet
Tantum, Corneli, maxima Roma tibi.

JOAN. SAMBUCUS. *(Sub imagine Celsi).*

Ausonias Cous votis perductus in oras
Edidit hunc foetum, veste fovetque sua.
Hic puris repetit verbis quaecumque probantur,
Et superat molem, Forliviane, tuam.

PITHOEUS. *(Epigram. Vet. lib. 2.).*

Dictantes medici quandoque et Apollinis artès
Musas Romano jussimus ore loqui.
Nec minus est nobis per pauca volumina famae,
Quam nos nulla satis bibliotheca capit.

INCERTI.

Cui celsum ingenium dederat natura, quid illi
Mirum, si Celsi nomine nomen adest ?
Hippocrati multum debebas Graie quod artem
Partibus innumeris excoluit medicam.
Plus meruit Celsus : Latiis namque intulit oris
Artem hanc; quod majus quam excoluisse reor.
Hippocrates arti Grajos invenit amicos,
Nec suasisse quis huic, sed docuisse, fuit.
Celsus abhorrentes Romanos traxit ad artem,
Et miro medicos reddidit eloquio.
Omnia quae Cous, scripsit, sed plura; quid ergo
Est opus ut magno cedat hic Hippocrati.

JO. BAPTISTAE MORGAGNI

In Patav. Gymnasio Primarii Anat. Professor.

IN

A. CORNELIUM CELSUM

EPISTOLAE AD

JO. BAPTISTAM VULPIUM

In ejusd. Gymnasii Anatomico Theatro Publicum Incisorem.

EPISTOLA PRIMA.

Jo. Bapt. Morgagnus Jo. Bapt. Vulpio S. P. D.

Quamquam te deficere nihil, puto ad A. Cornel. Celsum, et Q. Serenum Samonicum pari industriae, et diligentiae laude edendos atque a V. Cl. Fratre tuo Corn. Nepos, et C. Valerius Flaccus non ita pridem editi sunt; tamen quando meam quoque sententiam, et monita assidue postulas, atque adeo flagitas, non committam, mi Vulpi, ut tanto isti desiderio tuo ipse videar defuisse. Et primum quod ad Celsum attinet (nam de Sereno alias scribam) illud recte statuisti, ut eam prae caeteris editionem sequaris quam Vir, dum viveret, Eruditissimus procuravit Th. J. Almeloveenius. Cujus mei hac de re judicii rationem afferam, si prius de iis, quae in illa editione proposita sunt, tum Vita, tum Elogiis Celsi pauca admonuero. Quum Joannes Rhodius, a quo Vita illa scripta est, ignorare non deberet, Epistolas duas, alteram ad J. Callistum, alteram ad P. Natalem immerito in Marcelli volumine, Corn. Celsi praeferre nomen propterea quia prior certe Scribonii est, quod luculenter ab eodem ipso Rhodio in alio (1) est libro demonstratum; utraque autem vel ipso (ut nunc caetera omittamus) dictionis genere ita a scriptis Celsi discrepat, ut id qui non videat, nihil ille prorsus videat; quum haec, inquam, ita essent; non intelligere me, fateor, qua tandem ratione sibi licere crediderit Rhodius, Vir alioqui pereruditus, illarum Epistolarum, perinde ac si Celsi essent, testimonio passim uti ad ea, quae de hujus vita proponit, comprobanda. Qua de Rhodii incostantia, atque adeo prolapsione tantum abest ut Almeloveenius Lectores monuerit; ne Amanuensium quidem Rhodii, aut Typographorum Hafniensium in illo Opusculo describendo gravia quaedam ac manifesta correxit errata, ut ubi Largii Designatiani (ejus videlicet cujus Epistolam Marcellus exhibet) nomen in *Largii designationi* non sine totius sententiae incredibili depravatione mutavere, vel ubi Celsum

(1) *Not. in Scrib. pag.* 11.

Roma oriundum aperte monstrare, scribunt ipsius lib. 5. cap. 21; in lib. autem 7. cap. 26. ipsum prodere, pharmacorum (eorum, inquam, pharmacorum, quae *praebuisse* dicitur) artificiosam mistionem se accurate intellexisse: quae nempe capita licet ita diligenter perlegas, ut ne littera quidem una te fugiat; quod tamen ad propositum faciat, reperies nihil. Hos autem locos, et praesertim postremum eo magis emendare oportebat, quod nullum praeterea aliud verum ac luculentum Celsi ipsius testimonium protulit Rhodius, quo illud saltem, ipsum non legendo tantum (quod plures putarunt) atque exscribendo, sed observando etiam, suumque judicium interponendo, in re medica versatum esse, probaret: mirum sane in eo qui tot annos in relegendo Celso consumpserit, quum Is. Casaubonus tres ejusmodi locos in Scholiis annotaverit suis, quae Scholia edidit (1) Almeloveenius, aliosque ipse animadverterim, de quibus totidem, exempli causa proponere satis est (2): «Ego sic restitutum esse neminem memini:» et (3) «Neque audiendi sunt, qui osse nudato, diem tertium expectant, ut tunc excidant, ante inflammationem enim tutius omnia tractantur:» et (4) «In omni fisso fractove osse, protinus antiquiores medici ad ferramenta veniebant, quibus id exciderent. Sed multo melius est ante emplastra experiri».

Elogia autem, et Testimonia de Celso nulla potius afferri oportuit, quam aut ita concepta, aut ita pauca, ut in ista editione allata sunt, tanquam illud quod Egnatio (5) excidit, certissimum esset: «Cornelii Celsi Fabius, quod sciam, ex veteribus tantum meminit». Quid enim? An non Columellae proferri plures poterant loci, unde intelligeretur, et quam late fusa rerum scientia, et qua elegantia, et qua auctoritate, et qua fama, et quibus temporibus, et quot etiam, ex parte, volumina Celsus scripsisset? velut ubi (6) «CorneliumCelsum, vocat, non solum agricolationis, sed universae naturae prudentem virum, «aut ubi (7) de Apibus negat» quicquam praecipi posse elegantius quam a Celso jam dictum sit»; aut ubi (8) his verbis utitur: «quamvis doctissimi Viri (*Celsi*) auctoritatem reverebar, tamen ambitione submota, quid ipse censerem, non omisi»; aut his (9): «Julius Atticus, et Cornelius Celsus aetatis nostrae celeberrimi auctores; «itemque (10): «Celsus, et Atticus, quos in re rustica maxime nostra aetas probavit»: denique (11) «: ut Carthaginensem Magonem rusticationis parentem maxime veneremur; nam hujus octo et viginti memorabilia illa volumina ex senatusconsulto in latinum sermonem conversa sunt; non minorem tamen laudem meruerunt nostrorum temporum viri Cornelius Celsus, et Julius Atticus. Quippe Cornelius totum corpus disciplinae quinque libris complexus est».

Quos quidem libros quinque ad rei tantum rusticae disciplinam pertinuisse, tum ea ostendunt, quae antecedunt, ac subsequuntur, tum id confirmat, quod in Vita Celsi tradidit Rhodius, videlicet antiquorum, quae calamo scripta sunt, ejus de re medica exemplarium hanc communem esse inscriptionem: «A. C. Celsi Art. Lib. VI.» quam quidem et in Gudiano observavit Vir Cl. Jo. Alb. Fabricius (12), et Manutii suis in editionibus fideliter

(1) *ad pag.* 118. *lin.* 22. (2) *lib.* 7. *cap.* 7. §. 6. *p.* 231. *l.* 10. (3) *lib.* 8. *c.* 2. *p.* 277. *l.* 16. (4) *ib. c.* 4. *p.* 281. *l.* 3. (5) *in Epist. Dedic. Celsi.* (6) *de Re Rust, lib.* 1. *c.* 2. (7) *l.* 9. *c.* 2. (8) *ib. c.* 6. (9) *l.* 3. *c.* 17. (10) *l.* 1. *c.* 8. (11) *l.* 1. *c.* 1. (12) *Suppl. Biblioth. Lat. lib.* 2. *c.* 4. *et Bibl. Ibid.*

repraesentarunt, quos nimirum sequutus est H. Stephanus, sed his verbis: « Operis ab eo scripti de artibus pars sexta ». Et quintam quidem fuisse eos libros de re rustica, ex primis ipsis sextae versibus satis intelligi, recte ab eruditis hominibus est adnotatum. Quo autem ordine essent partes reliquae locatae, et quot in libros distributae, et num sexta ultima esset, ot his nihil videor legisse, quod pro certo habere possimus. Conjectura enim esset, neque illa satis firma, si quis id jungens, quod modo dictum est, cum ordine in pervulgato eo (1) Fabii loco observato: Corn. Celsus « rei militaris, et rusticae etiam, et medicinae praecepta reliquit », colligeret, quartam Operis partem fuisse de re militari. Conjectura quoque est docta haec quidem, et quam cum altero (2) Fabii loco, de iis quae Celsus ad *Scepticorum* exemplum *non parum multa* scripsit de Philosophia, valde consentire, animadverto; sed tamen conjectura est, quam laudatus Fabricius proposuit, quum (3) « de hoc nostro *Celso* videtur, *inquit*, accipiendum quod S. Augustinus praef. libri de haeresibus ait, opiniones omnium Philosophorum, qui varias sectas condiderunt usque ad tempora sua sex non parvis voluminibus Celsum quendam absolvisse ». Ad quatuor autem, quas nominavimus, partes de re rustica, medica, militari, philosophica, ut sine dubitatione aliae duae doctis ab hominibus adduntur, de arte videlicet rhetorica, et de jure civili; ita suspicari aliquos posse, video, an non aliae insuper adjici debeant. Neque hoc tamen dico ob librum de herbis jure ac merito longe alio Scriptori attributum, aut, quod Celsum peculiares libros scripsisse censeam de arte veterinaria, quanquam Rhodius in ejus Vita postquam libros caeteros memoravit, haec habeat: « Veterinariam quoque conscripsisse autor est Mercurialis lib. 4. cap. 2. ». Moveret quidem me mei eruditissimi Civis auctoritas; si locum quem ad istum modum indicavit Rhodius, alium esse putarem ac illum qui in Praelectionibus Patavinis, lib. 4. cap 2. sic legitur: « Scripserat enim Celsus de medicina brutorum ». Nam hoc negare potest nemo qui modo Celsi verba legerit (4): « amurca ad tertiam partem decocta, vel sulphur pici liquidae mixtum, sicut de pecoribus proposui, hominibus quoque scabie laborantibus opitulantur ». Quin etiam Columellam pluribus in locis (5) ad varios boum, oviumque morbos proposita a *Celso* remedia laudantem invenio. Veruntamen ut Robertus Constantinus (6), atque adeo noster Almeloveenius (7) eo Celsi loco nihil aliud significari, docuerunt, nisi quod tradiderat in libris de re rustica; ita ex his etiam Columellae non video qui confici possit, peculiares alios de medicina veterinaria libros a Celso fuisse conscriptos, quum ea omnia inter rei rusticae praecepta (quod et ipse Columella, et Cato fecerunt) opportune tradi potuerint, neque aliter accipere necesse sit verba Mercurialis. Non veterinariam igitur peculiaribus libris complexum esse Celsum, suspicor, sed alias ex iis artibus, quas indicat Quintilianus (8), « Marcus, inquit, Censorius Cato idem orator, idem historiae conditor, idem juris, idem rerum rusticarum peritissimus —Quam multa, imo pene omnia tradidit Varro? Quod instrumentum dicendi M. Tullio defuit? Quid plura? quum etiam Cornelius Celsus mediocri vir ingenio, non solum de his omnibus conscrip-

(1) *Instit. Orat. l.* 12. *c.* 11. (2) *ibid. l.* 10. *c.* 1. (3) *loc. cit.* (4) *l.* 5. *c.* 28. §. 16. *p.* 186. *l.* 8. (5) *l.* 6. *c.* 5. 12. 14. *et l.* 7. *c.* 5. (6) *in Adnotat. ad Cels.* (7) *in Scholiis in Cels.* (8) *Instit. Orat. lib.* 12. *c.* 11.

serit artibus, sed amplius rei militaris, et rusticae etiam, et medicinae praecepta reliquerit ». Nosti quot, et quam varia argumenta tractata sint a Varrone; nam etsi libri ejus plerique perierunt; inscriptiones tamen sunt nobis ab antiquis Scriptoribus conservatae, quas tanquam in tabella Cl. Fabricius (1) exhibuit: in primis, ut totius erat antiquitatis peritissimus, rem historicam esse Varronem persequutum, nemo ignorat: quod Catonem quoque illum Censorium fecisse, constat, et Quintilianus isto in loco diserte confirmat. Num ergo Celsum, etsi nihil praeterea aliud scripsisset, Historiam saltem attigisse, non suspicabimur? Sed ne diutius in his quae minus sunt certa, haereamus; ad ea quae certissima sunt, reliqua de Celso Columellae Testimonia, atque Elogia redeo: quae inter, eo magis quae protinus afferam, omissa adhuc (quod sciam) fuisse miror, quod deperditorum ejus de re rustica librorum Fragmenta quaedam iu nonnullis praesertim eorum videntur esse servata. Nam lib. 1, cap. 8. « Ejusmodi, inquit, villicum (illiteratum, sed tenacissimae memoriae) Cornelius Celsus ait, saepius numos domino, quam librum afferre, quia nescius literarum vel ipse minus possit rationes confingere, vel per alium propter conscientiam fraudis timere. »*Lib. 2. cap. 9.* « Nam, quod ait Celsus, ubi mediocris est fructus, optimam quanque spicam legere oportet, separatimque ex ea semen reponere. »*Lib 3. cap. 2.* « Albuelis *(vitis)* utilior, ut ait Celsus, in colle, quam in campo; in ardore, quam in jugo: in summa arbore, quam in ima, ferax et materiae frequentis, et uvae »: atque iterum «: Prudentis magistri est — illud in totum praecipere, quod et Celsus ait — : Nullum genus vitium conserendum esse, nisi fama; nullum diutius conservandum, nisi experimento probatum »*Lib 7. cap. 2* « Igitur id pecus *(ovillum)* quamvis mollissimum sit, ut ait prudentissime Celsus, valetudinis tutissimae est, minimeque pestilentia laborat. » Capite autem 3 ejusdem libri: « Nam melior est *(agnus)* autumnalis verno, sicut ait verissime Celsus. »*Lib. 8. cap. 13.* « *Anser* autem non ubique haberi potest, ut existimat verissime Celsus, qui sic ait: Anser neque sine aqua, nec sine multa herba facile sustinetur, neque utilis est locis consitis, quia quicquid tenerum contingere potest, carpit. Sicubi vero flumen, aut lacus est, herbaeque copia, nec minus juxta satae fruges, id quoque genus nutriendum est: quod etiam nos facere censemus, non quia magni sit fructus, sed quia minimi oneris. »*Lib. 9. cap. 1.* « Quam rationem *(reparandi apes ex juvenco peremto)* diligentius prosequi supervacuum puto, consentiens Celso, qui prudentissime ait, non tanto interitu pecus istud admitti *(an amitti?)* ut sic requirendum sit ». Sed quum ex aliis praeterea Columellae locis, ac praesertim ex fine memorati novissime capitis et sententias Celsi, et quid de his Columella censuerit, cognoscere possimus; tamen eos quos protuli, dignos praeter caeteros judicavi, qui minime in Almeloveenii editione omitterentur.

Porro neque Plinius silentio erat praetereundus, qui toties Celsum inter Auctores (et quidem non Externos) quos sequutus est, retulit in primo Naturalis Historiae libro, atque alibi etiam, ut libro 10 cap. 53. et (quod Almeloveenius non ignoravit) in calce capitis quarti, libri 20. ubi ex Celso diserte nominato remedium adversus podagram attulit, quod

(1) *Biblioth. Lat.* 1. c. 7.

in libro hujus habemus quarto, cap. 24. Nam alium quendam Plinii locum ex lib. 14. c. 2. *Graecinus, qui alioqui Cornelium Celsum transcripsit*, non contemno quidem; sed tamen non tanti, quanti facere Eruditi nonnulli Homines videntur, facio. Etsi enim Julium hunc Graecinum (hunc, inquam, ipsum Justi etiam Lipsii (1), atque Henrici Savillii (2) judicio) et ab Seneca (3) haud semel laudatum, et a Corn. Tacito (4) insigni illo elogio ornatum invenio: « pater Julii (*Agricolae*) Julius Graecinus senatorii ordinis, studio eloquentiae, sapientiaeque notus, iisque virtutibus iram Caii Caesaris meritus, namque Marcum Sillanum accusare jussus, et quia abnuerat, interfectus est »; ut ad Celsi laudem non mediocriter pertineat, quod ab ejusmodi Viro credatur esse transcriptus: haud facile tamen censuerim, aliud voluisse Plinium significare, nisi quod super helvenaca, de qua ibi loquitur, vite Celsi ille judicium descripserit. Neque enim, aliter si esset, aut Plinius ipse (5) inter eos Scriptores quorum auctoritatem in libris 14. 15.17.18. sequutus est, praeter Celsum, Graecinum quoque nominasset, atque adeo in libri 16. Indice hunc, Celso omisso, memorasset, aut Columella (6) saepe adeo sententiam Julii Graecini nominatim laudasset, atque ipsa, ut videtur, verba, quae pro Graecini Fragmentis haberi fortasse possunt, plerumque retulisset; imo ipsum, non Julii Attici, quod facit (7), sed Cornelii Celsi *velut discipulum*, scripsisset, *duo volumina similium praeceptorum de vineis* edidisse. Utcunque id est; haec veterum Auctorum testimonia antiquam Celsi famam, atque etiam (quod vel ex iis intelligi potest, quae de Graecino modo attigimus) aetatem ipsam indicantia, istic omnia praetermittuntur.

Unus Quintiliani locus, quum proponi plures possent, et in his aut ubi (8) Celsum de eloquentiae praeceptis *accurate* scripsisse, judicat; aut ubi (9) eundem *eruditum* appellat *virum*; aut ubi (10) inter *paucissimos eloquentes*, quos in philosophia *literae Romanae tulerunt*, ipsum dilaudans, *scripsisse*, ait, *non parum multa, scepticos sequutum, non sine cultu, et nitore*; unus, inquam, profertur Quintiliani locus, isque Celso quum haud multum aequus, tum qui etiam quam revera sit, multo passim iniquior videatur non attendentibus videlicet, *mediocri virum ingenio* ibi (11) Celsum dici, ubi contentione quasi quadam facta, Scriptores omnium longe ingeniosissimi, et in his Homerus, Plato, Aristoteles, M. Tullius, collaudantur.

Quid vero de iis dicemus, quae multa ex Verderio sine ulla animadversione proponuntur? In aliquo Celsus Hippocratis verbo latine reddendo aliquid interdum humani passus sit; num propterea continuo pronunciandum erat, *Hippocratem et Graeca pene omnia parum feliciter vertisse*? An non erat potius animadvertendum, quanto ille, quam nos, Hippocratis aetati propior fuit, tanto fidelioribus atque integrioribus Hippocratis exemplaribus usum esse? ut nisi quid aliud omnino obstet, non ex nostris exemplaribus Celsi versionem reprehendere, sed ex Celsi versione nostra emendare exemplaria iis praesertim in locis deceat, qui aliter in aliis antiquis codicibus scripti sunt: quod me quidem, quum Hippocratem publice

(1) *et.* (2) *in Agricol. Taciti.* (3) *De benef. l.* 2. 21. *et. Epist.* 29. (4) *in Jul. Agricolae Vita.* (5) *Nat. Hist. l* 1. (6) *de Re Rust. Vid. l.* 3. *c.* 2. 3. 12. *et l.* 4. *c.* 3. 28. (7) *ib. l.* 1. *c.* 1. (8) *Inst. Orat. l.* 3. *c.* 1. (9) *l.* 9. *c.* 1. (10) *l.* 10. *c.* 1. (11) *l.* 12. *c.* 11.

interpetrarer, aliquando, et fortasse haud incommode, facientem annis superioribus audivisti. Sed *denique apud Celsum*, inquit, *observationes quaedam sunt ludicrae*. Quae tandem? » Si nimirum aegrotus summis digitis extrema parietum evellat, hoc est lapillos ex muro exradicet ». Celsus (1) ita habet: « si qua minuta eminent carpat, signum mortis esse » ; quasi vero istiusmodi observationem aut Celsus de Hippocrate (*), de illo, inquam, Hippocrate, quem felicius (si Diis placet) vertisse oportebat, non accepisset; aut qua ratione, causaque vera esse possit, explicare Medici prorsus nescirent. Sed jam ad ipsos Celsi libros veniamus.

Hos quum ego libros ante multos annos ruri diligenter perlegerem, exemplari usus parvulo ex iis Lugdunensibus, quorum uno ipsum quoque Josephum Scaligerum usum esse, ex Lindenio cognosces; memini me ducentos minimum locos ex iis, quos corruptos esse, intelligebam, conjectura (neque enim aut ulli, calamo, aut alii, formis descripti, quos conferrem, ibi erant libri) conjectura, inquam, ductum emendare, vel ut verius dicam, quo emendari modo possent, inter legendum divinare voluisse. Quas divinationes quum postea aliquando cum excusis libris conferrem, non ante sensi, me actum egisse, quam libellum a Lindenio procuratum in manus sumerem. Hic enim Vir diligentissimus, et magnis ad Celsum restituendum subsidiis instructissimus, quae ego suspicione attigeram, ea prope omnia ex veterum librorum auctoritate, et Virorum Summorum conjecturis selectissimis reposuerat. Quorsum haec? inquies. Nempe ut intelligas, me Almeloveenii, qui Lindenium fere sequutus est, editionem probantem, non temere, sed facto periculo, atque instituta cum aliorum libris comparatione judicare. Et vero ut certis in locis, quorum aliquot in hac Epistola indicabo, minime de ea Lindenii editione Thomae Bartholini (2) judicium improbem; in plerisque tamen eorum qui a me sunt diligenter perpensi, non video esse cur verear ne non sit caeteris anteferenda. Huc adde quae Almeloveenii sedulitas, ac solertia adjunxit, et in his quae ad locos vel incertae scripturae commonstrandos, vel obscuros illustrandos, vel memorabiles indicandos, comprobandosve in calce tum singularum pagellarum, tum libri universi adscripsit. Quibus omnibus in rebus etsi hominis exercitatissimi eruditionem, diligentiam, egregiamque de studiosis lectoribus bene merendi voluntatem jure laudo, atque commendo; noli tamen credere, sic illum, meo quidem judicio, peregisse omnia, nihil ut reliquerit industriae tuae. Imo sic habeas, velim: prope innumera adhuc superesse, quae adjici possint, hujusque rei conjecturam facias ex iis, quae has mihi litteras alia inter studia, atque occupationes scribenti in memoriam videris esse redacta.

Nam ut a postremis incipientes, ad priora demum revertamur; haec memorabilia, ac digna sunt certe quae extenso quasi digito Lectoribus ostendantur: jam tum Celsum lib. 3. cap. 19. primum fortasse ex omnibus, quos nunc de re medica habemus, Scriptoribus (quae enim huc Rubeus (3) profert ex Hippocrate, ne aliter accipienda sint, vereor) primum, inquam, nutrientium, ut vocant, Clysterum usum, et opportunitatem lit-

(1) *l. 2. c. 6. p. 54, l. 9.* (*) *Praen. n. 4.* (2) *Dissert. IV. de libris legend.*
(3) *Annot. in Cels.*

teris mandavisse; « Ultimum, inquit, auxilium est, in alvum ptisanae vel alicae cremorem ex inferioribus partibus indere, siquidem id quoque vires tuetur: » Jam tum lib. 6. cap. 7. in *gravis auditus* curatione monuisse, *aurem ipsam considerare oportere*, si forte appareat *sordium coitus*: hasque ante, ubi opus sit, emollitas, auriculari *specillo eximendas esse*: Jam tum; idque paulo infra; scripsisse: « purgare aurem oportere, et spiritum continere, donec inde humor aliquis exspumet: » Jam tum lib. 7. cap. 26. id in urethrae incisione praecepisse, quod et alibi, velut in jugularium venarum sectione, aliquando haud inutile esse posse, animadverto: scilicet primum cutem *quamplurimum attrahendam*, deinde urethra incisa, et haerente in ea calculo exemto, « tum cutem remittendam; sic enim fieri, ut incisum colem integra pars cutis contegat, et urina naturaliter profluat: » Jam tum eodem in libro, capite autem 16. docuisse, tum crassius intestinum perforatum *interdum glutinari*, tum *si angustius vulnus* abdominis *est, quam ut* prolapsa *intestina commode refundantur, incidendum esse, donec satis pateat*: quod quidem monitum meministi ut prae caeteris inculcaverit hac aetate nimium lentis, ac meticulosis Chirurgis Experientissimus Vir Abr. Cyprianus (1). His locos adde quos Redius (2) confirmavit, atque illustravit sive do Serpentum veneno, sive de Hirundinibus, et chelidonia. Celsus namque in extremo sexto capite libri sexti earum quas ibi memorat, « Avium acies, inquit, extrinsecus laesa, interposito tempore in antiquum statum redit, celerrimeque hirundinis. Unde etiam locus fabulae factus est, per parentes id herba restitui, quod per se sanescit». Idemque lib. 5. cap. 27. « Venenum, inquit, serpentis—non gustu, sed in vulnere nocet.— Ergo quisquis, exemplum Psylli sequutus, id vulnus exsuxerit, et ipse tutus erit, et tutum hominem praestabit. Illud interea ante debebit attendere, ne quod in gingivis, palatove, aliave parte oris ulcus habeat».Neque tandem is praetermittendus est locus, quo nos uti consuevimus, ut quid prisci Anatomici intestini caeci appellatione significarint, Celsi etiam auctoritate ostendamus. Nimirum lib. 4. cap. 1. crassius, inquit, intestinum « a dextra parte incipiens, in sinisteriorem pervium et longum est, in dexteriorem non est; ideoque caecum nominatur ».

Atque hi quidam sunt ex multis locis quos ut memorabiles indicare poterat Almeloveenius; nunc duos (haud amplius) ex non paucioribus adscribam, quos quidem poterat declarare. Nam quod lib. 3. cap. 18. scriptum est: « Confert etiam aliquid ad somnum silanus juxta cadens », quot tandem ex studiosis Adolescentibus putas intellecturos quid sit iste *silanus*: quum eruditus Vir Jo. Caesarius (3) vocis insolentia permotus, se pro ipsa *saliens rivus* repositurum fuisse, fateatur, nisi in ea verba forte incidisset unde incipit Sex. Pomp. Festi (4) liber secundum Aldi partitionem duodevicesimus: « Tullios alii dixere esse silanos, alii rivos »: quae et G. Valla viderat, ac Silanum pro rivo exposuerat. Et Rousseus (5) quidem eadem quae Caesarius, habet: idemque senserat, ac tradiderat Pantinus (6). Ego

(1) *Epist. ad Millington.* (2) Osserv. int. alle vipere, ed esper. int. a cose natur. (3) *Comment. in Cels.* (4) *de verb. Signific.* (5) *Enarration. Cels.* (6) *Annotation in Cels.*

vero quum Festi verba relego : «Tullios alii dixere esse silanos, alii rivos, alii vehementes projectiones sanguinis artuatim (Jos. Scaliger, aliique legunt *arcuatim*) fluentis , quales sunt Tiburi in Aniene. Ennius in Ajace. Ajax misso sanguine tepido Tullii efflantes volant » ; ut suspicor , quaedam librariorum incuria esse omissa , aut saltem vel depravata, vel in non suum locum transposita; quid enim illa : *quales sunt Tiburi in Aniene* , ad sanguinem ? ita minus miror, R. Constantinum (1) legere, non « Tullios alii dixere esse silanos «sed» Tubulos alii dixerunt esse salientes,et saliens » in Celso scribendum credere pro *silanus*. Porro Josephus Scaliger in suis in Festum Castigationibus haec notat: *Silani*; *Glossario silvani. Silvanus*, Κρῆνὸς, hoc est fons aqnae saliens: ac pariter in iis Notis quae ex editione Festi Romana , castigationes Scaligeri consequuntn r, haec habentur: « In antiquo Lexico Latino Graeco , *Silvanus* exponitur Κρῆνὸς , et ita fortasse legendum tum hic, tum apud Cornelium Celsum »: qua in opinione Jacobum quoque Cujacium (2), et Hieronymum Columnam (3) fuisse , non ignoro: et certe in Philoxeni Glossis : *Silvanus*, vel *Silbanus* , Κρῆνὸς , se etiam legisse, ostendunt Gerardus Joannes Vossius (4), et Robertus Keuchenius (5). Haec etsi ita sunt ; tamen illa vicissim haud sunt ignoranda, non modo hos duos quos novissime laudavimus , Viros , et praeterea Jo. Jacobum Hofmannum (6) pariter censere, in Glossis, atque adeo in Festo legendum esse *Silanus* , et *Silanos* ; sed et reapse Turnebum (7) in Petri Danielis Aureliani latino Onomastico perantiquo , in membranis scripto , sic inveuisse: *Silanus tubus*; ac Lambinum (8) in Vocabulario Latino-graeco cujus ipsi Puteanus copiam fecerat: *Silanus*, Κρῶὸς. Neque Constantinus (9) ipse negat, *Tullios* etiam, et *silanos* in Festo legi ; imo haec scriptura in omnibus, quae adhuc viderim, excusis Festi exemplaribus habetur. Huc adde ex iis Fabulis (10) quae sub C. Julii Hygini nomine circumferuntur; « quum (fuscinam) eduxisset , tres Silani sequuti sunt, qui ex Amymones nomine Amymonius fons appellatus est » ; quinetiam ex divina illa Atheniensis Pestilentiae descriptione Lucretiana (11) :

Multa siti prostrata viam per, proque voluta
Corpora silanos ad aquarum strata jacebant
Interclusa anima nimia ab dulcedine aquaï ;

sic enim post Aldum, ut probe nosti, rejecta Marulli emendatione, et Pii scriptura, qui *sic amnis* , et *sola amneis* pro *silanos* posuerant ; vetustis , emendatisque libris auctoribus, Viri Doctissimi edidere, ex quibus Lambinus(12),Gisanius(13), Creechius (14) hunc etiam ipsum de quo agimus, Celsi locum in eandem sententiam produxerunt , nec Munckerus (15) in allatis Hygini verbis exponendis , aut Vossius in Etymologico Linguae Latinae (16) (ubi, ut opere in longo , haud miror quod pro Mythologico

(1) *Adnot. in Cels.* (2) *Observat. l.* 11. *c.* 2. (3) *in Ennii Frag. ex Ajace.* (4) *loco infra cit* (5) *In Frontinum de Aquaed. ad illa verba*: compluribus salientibus aquis instruxit urbem. (6) *Lexic. Universal. ad vocem Silani.* (7) *Adver. l.* 28. *c.* 6. (8) *Comment. ad Lucr. lib.* 6 (9) *loc. cit.* (10) *Fab.* 169. (11) *De Rer. Nat. l.* 6. (12) *loc. cit.* (13) *Conlectan. Lucret.* (14) *Not. ad Lucr. l.* 6. (15) *Not. ad. Hygini Fab.* 169. (16) *ad vocem Silanorum.*

Hygini citet P. *Astronomicon*) praetermisit. Neque vero omissus est ab iis quos supra nominavi, Hofmanno (1), et Keuchenio (2), aut denique a Samueie Pitisco (3); quinimo ab his duobus diserte adscriptum est, *silanum* esse hic a Celso positum pro *rivulo susurrante decidentium leniter aquarum*; ut mihi illud Virgilianum (4) in memoriam reduxerint :

— levi somnum suadebit inire susurro ,

multoque etiam magis illos Poëtarum aliorum locos ad quos Celsus potuit respexisse, ut hunc Horatii (5) :

Fontesque lymphis obstrepunt manantibus
Somnos quod invitet leves,

illumque inprimis Ovidii (6) , qui in Somni ipsius domo , ac penetralibus describendis , nullo modo sibi esse *rivum* praetermittendum existimavit ,

— Per quem cum murmure labens
Invitet somnos crepitantibus unda lapillis.

Verum ante eos omnes a quibus ut nonnulla alia, quae supra indicavi, ita hunc Celsi locum in istiusmodi sententiam productum esse, comperi, produxisse invenio L. Gr. Gyraldum in eo *Dialogismo* (7) , in quo a Barbulejo suo ex se quaesitum esse, proposuit , « quid sibi vellet haec inaudita vox Silanos»; ipse vero» antiquam vocem esse Latinam, et tubos aquarum significare, et fistulas », ostendit. Caeterum ad hujus vocis antiquitatem comprobandam fuit aliquando quum pertinere fortasse, crederem, *Silanorum* cognomen , Romae in Junia Gente celeberrimum ; sed postea vidi , tum Antonium Augustinum (8) id ipsum deducere a *Silo*, Sergiorum', et Licinioruml cognomine , significante , ut Festus (9) est auctor , nasum sursum versus repandum, tum nostrae hujus vocis originem ex arabica *Silan*, quod est *fluxus aquae*, a Thoma Erpenio (10) , quocum faciunt Hofmannus (11), et Vossius (12), derivari. Quae omnia quum ita sint, neque aliquis; quod sciam; in antiquis Celsi codicibus aliud quam *silanus*, legisse se, scripserit, quam quidem vocem in primis, ac praeterea in optimis quibusque editionibus constanter video esse servatam ; ut nihil in Celso mutandum, ita Lectores monendos censeo quid eruditissimi Homines de hoc vocabulo, ejusque significatione tradiderint.

Non ita difficile, nec tamen aeque omnibus facile erit conjicere quid sibi Celsus voluerit libro 5. in fine capitis 21. quod est de Pessis.» Si conciderе, inquit , vitio locorum mulier solet , cochleae cum testis suis comburendae , conterendaeque , deinde his mel adjiciendum est. Si non comprehendit, adeps leonina ex rosa mollienda est». Si enim haec ita juncta ;

(1) *loc. cit.* (2) *loc. cit.* (3) *Lexic. Antiquit. Roman. ad vocem* Silanus. (4) *Bucolic. Eclog.* 1. (5) *Epod.* 2. (6) *Metamorph. l.* 11. (7) *Dialogism.* 18. (8) *De Familiis Roman. in Junia.* (9) *De verbor. Signif. l.* 17. (10) *Annot. in Lexic. Arabic. Rapheleng.* (11) *locis cit.* (12) *loc. cit.*

ut in plerisque editionibus, legantur, tanquam aut unum ad morbum, aut unum ad pessum spectarent ; cogitare potest quispiam num forte ea verba *si non comprehendit* hoc significent: si mulier, quae vitio locorum concidit, nihil percipit; vel an sic etiam sint accipienda: si mel contusis cochleis adjectum eas non satis, ut alibi Celsus loquitur, cogit ; quo videlicet modo tum Scribonius (1), « haec omnia, inquit, sive contusa, sive creta diligenter, melle Attico despumato comprendantur »; et alio in loco (2), « deinde caeteris miscentur, quae et ipsa recipere debent tantum mellis, quantum satis erit ad comprehendenda et continenda ea »; tum Vegetius (3), « quae diutissime trita, melle optimo adjecto comprehendantur »: vel denique erit fortasse qui sic opinetur : fecisse hic Celsum quod ubi (4) praecepit de extrahendis calculis foeminarum, aperte fecit, ut ad Virgines etiam respiceret; his igitur non eos pessos, quos nimirum *non comprehenderent*, sed tantummodo e leonina adipe, rosa mollita, inunctiones, vel si mavis, quae nunc vocitant *nascalia* imperavisse. Ego vero ut duas illas priores explicationes multis de causis quas enumerare necesse non est, minime probare me posse, fateor; sic ne hanc quidem tertiam tueri velim. propterea quod si id Auctor spectasset; certe (ut alia sileam) in superioribus quoque pessis nonnullis adversus morbos cunctis foeminis pariter communes proponendis, Virginum rationem habuisset: neque vero habendam ipsi fuisse in toto hoc capite, is intelliget qui pessorum nomine nihil hic nisi *nascalia* praecipi, animadvertet « Eorum, inquit, haec proprietas est: medicamenta composita molli lana excipiuntur, eaque lana naturalibus conditur ». Quoniam igitur sic connexorum ut proposuimus, Celsi verborum nulla satis placet sententia ; an melior possit existere videndum est ex iisdem in duas, ut ab Lindenio, et Almeloveenio factum est, particulas ita sejunctis, ut singulae ad singulos tum morbos, tum pessos indicandos pertineant. Quumque omnis vel in sic disjunctis obscuritas oriatur ex illo verbo *comprehendit*; etsi hoc non satis illustratur synonymo quod in ora libri sui adscripsit R. Constantinus, συλλαμβάνεται, propterea quia non pauciora ferme significat hoc apud Graecos, quam *comprehendit* apud Latinos; mihi tamen causam praebuit suspicandi, an ut apud illos non tantum significat *complectitur*, *capit*, *percipit*, etc. verum etiam interdum *concipit*, qua videlicet ratione ab Aristotele positum invenitur lib. 2. de Generat. Animalium ; sic Celsus, Graecos hic imitatus, eadem scribat significatione, *comprehendit*; ut haec ejus sententia sit: Si mulier non concipit; adeps leonina, oleo rosaceo emollita, ac lana molli excepta, subjicienda est : quae sane explicatio magis probabitur ab iis qui quum meminerint, non modo apud recentiores aliquos Auctores pinguedinem leonis ad juvandam venerem commendari; verum ipsum quoque Aetium (5) ex eodem oleo in fellis vesicula leonina servato pessum, seu potius *nascale* ad conceptionem adjuvandam proposuisse: tum minime ignoraverint, aequalem ferme Celso Scriptorem Columellam (6) in re quidem haud ita absimili scripsisse: « brumae temporibus aliquando insita vitis comprehendit » : et vitis truncus insitus *quum comprehendit*; hoc est quum indito surculo coaluit intime sic ut ipsum jam

(1) *Compos. Med. Comp.* 70. (2) *Comp.* 106. *Sic. et* 88. *et* 107. (3) *Art. Veterin. l.* 4. *c.* 27. (4) *l.* 7. *cap* 26. *p.* 260. *l.* 21 (5) *Tetrab.* 4. *Serm.* 4. *c.* 32. (6) *de Re Rustic. l.* 4. *c.* 29.

alat: quae omnia eo fusius exposui quod ex iis quae adhuc consului, Lexicis, aliisque ejusdemmodi libris plane intelligerem, quosdam hujus verbi significatus ex iis esse quae doctorum alioqui Hominum, et in his rebus versatissimorum magnam quantumvis diligentiam fugerunt.

Jam vero ex innumeris prope locis quorum incertam scripturam commemorare poterat Almeloveenius, hos paucos habe. Lib. 2. cap. 29. in quo cibi, ac potiones quae alvum movent, traduntur, me non praeterit, Nicolai illius qui Florentiae primus omnium quos non ego modo, sed et Viri noverint longe Eruditissimi Thomas Bartholinus (1). Almeloveenius noster et Jo. Albertus Fabricius (2), primus, inquam, Celsum descripsit formis, atque etiam L. Ant. Juntae, ac Manutiorum libros post mulsum, vinumque dulce, vel salsum haec habere: *aqua: tenera omnia tepida: dulcia: pinguia*: hancque scripturam hactenus probare Almeloveenium!, ut cum Lindenio scribat: *aqua, omnia tenera, tepida, dulcia, pinguia*. Attamen in proximo capite 30. quod propter Operarum incuriam apud Almeloveenium inscribitur 25. in quo contra, quae alvum adstringunt, proponuntur, nunquam ego post asperum et vinum, et defrutum legi: « aqua vel tepida vel praefrigida, dura, id est, ea quae tarde putescit, ideoque pluviatilis potissimum, omnia dura, macra»: haec, inquam, superiori loco perspicue opposita numquam legi, quin vehementer dubitarem, an non magis in ipso probanda esset altera scriptura, quam Caesarius, Pantinus, Stephanus, Rubeus, atque alii sequuntur: *aqua tenera, omnia tepida, dulcia, pinguia*; ut aqua videlicet *tenera* opponatur *durae*, sicut a Rubeo (3) explicatum est; aut certe utramque scripturam; quod factum video a Constantino, et Rousseo; esse censerem proponendam. Initium quoque sectionis 16. capitis 28. libri 5. quum hoc habeat Nicolaus: *Scabies vero est durior cutis rubicundus*; Junta autem, Caesarius, Pantinus, Stephanus, aliique tria postrema verba ita scribant: «durior cutis rubicundior»; Manutii vero: « humor cutis rubicundus »; Constantinus denique ad libri oram; « tumor durior cutis ». Alii, « durities cutis ». Rousseus autem: « al. humor durior c. r. al. durities cutis»; quum igitur usque adeo hic varient codices; equidem haud improbaverim quod Almeloveenius, missis caeteris aut manifeste vitiosam, aut minus probabilem sententiam habentibus, ultimum cum Lindenio selegerit, et scribere maluerit: « Scabies vero est durities cutis rubicundior, ex qua pustulae oriuntur » ; erat tamen de tanta ista varietate Lector monendus tum ne pro certo crederet, Celsum ita scripsisse, tum ut inquireret, quo igitur modo scripsisset, an sic, exempli causa: « Scabies vero est aspritudo cutis rubicundior, ex qua pustulae oriuntur ». Ut enim mittam, verbi *aspritudo* vestigia quaedam fortasse in illo *durior* relicta esse, quod pleraeque, et in his vetustissima, editiones servarunt; certe in ejus quae proxime antecedit, sectionis principio quum haec de pustulis Celsus scripsisset: « Earum plura genera sunt. Nam modo circa totum corpus partemve aspredo » (*aspritudo* ex optimis, vetustisque exemplaribus quae Rhodius (4), et Constantinus (5) nominant, legendum est) quaedam fit, similis his pustulis etc. eaeque modo rubent, modo colorem cutis non excedunt»; quum,

(1) *Dissert. IV. de libris legend.* (2) *Bibl. Lat. l. s. c. 4.* (3) *Annot. in Cels.* (4) *in Lexic. Scribon.* (5) *Adnot. in Cels.*

inquam, Celsus haec scripsisset; a veri similitudine non prorsus abhorret, jungere cum illa sectione hanc quae sequitur, eo quod exempli causa proposuimus, initio voluisse, eoque magis quod paulo post id initium, *Quo asperior est*, inquit, *quoque prurit magis, eo difficilius tollitur*. Verbis autem opus non est, ut intelligatur, aut libro 6. cap. 14. (quod perperam Almeloveenii Operae 16. fecere) in quo de Uvae morbo sermo est, omittere non decuisse, veterem librum a Constantino, et Ronsseo in suorum margine descriptum, cujus auctoritate, proxima iis, quae afferemus protinus, verba in suam sedem restituta sunt; non *succo* habere, sed *succus* in hoc loco: « Chelidoniae quoque succo per cochlear illita uva maxime prodest »: Aut libro eodem, cap. 6. in extrema fere sectione 1. cum illis verbis: « In ipsum vero oculum primo die, nisi immodica inflammatio est, nihil recte conjicitur »; alteram quoque librorum videlicet Nicolai, Juntae, Manutiorum, Stephani, Constantini, scripturam, quae a Ronsseo, aliisque praeterea saltem in ora adscripta est, proferre convenisse: *nisi modica inflammatio est;* praesertim quum haec continuo sequantur: « saepe enim potius concitatur eo pituita quam minuitur »: Aut lib. 7. cap. 2. ad illa verba: « si aegrum fluens alvus exercuit, neque per alimenta quicquam corpori accedit »; indicandum fuisse: Manutios tamen; quos quum dico, Egnatium quoque ipsum dico; pro *exercuit*, legisse *exhaurit*, Stephanum autem *exhausit*; quam quidem scripturam, magis profecto cum proximis, quae modo allata sunt, verbis ipso loquendi genere congruentem, Constantinus quoque, ac Ronsseus adnotavere: Aut eodem libro 7. cap. 12. sect. 1. quae est inscripta *de Dentibus*, post ea verba quibus docemur tum cognoscere, in eorumne evulsione aliquid ex osse cui inhaerent, fractum sit, tum fracti ossis particulam, incisa etiam, si opus sit, gingiva, vulsellae ope esse extrahendam; quae porro subjiciuntur: « Quod si fractum statim non est, sed intumescit extrinsecus maxilla, ut os hiare non possit »; non sine iis legi oportuisse, quae ipsorum loco sunt tum in pervetusto Nicolai libro, tum in illis quos Junta, et Caesarius edidere; quorum quidem verborum praecipua pars est a Constantino, Ronsseo, aliisque in margine proposita: « Quod si factum statim non est, indurescit extrinsecus maxilla, ut is hiare non possit »; hoc est, si fracti ossis particula educta statim non sit: Aut denique libro 8. cap. 10. ubi de membris, ut reponantur ossa, extendendis, haec habentur: « Sub qua (inflammatione) et difficile, et periculose via nervis adhibetur, nam distentionem nervorum vel cancer sequitur; vel certe, quum mitissime agitur, pus »; duo fuisse non omittenda, alterum, plerorumque libros non habere: *quum mitissime agitur*, sed *ut diutissime alatur*, Manutiorum: *ut mitissime alatur*, Constantini scriptum calamo: *agatur*; ut proclive sit suspicari, scripsisse Celsum: *ut mitissime agatur*; alterum, in iisdem omnibus, imo ipsius quoque Lindenii libro non *distentionem* nervorum legi, sed *distentio*.

Verum in hisce aut omnibus, aut certe fere omnibus locis erunt fortasse qui minus necessarium fuisse judicent variantem scripturam indicare. Quid vero de iis censebunt quos protinus memorabo, in quibus, nulla alia commonstrata scriptura, eam Lindenius, atque Almeloveenius sine ulla dubitatione unam ediderunt quam aut nullo pacto, aut minus profecto laudabiliter tueri possimus? Libro enim 3. sic capitis 18. initium proposuerunt:

« Et febrium quidem curatio exposita est. Supersunt vero alii corporis affectus, qui huic superveniunt, ex quibus eos, qui certis partibus assignari possunt, protinus jungam. Incipiam ab insania ». Ego vero qui in aliis omnibus quae adhuc videre licuit, Celsi exemplaribus constanter legerim : « eos; qui certis partibus assignari non possunt »; vixque meminerim, Constantinum, atque Rousseum, nullo tamen antiquo codice citato, et in ipso tantum margine suorum librorum, istud *non* esse delendum, indicavisse; qui Nostri et reapse deleverint, et delevisse se, riticuerint, plurimum miror. Nam si quis forte dicat : quid ergo ? Num insania, lethargus, apoplexia, paralysis, comitialis, cardiacus, aut regius morbus (de quibus videlicet sermonem habendi ab istis verbis Corn. Celsus initium capit) affectus igitur sunt, qui certis partibus assignari non possunt? ego etsi illum ad Pantini Annotationes possem rejicere, ex quibus qua ratione id negare Celso licuerit, intelligeret; non tamen faciam; sed hoc unum respondebo, non quid aliis, et his nostris potissimum, sed quid Celsi, aliorumque latinorum rei medicae Scriptorum temporibus apud ipsos in usu esset, ac consuetudine, esse spectandum. Serenus certe Samonicus (1) lethargi, et comitialis, ac regii morbi; Plinius autem Valerianus (2) et horum, et caeterorum qui sunt paulo supra nominati, curationes seorsum, extraque aliorum qui certis partibus assignantur, ordinem proposuerunt, quanquam uterque a capite orsus, et deinceps thoracem, imum ventrem, artusque ipsos perlustrans, ante poterat in suis quemque sedibus, siquas eorum certas esse, censuisset, nullo negotio collocare. Quorum Scriptorum aliquis forte auctoritatem contemnat; ipsius autem Celsi contemnere qui possit ? Hic vero si, ut Lindenius, atque Almeloveenius proponunt, eos de quibus loquimur, affectus certis partibus assignari posse, scripsisset; qua tandem ratione statim atque ipsorum tractationem cum libro tertio absolverat, hoc uti libri quarti initio (quod quidem omnes ad eundem pariter modum exhibent, et in his Lindenius etiam, ac Almeloveenius) potuisset : « Hactenus reperiuntur ea genera morborum, quae in totis corporibus ita sunt, ut iis certae sedes assignari non possint: nunc de his dicam, quae sunt in partibus ». Operae quoque pretium est animadvertere quomodo ipsi eodem in libro quarto capitis 21. finem ediderint : « Neque alienum est fovere inferiores partes aqua, decocta ex verbenis comprimentibus, ex iisdem aliqua cataplasmata imo ventri inguinibusque circumdare; praecipueque ex aceto. Vitare autem oportet rutam, et ne supinus dormiat ». Nempe igitur Celsus in nimia seminis profusione (de hac enim agit in eo capite) rutam quam caeteri laudarunt Medici, ipse improbaverit ? Vi enim sua; in Schollis inquit Almeloveenius; nimium extinguere semen posset. At quanto veri similiora scripsisset, si indicata plerorumque librorum scriptura : « praecipueque ex aceto rutam vitare, etiam (alii habent: et) ne supinus obdormiat » ; Lectores monuisset, paulo aliter dumtaxat interpungendo et librarios potuisse hunc locum corrumpere, et nos posse restituere, si videlicet (quod factum esse, nuper vidi etiam in Constantini editione, et ad eundem fere modum in Rousseï Enarratione) scribamus : « Neque alienum est cataplasmata imo ventri inguinibusque circumdare, praecipueque

(1) *de Medicina Praec.* (2) *l.* 1. *c.* 58. *et seq. et. l.* 3. *c.* 7. *et seq.*

ex aceto rutam: vitare etiam, ne supinus obdormiat ». Non difficilius est, praesertim alia aliorum librorum scriptura animadversa, locum restituere, quem libro 5. in capitis 27. initio comperies : « Sequitur, ut de his (vulneribus) dicam, quae morsu fiunt, interdum hominis, interdum simiae, saepe canis, nonnumquam ferarum, aut aliorum animalium, aut serpentium. Omnis autem ferae morsus habent quoddam virus ». Quae postrema verba quum in libris editis ab Nicolao, itemque a Manutiis ab hunc modum scripta sint: « Omnis autem fere morsus habet quoddam virus », imo a Manutiis scriptum sit *fere*; miror, Almeloveenium hos potius non esse sequutum, praesertim qui hic laudet Panaroli Pentec. 2. Observationem 32. (legendum est 42.) quae est *de Mulieris morsu venenato*, cui addere ex Hildano (1) alias potuisset idem ostendentes, morsum videlicet hominis aut esse virulentum, aut certe; ut Plinii (2) verbis utar; *inter asperrimos* non injuria numerari. Quae etiamsi non ita se haberent, neque Serenus Samonicus (3) qui respexisse ad hunc Celsi locum videtur, scripsisset :

Sive homo, seu similis turpissima bestia nobis
Vulnera dente dedit, virus simul intulit atrum ;

Celsum tamen ipse per se istam sibi scripturam assereret. Quum enim post ea de quibus agimus, verba, haec continuo subjecerit « Itaque si vehemens vulnus est, cucurbitula admovenda est »; haecque, ut tota reliqua prima sectio, de omnibus universe morsibus sint necessario accipienda ; neque enim alioqui de hominis, ac simiae morsibus, velut est pollicitus, in toto hoc capite verba faceret ; necesse profecto est, ut non modo omnis ferae, sed etiam omnium animalium morsum fere virus quoddam inferre, posuerit, quod videlicet cucurbitula sit extrahendum. Idem quoque Celsus quid de duobus aliis locis censendum sit, satis, superque demonstrat. Nam quod ab Nostris editum est libro 8. cap. 1. « Primo vero duo, radii et brachii, ossa juncta paulatim dirimuntur, rursusque ad manum coeunt, modo crassitudinis mutato. Siquidem ibi radius plenior, cubitus admodum tenuis est »; non sine vitio esse iis omnibus apparebit qui paulo ante, haec scripta esse, animadverterint : « Quae res sedem brachio praestat, quod constat ex ossibus duobus », iis nimirum quae illico nominat, ut in eo quoque de quo sermo est, loco, ac describit Celsus, *radio* videlicet, ac *cubito*; ut manifestum sit, quum brachium ipsum constet ex radio, non oportuisse scribere: *duo radii, et brachii, ossa*; sed vel satis fuisse : *duo brachii ossa*, vel si nominanda erant : *duo, radii et cubiti, ossa*, omnino scribere oportuisse : utrum enim a Celso reapse scriptum sit, haud satis liquet ex scriptura, in aliis omnibus quae adhuc vidimus, exemplaribus in hunc unum modum depravata : *duobus radiis brachii ossa*. Alter locus in eodem pariter libro occurret, capite autem 5. quod de Naso fracto est, ubi et Lindenius, et Almeloveenius haec edidere ; « Sin, quod intus inditum est, laedit; sicut maxime fit, ubi interior cartilago perfracta est, exercitatae nares eadem tantummodo habena continendae sunt ». Ubi tamen, non

(1) *Cent.* 1. *obs.* 84. 85. *et Cent.* 4. *Obs* 87. (2) *Natur. Hist. l.* 28 *c.* 4.
(3) *De Medic. Praec cap. de Hominis, ac Simiae morsu.*

exercitatae, sed *excitatae nares*, ipse Celsus indicat, esse legendum, ut qui non modo alibi, atque adeo etiam paulo infra eodem verbo eadem significatione est usus, sed et paulo supra de fracta nasi cartilagine in suam sedem reponenda verba faciens, *quicquid*, inquit, *e cartilagine concedit* (libentius legerem: *concidit*, quum caeteri quos consului, libri constanter habeant: « Quicqnid in cartilaginem incidit) excitandum leniter est, aut subjecto specillo, aut duobus digitis utrinque compressis »: mox quae in nares injicienda sint, docet, quae desidere cartilaginem, non sinant, item quae extrinsecus habena circumdanda sit quae nares sic excitatas, contineat: post quae videlicet ea continuo subjicit de quibus loquimur, verba. Sed et in cunctis quos ad hoc tempus inspeximus libris, non *exercitatae*, sed *excitatae nares* scriptum est : quod utinam significasset Lectoribus Almeloveenius ; hac quippe scriptura commonstrata aut illam alteram rejecissent, aut saltem quid Celsus revera scripsisset, amplius sibi in ejusdem, ut nos fecimus, aut in aliorum etiam scriptis statuisseut esse quaerendum. Quod quidem in locis nonnullis facturos scio in quibus Vir ille ad istum alterum modum se gessit, ut puta cum lib. 4. cap. 21. ad illa verba : *Id faciunt etiam albae violae*, haec adnotavit : « Mercurialis Variar. Lect. L. I. e. 3. videtur olivas *legisse* ». Illud tantummodo minus placet, quod haec ita adnotet, quasi vero praeter Mercurialem nemo omnium id legisset: quum ego contra in nullo adhuc libro : *albae violae*, sed in omnibus invenerim: *albae olivae* : quae quoniam ; ut ibi ostendit Mercurialis meus tum ex ipsarum natura, tum ex Medicorum auctoritate; adstringendo utiles sunt ; sane hic videntur convenire ubi et *gummi*, et *passum* laudantur quocum videlicet Celsus ipse *oleas albas* in eo capite (1) conjunxit in quo ea, quae alvum adstringunt, proposuit. Multoque etiam minus dubito, qnin doctus Lector nostri conjecturam non seqnatur quam ad initium adscripsit capitis 5. libri 3. Quum enim Celsus de Diaria Febre sermonem instituens, haec habeat: « igitur si (febris) semel tantum accessit, deinde desiit, eaque vel ex inguine, vel ex lassitudine, vel ex aestu, aliave simili re fnit, sic, ut interior nnila causa metum fecerit » ; Almeloveenius, pro *inguine*, *malim*, inqnit, sanguine, *vel* inglnvie, « qnomodo enim ex inguine posset oriri febris? dein (Celsus) ennmerat causas externas, quas inter inguen censeri non potest ». Verum enimvero si has inter censeri inguen non potest ; qua, qnaeso, ratione *sanguis* ipse censeretnr ? Certe autem inter causas externas censetur ictus, vel alia ejusmodi ipsi etiam pedi vis illata a qua et inguinis tumor, et hulus socia diaria febris existit : sic enim ex inguine diariam oriri febrem, ita manifestnm est, ut minime oportuisset, Almeloveenium quaerere, « qnomodo ex inguine posset oriri febris ? » praesertim quum ipse Hippocrates in Epidem (2), scripserit : « Ex bubonibus febres omnes malae, praeter diarias » : eandemque prorsus in Aphorismo (3) sententiam retinuerit, cujus postremam partem a Galeno (4), Oribasio (5), Philotheo (6), Liebautio (7), Heurnio (8) ad eundem atque a me modum explicatam esse, scio, per externas scilicet, evidentesve causas, inguinis

(1) *l*, 2. *c*. 30. *p*. 66, 9, 12. (2) *l*. 2. *sect* 3. (3) *sect*. 4. *aphor*. 55.
(4) *Commentar*. 2. *in Aph. Hipp*. (5) *Comment. in Aph. H*. (6) *Comment. in Aph. H*. (7) *Schol. in Aph. H*. (8) *Enarrat. Aph. H*.

tumorem, ac diariam febrem excitantes. Recte igitur illud fecit Almeloveenius, quod in hoc loco nihil in Celsi verbis mutavit: quod utinam in pluribos aliis facere; quamvis ipso praeeunte Lindenio; noluisset: dici enim haud potest, mi Vulpi, quoties, et quot Viri longe etiam doctissimi, et in restituendis Veterum scriptis exercitatissimi, quum medicinam afferre se crederent, quantum ex integro, sanoque resecuerint.

Hoc autem quod in aliis improbo, ne ipse admittam; etsi postremo hoc loco dubitationes, quinetiam divinationes quasdam communicare tecum statui in aliquot Celsi locos, in quibus Almeloveenius nihil quidquam subesse vitii, judicare se, ostendit; haec tamen velim sic accipias, ut ad te, aliosque quibus praesertim codicum Celsi vetustiorum copia est, ad inquirendum, conferendumque excitandos, non ad aliquid in Celso praemature immutandum a me adscripta esse, existimes. Et primum libri 3. caput 27. numquam me perlegere potuisse, fateor, quin mirarer vehementer, in illud unum idemque caput, in quo de apoplexia, paralysi, aliisque nervorum affectionibus actum esset, ea quoque ad extremum conjici, quae ad Suppurationes pertinent, quae in aliqua interiori parte oriuntur, atque adeo suspicarer, postrema haec omnia aut alicunde avulsa, eodem esse reponenda, aut saltem in peculiare, ac penitus divisum caput secernenda. Libris autem Celsi editisque in ipsum Commentariis, quae adhuc licuit, consultis omnibus, non modo vestigium ullum antiquae divisionis, sed ne unum quidem reperire Scriptorem potui, qui in eadem dubitatione fuisset, praeter Rousseum (1), qui « addubito, inquit, vehementer num quae hic subsequuntur, antedictis cohaereant: mihi certe fini 22. capitis annectenda videntur, quod eodem capite de tabidis, et pulmone suppuratis agit ». Neque minus propemodum dubito; quamvis nec Rousseum, nec alium aliquem habeo praeeuntem; quin pariter in libri 4. caput 27. quod est *de Vulvae*, hoc est de Uteri, *Morbo*, temere a librariis contrusa fuerint, quae in illius calce leguntur de Nimia Urinae Profusione; quasi vero hoc mali viros nunquam, sed mulieres tantum corriperet, ut propterea inter peculiares earum morbos ita praesertim, nulla scilicet de viris mentione facta, a Celsi referri potuisset. Verum ad alia, ut puto, errata librariorum veniamus. In libri ejusdem 4. capite 1. scriptum est: « atque haec quidem juncta sunt. Renes vero divisi: qui lumbis sub imis coxis inhaerent, a parte earum resimi, ab altera rotundi ». Mitto, pro *divisi* alios omnes quos inspexi, libros, et recte fortassis, habere *diversi*; duo vero quorum primum vix tandem in Manutiorum libris, alterum in nullo adhuc reperi, praetermittere non possum; sic enim legendum credo: « qui lumbis sub imis costis inhaerent, a parte earum rotundi, ab altera resimi »: qua in lectione, tibi praesertim adeo in Anatome exercitato, probanda, non est sane cur laborem; quid enim esse manifestius potest, quam Renes ne ima quidem sui parte summas coxas, hoc est innominata ossa, attingere; sub imis autem costis positos esse: neque ea resimos esse parte qua coxas, vel costas spectant, sed rotundos; contra qua alter alteri obvertuntur, non rotundos esse, sed resimos? In capite ejusdem libri quarto sect. 2. ubi inter ea quae asthmati, atque orthopnoeae communia sunt, hoc primum legimus: « quod propter angustias, per

(1) *Enarrat. Cels.*

quas spiritum evadit, sibilum elidit », videndum censeo, an non potius oporteat legere: *sibilum edit*. Nam quid sit *spiritum elidit*, quomodo vel ipse alibi (1) loquutus est Celsus, satis id quidem; quid autem sit *sibilum elidit*; aut satis videor intelligere. Quod si igitur legamus *sibilum edit*, commentarii loco esse poterit quod Cassius Medicus (2) in Problemate habet 22. « Cur, inquit, difficulter spirantes sibilo non absimilem vocem reddunt? Quoniam morbus ipse est praeclusio, atque compressio inanium pulmonis fistularum: per angustum autem foramen dum fertur spiritus, talis redditur sonus ». Velim etiam haec attente consideres in ejusdem libri capite 31. « Quidam (podagrici, chiragricive) quum toto anno a vino, mulso, venere sibi temperassent, securitatem totius vitae consequuti sunt. Idque utique post primum dolorem servandum est, etiamsi quievit. Quod si jam consuetudo ejus facta est, potest quidem aliquis esse securior his temporibus, quibus dolor se remisit: majorem vero curam adhibere debent hi, quibus id revertitur, quod fere vere autumnove fieri solet ». Quanam, quaeso, ratione postrema haec accipiemus? Num *hi quibus id revertitur*, ii sunt quibus dolor reverti solet? At quid attinebat his majorem curam imperare, quasi ille aliquis quem securiorem esse jussit, non pariter ex iis esset quibus consuevit reverti dolor? Certe de utrisque dicit: *si jam consuetudo ejus facta est*. Num igitur *hi quibus id revertitur*, erunt ii quos jam nunc revertens dolor reapse invadit? At multo minus id attinebat monere; nam quis, reapse invadente dolore, majorem nescit curam esse adhibendam? Quid ergo est? Una ego litterula omissa has tantas huic loco offusas tenebras esse puto. Si enim legamus, non *hi*, sed *his*, aut etiam (nam *ii* lego in vetustissimo libro ab Nicolao typis descripto, quem porro sequutus est Junta) *iis, quibus id revertitur*; perspicua profecto, et Celso digna, et cum superioribus, ac consequentibus verbis apta, et cohaerens existit sententia, haec videlicet: Quibus dolor primus decessit, ii sibi diu, atque omnino temperent, necesse est, ut ne amplius revertatur. Quibus autem saepius dolor reversus est, eorum aliquis minus quidem sibi temperet, licet his anni temporibus quibus dolore solutus esse consuevit; at contra iis temporibus quibus solet redire, id est vere ut plurimum, atque autumno, iis, inquam, temporibus sibi podagrici omnes magis temperent, necesse est; nimirum quia nisi majori temperantia consueto morbo occurratur, majus tunc periculum est ne redeat. Sed ut hoc in loco unam a librariis omissam litteram; sic in altero unum, aut plura esse ab ipsis addita verba, crediderim. Libro enim 5. cap. 25. ubi legimus: « Quin etiam silvestris papaveris, quum jam ad excipiendam lachrymam maturum est, manipulus, qui manu comprehendi potest, in vas demittitur, et superinfunditur aqua, quae id contegat, atque ita coquitur »: existimassem forsitan, Celsum ita scripsisse, ut Scribonius Largus (3): « fasciculus, quantum manu comprehendi potest »; nisi continuo primum illud verbum rursus posuisset: « Ubi, inquit, jam bene manipulus is coctus est ». Itaque quum papaveris manipulus idem sit ac quod manu comprehendi potest, ideoque et Ovidius (4), et Plinius (5), et Palladius (6), ut manipulum significarent, ille quidem dixerit:

(1) *l. 5. c. 28. p. 175, 13* (2) *Med. Quaest. et probl.* (3) *Compos. Med Comp.* 83. (4) *de Medicam. Faciei.* (5) *Nat. Hist. l. 25. c. 5.* (6) *de ReRust. l. 11. tit. 14.*

Arentisque rosae quantum manus una prehendat;

alter vero: « Mercurialis herbae *quantum manus capiat*; postremus autem: « buxi folia, quantum manus ceperit »; videtur profecto Celsus post illa: « papaveris, quum jam ad excipiendam lachrymam maturum est » ; vel scripsisse: « quantum manu comprehendi potest, in vas demittitur », vel potius: *manipulus in vas demittitur*; sic ut ea verba: *qu. manu comprehendi potest*, explicationis causa in ora alicujus veteris libri adscripta, imperitia librariorum inter ipsius Celsi verba recepta sint : quod quidem et in aliis describendis Auctoribus haud raro accidisse, notum est, et saepe in nostro hoc contigisse, quum Lindenius (1) animadvertit, tum Rhodius (2), nonnullis prolatis exemplis, indicavit. In loco autem quem protinus afferram ex ejusdem libri 5. capite 28. sect. 2. quae est de Carcinomate, nihil quidem aut additum, aut omissum est; et verborum tamen solum mutata distinctione, sententia misere depravata est. Postquam enim ejus de quo ibi agitur, morbi plura genera, vel plures, si mavis, gradus sunt memorati, haec subjiciuntur : « Tolli nihil, nisi κακόηθες potest: reliqua curationibus irritantur. Et quo major vis adhibita est, eo magis quidam usi sunt medicamentis adurentibus ». Sic autem verba haec distinguenda sunt: « Tolli nihil, nisi κακόηθες potest: reliqua curationibus irritantur ; et quo major vis adhibita est, eo magis. Quidam usi sunt medicamentis adurentibus ». Distinctionem hanc comprobant quae continuo sequuntur: « quidam ferro adusserunt: quidam scalpello exciderunt, neque ulli unquam medicina profuit: sed adusta protinus concitata sunt, et increverunt, donec occiderent »: et reliqua, quae eo nimirum omnia pertinent, ut ostendant, vitia ista curationibus, sicuti positum est, praesertim vehementioribus, adhibitis exasperari. Res ut perspicua ut facilis sit, vides ; tamen ex omnibus quos ad hunc diem hujus distinctionis confirmandae gratia consului, libris, vix unum, Roberti videlicet Constantini, invenire potui in quo ad eundem fere modum distincta sint verba.

Haud multo gravior in describendo Celso plerorumque error hujus pariter sententiam mutat in lib. 7. cap. 18. ubi inter caeteras notas quibus Enterocelen dignoscamus, hae quoque sic proponuntur: « frigore omni (tumor) contrahitur, calore diffunditur; estque tum scrotum et rotundum et tactu leve ». Hic vero esse scribendum: *tactu laeve*, ipse per se Auctor indicat, qui paulo supra inter signa quibus nos docuit Epiplocelen ab Enterocele distinguere, *tactu vero*, inquit, *tumori inaequalis est*. Hujusmodi autem errorem haud notassem; sed ut Operarum Almeloveenii, sane vel in ipsa A. 1713. editione, quam *correctiorem* esse; in libri fronte confirmant, et qua mihi una ad hoc tempus datum est uti, non valde diligentium, sicuti multis in locis collato Lindenii exemplari (quod a te sedulo fieri, velim) animadverti; ut Operarum, inquam, Almeloveenii, fortuitum lapsum praetermisissem, nisi etiam in Lindenii; Lindenii autem ? imo vero Juntae quoque, Manutiorum, Caesarii, Stephani, Constantini, Rousset, aliorumque exemplaribus

(1) *Epist. ad Lect.* (2) *in Scribon. Compos.* 4; *et* 104.

animadvertissem, quum tamen in primo illo, Nicolai videlicet, itemque in Pantiniano scriptum sit; *laeve*. Sed et in his, et in caeteris omnibus, quos modo memoravi, libris frustra quaesivi qua ratione intelligere melius possem quod legimus in proximo capite 19. « Minister autem sinistra manu comprehenso scroto, sursum versus eum debet extendere, et quam maxime ab inguinibus abducere » ; omnes enim ii libri pariter habent : *eum* , vix Constantino, sed in ora, scribente : *eam* , aut *id* , quam videlicet posteriorem vocalam , aut aliam nullam in vetustiorum librorum aliquo me invenire posse speraveram. In aliis autem verbis quae in ejusdem 6 libri capite occurrunt 26. sect. 1. » Nonnunquam etiam prolapsus in ipsam fistulam (id est urethram) calculus qui subinde ea extenuatur , non longe ab exitu inhaerescit» ; in his, inquam, verbis ne Constantius quidem id exhibuit quod quaerebamus. Nam quod in margine ad vocem *ea* adnotavit : *urina vel subaudi*, nimis id longe petitum videtur, quum vox *urina* non ita prope posita sit: neque praeterea urina extenuat haerentem calculum, sed auget; vel si extenuat, cur igitur extenuatus sic inhaerescit? Ego vero pro *qui* sperabam vel *quia*, vel *qua* in libro aliquo posse inveniri, ut Celsus hoc diceret: quia; vel qua parte subinde urethra extenuatur ; propterea ; vel ea in parte calculus inhaerescit. Videndumque esse, censebam, num forte huc pertineret quod Aretaeus (1) vidisse se, dicit ; postquam enim scripsit: «Secunda porro calamitas est, quum per colem calculus transmittitur. Nam si amplior sit, quam urinae iter (Graeci urethram vocant) capere possit; in eo multum temporis haesitat, etc.»; tum haec subjicit:» Aegerrime autem tortuosi calculi exeunt : quosdam enim et hamatos vidi , in meatibusque adnatas quasdam duritias». Sed et secundum naturam solere urethram contrahi in ipso primo, sive exteriore suo orificio in ipsis etiam, ut nosti, foeminis observavimus (2): quod eo potissimum memoramus , quia ubi Celsus in proxima hujus capitis sectione 4.de minori foeminarum calculo verba facit, quum caeteri quos inspeximus, libri; nisi prorsus memoria nos fallit; omnes sic habeant : « Ergo et per se saepe excidit , et si in primo quod est angustius inhaeret , eodem tamen unco sine ulla noxa educitur»; ibi Almeloveenii, ac Lindenii exemplaria, omnino abjecta (quam bene alii viderint) illa voce: « *primo*, haec exhibent : *et si in urinae itinere , quod est angustius, inhaeret.* Porro ambo ; ut ad alium locum veniamus ; in ejusdem capitis sectione 2. quae est de calculis e vesica extrahendis, haec in ipso fine habent : « Quocunque autem modo cervix ea parte secta est, leniter extrahi, quod asperum est, debet ». Haud equidem diffiteor, hunc locum in aliis omnibus quos consului , libris manifesto esse vitiatum ; sic enim in cunctis legitur : « Quocunque autem modo cervix ea parte facta est» ; Attamen quum proxime scriptum fuerit , non qua parte, sed quo et ferro, et modo cervix vesicae sit aperienda; semper ego, potius in *ea parte*, quam in *facta* subesse vitium existimavi, et hac propterea ratione esse tollendum: « Quocunque autem modo cervix patefacta est »; praesertim quum supra Auctor de ejusdem cervicis sectione ad hunc ipsum modum loquutus sit: *Quum vero patefacta est* (hoc est cervix; haec enim proxime antecedunt : *rupta cervice , quam habuisse incisa*) *in conspec-*

(1) *De Sign: Diut. Morb. l. 2. c. 3.* (2) *Adv. Anat. IV. Anim. 24.*

tum calculus venit. Non me praeterit, Almeloveenium, quamvis omnibus quos vidi, libris, atque adeo ipsius etiam Lindenii, repugnantibus, qui nempe constantissime habent: *Quum vero patefacta est;* scribere eo in loco maluisse: *Quum via perfecta est*; tameu et ipse, idem locutionis genus in eadem re ante paucos versus in Celso servavit; nam post illa: » — plaga facienda est, qua cervix aperiatur; donec urinae iter pateat sic, ut plaga paulo major, quam calculus sit » ; continuo haec subdit : » Nam qui metu fistulae (quam illo loco ῥοφυάδα Graeci vocant) parum patefaciunt ; etc. »

Essent alii loci in quos meas; quales eae cunque sunt; divinationes proferre possem; sed quia jamdudum sentio, me justum longe esse praetergressum epistolae modum; unum tantummodo, eumque ad rem nostram anatomicam pertinentem, attingam, quem locum ne ipsi quidem Paavio (1), Anatomes, ut tute scis, haud ignobili Doctori suspectum fuisse, mirum est. Libro igitur 8. cap. 1. in maxillae inferioris descriptione haec habentur : « Verum ipsius maxillae partes extremae quasi bicornes sunt. Alter processus intra latior, vertice ipso tenuatur, longiusque procedens sub osse jugali subit, et super id temporum musculis illigatur. Alter brevior, et rotundior etc. » Etsi in nullo eorum quae ad hoc tempus vidi, exemplarium aliam quam hanc ipsam inveni scripturam; non possum tamen non credere, Celsum potius ita scripsisse : » Alter processus infra latior, vertice ipso tenuatur. » Si enim res id pateretur, ut scribere potuisset ; « Alter processus intra latior, extra tenuatur »; nihil immutandum esse, conserem; nunc igitur quum et res ipsa, et quod non obscure oppositum est : *vertice ipso tenuatur*, requirant, ut illud ante posuerit : *infra latior* ; non video cur unius litterulae mutatione ut vitiari hic locus a librariis, ita a nobis restitui non possit. Hanc tamen, aliasque omnes quas in hac epistola proposuimus, sive divinationes, sive dubitationes, velim tibi persuadeas, nihil nos et in praesentia facere, et semper esse facturos, nisi ab Doctissimis Viris, et longe magis quam nos Anatomici, in emendandis scriptis Veterum exercitatis probentur. Quod si forte unam modo, aut alteram haud prorsus censerent esse improbandam; satis magnum nobis videremur earum fructum cepisse, quum quae de Xenophonte, cujus e libris quaedam menda auferebat, Muretus (2), ea nos de Celso etiam dicere, nequaquam dubitaremus : « Nihil est tam pusillum quod non avide accipi debeat, quod quidem ad tam politum, tamque utilem Scriptorem pertineat. Parvum est, quod afferimus; sed magnus is, quem adjuvamus. Vale.

Patavii Postrid. Idus Decembr. MDCCXX.

(1) *Comment. in Cels. l. 8.* (2) *Var. Lect. l. 3. c. 15.*

EPISTOLA ALTERA

Jo. Bapt. Morgagnus Jo. Bapt. Vulpio S. P. D.

Si vales, bene est; ego quidem valeo. In hac vetusta Alexandri Paduani, Medici olim Doctissimi, Bibliotheca Celsi nostri exemplar inveni, calamo in membranis descriptum. Quod ut paulo attentius inspexi, coepi suspicari, haud veram fortasse esse additam illam ab Henrico Stephano inscriptionem: « Aurelii Cornelii Celsi de re medica libri octo, operis ab eo scripti de artibus, pars sexta ». In fine enim IV. libri in hoc quidem codice scriptum est: « Artium Aurelii Cornelii Celsi liber VIIII. Idem medicinae liber IIII. explicit feliciter »; hisque numeris proportione respondent qui ad plerorumque insequentium librorum calcem adscripti sunt; ut si hanc rationem sequamur, manifesto appareat, octo hos de re medica libros, quos, ut alias ad te scripsi, quinque de re rustica antecedebant, non sextam operis ab eo scripti de artibus, verum secundam omnino partem fuisse.

Ex illis autem quae iisdem meis ad te litteris ostendi, minus mihi in Almeloveenii editione probari, nonnulla sunt in quibus hunc etiam codicem inveni ab ea discrepantem, mecumque facientem. Neque enim ut illa habet (pag. 87. lin. 2.) *assignari possunt*; sed *assignari non possunt*: non (134. 1.) *albae violae*, sed *albae olivae*: non (170.10.) *ferae morsus habent*; sed *fere morsus habet*: non (192. 33.) *nisi immodica inflammatio*: sed *nisi modica inflammatio*: non (222. 7.) *fluens alvus exercuit*; sed *fluens alvus exhaurit*; non (241. 17.) *Quod si fractum — — ut os*; sed *Quod si factum — — ut his*: non (236, 27.) *qui subinde ea extenuatur*; sed *quia subinde ea extenuatur*; nec denique (285. 9.). *exercitatae nares*, sed *excitatae nares*.

Verum haec omnia etsi minime contemnenda sunt; nullo tamen pacto videntur mihi cum eo uno quod continuo exponam, comparanda. Memoria, opinor, tenes quod ad te scripseram, non modo de Almeloveeniana, sed de omnibus quas vidissem, Celsi editionibus verba faciens, minime videlicet a me dubitari, « quin in libri 4. caput 27. quod est de Vulvae, hoc est de Uteri, Morbo, temere a librariis contrusa essent quae in illius calce leguntur de nimia urinae profusione; quasi vero hoc mali viros nunquam, sed mulieres tantum corriperet, ut propterea inter peculiares earum morbos ita praesertim, nulla scilicet de viris mentione facta, a Celso referri potuisset ». Accipe nunc quid ex hoc codice didicerim; intelliges enim, non solum conjecturam illam meam (quod levius est) veram fuisse, sed hoc insuper quod gravissimum, et inexpectatum omnino est, in his Celsi libris, quos nemo (quod sciam) non integerrimos unquam putavit, unum aut alterum caput deesse. Igitur in eo quod diximus, capite, ubi Lindenii, et Almeloveenii editiones haec habent (pag. 133. l. 30.) « Si maligna purgatio est, subjicienda sunt * coercentia. Id faciunt etiam albae violae, nigrum etc. »; codex post illa verba, subjicienda sunt, non modo ingentem habet lacunam quidquid reliqui est in ea pagina obtinentem, et in proximae demum paginae initio, « coeuntia, id faciunt etiam albae olivae: et nigrum etc. »; sed contra eam lacunam eadem manu in ora scriptum est: » Desunt

in vetustissimo exemplari duo folia. » Hic ex me quaeres, in iis duobus foliis quid scriptum a Celso fuisse, existimem. Ego vero etsi nequaquam dubitarem', quin absoluto primum quem instituerat, sermone de morbis qui quum ad uterum spectent, sunt mulierum peculiares, tum ad eos tractandos venisset quos ad proximas, sed utrique sexui communes partes, et nominatim vesicam referret, de cujus videlicet doloribus omnes, quantum memini, editiones, iis dumtaxat quas Lindenius, et Almeloveenius procurarunt, exceptis, hic ipsum exhibent ante loquentem quam de nimia urinae profusione verba faciat; etsi, inquam, haec conjectura assequerer; tamen hujus ipsius codicis adjumento comperi quae essent hic a Celso reapse tractata. Quum enim libris singulis singulos peculiares Indices praeponi, animadvertissem, capitum argumenta ex ordine commonstrantes, subiit eum consulere qui libro huic quarto praefixus est, si forte in ea parte integer esset, quae pars in libro desideratur. Haec igitur, quam quidem ex minime interrupta numerorum serie integerrimam judicavi, ad hunc modum se habet.

CX. Vulva exulcerata est.

CXI. De Vesica.

CXII. De calculis in vesica.

CXIII. In omni dolore vesicae.

Quae quum ita sint, quumque numerus CX. in ora codicis eo in loco adscribatur, ut respondeat illis verbis (Apud Almeloveenium pag. 243. lin. 26). *Si vero vulva exulcerata est*; numerus autem CXIII. contra haec ferme scriptus sit (pag. 134. lin. 4.) *Praeter haec in omnibus vesicae doloribus* (*vesicae* enim in codice legitur; non, ut apud Almeloveenium, *vulvae*) hinc praeclare, quot, et quae desiderentur, intelligis, in eo loco, in quo aut nihil, aut unum, vel pauca certe verba deesse, Viri Exercitatissimi, atque Doctissimi existimabant. Is enim qui primus Celsum formis descripsit, Nicolaus, et Lucas Ant. Junta sic ediderunt: *subjicienda sunt coeuntia*; Joannes autem Caesarius, Gulielmus Pantinus, Henricus Stephanus, et Balduinus Ronsseus: « subjicienda sunt coercentia ». Vix Manutii in utraque editione, interjecta ad hunc modum lacuna, proposuerunt: *subjicienda sunt,* * *coeuntia*. Quae lacuna sic contracta deinde fuit a Roberto Constantino, ut non aliquot, sed unum fere verbum desiderari, ostenderet, hoc videlicet modo: *subjicienda sunt* * *coercentia*, praesertim quum haec in libri margine apposuerit * *menses evocantia*, quasi ita nihil deesse, crederet, postremumque verbum *coeuntia*, ab aliis in *coercentia*, ab ipso in *evocantia* mutatum, ad sermonem de uteri vitiis pertineret, quod reapse ad caput pertinet vel de vesicae doloribus, vel de calculis in vesica, enatisque inde noxis per medicamenta videlicet, ac victus rationem, et frequentiora Chirurgiae auxilia oppugnandis; nam quae curatio aut iis a quibus urina non redditur aut calculosis, *quum aliter*, ut Celsus ipse ait, *succurri non potest*, a Chirurgo adhibenda sit, libro docet 7. capite 26.

Nunc illud, opinor, expectabis, ut scribam, an conjecturam aliam aliquam meam ejusdem codicis auctoritate comprobaverim. Neque enim ignoras, praeter ea quae in mea ad te Epistola attigi ut inter scribendum succurrerunt; plura adhuc esse quae mihi quidem in Almeloveenii editione di-

spliceant. Igitur caeteris in aliud tempus rejectis, unum in praesentia memorabo, quod simul ad latinam linguam, simul ad rem nostram anatomicam pertinet.

Almeloveenius in libri octavi capite primo (pag. 273. lin. 26) Lindenium, ut solet, sequutus, haec edidit: » Superius autem humeri caput rotundius, quam caetera ossa, de quibus adhuc dixi, verticillati scapularum ossi inseritur, ac majore parte extra id situm nervis deligatur ». Manutii autem in utraque editione ad hunc modum proposuerant: - » verticillatis scapularum ossibus parvo excessu inseritur: ac majore parte ex transitu nervis deligatur». Quum his Constantinus fecit; quamquam in margine adnotavit: *parvo excessu* deesse in aliquo codice, aliosque legere *incessu*. Et Joannes quidem Caesarius, atque ante hunc Lucas Ant. Junta duas illas voces omiserant, caetera ut Manutii, edentes; nisi quod pro *verticillatis* posuerant, *verticulatis*. Qua in re socios habuerunt Gul. Pantinum, Henr. Stephanum, Baid. Ronsseum, qui tamen *parvo excessu* non omiserunt; etsi Ronsseus in libri ora, esse qui omitterent, et qui non *verticulatis*, sed *verticillatis* scriberent, indicavit. Ronssei scripturam sequutus est Paawius, qui in commentario ad hunc locum suo vocare Celsum, ait, « scapularum ossa verticulata, aut quia cervicibus praedita: aut a verticillis extantium coracoidis et spinosi processuum; » verum enim vero quaenam in his processibus partes sint quas *verticilla* vocemus, non docuit. Hanc ego tantam in eodem loco describendo varietatem quum attenderem; pro ea qua solet peritia prudentiaque facere existimavi V. Cl. Jacobum Facciolatum, quum se vehementer dubitare mihi ostenderet, essetne inter latinas voces facile recipienda *verticillatus*, quam nimirum qui Lexicis inseruere, hoc uno Celsi loco incertissimae procul dubio scripturae niterentur. Quum vero idem miraretur, cur Almeloveenius *verticillati scapularum ossi*; non *verticillato*, aut *verticillatis scapularum ossibus*; edidisset, ac praeterea ex me quaereret, an potius *vertebralis* (quae Pliniana vox est libro 11. c. 37.) *scapularum ossibus* hic legendum esse, censerem; memini me in ea quae paulo superius (pag. 273. lin. 26.) de scapularum ossibus scripta sunt a Celso; hunc enim in manibus habebamus; continuo oculos conjecisse, et viro Doctissimo respondisse, mihi vero omnino videri, *vertici lati scapularum ossis* esse legendum. Haec enim illis de ossibus tradiderat Celsus: « a cervice duo lata ossa utrinque ad scapulas tendunt: nostri scutula operta; ὠμοπλάτας Graeci nominant. Ea in summis verticibus sinuata, ab his triangula, paulatimque latescentia ad spinam tendunt» : ex quibus licet intelligi, eam horum ossium partem, quam Anatomici solent scapulae cervicem vocitare, Corn. Celsum nomine *verticis* appellavisse, sive quod eam *summam* esse illo in osse, crediderit; sive quod ut in *triangulo* osse oppositam basi, vel ut locum spectaverit in quo humeri caput vertitur, qua videlicet ratione Polorum uterque (quos alii pariter cardines vocant ab eorum similitudine circa quos valvae convertuntur) a Virgilio I. Georgic. *vertex* est dictus. Quum igitur scapulae, sive ut Celsus loqui mavult et in hoc capite (p. 273. l. 14 et 19) et ad finem tum septimi (p. 287. l. 3.) tum octavi (p. 288. l. 14.) et sub initium tum undecimi (p. 296. l. 20) tum quintidecimi (p 299. l 13) *lati scapularum ossis* sinuatam cervicem paulo ante appellaverit *verticem*; quid veri esse similius possit, quam ut porro traditurus, cui parti ejusdem

ossis, humeri caput inseratur, ad hunc modum scripserit: «vertici lati scapularum ossis inseritur»; praesertim quum in eo librarii, dictata verba excipientes, persaepe labi consueverint, ut ex duabus vocibus unam facerent, et primam consequentis vocis litteram ad praecedentis etiam postremam addentes, duplicarent, unde facillime nova haec vox *verticillatis* effingi potuit. Nunc quam in codice scripturam offenderim, tibi fideliter describam: « parvo excessu vertici latis scapularum ossibus inseritur, ac majore parte: et transitu nervis deligatur ». Illud quidem minime est dissimulandum, in versuum intercapadine ausum esse aliquem nonnulla addere, videlicet super ultimam *vertici* litteram, litterulam *s*, et super *et*, particulam alteram *ex*: quo de utroque additamento si forte quaeris, quid ego suspicer; sic habeto. Primum mihi tum codicem, ac supra descriptas et Almeloveenii, et caeterorum lectiones, tum ipsam anatomen respicienti veri simillimum videri, ita a Celso scriptum fuisse: « vertici lati scapularum ossis parvo excessu inseritur, ac majore parte extra situm, nervis deligatur »; neque enim (quod tu optime nosti) summa pars humeri ita in scapulae cervicem, ut summa pars femoris in ossis innominati acetabulum conditur; sed *parvo* tantum *excessu*, idest ejus capitis quod ab interiore latere extuberat, portione immissa, *majore parte extra sita* est, quam etiam ob rem *nervis*, idest ligamentis atque tendinibus, ne facile excidat, *deligatur*. Quum ergo Librarii voces illas *extra situm* describendo, ita vitiassent, ut alii *et transitu*, ut Scriptor codicis, alii *ex transitu*, ut plerique, quibuscum facere codicis Emendator maluit, scriptum reliquerint; nonnulli denique, in quibus Lindenius, et Almaloveenius, integro ea in parte exemplari usi, priores voces restituerunt, nisi quod perspicuitatis addendae causa, minus, ut puto, necessariam voculam *id* interjecere. Verba autem illa, *parvo excessu*, etsi ad rem fideliter tradendam, necessaria sunt, iisque perbelle respondent quae sequuntur, *majore ex parte;* quum tamen aliquo in codice, ut supra diximus, omissa essent, minus mirandum est quod in hoc invenerim alium in locum transposita, unde Emendatori occasio data est existimandi, ea cum insequenti voce *vertici* esse conjungenda, quam propterea in *verticis* mutare maluit, haud animadvertens, unde factum esset, ut pro *lati* scriptum esset *latis*, et ne vox haec minime cohaereret cum voce *ossis*, hanc in *ossibus* esse mutatam; quum tamen non modo alii codices, quibus auctoribus Lindenius, et Almeloveenius ediderunt, *verticillati scapularum ossi*, aliquanto meliorem in parte indicare possent scripturam; sed ipse etiam Celsus, quum videlicet non de utroque, sed de alterutro osse humeri hic loquatur, insitum scribere non *latis ossibus*, sed *lato ossi*, vel; quod eodem recidit; vertici *lati* scapularum *ossis*, debuerit. Verum meas hasce conjecturas tanti facies, quanti volueris; illud mihi satis est a te diligenter attendi, in hoc codice non *verticillatis*, sed evidentissima certissimaque divisione legi *vertici latis*. Hac de re V. Cl. Iac. Facciolatum certiorem facito, et meis verbis salvere jubeto. Vale.

Dabam Kal. Sextilib. MDCCXXI. Forolivii.

EPISTOLA TERTIA

Jo. Bapt. Morgagnus Jo. Bapt. Vulpio S. P. D.

Quae nudiustertius duo tibi pollicitus sum, alterum ut quae nuper Venetiis animadverti, superiorem Epistolam meam quum manu exarato Celsi exemplari conferendo, significarem, alterum ut V. Cl. Jacobi Facciolati ad quosdam Scriptoris ejusdem locos Animadversiones XV. longe doctissimas cum meis nonnullis exiguis illis quidem, sed tamen a te efflagitatis, additamentis mitterem; ea his ipsis litteris ambo praestabo. Igitur exemplar id Celsi chartaceum est, illudque ipsum est quo apud Clericos Regulares (*Tolentinos* ibi vocant) se usum esse, tradidit Rhodius (1) ; nam alterum, idque membraneum (2), quod ibidem in Divi Antonii Bibliotheca, plurimis vetustissimis codicibus instructa, versaverat, in hujus incendio periit; quem casum hoc aegrius fero quod quae illo ex codice excerpserat Rhodius, ea pariter cum Th. Bartholini (3) Bibliotheca conflagrarunt. Itaque quum Veneto hoc codice quidquid ex Foroliviensi adnotaveram, quum diligenter contenderem, etsi loca sane haud ita pauca inveni discrepantia ; ea tamen octo quae superioribus descripsi litteris, usque adeo (si demas septimum, cujus mihi lectio dubia fuit) mirifice vidi in his quidem verbis in quibus ab Almeloveenio dissensi, inter se congruentia, ut quum in postremo, quem non satis accurate exscriptum forte ad te miseram, pro *excitatae* perperam in illo codice scriptum sit *excitat*, sic in Veneto quoque sit scriptum ; verba autem illa ad tertium locum pertinentia : « omnis autem fere morsus habet quoddam virus », vetusta quidem, sed non eadem tamen manu, pariter (quod observatione dignum censeo) utroque in codice addita sint.

Sed jam illuc transeo quo properare te, scio, ad eam videlicet ingentem lacunam libri IV. Quid quaeris? Longe ea in Veneto codice major est. Nam inter illa : « Si maligna purgatio est, subjicienda sunt », atque haec: « coeuntia. Id faciunt etc. » quae nimirum verba tot Editiones conjunxere, albae grandes paginae relictae sunt quatuor cum dimidio. Et ne quis casu intermissas putet; hic quoque in margine eadem qua caetera, manu scriptum est: « Desunt in vetustissimo exemplari duo folia » ; Indicis autem huic libro praepositi quae pars lacunae respondet, ac iis quae proxime antecedunt, et consequuntur, ita nimirum se habet.

CII. Vola (legendum Vulva, vel Volva) exulcerata est.
CIII. De Vesica.
CIIII. De Calculis in vesica.
CV. In omni dolore vesicae.

Vides, mi Vulpi, in iis quae praecipua hic sunt, ut mirum in modum utrumque conveniat exemplar.

Restat locus ille de humeri, et scapularum ossibus. Sic autem inveni scriptum : « parvo excessu vertici latis scapularum ossibus inseritur : ac majore parte extransitu nervis deligatur ». Non est meae fidei quidquam,

(1) *Vid. Catalog. Auctor. ad Rhodii Scribonium.* (2) *Ibid. et in notis ad Compos. 20. Scribon.* (3) *Vid. Dissert. Th. Bartholini de Bibliothecae Incendio.*

tecum praesertim, dissimulare; quin etiam Perhumanum ac Eruditum Virum, amplissimae eorum Clericorum Bibliothecae Praefectum, qui mihi haec omnia inspicienti describentique officiosissime aderat, rogavi, ut id recognoscere mecum vellet quod protinus subjiciam. Scilicet inter *vertici*, et *latis* subobscurum quoddam (qualia in eo exemplari alibi quoque deprehenduntur) veteris liturae vestigium est, quasi litterula fuisset erasa; eo tamen illud in loco est, ut littera *l* fuisse omnino non possit, sed brevior quaedam instar litterae *s*, ut mihi *verticis* in hoc etiam codice scriptum facile fuisse; *verticillatis* certe non fuisse videatur.

Venio nunc ad eas de quibus initio dixi, Animadversiones, quae quidem a Viro Doctissimo scriptae sunt quum ut aliquot Celsi loca illustrentur, tum vero maxime ut dictiones, aliquae expendantur, quas optimi latinitatis Magistri tanquam certas Celso tribuunt, ejusque auctoritate in linguam latinam inducunt. Has quoniam ante quatuor hos menses mihi perlegerat, cum Foroliviensi, et Veneto codice plerasque contuli, quot videlicet memoria comprehenderam, collaturus omnes, si quod nuper, atque adeo modo venit in mentem, id principio venisset, ut earum omninm exemplum ab Humanissimo Viro peterem, quod tecum in eorum commodum qui sive Cornelii nostri, sive linguae latinae sunt studiosi, communicarem. Eas huc fideliter adscribam, et fere singulis quae mihi adnotata sint in Codicibus, probatisve Editionibus, aut Enarratoribus, subjiciam.

I. Lib. 1. Praefat. pag. 5. l. 4. *Eorum posituram, colorem, figuram, magnitudinem, ordinem, duritiem, mollitiem, laevorem, confractum.* » Loquitur hic Celsus de partibus corporis humani: nec video, quem locum habeat *Confractus*, quae vox, si Latina est, fracturam significat. » Quinque editiones longe optimae, quae apud me sunt, Florentina princeps 1478, utraque Aldina 1528, et 1547, Gryphiana 1542, et Henrici » Stephani 1567. habent *contactum*, quae vox certissimae Latinitatis est, » et sensum reddit idoneum. Non dubito, quin Almeloveenius, praestanti » judicio vir, probatis codicibus usus sit: sed hic aliquis diligentiam saltem illam desiderabit, quae variantes lectiones complectitur, et ceteroquin Transalpinis ingeniis familiarissima est. Hanc siquis ex nostris damnavit unquam, in quo accusari solemus, ideo damnavit, quod saepe » vertitur circa levia. Ceterum quum aliquid hujusmodi contra vulgatas » editiones in libros inducitur, tum vero non utilis modo, sed prorsus » necessaria est; praesertim siquid inducatur ita novum, ut nullo praeterea locupletis Auctoris testimonio confirmari possit. Talia enim non ad » unum aliquem Scriptorem pertinent, sed ad communem totius linguae » rationem, qua de agitur. Exemplo esse possunt quum aliae voces, quas » deinceps recenseo, tum haec ipsa *Confractus*, quae Celsi auctoritate in » egregium Basilii Fabri Thesaurum allata est, et reliquis Latinis fidei non » dubiae adnumerata ».

Editiones aliae quinque, idest Juntae, Caesarii, Pantini, Constantini, Ronssei, habent *contactum*; manifestum enim Operarum errorem puto quod in Juntina legatur *cortactum*. Illud mirum est, Ronsseum in libri margine addidisse: « Per laevorem, et contactum, asperitatem intelligit, et quod illi est contrarium »; quando Constantinus haec adnotaverat: » Con-

tractum (*lege* Contactum) exponunt asperitatem vel scabritiem. Sed quis unquam ita usurpavit? in manuscripto legitur *contractum*. Itaque *confractum* pro aspero et confragoso (quod laevigato opponitur) repono». Hieronymus antem Rubeus in suis ad Celsum Annotationibus, quum haec ferme ipsa Constantini verba, Auctoris nomine dissimulato, retulisset, istiusmodi emendationem atque interpretationem *satis* sibi *probabilem videri*, negavit, haecque subjunxit: « Forte autem quia quod contractum est, explicato et ob id laevi opponitur, per *contractum* poterit asperum intelligi ». Videtur igitur maluisse *contractum*, quam quidem vocem in Veneto etiam codice invenimus. Haec tamen eo dumtaxat protulimus, ut tu, mi Vulpi, intelligeres, Constantinum non veterum exemplarium auctoritate, sed conjectura ductum, ex *contractum* illam qua de agitur, vocem elicuisse, et huc primum induxisse, *confractum*.

II. « Lib. 1. c. 3. sect. 2. pag. 18. l. 1. *Somnus plenus, et non multum nimis longus*. Celsi ipsius αὐτόγραφον producat oportet, qui velit nobis persuadere, hoc genus constructionis latinum esse. Quinque Editiones modo allatae ita habent: *somnus et plenus, et non nimis longus* ».

Idemque omnino habent aliae praeterea quinque Editiones quas supra memoravimus.

III. « Ibidem sect. 7. pag. 19. l. 33. *Humidant autem corpus labor* etc. Hic quoque in quinque Editionibus meis aliter legitur. *Humidum autem corpus efficit labor*, etc. Miror autem, ex quo codice verbum hoc *Humido* exierit, et non modo in Celsum, sed et in Basil. Fabri Thesaurum irrepserit ad augendum latinum sermonem. Ego vel inter barbara, vel inter dubia referendum crediderim ».

In hoc etiam loco nostrae Editiones nihil discrepant a quinque illis quae in Animadversione indicantur.

IV. « Lib. 3. c. 21 pag. 96. l. 5. *Utilis quotidianus, aut altero quoque die post cibum vomitus est*. Quinque Editiones meae habent: *Alterno quoque die*. Itaque Petrus Danetius in suum Lexicon ad Usum Delphini novam hanc vocis *Alternus* Constructionem inducit. Sed latino ingenio satis apparet legendum altero, undecumque tandem Almeloveenius acceperit ».

Ne hic quidem nostrae discrepant Editiones. Constantinus tamen, atque Roasseus in libri ora adscripserant, *altero*. Idque receptum est a Lindenio, cujus nimirum Editionem quum plerisque aliis in locis, tum in iis certe omnibus qui hisce Animadversionibus XV. expenduntur, fideliter expressit Almeloveenius.

V. « Eodem lib. 3. c. 27. sect. 2. p. 105. l. 22. *In lectulo leniter satis diu corpus perfricandum est; deinde retento spiritu in ipsa exercitatione potius superiores partes movendae*. In omnibus libris duo haec membra ita dividuntur, sed vereor, ut satis recte: nam spiritus retentio non videtur locum habere in ea exercitatione, qua superiores partes moventur, cujusmodi est pilae ludus, et similia, ut colligitur ex hoc eodem Celsi capite sect. 3. » *Pila, similibusque superiores partes dimovendae*. Et ex lib. 1. cap. 6. *Opus est pila, similibusque superiores partes exercere*. Igitur aliter dividendum puto, et ita legeudum: *In lectulo leniter satis diu corpus perfricandum est, deinde retento spiritu: in ipsa exercitatione po-*

» *tius superiores partes movendae*. Id est lenis fricatio satis diu adhibenda » est, deinde vehementior per spiritus retentionem, qua uti athletas » consuevisse, quum fricantibus intercepto spiritu obnitebantur, scribit » Plutarcus de tuend. Valet. Hujus fricationis meminit etiam Caelius Au- » relianus de tard. pass. l. 3. c. 1. *In lenimento vero si passio tardaverit*, » *erit adhibenda resumptio gestatione, vocis exercitio, deambulatione, unctio-* » *ne, fricatione corporis retento spiritu*. Etiam verba *In ipsa* laborant mendi » suspicione; nam in omnibus editionibus meis est *Ab ipsa*; quod genus » constructionis aliquanto rarius est, sed tamen latinum Sic Cicero in Bru- » to c. 16. *Graecus ab omni laude felicior*. Idem ibid. cap. 42. *A Philoso-* » *phia, a Jure Civili, ab Historia instructior*. Avienus fab. 31. *Ausus ab e-* » *xiguo fallere dente bovem*. Sensus igitur est: per exercitationem, seu in » ipsa exercitatione curandum esse, ut superiores potius partes, quam in- » feriores agitentur. Porro autem superiores partes, quae pila exercentur, » sunt cervix et brachia. Hinc Athenaeus διπν. l 1. c. 12. in hoc ludo ma- » xime commendat τὸ κατὰ τῆς τραχηλισμῆς ῥωμαλίαν, id est robur cervicis, » quod acquiritur per multiplicem ejus flexionem ».

» In verbis Celsi supra allatis ex sect. 3. hujus capitis, in quo hactenus » versati sumus, animadvertendum est verbum *Dimoveo* pro simplici *mo-* » *veo, agito exerceo*: neque enim similia exempla facile occurrent ».

Foroliviensis codex proposita verba sic dividit: « perfricandum est, deinde retento spiritu ab ipsa exercitatione etc ». Venetus autem sic: » perfricandum est: deinde retento spiritu ab ipsa exercitatione etc. ». Illum Juntae Editio repraesentat; hunc, Pantini. Sed quas Caesarius, Constantinus, ac Ronsseus procurarunt, eae vero sic habent: » perfricandum est, deinde retento spiritu, ab ipsa exercitatione etc. »; quod nisi casu atque incuria factum est; dubium iis Viris fuisse, ostendit, ad perfricationem, anne ad exercitationem illa esset retentio spiritus referenda Quamvis enim Caelius Aurelianus in libro etiam 4. » Chronion, c. 7. fricationem cum retentione spiritus » imperet, imo noster quoque Celsus, etiam in hoc ipso libro 3. c. 21. (pag. 94. lin. 40.)» superiores maxime partes sic, ajat, esse perfricandas, ut — spiritum aeger ipse contineat », in proximo autem capite 22. (p. 100. l. 23.) » ipsum se, suppresso spiritu perfricare », jubeat; tamen et idem Caelius lib. 3. c. 2. non modo *unctionem ac defricationem*, sed *et eos motus* imperat, *qui magis humeros valeant exercere*, *retento spiritu*, et idem Celsus lib. 4. c. 2. sect. 3. (p. 111. l. 31.) » *exerceri*, jubet, *retento spiritu*, capite autem 4. (p. 117. l. 8.) *spiritu retento currere* ». Quid ergo est? Mihi quidem totum hunc locum, et quae consequuntur, perpendenti, vel ipso (ut caetera praetermittam) aurium judicio multo magis placet ita dividere, uti in Animadversione propositum est.

Voces autem illas, *ab ipsa*, non modo in Codicibus, ut ostensum est, verum etiam in meis omnibus Editionibus inveni. Ronsseus quidem in margine admonuit, esse obliterandas, sequutus, opinor, Constantinum, qui tamen id dumtaxat de praepositione *ab* monuisse videri potest. Sed *in ipsa*, nemo; quod sciam; aut scripsit, aut scribendum esse, docuit ante Lindenium.

Caeterum quo rariora apud alios idoneos Scriptores exempla occurrunt

verbi *dimoveo* pro simplici *moveo, agito, exerceo* usurpati, eo crebriora apud Celsum videor invenisse. Nunc tria quae succurrunt, adscribam; tu alia perquires. Lib. 1. c. 6. (pag. 23. lin. 6.) » neque ambulatione quamvis leni dimoveri.« Lib. 2. c. 14. (p. 55. l. 10.)» manus dimovendae sint. «L. 4. c. 7. (p.122. l. 27.)» aegrum intra domum tantum dimovere ».

VI. » Lib. 4. c. 16. pag. 129. l. 41. *Quidquid assumtum est, incon-* » *fectum protinus reddunt.* Animadversione digna est vox *inconfectus*, quae » elegantem hoc loco significationem habet; sed tamen non debuit in Jun- » cherianum Latinitatis Theatrum cum certis referri; nam nec alibi oc- » currit, et hic Editiones meae magno consensu habent. *Imperfectum.* Quae » quidem lectio non admodum mihi probatur; attamen est hujusmodi, ut » indubitata postulantibus negotium exhibere debeat».

Meae quoque omnes Editiones habent, *imperfectum*. Quod in Codicibus etiam vidi; non *inconfectum*.

VII.« Lib. 7. c. 7. sect. 1. pag. 229. l. 2. *Superinungi collyrio debet* » *ex iis aliquo, quo lippientes oculi superunguntur.* Ad verbum *Superungo* » in Teatro Juncheriano, et Fabri Thesauro affertur locus hic. Revera » codices variant; et siquidem Scribonius Largus compos. 29. scripsit *su-* » *perunctum*, non est temere huic verbo auferenda Romana Civitas. Tu- » tius tamen adhibetur *superinungo*, quod hic habent meliores libri, quod » repetitur a Celso l. 6. c. 6. sect. 1. quod usurpat etiam Largus compos. » 27. Non est praetereundum, verba haec Celsi, quae duo membra complec- » tuntur, in Theatro Juncheriano partim ad Celsum, partim ad Largum » referri, ut verbum *Superungo* bina auctoritate nitatur. Sed vix credibi- » le est, quam multa in lexicis excudendis peccentur ab Operis».

Editiones omnes meae et *superungo* et *superinungo* exhibent in hoc uno loco. Sic enim proponunt: » superungi collyrio debet ex iis aliquo, quo lippientes oculi superinunguntur ». Juntina tamen, quam utraque Manutiorum imitata est, sic habet, *super ungi* — — *super inunguntur.* Codices quos in altero forte loco inspexi, quem Animadversio quoque memorat (l. 6. c. 6. sect. 1.) in eo quidem congruunt quod ambas voces in unum iungunt; sed hoc tamen discrepant quod Foroliviensis habet, *superinungi*; Venetus, *superungi.* Pariter apud Largum, ut non modo Compos. 27. lego *superinunguntur*, sed etiam Compos. 26. *superinungere*; sic Compos. 29. In quatuor meis Editionibus, et bis quidem Cratandri A. 1529; Manutiorum A. 1547; Stephani A. 1567; Rhodii A. 1655. constanter lego, *superunctum.*

VIII. « Eod. lib. 7. c. 7. sect. 8. pag. 232. l. 12. *Sub ipsis pilorum* » *radicibus angulo immittenda est ut ea tertiam partem palpebrae transvehat.* » Non puto, vocem hanc ultimam retineri posse, quamvis etiam in Fabri » Thesaurum postrema editione recepta fuerit. In Gryphiana, et aliis qui- » busdam legitur *transuat*, quod consonum est verbis paulo post sequen- » tibus. *Quidam ajunt, acu transui juxta pilos exteriorem partem palpebrae* » *oportere.* Acus autem, et quodlibet instrumentum acui simile transue- » re dicitur, quoties perforat, tametsi filo careat. Siquis pro *transvehat* » pugnare velit, is ostendere debebit, verbum hoc neutrorum more usur- » pari posse. In eodem Fabri Thesauro habetur et *Traveho*, quod firma-

» tur Varronis auctoritate tanquam certa ex lib. 2. R. R. c. 7. *Flumen* » *travehundum* est. Verum inEditione Veneta principe, et in Aldina leg. » *Trojiciendum* ».

In Foroliviensi codice legimus, *transvehat*; in Veneto, *transueat*. Illius scripturam habent Editiones Juntae, Caesarii, Stephani; hujus ambae Manutiorum. Pantinus tamen, Constantinus, Ronsseus ediderunt. *Transuat*; hic etiam, in margine adscripsit, *transeat*.

IX. « Eod. lib. 7. c. 9. pag. 238. l. 32. *Quod etsi in levi mutilatione* etc. » Per hunc unum Celsi locum vox *mutilatio* inter latinas obrepsit, et in » Juncberi Fabrique Thesauro sine ulla controversia sedem posuit. At » mihi dubia erit, donec certiore auctoritate firmetur. Hic enim quinque » Editiones meae habent : *Quod in levi mutatione* etc.

Idem habent quinque aliae meae; quanquam Constantinus, atque Ronsseus in libri ora scripserunt, *mutilatione*. Quam ego vocem in neutro codice inveni; sed in utroque, *mutatione*.

X. » Eod. lib. 7. c. 12. sect. 2. pag. 242. l. 1. Ἀντιάδες *autem a Graecis appellantur*. Greci dicunt Ἀντιάδας (vel παρίσθμια, ut est apud Pol- » lucem lib. 2. c.4.sect. 201.) faucium tumores post hypoglottida utrin- » que prominentes, ab ἀντιάζω, *adversus sum*, quod hic morbus rebus glu- » tiendis adversetur, vel ut docent Grammatici, ἀπὸ τοῦ φαίνεσθαι ἀντίας ἀλλήλαις » κατὰ τὴν διάνοιξιν τοῦ στόματος, *quod appareant invicem oppositae aperto ore*. » Basilii Fabri Thesaurus recepit hanc vocem inter latinas, fortasse quod in » FlorentinaCelsi Editione 1478 latinis literis scripta sit. Verum Typogra- » phus ille Graecis typis carebat, ideoque non hanc solum, sed omnes Grae- » cas voces latinis formis expressit. Affertur etiam in eo lexico lex 14. tit. » 1. lib. 21. Digest. Sed ibi quoque optimae Editiones, imo omnes quas » ego vidi, habent ἀντιάδες per Graecas litteras.

» Idem dicendum de voce *Rhizagra*, quae in superiore hujus capitis se- » ctione graece scribitur, sed in Fabri Thesauro latinam formam induit. » Est autem ῥίζαγρα forceps ad evellendas dentium radices a ῥίζα *radix*, et » ἄγρα *captura*. Caelius Aurelianus *dentiducum* appellat de tard. pass. cap. » 4. prope finem. Quidam codices pro ῥίζαγρα, habent ῥίζα ».

Eadem, opinor, causa, quae Nicolaum in Ed. Florentina, coegit Juntam in Veneta A. 1524. edere, *antidyades*, idque non sine manifesto errore, et *rizan*. Caesarius, tamen, Pantinus, Constantinus, Ronsseus quum primam illam vocem graecis litteris proposuissent, hanc latinis scripsere, *rhizan*, quanquam duo postremi in margine graecis litteris addiderunt, ῥίζαγραν.

XI. «Eod. lib. 7. cap. 27. pag. 262. l. 30. *Idemque humor clystere intus adigetur*. Hic et Auctor Thesauri linguae latinae, et Petrus Danetius » quum legissent *adjicietur*, quemadmodum sane habent quinque Editiones » meae, retulere inter latinas constructiones *Adjicere intus*: qui quidem » modus indiget certiore auctoritate. Fortasse confirmari potest ex Co- » lumel. de Arbor. c. 24. *Truncum findito, et in fissuram cuneum pineae* » *tedae adjicito*. Verum quum eandem sententiam iisdem pene verbis ex- » pressam repetat Columella l. 5. c. 10. moneo, Aldinos, et Gryphianos » Codices in hoc secundo loco habere *adigito*; quod placuit et Commelino. » Attamen in Veneta principe 1492 utrobique legitur *adjicito*.

In Juntae, Caesarii, et Pantini Editionibus est, *adjicietur*. Idemque est in ea quam procuravit Ronsseus, qui tamen in margine apposuit, *injicietur*. Hoc ante ipsum fecerat Constantinus, qui edidit, *adjiciatur*.

XII. » Lib. 8. c. 1. pag. 273. l. 28. *Verticillati scapularum ossi inse-* « *ritur*. Veneta princeps, et utraque Aldina habent : *Verticillatis scapula-* » *rum ossibus inseritur*. Gryphiana, et Henrici Stephani *Verticulatis*, aliae » *Vertibulatis*. Quam varietatem idcirco significandam existimo, quia *Ver-* » *ticillatus* affertur tanquam vox certae fidei in Lexico ad Usum Delph. et » in Juncheriano Latinitatis Theatro. Hanc ego quum ferre non possem, » nec tamen rationem ejus ablegandae satis idoneam invenirem, adfuit » opportune Jo. Baptista Morgagnus, Vir quum in Anatomicis, tum in- » omnibus litterarum studiis praestantissimus, mihique omnem sollici- » tudinem exemit, morbo detecto, remedioque adhibito, de quo Vid. » ejus II. in Celsum Epistolam ».

XIII. « Eodem lib. 8. c. 3. In capite hoc describitur Terebra illa, quae » *Abaptista Terebella* dicitur ab Interprete Galeni. Hinc deceptus Auctor » Calepini Passeratiani, et eo duce Andreas Stubelius, vir ceteroqnin mi- » rifice industrius, et de postrema Thesauri Fabri Editione meritus opti- » me, duas has voces *Abaptistus*, et *Terebella* inter latinas receperunt. Uter- » que autem affert Celsum lib 3. c. 23. ubi hac de re prorsus nihil «.

Ad hanc quidem XIII. Animadversionem non est quod addam. Sed ex superiore erat quod demerem, si aliis haec missurus fuissem quam tibi, qui ut eodem es animo adversum me, ita quod Vir doctissimus, Amicissimusque de me, benevolentia, opinor, deceptus, scripsit, non difficile approbabis. Equidem etsi talem esse me, valde cuperem, qualem vos creditis ; aeque tamen gratum est usque adeo a vobis amari, ut is vobis esse videar. Sed ad rem ipsam redeamus.

XIV. « Eodem lib. 8. c. 4. pag. 283. l. 27. *Collocandusque is loco in-* » *tepido*. Si ita legendum esset, novam vocem *Intepidus* in latinis nume- » rare oporteret, et quidem numeratur in Thesauro Fabri 1717. At Gry- » phii, et Stephani Editio praepositionem *in* separat a *tepido*. Et sane non » video, quomodo qui calvariae fractura laborat, collocandus sit in loco non » tepido, quum tepor fracturis omnibus, maxime vero iis, quae caput lae- » dunt, saluberrimus sit. Qua de re legendus hic noster hoc eodem libro « cap. 10. sect. 7. et Hippocrates aphor. 17. et 18. sect. 5. Non est igitur « tanta vis inferenda simul Medicinae, simul latinae linguae, sed reponen- » dum cum Gryphio, *collocandusque is loco in tepido* ; vel cum Stephano, » *collocandusque is in loco tepido* ».

Gryphio adde Caesarium, Pantinum, Ronsseum, Paawium, qui ad eundem modum ediderunt; Stephano autem Constantinum. Non me fugit, in Juntina, et Manutiorum utraque Editione legi, *intepido*. Sed non ratio modo, atque experentia, verum etiam Codices ambo adversantur. Nam Foroliviensis habet, *is loco in tepido*; Venetus autem, *loco is in tepido*.

XV. » Eod. lib 8. c. 7. pag. 287. l. 1. *Intra quod quaeque ossa confer-* » *vent*. Verbum *Conferveo* quod alioqui latinum est, et usurpatur a Palla- » dio de re rust. lib. 1. tit. 35. apud Celsum tamen non ita bene habitat, » ut oppugnatoribus careat. Hic enim quinque Editiones meae habent *con-* » *seruntur*. Rursus repetitur eodem libro c. 10. sect. 1. *Quo os quodque*

» *conferveat*. Et sect. 7. *Inter se ossa confervere*. Sed hoc secundo loco alii » legunt *cohaerere*, alii *coalescere*, ut ipse quoque Almeloveenius monet; in » priore autem reliquae Editiones meae habent *conservet*, non sine aliqua » ceterorum verborum varietate. Ego quidem malo *conferveat*, idque omni- » no retineo; sed tamen locus non vacat turbis. Basil. Faber in suo The- » sauro quum posuisset verbum *Conferveo* tanquam certum, verbis item » certis confirmare conatus est ex eodem cap. ductis *Confervent ossa mota* » *aut soluta*: quae quidem ipsissima in Celso non sunt; attamen apparet ex » illis conflata esse, *si quando vero ossa non conferbuerunt, quia saepe solu-* » *ta, saepe mota sunt*. Verum praeteritum *conferbui*, et similia non ma- » gnam tribuunt auctoritatem ceteris temporibus eorum verborum, ex » quibus oriuntur, quum fere sola in usu sint, ut inchoativis inserviant, » cujusmodi est *Confervesco*, et alia id genus ».

Quum quatuor Celsi loca in Animadversione proponantur; accipe quemadmodum pleraque in Codicibus, omnia autem in meis Editionibus deprehenxerim. In primo uterque Codex pro *confervent* habet *conservantur*; Editiones meae omnes *conservantur*, nisi quod Constantinus in libri ora haec apponit: *συμφύονται*, *confervent* l. 2. c. 10. ubi legendum l. 8. Alter autem locus in Codicibus ita scriptus est: *quod quoque os conservet*. In Juntina, et ambabus Manutiorum Editionibus ad eundem proponitur modum. Nec caeterae discrepant, nisi quod ante *quoque* habent *os*, et Constantinus haec in margine adnotat: « quo os quoque conservet; *ubi legendum est*, confervet (ut et cap. 10. Si ossa non conferbuerint) pro quo dixit c. 7. ossa conseruntur, i. quasi ferrumine conglutinata coalescunt ». Porro tertius locus, quem in Codicibus inspicere oblitus sum, ab Junta quidem, a Manutiis semel atque iterum, ab Stephano ipso sic editus est, ut habeat, *confervere*; Caesarius autem, ac Pantinus scripserant, *cohaerere*, quod a Rousseo quoque, et Constantino factum est. Sed quum Caesarius ad oram adjecerit, *coalescere*, Rousseus etiam, *confervere*; Constantinus (id quod maxime est animadvertendum) sic adjecit; *confervere*, *Cod.*; significans nimirum, se id in Codice aliquo comperisse. Locus denique ultimus non modo in cunctis Editionibus meis habet *conferbuerunt*, verum etiam in Codice Foroliviensi; nam in Veneto scriptum est, *confervere*, in margine autem sic omnino: *aliter*, *confrebruerunt*. Quem quidem ad locum nomen posses addere *spongiae* illius, ut Plinius ait, *aquarum dulcium*, quam *Confervam* appellabant Latini, propterea quia fractis ossibus conferruminandis utilissimam experiebantur, ut idem Plinius conscripsit lib. 27. c. 8. nisi quae de verbo *Confervesco* in Animadversione admonita sunt, utriusque voci originem dubiam redderent.

Habes sedulitatis meae specimen, quale id cunque est, in hisce levibus, et ex tempore fusis Additamentis. Sed in XV. Animadversionibus specimen habes summae peritiae, atque solertiae qua multo plures ejusdemmodi Animadversiones ad singulos fere Latinos Scriptores Vir. Cl. confecit. Quo instituto ut nihil utilius est ad barbaras a latinis vocibus, dubias a certi distinguendas; ita ipsum hortari, orare, flagitare par est, ut Animadversiones illas universas quamprimum edat: quod etsi quum modestiam ejus, et occupationes plurimas specto, haud ita facile existimo; attamen quum vicissim incredibile juvandi studium attendo quo incensus et prae-

claras omnes Artes, et Latinam linguam, qua illae ferme continentur, si quis alius, hac aetate exornavit, tum vero facillimum puto. Vale.

Patavii Prid. Nonas Decembr. MDCCXXI.

EPISTOLA QUARTA.

Jo. Bapt. Morgagnus Jo. Bapt. Vulpio S. P. D.

Quod Horatius (1) patrono suo,

> Spectatum satis, et donatum jam rude, quaeris,
> Maecenas, iterum antiquo me includere ludo.
> Non eadem est aetas, non mens;

idem si amico dicerem tibi, undetrigesimo post anno iterum a me flagitanti, ut super Cornelio Celso, et Sereno Samonico aliquid scribam; ignoscere, mi Vulpi, huic aetati, hisque occupationibus deberes meis. Nam quae olim fudi, si forte laudata sunt, ut ais, ab laudatissimis Viris, si alibi recusa, si aliis addita illorum Auctorum editionibus; nempe gratia habenda est eorum qui fecerunt, humanitati; mihi autem satis esse oportet, in alienis magna ex parte studiis periculo facto, rem quondam non prorsus infeliciter cessisse. Haec igitur quae commemorasti, me tardant; non movent. Illud movet potius quod adjecisti, si scribere nolim adsciscendae laudis causa; at causa scribam injustae cujusdam et tuae, et meae reprehensionis depellendae. Extitisse enim quosdam eruditissimos quidem illos, sed in re una apertissima clarissimaque adeo caligantes Viros, ut reos nos faciant alienae culpae, et quaecunque in Celso, et Samonico edendis, Almeloveenius, et Constantinus peccarunt, aut peccasse illis videntur, eorum omnium rationem a nobis repetant: quasi vero aut tu in libri fronte quorum editionem repraesentares, siluisses, sed cura, et studio tuo de integro concinnatam promisisses, aut ego hoc forte pollicitus essem, vel potius recepissem. Equidem, quod ad Celsum attinet; nam de Samonico necdum vidi; memini ipse, magna, ut in re minime expectanda, admiratione obstupefactum, duobus et viginti ab hinc annis in Exercitatione quadam Schulzii (2) haec legere: « adscribam singula loca, ut se in Celsi editionibus recentissimis, cura Almeloveenii, Wedelii, et Morgagni in lucem publicam datis ea offerunt ». Narrabo tibi: somniare primum mihi videbar, minime intelligens, qui posset a Viro docto id mihi tribui, quod omnes scirent non esse meum. Mox autem quum ita tribui, animadverterem, ut prolatis ex superioribus editionibus iisdem locis, non obscure mihi quoque dica scriberetur, quae Lindenio scribitur, cujus editionem sequutus est Almeloveenius; enimvero censui, rem tacite non esse ferendam, praesertim quum iis de locis quid mihi esset visum, nusquam aperuissem; imo III. in Celsum Epistola (3) ante Schulzium, id reticentem, ostendissem, quemadmodum in prioribus editionibus, atque adeo in manu scriptis codicibus ii

(1) *L. 1. Epist. 1.* (2) *de ossib. Conferventib. § 1.* (3) *n. XV.*

loci legerentur, aliumque Plinii de Conferva, quem locum Schulzius (1) produxit postea, indicare non omisissem. Verumtamen quum haec ante omnium oculos prostarent, nec fugere quenquam posset, quid tu in Epistola ad Lectorem tua, quid ipse in I. ad te mea scripsissemus; multo magis Schulzio, quam mihi, cogitandum esse, intellexi, quid in sua illa Exercitatione posuisset, satisque mihi esse duxi oblata forte occasione (2) amice hominem commonefacere. Nunc vero quando tu ais, non defuisse post illum qui rationem Patavinae editionis a me reposceret, jamque a Celso ad Samonicum quoque, non dissimilem, nostrum accusationem esse traductam; faciam vel tua causa, vel mea quod facile alioquin non eram facturus, et de utroque Auctore ita scribam, ut nemo in posterum dissimulare jam queat, scire se, quid in nobis possit, et quid non possit jure improbari.

Atque ut a Celso initium ducam; nescio quo adverso Rei Medicae, et bonis litteris fato acciderit, ut quum tot homines doctissimi, et diligentissimi suos in eum labores contulerint; nemo unus adhuc extiterit a quo ejus editionem numeris omnibus absolutam haberemus. Quid Scaliger, Walaeus, Mentelius, Holstius, Vorstius, Dacquetus aggressi essent, minime ignoras, qui singulos, ubi de promissis Celsi editionibus in Prolegomenis verba fiunt, ibi iterum commemorandos curasti: neque te fugit, quid in suis, ibidem recusis, Praefationibus tum Lindenius, tum Almeloveenius se praeterea habere, significaverint, quod Celso addi posset, sive observationum, sive variantium lectionum, sive Lexici praesertim, adeo ab omnibus desiderati. His vetustiorem Paawium accense, qui, ut pauca edidit capita, sic totum Celsum eadem *ratione explicatum, lucisque plurimis emendatum* ab se editum iri, spem fecerat (3), non secus ac Lommius (4) antea, quum librum Celsi primum Commentariis ornasset. Sed, ut Nicolaum Blancardum (5), eique surreptas adnotationes omittam; Rhodium prae caeteris addito, et Thomam Bartholinum, quos non sine magno dolore propterea nominamus, quod incendio absumptorum utriusque laborum venit in mentem: qui cujusmodi fuerint, ea satis indicant quae hic in Dissertatione *de Bibliothecae Incendio*, ille autem in Praefatione attigit ad Scribonium, et vel magis quae in calce ejus libri sive in Lexico Scriboniano, quod similis in Celsum desiderium refricat ad plurimas voces adnotavit, sive in Catalogo commemoravit restitutorum Auctorum (6), unde emendationes Celsi plures colligere is poterit qui jacturam illam tantam nobis reparandam suscipiat. Susceperant autem duo nostra aetate egregii Viri, Jo. Henr. Schulzius, cui, ut ut meritus est de me, doctrinae, et eruditionis laudem libens tribuo non vulgarem, et ante illum Jo. Jacobus Bajerus, qui edito in eam rem Schediasmate sex potissimum, in ejusmodi editione summopere optanda, capita, in quibus sibi esset elaborandum, proposuit. Sed utroque e vivis erepto, quis illis in pulcherrimi, et utilissimi, sed ejusdem diuturni, et difficillimi, operis procuratione successerit, adhuc ignoramus.

Quae quum ita sint; quanam interea Celsi editione uti poterunt studiosi adolescentes? Num veterum illarum aliqua, ubi semi barbara ipsa

(1) §. 22. (2) *Epist. Anat.* 9. *n.* 30. (3) *Praef. in Comment. ad ea capita.* (4) *et.* (5) *Vid. Fabric. Bibl. Lat. Supplem. P.* 1. *l.* 2. *c.* 4. (6) *ad vocem* C. Celsus.

litterarum forma, et vocum compendia creent legentibus difficultatem, creberrimi autem sive librariorum, sive typographicarum operarum errores tertia propemodum quaque linea obtruserint ea quae aut intelligi nequeant, aut, si intelligantur, nihil quod ad rem faciat, significent? At enim in istis ipsis erroribus vestigia nonnunquam restant unde vera conjiciatur scriptura. Fateor: sed a sagacibus, et doctis, et ea in re exercitatis viris; non ab adolescentibus, de quibus est a nobis sermo institutus. His enim si loci occurrant in quibus, exempli causa; ne ab iis quos Schulzius protulit, omnino recedamus; habent priores editiones *os conservet*, aut *ossa coeperunt*; aqua ibi haereat, necesse est, minime assequentibus, *os confervet*, aut *ossa conferbuerunt* esse legendum. Apparet igitur, fore ipsis longe utiliores editiones illas quae nitide ac perspicue exhibeant verba, ut sunt ab hominibus eruditissimis restituta. Qui certe quo diutius, quo plures, quo majoribus subsidiis instructi in id operam contulerint suam: eo credibilius est, propius ad verum accessisse. Atqui Lindenius praeeuntibus tot Viris doctissimis qui longo annorum, spatio, alii edendo, alii illustrando, alii emendando, omnes aliquid praestiterant unde Celsi libri meliores fierent, ultimus successit, eorumque omnium usus laboribus, ad hos strenue adjunxit suos. Quae igitur esse causa poterat, cur tu aliam adolescentibus nostris, quam Almeloveenii, editionem dares, qui Lindenianam non modo, ut diximus, sequutus est: sed et alia insuper adjecit? Certe idem quod tibi, Germanis quoque consilium fuit, qui semel, atque iterum, praefante Viro Cel. Georgio Wolfango Wedello, idemque Batavis, qui non solum antea, sed, ut audio, etiam postea quam tu fecisti, Almeloveenii exemplar, ut Helvetii quoque, recuderunt.

At Lindenius « nimis audax in Celso refingendo, *conjecturas*, in textum temere intulit, sana et bellissima saepe veteri scriptura eliminata »: sic enim Schulzius (1) *temerarias*, ut loquitur, Lindenii *mutationes* exagitat. De quo tandem homine haec scribuntur? Nempe de illo qui; ut nunc mittam dicere, qua doctrina, diligentia, auctoritate fuerit; certe quot, et quibus in Celso emendando sive calamo exaratorum, sive typis descriptorum codicum adjumentis usus sit, diserte, et sigillatim exposuit, in quibus nec quae Walaeus paraverat, nec Scaligeri ipsius emendationes, adnotationesque defuere. Quid igitur? si codices illi vetustiores eam quam reposuit, scripturam habuere; num temere conjecturas intrusisse propterea censendus est, quod in sex editionibus quas Sculzius consuluit, aliter legatur? At enim quae Constantinus in margine suae editionis adnotaverat *sive scriptis codicibus, sive conjectura ductus, sive declarandi auctoris causa*, in *textum* recepta sunt. Num omnia? an ea quae codices alii confirmabant? Quod quum dico, non id volo, nunquam Lindenium nimis suis, aut doctorum hominum conjecturis indulsisse: sed hoc volo, nisi codices quibus ille est usus, antea inspiciamus; idem ab eo factum esse in omnibus in quibus nobis forte videatur, locis pronunciari non oportere. Interea autem credere aequum est spectatissimo Viro profitenti, se quaedam, *sed admodum pauca*, idque quum res aperte postularet, *ex ingenio tentavisse: in caeteris, ubi sui sibi libri et ingeniosae summorum virorum conjecturae non praelucerent* (vide, quae-

(1) *Exercit. cit.* §. 2 *et* 4.

so, ut conjecturas cum libris conjungit) nihil mutasse: « glossemata offendisse plura; nullum tamen praeter unum, ausum esse de medio tollere; quia nullum huc praeeuntem habebat librum». Quod si dum Celsum *plusquam bis mille locis;* sic enim ad Patinum scripsit; *corrigeret*, in multis; aut, siquis malit, etiam in plurimis libri ipsum, et conjecturae fefellissent; non erat tamen de audacia et temeritate libere adeo accusandus. Sed quos locos egregie restituerat; bene multos autem, ut alias ad te scripsi, restituit; illi erant grato animo accipiendi: in quibus autem humani aliquid passus videretur; hos vero satis erat sine contumelia indicare. Quod et nos alias fecimus ad te scribentes, et nunc faciemus, et ab aliis fieri cupimus; ut studiosi juvenes interea sciant, ubi minus tum Lindenii, tum Almeloveenii editionibus fidendum sit, donec, collata multorum opera, illa tandem existat absolutissima, quam omnes optamus, et quam hisce libenti animo praeferemus.

Unum est utique in Lindenio minus probandum, quod fortasse ne ipse quidem erat facturus, nisi parva coegisset, quam omnino voluit, libri forma. Scilicet aut nihil in Celsi contextu mutandum erat, sed quid, et quomodo mutandum crederet, in ora dumtaxat libri adnotandum: aut saltem, si mutare mallet, in eadem ora, quid antea legeretur, significandum. Quarum tu rationum longe meliorem. id est primam, in Patavina editione, flagitantibus nobis, sequutus es, etsi erant forte in nostris Epistolis nonnulla quae tibi pro tua erga nos benevolentia non indigna viderentur quae in textum acciperes. Quod tuum, meumque adeo factum, et quidquid praeterea in ea editione a te praestitum Lectoribus indicasti, et quae ego in eas Epistolas conjeci, sicut improbanda existimentur; non dubito autem, quin multa in meis deprehendi possint jure improbanda; aequo animo feremus: nostra enim sunt illa; non editio, quae sive bona, sive mala est, Almeloveenii certe est.

Nunc quando aequis, et iniquis fatis esse factum, puto; ut non horum tantummodo causa, sed tua in primis has Litteras aggressum esse scribere; intelligas; meam I. ad te Epistolam in manus sumam, ejusque conservato ordine, primum quidem de Celso ipso nonnulla, deinde vero de his ejus libris multo plura adjiciam, quae et tibi satis esse nunc possint, et evidentius ostendere, num is sim qui in Lindenii, aut Almeloveenii verba juraverim, an is potius qui antiquos codices seu calamo, seu formis descriptos observem, ubi cum ratione consentiant.

Aurelius, an *Aulus* Cornelii nostri praenomen fuerit; si veterem, neque ejus temporibus ita ut postea, facile neglectam, attendas Romanorum consuetudinem, duarum gentium nomina in uno homine haud conjungentium, neque ex nomine praenomen facientium; haud difficile videbitur dijudicare. At si libros fere omnes sive excusos, sive scriptos inspicias; haerebis, quum *Aurelium* magno consensu habere videris. Nam quod Daniel Clericus (1) affirmat «inveniri in omnibus manu scriptis hunc titulum, *A. Cornelii Celsi*, et unam dumtaxat esse editionem, eamque Aldi Manutii, quae » mutet *Aurelium* in *Aulum* » haec nescio quomodo Viro alioquin diligentissimo exciderint, Rhodium ibi praesertim laudanti in Scribon. Larg. Com-

(1) *Hist. de la Médec. P.* 2. *l.* 4. *S.* 2. *c.* 4.

pos. XCIV. et in Celsi Vita. Etsi enim in hac, aliud spectans, Rhodius esse veterum codicum communem hanc inscriptionem, ait, *A. Cornelii Celsi*, non secus ac modo vel magis in compendium illam contrahens, esse, dixerat, in vulgatis Lugdunensibus omnibus *A. C. C.*, at certe ad Compositionem illam Scribonii diserte haec scripsit: « *Celsi libri* hactenus Aurelii nomen ubique praeferunt: quod initio unica littera A. Praenominis nota signatum, diversa ratione exprimi potuit. Inde quidam ad V. C. Caroli Moroni editionem Aldinam Celsi praefixit *Auli* appellationem .... Quis vero ille fuerit, quave id factum autoritate, incertum est. Aldum Manutium characteris indicio putat multiscius noster Leo Allatius »: cui pariter sic emendandum, ut Josepho quoque Scaligero, visum esset. Itaque intelligis, quod Celsi librarii primum scripsissent *A.* ex hac littera posteriores fecisse *Aurelii*: nec Manutii editionem a typis, sed ab Aldi manu in illo Moroni exemplo habuisse *Auli*. Hieronymus tamen Rubeus, qui suas in Celsum Adnotationes absolverat anno 1607., hoc earum initium fecit: *Vetus codex Vaticanus manuscriptus inscriptionem libri sexti sic habet* Auli Cornelii Celsi liber sextus, idemque Medicinae primus. *Quod Auli praenomen, eo magis in Cornelio Celso placet, quod Aurelii Romanae familiae nomen fuit, Aulus autem Corneliae praenomen*: quod sicuti ex Livio in illustribus quibusdam Corneliis ostendit, sic ex Fastis producto L. Cornelio Celso Consule, ne Celsi quidem cognomen in gente Cornelia fuisse inusitatum, commonstrat. Vides igitur, quot, et quales auctores habeas, si *Auli* forte praenomen praeferas. Nam quod nonnulli, praeeunte Viro caeteroquin eruditissimo, legendum putant apud Cassiodorum (1), non *Coelii Aurelii de medicina*, sed *Celsi Aurelii*; te ibi, credo, quum aliis potius, et nominatim cum Daniele Clerico (2), *Caelii Aureliani* esse lecturum.

Etsi vero ex Romanis gentibus familiae plures ab Urbe in Colonias migrarunt; ego tamen nihil prohibere, imo pleraque convenire, video, ut Celsum nostrum Romae potius, quam alibi, et natum esse, et vixisse, opiner. Sic autem loquor propterea quia si alterutrum petas ut ipsius, aut aliorum idoneo testimonio confirmem; non facile possim. At Romanum, idest non externum fuisse, non Plinii solum alias indicata auctoritate, aut geminata M. Fabii (3) testificatione, sed et Celsi ipsius compluribus locis ostendam, ut ubi (4) nostri, inquit, anginam vocant: apud Graecos nomen, prout species est, *aut ubi* (5), nostri scutula operta; ὠμοπλάτας Graeci nominant». Idemque confirmant quae initio posuit cap. 18. l. 6. atque; ut alios alibi omittam; tres loci uno in capite pariter 18. lib. 7.

Non eodem autem saeculo scripsisse quo vivebat Asclepiades (floruit hic aetate Magni Pompeji (6), et suprema iu senecta obiit (7)) illa indicant ex cap. 12. lib. 2.: « quod ab Asclepiade quoque sic vituperatum, ut tamen servatum sit, video plerunque seculo nostro praeteriri ». Scripsisse tamen, ut tardissime, ante Claudii imperium, ex iis intelliges quae alias (8) de Julio Graecino attigimus, qui Celsum transcripserat, a Cajo autem Caesare interfectus est. Quot autem scripserit ante Claudium annis, conjicere poterunt qui forte sciant, quo anno Gallio pater, sive is ad quem ab L. Sene-

(1) *Divin. Lect.* c. 31. (2) *l. cit. S.* 1 *c.* 5. (3) *Inst. Orat. l.* 3. *c.* 1. *et l.* 10. *c.* 1. (4) *l.* 4. *c.* 4. *p.* 114, 24. (5) *l.* 8. *c.* 1. *p.* 278. 7. (6) *Vid, Plin, Nat. Hist. l.* 26, c. 3. (7) *Ibid. l.* 7. *c.* 37. (8) *Epist.* 1. *p.* 9, 6.

ca fratre liber missus est *de Vita Beata*, sive alius fuerit, sua de eloquentia praecepta emiserit; priorem enim *patre Gallione* sua Celsum edidisse, auctor est M. Fabius (1), aut certe quo anno Medici nobiles Cassius, et Themison, aut quo non mediocres Chirurgi Trypon pater, et Evelpistus, et Meges, quos omnes Celsus (2) *nuper* extitisse ajebat, e vita migraverint. Quod vero Paawius (3), aliique, et in his aliqui etiam qui aetate nostra scripserunt, Celsum Neronis quoque temporibus vixisse, non dubitant; ut potuisse, concedam; non tamen, nisi antiquorum auctoritate probatum videam, pro certo affirmabo. Sed quod *major*, ut est apud Rhodium (4), *eruditorum pars usque ad Trajani tempora vitam produxisse*, censent; veniam mihi dabunt Viri caeteroquin eruditissimi, qui non plurimis ab hinc annis id sine ulla dubitatione acceperunt, si dixero, M. Fabium (5), qui Domitiano imperante, ut ipsi egregie norunt, scribebat, ne inter aetatis quidem suae Auctores, nedum inter *viventes*, quorum se *parcere*, ait, *nominibus*, Celsum posuisse: ut verear, ne plus aequo dederim, quum Celsum potuisse in vivis esse Neronis temporibus, paulo ante non negavi.

Medicusne fuerit, an non fuerit, adhuc apud aliquos dubium esse, video. Qui, si hoc volunt, non ita exercuisse medicinam, ut qui mercedis causa solent, sed tamen ut in gravioribus casibus ab amicis, et a pauperibus se pateretur adiri, et consuli; Rubeum (6) secum, et Lindenium (7) facientes habebunt, atque adeo, velut ego animadverto, Celsum ipsum. Qui si quaestum sequutus, huc illuc cursare consuesset, non facile pronunciasset (8), « ab uno medico multos non posse curari, eumque, si artifex est, idoneum esse, qui non multum ab aegro recedit. Sed qui quaestui serviunt, quoniam is major ex populo est, libenter amplecti ea praecepta, quae sedulitatem non exigunt ». Haec si ponant; vix aliquid invenient cur Medicum fuisse, non credant. Quod enim tot alia, et tam varii argumenti ediderit; non inde conficitur, *universae naturae*, ut ipsum Columella (9) vocabat *prudentem Virum* Medicinam prae caeteris non adamasse: de qua profecto accurate adeo scripsit, ut quum caetera ejus opera aetatem non tulerint; hoc unum sagax posteritas conservarit. Quin ex illa multiplici, variaque scriptione visum Rubeo (10) est, responsionem esse petendam adversus grave alterum eorum argumentum qui Medicum fuisse, inficiantur, permoti videlicet Plinii (11) auctoritate, qui in Auctoribus non externis etsi Medicos seorsum non ponit; tamen quum Medici nomen adjungat pluribus, Cornelio Celso nunquam adjungit. Scilicet ideo non adjunxisse, Rubeus credidit, quia non de Medicina tantum Celsus scripsisset. Quod ut non contemno, sic illud potissimum addendum censeo, fortassis non tam Plinium spectasse quod quisque scripsisset, quam quod, et quatenus exercuisset. Sic igitur quum (12) Opilium, exempli causa, et Granium, et Caecilium *Medicos* dixit; Celsum autem, iisdem locis nominatum, non magis dixit, quam Catonem Censorium; non ideo fecerit quod hi rogati de medicina non responderent, sed quod eam non, ut illi, vulgo exercerent qui propterea apud omnes Medici erant appellationem consequuti. Sed

(1) *cit. c. 1. l. 3.* (2) *Praef. p. 1 t. 33, et p. 3. 9. et l. 3. c. 4. p. 72, 19 et l. 7 Praef. p. 219, 20.* (3) *ante cit. Comment initium.* (4) *in Celsi Vita.* (5) *loc. cit* (6) *loc. indic.* (7) *Epist. ad Patin.* (8) *l. 3. c. 4. p. 72, 42.* (9) *de Re Rust. lib. 2. cap 2.* (10) *loc. cit.* (11) *Hist. cit. l. 1.* (12) *Ibid, ad. l. 28. et 29.*

neque hanc Plinius unquam addit iis quos saepe adeo simul nominat (1), Sextio Nigro, et Julio Basso, quos tamen Auctores inter asseclas Asclepiadis memorat Daniel Clericus (2), qui nihil, quantum memini, habet de aliis illis tribus Medicis Scriptoribus Opilio, Granio, et Caecilio. Quod sive Plinius fecit, quia Niger, et Bassus non magis quam Celsus, essent in medendo occupati; rationem veram invenerimus, cur Celsum non appellaverit Medicum; sive casu et incuria quadam fecit: non est igitur, cur ex simili ejus silentio Celsum non fuisse Medicum, inferatur.

Quanquam silentium Plinii obstare non potest, quum Celsus quis ipse fuerit, per se loquatur. Diu est quum gravissimi Viri, et in his Rubeus (3), animadverterunt, inter discrepantes illustrium Medicorum sententias suam, nisi Medicum, non potuisse interponere, qui non doctrina modo, sed usu et observatione excelleret. In eamque rem quosdam Celsi locos produxit Rubeus, quorum aliquo usus est etiam Casaubonus in Scholiis quae alias laudavimus. Tunc quoque alios addidimus: quorum primum quoniam occupaverat Clericus (4), cujus Historia non erat in manibus, quum scriberemus; idcirco pro uno apponemus plures (5). « Itaque istud (*de vomitu loquitur*) luxuriae causa fieri non oportere, confiteor: interdum valetudinis causa recte fieri, experimentis credo. Commoneo tamen, ne quis, qui valere et senescere volet, hoc quotidianum habeat » (6). « Neque ignoro, quosdam dicere, omne auxilium necessarium esse increscentibus morbis, non quum jam per se finiuntur. Quod non ita se habet. Potest enim etc ». Sic etiam in aliis controversiis, ubi dissidentes caeterorum consuetudines proposuerat, haec subjecit (7): « Ego tum hoc puto tentandum, quum parum cibus, semel et post febrem datus, prodest (8). Tutius tamen est etc. (9). Quid igitur est ? Multa in praecipiti periculo recte fiunt, alias omittenda (10). Sed id supprimere sanguinem potest; ulcera ipsa sanare non potest. Melius huic rei licium est (11). Ego experimentis quemque in se credere debere existimo, calida potius, an frigida utatur (12). Sed nihil melius est, quam etc. ». Quis sanus haec, atque alia istiusmodi pronunciaret, quem lecturi scirent usu et observatione non pollere? Certe Medici quoque haec sunt (13): « *Alvi lumbricos* interdum latos, qui pejores sunt; interdum teretes videmus (14). Et plerique quidem *eorum, quibus, ut loqui possint, linguae fraenum incisum est*, ubi consanuerunt, loquuntur. Ego autem cognovi, qui, succisa lingua, quum abunde super dentes eam promeret, non tamen loquendi facultatem consequutus est (15). Si cutis integra est, et os laesum esse, ex dolore colligimus, etc. et (16) majore cura *in calvaria perterebranda* agendum est, — ut quandocumque os perrumpitur, sentiamus ». Quis enim *sentiamus*, et *colligimus*, et alia ejusdemmodi, nisi Medicus, diceret? aut quis alius an lingua satis succisa esset, ex facili, sed certo, indicio cognovisset? aut latos interdum videre consuesset vermes, quos non pauci Medici, etiam valde exercitati, nunquam viderunt?

(1) *Ibid. ad. l.* 20. *et seqq.* (2) *Hist. cit. P.* 2. *l.* 3. *c.* 11. (3) *loc. cit.* (4) *P.* 2. *l* 4. *S.* 2. *c.* 4. (5) *l.* 1. *c.* 8. *p.* 19, 2. (6) *l.* 2. *c.* 14. *p.* 54, 25. (7) *l.* 3. *c.* 11. *p.* 83, 17. (8) *Ibid. c.* 14. 85, 1. (9) *Ibid. c.* 18. *p.* 88, 14. (10) *l.* 4. *c.* 4. *p.* 116, 24. (11) *Ibid. c.* 19. *p.* 131, 40. (12) *l.* 6. *c.* 4. *p.* 189. 30. *et l.* 7. *c.* 7 *p.* 237, 31. (13) *l.* 4. *c* 17. *p.* 130, 24. (14) *l.* 7. *c.* 13 *p.* 242. 23. (15) *l.* 8. *c.* 8. *p.* 258, 22. (16) *Ibid c.* 3. *p.* 279, 15

Haec, atque alio de eodem genere (ut rerum aptissimum ordinem (1), et sibi ubique consentaneum scriptorem omittam) non illi, opinor, attenderunt qui nihil esse hos Celsi libros existimant, nisi praecepta ex Graecis Medicis collecta, et ab ipso, ut loquuntur, consarcinata, decepti fortasse una vocula, qua nonnunquam usus est, ut quum propositurus non omnes, quas posset, Compositiones (2), *contentus his ero*, inquit, *quas accepi velut nobilissimas*, et alibi (3), ubi de obscoenarum partium vitiis scripturus, *ut omnia, quae salutaria accepi, comprehenderem;* quasi vero *accipere* nunquam id quod *capere*, id est etiam *eligere*, significare posset, aut qui suum inter varias aliorum sententias interponere judicium soleret, nihil quidquam ab aliis deberet accipere! Quanto aliter egregii medendi Magistri de Celso judicarunt! quorum plures in ejus Vita nominavit Rhodius, initio ducto a Minadoo, qui Celsum, *dedita opera, ab aliis praetermissa proferre ac illustrare voluisse*, censuit. Ad illos omnes, alios adde, in his Paawium (4), qui *praestantem Medicum* fuisse, *Anatomicum, et Chirurgum, hos ejus libros testari abunde*, confirmat; Hildanum (5) autem in primis, qui ex ipsis Celsi accuratis, et perspicuis descriptionibus satis apparere, non dubitat, vel eam quae manu auxiliatur, medicinam exercuisse; fieri enim non posse, ut tam difficilia ad describendum non ante perfecerit qui sic descripserit. Mihi vero etsi Celsum Chirurgorum operibus attente interfuisse, et credibilius videatur, et satis sit; ex isto tamen Hildani judicio mirari subit quandam aliorum de his Celsi libris opinationem, ab ea quidem quam modo rejeci, longe diversam, sed non minus a veri similitudine abhorrentem. Quum enim ex iis quae supra indicata sunt, plane perspexissent, non exscriptoris, sed Medici eximii haec esse volumina; eo animum induxerunt ut dicerent, graece ab aliquo conscripta, latino a Celso fuisse reddita, minime animadvertentes, res difficilimas explicatu non nisi ab egregio doctrinae ejusdem magistro, tam proprie ubique, tamque dilucide ex una in alteram linguam potuisse converti: ut quam scientiam tribuere Celso nollent, nihilominus in ipso agnoscere cogantur. Quanquam tantus ille Medicus quem comminisci malunt auctorem, quonam modo uni Celso notus, caeteris incognitus esse potuisset eo tempore? neque enim priscus aliquis, tot Medicorum qui modo vixerant, instituta, sententiasque nominatim commemorasset. Quod pariter adversus illos dictum puta qui ab Latino quopiam Medico scriptum Opus sibi Celsum subjecisse, vel magis illiberaliter existimarent: quam fraudem stylus insuper coarguisset dissimilis ejus quo antea editos scripserat libros, ut puta de Re Rustica, quorum quidem fragmenta eundem utrobique ostendunt scriptorem. Denique istas omnes quas attigimus, opinationes una funditus convellit animadversio, non potuisse videlicet in hominem sanum cadere, ut se eorum, quae facile constare posset non sua esse, auctorem inscriberet, non Medicus praesertim in Re Medica; de qua continuo ab doctis, indoctisque, ut fit, interrogatus, suam simul inscitiam, simul impudentiam retegeret.

Celsum *professione fuisse Scepticum*, idque *dixisse Quintilianum*, Paa-

(1) *Vid. Lommii praef. in Cels.* (2) *l.* 5. *c.* 17. *p.* 143. 9. (3) *l.* 6. *c.* 18. *p.* 212, 41. (4) *loc. cit.* (5) *Praefat. ad Lithotom.*

wius (1) credidit. Sed Quintilianus eo loco (2), quem Paawius indicat, quum paucissimos illos memoraret qui latinis litteris eloquenter tractaverant Philosophiam, ibi quidem « scripsisse, *ait*, non parum multa Cornelium Celsum, Scepticos sequutum, non sine cultu ac nitore ». Ubi autem quae de Rhetorica ediderat Celsus, attingit, aut ubi hunc, dicit (3), *rei* quoque *militaris, et rusticae etiam, et medicinae praecepta reliquisse*; hic vero nec quos sequutus sit, indicat, et Lindenius (4) vere in hos de Medicina libros meliora quaeque cujusque Sectae, delectu habito, congessisse, et, quod consequitur, Eclecticum egisse, censet. Sed neque in caeteris illis scriptis fuisse Scepticum, credo, quum rerum quas in iis tractavit, naturam, et capiendum ex praeceptis fructum attendo, qui nullus in rhetores, aut duces, aut denique agricolas ex perpetua dubitatione provenisset, aut quum librorum Celsi fragmenta relego, qui ad rhetores, aut ad agricolas attinebant; nam in ea quae ad duces spectabant, necdum incidi, legitima quidem et certa. Ut enim legitima sint quae in suos *de Re militari* libros retulisse Vegetium, non dubito, quippe professum (5), « fidelissime se dicturum quae Cato — scripsit: quae Cornelius Celsus, quae Frontinus perstringenda duxerunt »; tamen, sicut aliquis hinc conjiciat, summatim illa attigisse Cornelium, ita quisnam possit quae Vegetius ex eo descripserit, pro certo internoscere? Incerta igitur praetermitto. Spuria autem nihil moror. Hujusmodi in primis erat ille mutilus *de Arte dicendi* libellus, quem non tam miror visum olim Sixto Popmae, aliisque postea, et in his Danieli Clerico (6) opusculum esse Celsi nostri, quam a Viro Eruditissimo, qui iterum edidit hoc saeculo sub ejusdem Celsi nomine, haud agnitum esse vel ex ipsis primis verbis non modo ad Celsum referri non posse, sed illa eadem esse Julii Severiani *praecepta artis Rhetoricae*, quae modo ex editione Rhetorum Antiquorum Pithoei, ex aliisque recensuerat. Ea igitur fragmenta dico, qualia ex rhetoricis Celsi libris, exempli gratia, apud Fabium (7) sunt, aut qualia, praeter illud quod a Philargyro (8) servatum videbis, ipse tibi apud Columellam alias (*) indicavi ad rem rusticam pertinentia: cujus *disciplinae totum corpus* Celsum *quinque libris* complexum esse, tunc (**) satis ostendi; ut nihil jam attineat longe aliam Clerici (9) interpretationem discutere. In veris igitur utrorumque Celsi librorum fragmentis nihil quod Scepticum oleat, a me adhuc inventum esse, confirmo. Invenio quidem in his *de Medicina* libris, praesertim autem in Praefatione, haud prorsus immemorem eorum quae, Philosophum agens, docuerat, hactenus a Scepticis stare, ut rerum obscuras causas scientia comprehendi posse, neget: quae res in Quintiliano eam quam paulo ante produxi, lectionem comprobat adversus illos (10) qui, mendosis codicibus usi, legerunt ibi *Sextius* pro *Scepticos*. Sed in aliis, vel Praefationis ejusdem, locis, rationi, et sensibus Celsus fidens, adeo non dubitat; ut rerum naturae contemplatione *aptiores* fieri, *majoresque* Medicos, arbitretur, mortuorum autem dissectionem esse ipsis *necessariam*, pronunciet; quarum utramque Empirici esse supervacuam, dictitabant. Quid autem magis

(1) *loc. cit.* (2) *Inst. Orat. l.* 10 *c.* 1. (3) *Ibid. l.* 12. *c.* 11. (4) *in Praef. ad Cels.* (5) *l.* 1. *c.* 8. (6) *c.* 4. *cit.* (7) *Inst. cit. l.* 2. *c.* 15. (8) *ad Virgil. Georg. l.* 4. *v.* 1. (*) *Epist. I. p.* 316, 14. (**) *Ibib. p.* 314, *sq.* (9) *c.* 4. *cit.* (10) *Vid apud Burmann. ad eum Fabii locum.*

Scepticum decuisset, quam illam Empiricorum dubitationem tueri, num interiora videlicet corporis per dissectionem notiora sint, *quia possit fieri, ut patefacta, et detecta mutentur?* Utor autem ipsis apud Ciceronem illorum verbis in eo libro qui inscribitur *Lucullus*: quanquam et Celsus istam eorum, quam repudiavit, opinationem bono in lumine collocaverat, eadem fide, qua Medicos Rationales paulo ante induxerat summis laudibus Anatomen exornantes: quorum verba qui aetate hac protulit, ut quo in pretio apud Celsum esset Facultas nostra, intelligeretur, is minime attendit, non ibi suam a Celso, sed in extrema demum Praefatione proponi sententiam, ut Eclecticum decebat, utrinque seligentem ea quae sibi magis probarentur.

Eandemque rationem sequutus, universam Medicinam, quae seu victu, seu medicamentis, seu manu auxiliatur, primus omnium, quod Vir eruditissimus Lindenius (1) sciret, *redegit in systema, et corpus methodo constitutum*, summo veri studio, summaque prudentia, et aequitate. Veri amorem satis ostendit laudata ab ipso (2) in Hippocrate » simplex veri erroris » confessio (praecipueque in Re Medica), ne qui decipiantur eadem ratione, » qua quis ante deceptus est»: prudentiam autem, et aequitatem cum illa (3): » verisimile est, id a quoque praetermissum, quod ipse non cognoverat: a » nullo id quod non viderat, fictum, « tum haec (4) »: oportet autem neque recentiores viros in his fraudare, quae vel repererunt, vel recte sequuti sunt; » et tamen ea, quae apud antiquiores aliquos posita sunt, authoribus suis » reddere». Omitto de eodem genere alia, ad conformandos quum legentium, tum scribentium mores spectantia; ne plura contra ac pollicitus sum, de Celso, quam de his ejus libris, videar scribere: quanquam intelligis, quae de illo memoravi, non parva ex parte ad hos quoque pertinere.

Ex quibus quum alias observatus ordo postulet, ut jam de plurimis locos aliquos indicemus, peculiari sive mentione, sive illustratione dignos; id eo libentius faciendum est, quo minus illorum poenitet quae de duabus tunc (*) scripsimus vocibus, *silanus*, et *comprehendit*. De illa enim postea vidimus doctissimum etiam Virum Petrum Victorium (5) idem vel in Celso statuisse; Marcum autem Ciceronem quid altera non modo in stirpibus, sed in ipsis quoque animalibus interdum significet, ibi satis docuisse ubi (6) de semine utrorumque scripsit, *si inciderit in concipientem, comprehendentemque naturam*. Nunc, siquis alius, tum mentione, tum illustratione dignus occurrit ille Praefationis locus: « aetate nostra quaedam, ex naturalibus partibus carne prolapsa et arente, intra paucas horas expiravit; sic ut nobilissimi medici neque genus mali, neque remedium noverint». Quid enim memorabilius, quam *morbus*, ut ipse ait, *novus*, id est quem si alii ante Celsum Scriptores adnotassent, novus ejusmodi Medicis non accidisset? Quid autem magis declarationem requirat, quam morbus hic, de quo apud Celsi Interpretes, quotquot vidisse meminerim, si unum excipias Rubeum, altum silentium est, apud reliquos autem Medicos varia, et discrepans explicatio? Cui dissidio ansam fortasse dederit scriptum in nonnullis editionibus *quidam* pro *quaedam*, et adnotatum a quibusdam in libri

(1) *Epist. ad Patin.* (2) *l. 8. c. 4. p. 281, 4.* (3) *l. 7. c. 14. p. 243. 17.* (4) *l. 2. c. 14. p. 54, 2.* (*) *Epist. I. p. 319. 37, et p. 321, 35.* (5) *Explic suar. in Ciceron. Castig. ad Epist. l. 3. ad. Q. Fr. p. 599.* (6) *de Nat Deor. l. 2;*

ora *haerente* pro *arente*, quum multo plures tamen, et antiquiores ex meis, et cum ipsis membraneus codex Foroliviensis baud aliter habeant atque ex Almeloveenio proposui. Sed et naturales partes sive, ut alibi Celsus loquitur (1), *naturalia*, aut (2) *naturale*, ipsi quidem id qui foeminae sunt, significant, rarius autem, sed tamen aliquando (3) etiam viriles partes, nunquam vero, quod meminerim, ea loca per quae non aliud ejicitur, quam alvi excrementa, ut neque Columellae; in avibus enim haec genitalibus quoque communia sunt; et siquando in jumento (4) pro obstructo Recto intestino *obsessos naturales exitus* dixit; non aliter, opinor, dixit, ac de obstructis naribus dicere potuisset. Praeterea, si per anum, aut per inguen aliqua intestini pars splendidae illi personae procidisset; neque novus, neque incognitus fuisset morbus. Vides enim; ut alia praeteream; de procidente ano, et de intestini devolutione in ipsa inguina, et deorsum, tanquam de pervulgatis morbis, verba suo loco (5) a Celso esse facta. Vides simul, ubi de ano prolapso, ibi quoque de ore vulvae procidente, et de utriusque fungo eundem scripsisse; ut neque de ullo ani vitio, neque ita extrorsum prolapsi, ut carnis specie appareret, intestini, neque de prolapsu uteri in vulgus cognito, neque de aliqua ejus vaginae, ut appellant, excrescentia propositus casus, praesertim intra paucas horas funestus, posse accipi videatur. Quod ultimum Rubeo (6) quoque objicio, molam fuisse, censenti, multoque illud magis; ut alia sileam; quod quem morbum ab Hippocrate, nec sine curatione, ait, fuisse descriptum, hunc, ejusque remedia prorsus ignorare nec Medici illi nobilissimi, nec Celsus potuisset, in Hippocratis lectione mirum in modum versatus. Quid ergo est? Aut ego quidem plurimum fallor, aut non aliud fuit, quam uteri inversio, quemadmodum olim hunc Celsi casum a me, Anatomen docente, explicatum esse, memineris. Inversus enim uterus, ex naturalibus prolapsus, nihil magis, quam carnem, refert: brevique, ob commemoratas ab Ruyschio (7) causas, *gangraenam concipit*. Hoc fuit, cur aruisse, Celsus dixerit, qui in gangraena (8) *siccam et aridam carnem* descripsit. Gangraenam autem inversi uteri *mors*, ut Ruyschius ait, *statim subsequitur*, id est, ut Boerhaavius (9) explicat, *intra tres horas* ab inversione: quod cum eo conveoit quod Celsus dixit, *intra paucas horas*. Remedium, ut nosti, unum est, si illico uterus suam in sedem blande reponatur: neque sic tamen omnes servantur. Quo magis fortunatam, quae adhuc vivit, Matronam fuisse, censeo, cui statim ab difficili partu quum se invertens uterus procidisset, Chirurgus autem qui adstabat, tibi probe notus, incognitae rei novitate perculsus, continuo ad me, consilii causa, accurrisset, ego vero ipsi ostensam illico Ruyschianam inversi uteri praeclaram delineationem (10) audirem suo casui tam simillem esse, quam ovum ovo; recurre, inquam, sed quanto ocyus potes, ad mulierem, si forte servari adhuc possit, cauteque ad hunc modum age. Fecit ille, ut solet, diligentissime, et quamvis

(1) *l.* 4. *c.* 20. *p.* 133, 13. *l.* 5. *c.* 21. *p.* 152, 41. *l.* 7. *c.* 26. *p.* 260, 28. *ibid.* *c.* 28 *p.* 263, 39. (2) *ibid* *c.* 26. *p* 256, 25. (3) *l.* 4. *c.* 21. *p.* 134, 21. *l.* 7. *c.* 18. *p.* 247, 8. (4) *de Re Rust.* *l.* 6. *c.* 30. (5) *l.* 6. *c.* 18. *p.* 217, 29. *l.* 7. *c.* 17. *p.* 247, 29. *et seqq* (6) *Annot. in hunc Celsi locum.* (7) *Obs. Anat. Chir.* 10. (8) *l.* 5. *c.* 26. *p.* 167, 26. (9) *Praelect. ad instit. Med. n.* 685. (10) *Obs. cit.* *Fig.* 12.

horulam circiter extra suam sedem fuerit uterus, foemina tamen generosissima persanata est. Non sic felici esse iicuit puerperae, ab Lentilio (1) descriptae; neque enim dubito, quin propendens ex naturalibus globosum corpus sanguinolentum uterus fuerit, quippe saccus ex carne spongiosa, sesquipollicem crassa, glabra intus vestitus tunica, id est membrana secundum naturam exteriore, quacum non miror si annexa uteri vincula non invenit, ut quae in puerpera inferiora tenent, et quod consequitur, inverso utero, superiora, quo usque nec Chirurgi ferrum, nec digiti, prohibentibus mortuae consanguineis, potuerant pervenire. Nec vero mirandum est, quod doctus ille Vir; quanquam rem conjecit; aut quod alii Medici, nedum Chirurgi, ut Ruyschius (2) narrat, id quod erat, continuo non agnoverint, sed pro mola, aut tumore alio acceperint. Aspectus enim inversi uteri nimis est rarus. Quod si haec in tanta Anatomes luce, quid Celsi tempore? Cujus meam interpretationem eo minus a vero alienam esse, putaverim, quod non aliam esse video quam nuper attigit Vir illustris Albertus Hallerus (3).

Quanto longior fui in primo Celsi loco explicando, tanto ero brevior in altero, qui in extremo est capite quarto libri 8. « Omnibusque *pertusae calvariae* locis *cicatrix* commode inducitur, excepta frontis ea parte, quae paululum super id est, quod inter supercilia est. Ibi enim vix fieri potest, ut non per omnem aetatem sit exulceratio: quae linteolo, medicamentum habente, contegenda erit ». Almeloveenius, qui nihil ad superiorem locum, ad hunc adnotavit, post *ut* deesse *non* in editione Pantini. Deest vero et in aliis nostris, etiam antiquioribus. At minime deest in membraneo codice, quem quoties indicabo, tu Foroliviensem intelligito. Neque in illis, opinor, deerat unde accepit Lindenius: quem qui redarguunt, hic nobis commode siue illa particula Celsum interpreteutur. Caeterum illam hujus observationem Almeloveenius poterat lectoribus explicare, Paawio (4) saltem, quem alioquin saepius nominat, indicato. Causam enim vidissent recte ab hoc conferri in respondentes ei frontis loco Sinus Pituitarios: qui tamen cur id faciant, non recte declarat. Satis autem declaravit postea Verheyenius (5) propter aerem, quum spiritus ducitur, redditurque, illac ultro citroque meantem, aut certe illuc tendentem, praeclaro etiam exemplo addito, quo infelix Celsi praedictio non confirmatur modo, sed augetur.

Facta calvariae, et Paawii mentio Celsi quosdam locos quos Paawius (6) explicavit, in memoriam redigit, et eos primum qui attinent ad suturas. Harum, Celsus ait (7), *neque certum numerum esse, sicut nec locum quidem*. Et de loco, praeter quam quod Hippocratem (8) sequutus est, diserte id docentem, mox quoque suo peculiari exemplo (9) confirmat, Sagittalis videlicet; sic enim vocant; aliquando ad nasum usque productae. De loco autem simul, et numero vel ea tantummodo satis ostendunt, quae indicavit Paawius, ossicula prope occiput interdum conspicua, peculiaribus suturis conclusa, Wormiana appellant; sed antiquioribus adeo cognita, ut

(1) *Eph. N. C. D. 2. A. 2. Obs. 151.* (2) *Obs. cit.* (3) *ad cit. Boerh. n. not. hh.* (4) *Comm in Cels. in fin.* (5) *Anat. corp. hum. l. 1. tr. 4. c. 26. ad fin.* (6) *Comm. ad c. 1. l. 8.* (7) *l. 8. c. 1. p. 269, 13.* (8) *de Cap. vuln. n. 2.* (9) *p. 268, 19.*

olim Eustachius (1) delineaverit. Quae quum ita sint, quumque ne varietates quidem suturarum Celsum fugerint ; quid fuisse dicemus causae , cur in earum quae ut plurimum sunt, enumeratione, et descriptione obviam omnibus suturam Coronalem prorsus omiserit? Ego , si quid judico, in Paawii sententiam eundum arbitror, existimantis, nonnulla hic periisse. Multo autem facilius fieri potuit , ut perpaucos versus , post quartae suturae descriptionem, quintam proponentes , librarii temere transilierint, quam ut aliquot capita libri IIII , ut alias * ostendi , tota interciderint injuria temporum. Sed ut Paavii judicio, de quo fuerant ab Almeloveenio admonendi lectores, facile in hoc loco assentior ; sic in aliis vellem pariter posse assentiri, velut in sutura tertia. Haec , Lambdoides nominata , sic antea apud Celsum legebatur descripta (2) : *tertia ad aures per verticem tendens, occipitium a summo capite dividit.* At Paawius, non *ad aures* , sed *ad latera*, judicat esse legendum ; post Lindenium astipulante Almeloveenio. Ego vero quum in meis reliquis decem editionibus, si unam Caesarii excipias, in qua, errore operarum evidentissimo, legitur *ad nares* , idem inveniam quod in membraneo codice, *ad aures* ; assensum sustineo: quem , etsi codex alius proferretur qui haberet *ad latera* , nihilominus sustinerem. Neque enim alterum illud rejicere necesse est. Tendere enim ad aures sutura dicitur; non pervenire: quemadmodum lata scapularum ossa infra dicentur *ad spinam tendere*, quam certe, ut nosti, non assequuntur : et si tendere non aliud hic quam pervenire, significaret ; plura non deessent capita in quibus ea sutura ubi ad temporum ossa ventum est, se quasi dividere, et in ungnem exterius commissa , inter processus Mastoidis radicem , et os syncipitis ad auriculam pergere videatur. Is processus ; ut alterum longe aliter ac Paawius, interpreter Celsi locum, «*est* crassissimum *illud* in capite os *quod* post aurem est, qua capillus, ut verisimile est , ob idipsum non gignitur», crassitudine videlicet ossis satis muniente eam partem capitis, quae, ut jam ad posteriora accedit, sic protegi magis debuisset, quam anteriora. Verum, utcumque id est ; scio enim, a priscis etiam aliter ; quod et Paawius indicat; potuisse explicari ; illud in quo dissentire ab ipso cogor, hoc est quod os de quo Celsus loquitur , eam esse credit ossis temporum partem , quae *adeo tenuis est , etiam transparens uti sit* ; quasi Celsus, id quod Paawius miratur, crassissimam non dixisset, tum sine capillis, et post aurem.

Non obscure quoque paulo infra miratur Paawius. Ubi enim Celsus ait: «Foramina, intra caput, maxima oculorum sunt; deinde narium; tum quae in auribus habemus: ille ad haec ultima hoc adscribit: «multo tamen capacius quod occiput ostendit foramen». Fateor. Sed Celsus, qui hanc ossium descriptionem non ob aliam causam suscepit , nisi *quo facilius accipi possent* quae de agendis a Chirurgo circa ossa erat protinus scripturus , alia hic foramina sibi attendenda, diserteque memoranda esse, non censuit: diserte, inquam : nam sicuti quae de suturis omnibus dixit , satis esse credidit, ut inde ossa, quae non sigillatim nominabat, intelligerentur; ita ex eo quod de *spinae medulla cerebro commissa* attingere mox debebat , foramen per quod e capite haec intra vertebras descenderet, intellectum iri ,

(1) *Tab.* 36. *Fig.* 3. * *Ep'st. II.* § *Verum haec.* (2) *p.* 269, 15.

non dubitavit. Atque ut perspicere omnes possent, quae foramina praetermitteret, ea sibi non esse incognita; idcirco fortasse illa interjecit de *multis et tenuibus* intimorum ossium capitis *foraminibus*, per quorum alia olfaciendi, per alia autem audiendi facultas est, eaque interjecit verborum vi, ut vetustius subvisorum canalium auris Semicircularium monumentum non habeamus; quemadmodum a me alibi (1) animadversum est.

Sunt in thoracis etiam ossibus quaedam alia adversus Paawii sive accusationes, sive dubitationes explicanda. Os pectoris, quod στέρνον, Graecos (2) sequuti, vocitamus, et quod Celsus aliis in locis (3), graecam vim latine imitatus, *pectus* dixit; quanquam hanc pectoris significationem necdum in Lexicis adnotatam video; id igitur os quum Celsus (4) ajat a *faucibus incipere*; ibi Paawius, « nisi legamus *a jugulo*, non video, *inquit*, qui erroris excusari possit Celsus, quid enim sterno cum faucibus intercedit? universa colli longitudo intermedia visitur». Non attendit profecto Paawius, fauces ad imam usque laryngis cartilaginem pervenire: quae cartilago in eo qui secundum naturam frequentissimus, ut prope assiduus est, capitis, et colli positu fere summae respondet parti ossis pectoris, aut certe non multo supra est. Non est igitur cur verba in quibus meae cunctae editiones, et codex omnino consentiunt, propterea mutemus. Consentiunt quoque in proximo loco ubi legimus *a cervice duo lata ossa utrinque ad scapulas tendunt*, Paawius autem legendum propemodum censet *ad claviculas*, haud animadvertens, scapulas ibi accipi pro corporis regione: quas autem scapulas nunc vocitant Anatomici, duo illa esse lata ossa, quorum descriptionem Celsus recte incipit a superiore, non, ut Paawius facit, ab inferiore, et reliqua illa parte qua « velut innatant; quoniam nisi in summo nulli ossi inhaerescunt »: quae Celsi verba eo tibi libentius commemoro, quod peculiarem horum fere dumtaxat ossium proprietatem designant, quae fundamenti instar ex parte iis est quae de horum ossium motibus scite Recentiores exposuere.

Noli tamen credere, me in illis pariter a Paawii sententia recedere, quae in Celso non injuria notavit, ut quum posteaquam metacarpo *quinque ossa* tribuit *ad digitos tendentia*, continuo ipsos digitos, ab illis ortos, *ex ossibus ternis constare*, docuit, *omniumque eundem rationem esse*. Scilicet haec, atque alia ejusmodi, etiam quae Paawius non advertit, ut, exempli causa, cruris os quod vocamus fibulam, altero quod tibiam dicimus, *brevius* esse, hallucinationes sunt, magno Viro, et iis temporibus scribenti, eo facilius condonandae, quod plurima simul recte tradidit, et in iis quaedam, velut obiter indicatum est supra, non iis temporibus expectanda; ut illud mihi satis cum Clerico (5) non conveniat, nihil in hoc Celsi capite 1. libri 8. nisi *generalia*, reperiri.

Quod caput tantummodo, indicari a quibusdam, miror, ut rationem reddant, cur Celsum inter Anatomicos Auctores ponant; quasi alterum, de interioribus, caput non scripsisset, et nihil praeterea tradidisset de oculis, nihil de testiculis: quae plerique silent de anatomica illius scientia verba facientes; qui autem memorant, quo in numero Enarratores quo-

(1) *Epist. Anat. I. n.* 92. (2) *Vid. Ruff. Ephes. de corp. hum. part. Appellat. lib. alter.* 1. *c.* 11. (3) *l.* 8. *c.* 7. *p.* 287, 3. *et. c.* 8. *p.* 283, 14. (4) *Ibid. c.* 1. *p.* 273, 1. (5) *Hist. de la Médec. P.* 2. *l.* 4. *S.* 2. *c.* 5.

que sunt, aut non satis explicant, aut quaedam, etiam immerito, ut opinor, redarguunt, velut quum de testium natura scribens (1), *dependere hos*, ait, *ab inguinibus per singulos nervos, quos κρεμαστῆρας Graeci nominant.* Hic Rubeus (2), *animadvertendum est*, inquit, *nervos non esse, e quibus ab inguinibus testes dependent, sed musculos.* Confirmat Clericus (3) « quem Celsus appellat nervum, esse musculum » ; Nempe utrique imposuit Anatomicorum posterior consuetudo, tenuem quandam musculosam expansionem qua Vaginalis tunica comprehenditur, cremasterem testis musculum appellantium ; quum Celsus, temporum suorum morem sequutus, non eum musculum, sed, nisi me omnia fallunt, vas indicet semen deferens, quod crassiusculo nervo simile, intra illam tunicam cum arteriis et venis ad testem pertinet. Possum id non una ratione ostendere. Ruffus enim Ephesius, quem sub Trajano vixisse, Clericus (4) agnoscit, etiam tum scribebat haec (5) quae a Crasso nostro in hunc modum latine reddita sunt : « nervus quoque cum arteria concavus ad testem pervenit, qui Suspensor a nostris dici potest : Cremastera Graeci nuncupant ». Quin Columella, qui ipsis temporibus Celsi floruit, quum memoravit (6) *testium nervos, quos Graeci κρεμαστῆρας ab eo appellant, quod ex illis genitales partes dependent*, nisi id quod nos diximus, intellexisset, non jussisset certe, in vitulorum castratione *extremam partem* testium *adhaerentem praedictis nervis relinqui* ; neque enim testes, ut illis seminis vasis, ita cremasteribus adhaerent musculis. Quid ? quod Celsus ipse satis per se docet, quid illo nomine significet. Nam primum, ni vasa haec voluit, quaeso abs te, quo ergo alio nomine haec indicavit? omisisse enim haud potuit qui praeter tunicas, *vel multas* illas *membranulas* diligenter proposuit, quae *venas, et arterias, eosque nervos comprehendunt.* Deinde ea quae de his nervis infra dicit ; multa autem dicit, et saepenumero, ut tanto magis scire intersit de quo loquatur; omnia cum explicatione conveniunt nostra, plura autem evidentissime discrepant ab aliena, ut puta quum *sub ima*, idest Vaginali, *tunica circa ipsum testiculum nervumque ejus*, aut quum *inter imam tunicam et ipsum testiculum, nervumque eius, ramicem* ait, (7), *oriri*, aut denique quum (8) testiculum, curationis causa, tantisper e scroto, dum ea perficitur, digito depromptum, mox ubi de tunica et media, et ima tantum sit abscissum, quantum est opus, eundem, inquam, testiculum *purgatum* docet *per ipsam plagam cum venis, et arteriis, et nervo suo demittendum esse* in pristinam sedem. De oculorum autem anatome quum quaedam explicare conatus sim in Epistolis Anatomicis (9), in quibus nonnullos quoque attigi (10) ex iis locis quibus mox Celsus quae sentiret de insanabili, aut sanabili Suffusione, proposuit ; nihil eorum hic repetam. Sed protinus ad ea transibo, quae de humani corporis interioribus ab eodem tradita sunt.

Quanquam illud initio dubium est, ex humanorum revera corporum, an ex bestiarum dissectione haec quae scribit (11), deprompta sint. Ex hominum credas, si totum relegas quem in extrema Praefatione indica-

(1) *l.* 7. *c.* 18. *p.* 247, 13. (2) *Annot. in hunc loc.* (3) *cap. cit. not.* 23. (4) *Hist. cit. P.* 3. *l.* 2. *c.* 3. (5) *Oper. cit. l.* 1. *c.* 32. (6) *de Re Rust. l.* 6. *c.* 26. (7) *c.* 22. *p.* 254, 14. (8) *c.* 19. *p.* 249, 32. 250, 4. (9) *Epist.* 17. *n.* 23. (10) *Epist.* 18. *n.* 33. *et Epist.* 19. *n.* 7. (11) *l.* 4. *c.* 1.

vimus, locum. « Incidere mortuorum corpora, *inquit*, discentibus necessarium. Nam positum et ordinem nosse debent. Quae cadavera melius, quam vivus et vulneratus homo, repraesentant. Sed et caetera quae in vivis cognosci modo possunt, in ipsis curationibus vulneratorum — usus ipse monstrabit ». Nulla hic certe, neque supra, nisi de homine, mentio est, ne tum quidem quum de iis pariter sermo est quae in vivis dumtaxat quaeri possunt; adeo illo tempore vereri Medici, quod aliqui hoc nostro non sunt veriti, videbantur, ne a dissimilibus bestiarum corporibus deciperentur. Sed contra, ubi morum ejus et insequentium diu saeculorum veniat in mentem aversorum adeo ab humani cadaveris incisione; non facile existimabis, quae Celsus tradidit, si quidem ab intima non discrepent hominis structura, aliunde quam ex vulneratorum inspectione, multo autem magis ex Herophili, et Erasistrati librorum, qui tunc extabant, lectione fuisse desumpta. Si vero ex ipsis Celsi descriptionibus dignoscere aveas, hominum, an belluarum interiora proponat; rursus ibi, nec semel, haereas. Hominis enim haec, exempli causa, videntur: lien « longitudinis crassitudinisque modicae : et vulva in mulieribus, nisi ubi gravidae sunt, non multo major, quam ut manu comprehendatur ». At bruti alicujus animantis illa : jecur *in quatuor fibras* dividitur : et *orbes* tenuioris intestini *membranulas singuli cum interioribus connectuntur* : neque enim, nisi ex obvia animante aliqua, canis simili, mesaraeum spectasset, *membranulas* dixisset, aut certe adipem, unde crassescerent, his innasci, non siluisset, qui id in omento non erat taciturus. Apparet igitur, ex bestiis quaedam esse deprompta : quibuscum tamen alia ex homine videntur admixta. Nam si ejusdemmodi animalis cuius proposuit mesaraeum, lienem quoque proposuisset; certe *modicae* esse *longitudinis*, non scripsisset. Cuiusmodi animal respexerit oportet Balduinus Ronsseus (1), qui ad eum Celsi locum haec adnotavit: « Vide, ne non hic mendum sit, atque legendum *latitudinis crassitudinisque modicae* : siquidem quum, splenis innata figura sit oblonga, non dixeris eam longitudinis crassitudinisque modicae ». Longior certe vel in homine est lien, quam latus : sed tanto brevior, si cum quadrupedum plerisque compares; ut laudandus, non emendandus, sit Celsus, qui modicae in homine longitudinis scripsit. Quod vero ad alterum attinet, quod produximus, uteri exemplum, etsi Cl. Vir Noortwykius (2) optaret, ut figuram Celsus descripsisset, quo certius sciremus, humanum ab eo uterum fuisse propositum; non tamen, humanum proposuisse, inficiatur. Doctissimi autem Viri, qui de egregio Noortwykii libro in Eruditorum Actis (3) retulere, satis indicii dant, quo eorum inclinet sententia, in proximis Celsi verbis illa attendentes, vulva, « recta tenuataque cervice, quam canalem vocant — super rectum intestinum progressa. *Quod enim cervix tenuata sit, ajunt*, humanae magis, quam brutorum, vaginae convenire » : multo autem magis quod *super*, non, ut in brutis, sub recto intestino progrediatur : quanquam in brutis quoque idem posse dici, fateantur, si supino, ut fit in dissectionibus, corporis situ spectentur : et Noortwychius

(1) *Enarrat. in Celsi libr.* (2) *Uteri hum. gravid. Anat. P.* 1. § 36. (3) *A.* 1745. *M. Jun. P.* 1.

admonuerit, non *tenuataque*, ut ab Almenoveenio editum est, sed *continuataque* in tribus antiquioribus editionibus scriptum esse. Sane et in meis omnibus, et in codice ad hunc modum scriptum erat; ut is sit unus ex iis locis in quibus Lindenium decuisset variantem scripturam commemorare. Sed etsi mihi totum hoc Celsi caput legenti pleraque videntur potius ut in stante homine, quam ut in supino, posse intelligi, praestat tamen ut ab his de quibus dubitare licet, iam ad certiora transeamus.

Et primum linguam nostram anatomicam vocibus aliquot augeamus, quae ea significatione qua apud Celsum in hoc capite, aut alibi sunt, in meis quidem latinis Lexicis non reperiuntur. Quam in mulierum genitalibus vaginam appellitamus, eam *canalem* vocatam esse paulo ante visum est. In virilibus autem quam glandis coronam dicimus, haec a Celso lib. 7. c. 25. *circulus glandis* nominabatur. Quod fraenum ibidem vocitamus, recte a nobis dici productis ex eodem capite locis, proclive est demonstrare, nec minus recte, inclusum in utero foetum posse qui velit, vocare *infantem*, non Poeta, aut Scriptore alio inferioris temporis, sed Celso ipso auctore cap. 21. lib. 5. et toto capite 29. lib. 7. (1). Sed quum utrumque horum in aliquod tandem Lexicon relatum esse, animadvertam; illud potius addam, quem nos funiculum umbilicalem, Lexica autem quaedam cum Tertulliano umbilicalem nervum appellant, eum a Celso capite eodem 29. *umbilicum* nominari. *Sinistra manu*, inquit, mortui in utero infantis extractionem perficiens Medicus *leniter trahere umbilicum debet ita, ne abrumbat, dextraque eum sequi usque ad Secundas*. Verum, ne longius te abduci, dicas, a proposito capite I. libri quarti; alias voces alio differo, et ad caput illud redeo, ut in eo quasdam consideremus. Pulmone, corde, jocinore, liene, renibus descriptis, *Ac viscerum quidem hae sedes sunt*, inquit. *Stomachus vero etc.* atque hinc incipit ventriculi, intestinorum, vesicae, et uteri descriptionem. Non igitur haec; sed illa tantum viscera sunt? An post *viscerum* vox aliqua deest, ut puta *superiorum?* sic enim alibi (2), *septum id, quod transversum a superioribus visceribus intestina discernit*. Sed num renes viscera sunt ventriculo superiora? Huc adde praeter ea quibus in Praefatione usus est, verba: *qua parte quodque viscus, intestinumve sit;* huc, inquam, adde, quod quum illarum quas primo loco nominavimus, partium curationes absolvit (3). *A visceribus ad intestina veniendum est*, inquit, sicque ad reliquarum curationes progreditur. Manifestum est igitur, has reliquas noluisse Celsum accipere viscerum nomine. Cur autem noluit? Id vero est obscurum, nisi forte in ea quis comminiscatur fuisse sententia, quam ex vetere Scholiaste protulit Riolanus (4), *exta vitalia esse septem, linguam, cor, hepar, lienem, pulmonem, et duos renes*. De praecordiorum autem vocabulo; si nullum, nisi hoc, caput spectemus; satis in Lexicis, superque dictum videri potest. Sin plerosque alios Celsi locos; significatio apud nos frequentissima, et a Plinio Valeriano (5) diserte exposita, hypochondriorum, aut plane desideratur, aut minus dilucidis, quam Celsi, comprobatur exemplis, ut quum ait (6): « si praecordia ejus sine ullo sensu doloris aequaliter mollia in utraque parte sunt: quod si

(1) 264, 28. *et* 265, 12, 16, 22. *et* 266, 9, 13. (2) *l.* 7, *c.* 4, *p.* 223, 21. (3) *l.* 4. *c.* 18. *p.* 125, 25. (4) *Anthropogr. l.* 2, *c.* 21 (5) *de Re Med. l.* 2, *c.* 15. (6) *l.* 2. *c.* 3. *p.* 30, 29.

paulo tumidiora sunt, tamen digitis cedunt, et non dolent » : aut quum » (1) ad spinam reducta praecordia » , aut » (2) praecordia sursum contracta » , aut; ne in re apertissima longior sim; quum quae Hippocrates de hypochondriis scripserat, ea ipse non obscure in latinum sermonem convertens, de praecordiis scribit.

Contra, si plerosque alios Celsi locos attendamus ; arterias ab ipso quoque, ut fere a priscis solebant, venarum dumtaxat nomine designatas fuisse , existimabimus : at si hoc, aliaque ejusdem capita , in primisque quintum libri 7. et decimum libri 2. perlegamus; non id ipsi magis, quam Hippocrati , perpetuum fuisse, perspiciemus. Nam et in eo de quo satis vidimus, capite *circa guttur venas grandes* memorat, *itemque arterias*, et in illo quinto magnopere cavendum dicit, *ne nervus, ne vena major, ne arteria incidatur*, in eo autem quod novissime indicavimus, decimo, quum de mittendo sanguine verba faciat, *juncta est*, inquit, *vena arteriis, his nervi*. Continuo autem quum graves ibi indicet noxas quae compunctos nervos sequuntur; *at arteria incisa*, inquit, *neque coit* , *neque sanescit*. Quo loco adnotandum est , nec Celsum tamen , nec quos insequentibus libris commendat , tot Medicos, aut Chirurgos, quantum ex iisdem libris apparet, aneurysmatis injecisse mentionem, imo plus quam ipse, Hippocratem non dixisse, si quidem *venam sanguifluam* libro quem Almeloveenius hic laudat , l. de Morbis pro arteria accipiamus; nam in iis quos citat, Aphorismis neque de arteria, neque de vena quidquam est. Aretaeus vero , qui idem quod Celsus, scripsisse dicitur ab erudito alioquin Medico, Jo. Bapt. Silvatico in ea quam inscripsit de Aneurysmate, Tractatione, non antiquior, ut ipse putat, Celso fuit, neque eo quod designatur , capite (3) de alia arteria , quam de Aspera, loquutus est, quum credere non posset, si in angina incideretur, posse coire. Quantum igitur ex ea Silvatici Tractatione, et ex Ingrassiae, Medici doctissimi, Jatropologia (4) perspici potest, nemo ex iis qui supersunt, ante Galenum Scriptoribus de aneurysmate verba fecit. Quod vero ad venas attinet, quae Celso auctore, secari possunt , non illo uno loco standum est quo paulo ante dixerat, *non ubique mitti posse* sanguinem , *sed in temporibus* , *in brachiis, juxta talos*. Nam alibi (5) jubet, *ex naribus*, alibi (6) , *ex fronte*, alibi (7), *ex fronte, vel naribus*, alibi (8) , ex *iis* quoque *venis* , *quae sub lingua sunt*, sanguinem mitti. Jussisset fortasse, ex podicis etiam venis, si hirudines, sive, ut loqui jam tum coeperant, sanguisugas probasset, quae ut in legitimis Galeni scriptis, sic pariter in Celsi (9), longe alia de causa, quam ut medicinae instrumentum sint, memorantur: quanquam Themisoni, qui Celsum, nedum Galenum , aetate praecesserat, multo aliter visum esset , ut recte est a Clerico (10) animadversum. Est etiam ubi Celsus docuit (11) *inter verticem ac frontem — — venas incidere, et sanguinem mittere*: qui locus ob id etiam erat a me adnotandus , quod antequam id doceret, jam tum probe scire se, ostendit (12), ex venis ad oculos pertinentibus alias esse, « quae inter calvariam et cutem sunt, *alias*, quae in-

(1) *l.* 5. *c.* 26, *p.* 160, 22. (2) *Ibid. p.* 161, 13. (3) 7. *l.* 1. *de Acut. curat.* (4) *l.* 1. *err.* 4. (5) *l.* 4. *c.* 2. *p.* 110, 40. (6) *l.* 6 *c.* 6. *p.* 198, 18. (7) *Ibid. p.* 200, 22. (8) *l.* 4. *c.* 4. *p.* 115, 1. (9) *l.* 5. *c.* 27. *p.* 174, 12. (10) *Hist. de la Médec. P.* 2. *l.* 4. *S.* 1. *c.* 1. (11) *l.* 7. *c.* 7. *p.* 237. 24. (12) *Ibid. p.* 236, 29.

ter membranam cerebri et calvariam: superiores *autem illas* per tempora oculos rigare; inferiores, per eas membranas, quae ab oculis ad cerebrum tendunt ». Hanc autem non minus veram, quam subtilem, anatomicam observationem prorsus necessariam esse, censuit ad discrimen intelligendum eorum quibus utilis, et quibus inutilis futura esset ea curatio, non sine errore quidem aliquo, praesertim nisi hic quoque venarum nomine arterias putes significasse, at exemplo illustri in eo Auctore quem subtilibus dissectionibus adversari credunt, quanti hae contra in exercenda medicina ab illis faciendae sint qui uti sciant.

Habes aliquot, ut scribenti occurrerunt, locos sive mentione, sive explicatione, sive utraque dignos. Nec me fugit, esse alios prope innumeros, qui ad vina, ad aquas, ad edulia, ad medicamenta, ad ferramenta, ad tela, ad morbos, ad Auctores, ad alia pertinent quae in Celsi opere sic memorantur, ut aliquam illustrationem requirerent. Sed ego epistolam, non librum, scribere aggressus sum. Quae quoniam sentio quam praeter opinionem excreverit; caetera quae ad variantem scripturam, et ad meas de hac dubitationes, ac divinationes attinent, in alias Litteras conjiciam: quas propediem expectabis: et valebis.

Patavii MDCCXXXXVIIII. XVIII. Kal. Januar.

EPISTOLA QUINTA.

Jo. Bapt. Morgagnus Jo. Bapt. Vulpio S. P. D.

Quo magis memoria repeto, quot, et quam saepe, et quam aperte in Almeloveeniana Celsi editione minus probaverim Epistolis illis tribus quas duodetriginta ab hinc annis simul cum ea voluisti in publicum prodire; eo magis miror, mi Vulpi, existere aliquem potuisse qui perinde ac si a me curata, aut omni ex parte laudata esset, quidquid sibi in ea displiceret, id mihi objiceret non obscure, ne dicam, exprobaret. Ego vero, quum sint illae Epistolae in omnium manibus, minime opus esse duco singula in quibus ab Almeloveenio dissensi, numerando percensere, praesertim quum tot sint, ut nihil aliud illae nisi quaedam fere perpetua ab eo dissensio, esse videantur. Satis est duo quae universe dixi, commemorare, alterum (1): « recte illud fecit Almeloveenius, quod in hoc loco nihil in Celsi verbis mutavit: quod utinam in pluribus aliis facere; quamvis ipso praeeunte Lindenio; noluisset: « *alterum* (2) »: ex innumeris prope locis quorum incertam scripturam commemorare poterat Almeloveenius, hos paucos habe ». Quod si fecisset; longe facilius mihi tunc fuisset, et nunc esset quas mutationes haud probarem, et quas tamen vicissim probarem, invenire.

Scripsi enim alias id quod superioribus etiam Litteris confirmavi, loca esse in eius editione quae bene ac sapienter mutata sint. Nunc, exempli causa, pauca alia proferam ex uno dumtaxat capite libri 8. Locus est cap. 1. de latis scapularum ossibus, quae, ut in meis omnibus edi-

(1) *Epist. I. p.* 328, 1. (2) *Ib. p.* 323, 5.

tionibus (Lindenianam semper excipio, quam est sequutus Almeloveenius) summo consensu legebatur, ab Romanis *scoptula operta* nominabantur: idque nomen, hujus unius loci auctoritate in latina Lexica invectum fuerat. Sed Casaubonus, ut in Scholiis habes ad hunc locum, aperte admonuerat, *istam lectionem procul dubio mendosam esse, quum nunquam alibi haec vox* scoptulum *reperiatur*. Vocem autem *scutulum* apud idoneos Auctores inveniri, quum vel ex Lexicis ipsis constet, quumque duo ista ossa et forma sic satis, et officio, scapulas videlicet protegendi, referant parva scuta sub tegumentis, et musculis quibusdam quasi latentia; Lindenius tum rationem quidem certe, tum optimos, quibus non carebat, calamo exaratos libros, ut opinor, sequutus, *scutula operta* reposuit. Atque ut intelligas, me non temere sic opinari; in Forolivieusi codice *scutula* inveni; ille autem Venetus, quem apud Clericos Regulares nosti a me olim inspectum esse, etsi minus antiqua manu scriptum nunc habet *scoptula*, sic tamen habet, ut mihi quidem visus sit olim *scutula* habuisse. A qua voce num quondam ortam vulgarem illam quam memorat Paawius (1), horum ossium appellationem censebimus, *scutorum cordis*, quippe vitalia a tergo munientium? Recte quoque Paawius (2), et ante ipsum Constantinus (3) admonuerat, quum aliae editiones habeant *in sinus*, aliae *in sinu*, legendum esse *in sinum* eo loco primi hujus capitis quem propterea sic edidit Lindenius, *ex manu duo exigui processus in sinum radii coniiciuntur*. Neque enim radius, quod probe scis, nisi unum habet sinum quo carpi quidem ossicula duo excipiat. Nemine autem; quod sciam; nisi evidentissima ratione, et optimo fortasse codice, praeeunte, egregie rescripta a Lindenio sunt in eodem capite verba haec: « alterum os ab exteriore parte surae positum est: quod ipsum quoque sura recte nominatur »; quum editiones omnes, quotquot consului, sic proponerent: *quod ipsum quoque supra*, falsa omnino scriptura et inepta; nam neque supra, hujus ossis nomen positum fuerat, nec *recte* a se positum Celsus ipse dixisset; noxia praeterea et nostrae anatomicae, et Latinae linguae. Ob hoc enim praesertim mendum Lexica, quae ad hoc tempus inspexi, fere omnia carent hoc surae significatu, quo surae os, fibulam dictum, ipsum quoque recte a Latinis suram nominatum fuisse, constat. Constat, inquam: neque enim illa vox *quoque*, eo loco a Celso posita, aliud posse ibi reponi, quam *sura*, ostendit, una litterula quae temere irrepserat, detracta. Confirmat haec locus alter, minus, ut videtur, animadversus, atque perpensus, libro eodem, cap. 11. recedit *in brachio, radius a cubito; et in crure, tibia a sura*.

Vides, ut uno in capite mutationes tres adnotaverim, quae non possint, ut opinor, facile reprehendi. Erunt, praeter eas quas scio, aliae quoque ejusdemmodi et in eo capite, et in caeteris, siquis inquirat: id quod mihi in praesentia faciendum non putavi, ne forte praeter modum viderer addictus iis, quibus potius quae in tam longo, tamque difficili opere humanitus exciderunt, ea mihi quum alias, tum modo praesertim adnotanda hic illinc suscepi, modeste tamen, ut hominem decet suae conscium tenuitatis, nec aliud, nisi veri studium, et adolescentum utilitatem, spe-

(1) *Comm. in hoc Celsi caput.* (2) *Ibid.* (3) *in libri ora ad hunc loc.*

ctantem. Itaque ut magis appareat', et quo animo ad id aggrediar, nec vana dixisse paulo ante; dabis veniam, ut unam aliam eorum mutationum adjiciam, in qua simul pro merito possim laudare, simul gradum facere ad caetera quae dixi, adnotanda. Est ea mutatio initio ipso unius ex proximis ejusdem libri octavi capitibus, videlicet quarti: « Igitur, ubi calvaria percussa, protinus requirendum est, num bilem is homo vomuerit; num oculi etc. » Hic non modo antea legebatur, *ubi calvaria pertusa*: sed quum essent nonnulli qui legerent *percussa*; Paawius (1) extiterat qui repugnaret propterea quia ista de quibus Celsus quaerendum esse, dicit, non possunt de ejus sententia, ut proxima ostendunt verba, nisi osse fracto, evenire. Sed non attendit Paawius quae paulo inferius subjiciuntur: *At si nihil horum sequutum est, et jam potest dubitari, an os fractum sit etc.* quae, si pertusam posuisset esse calvariam, non erat Celsus additurus. Quod quum perpenderet, ut opinor, Lindenius, sciretque, admonente Constantino (2), haud deesse codicem qui doceret, legendum esse *percussa*; hanc vocem; siquid ego judico; sapienter reposuit. Almeloveenius autem vel sapientius fecit, qui non solum eandem vocem accepit, sed insuper lectores monuit, cunctas editiones habere *pertusa*. Hoc vero illud est quod ad mutationes omnes, multoque magis ad eas potuisse facere oportuisset, in quibus loci scriptura sic varia esset, ut alii aliter, non improbabili ratione adducti, conjicere possent esse legendum.

Namque; ut ab levioribus incipiamus; suboffendi aliquis fortasse potest, quum apud Celsum legit libro 4. cap. 8. aut lib. 3. cap 21. *In initio*, aut *In sequentibus diebus*; quae operarum incuria excidisse, crederem, nisi utrumque in Lindenii quoque editione esset, hoc vero ad eundem modum etiam postea scriptum viderem capite 23. Si igitur haec non inconsulto sunt facta; admonendus tamen erat lector, in plurimis editionibus scribi *Insequentibus*, in omnibus autem, et in codicibus, quantum mihi licuit videre, *Initio*. Multoque erat magis admonendus, tametsi illa Empiricorum verba in Praefatione sic edantur: « Ob haec, ne mortuorum quidem lacerationem necessariam esse. Quae etsi non crudelis, tamen foeda sit, quum aliter pleraque in mortuis se habeant, etc. » non deesse tamen editiones in quibus ita istud membrum legitur; *quae etsi non crudelis, tamen foeda sit*; ut inter praecedentia, et insequentia interjici, non cum his ultimis conjungi, statim ab omnibus intelligatur Potest etiam non planissima alioquin, utrolibet legatur modo, ibi magis obscurari sententia injecto verbo alius apud alios significationis, *dimoveat*, ubi Celsus lib. I. cap. 5. eum qui gravedini sit opportunus, vitare hanc posse, ad eum modum docens inducitur, *si caput in sole protegit, ne incendatur, neve subitum ex repentino nubilo frigus dimoveat.* Hic autem et membraneus codex, et omnes quae apud me sunt, editiones maximo consensu habent *id moveat.* Etsi vero eodem capite paulo superius codex, et editiones inter se non consentiunt; et ille tamen, et hae discrepant ab eo quod edidit Almeloveenius, *post cibum aut contentio, aut fatigatio animi.* In codice enim est *agitatio animi*; in editionibus *cogitatio animi*. Quae si indicata essent; credo, non defuturum fuisse qui codicem sequi mallet.

(1) *Comm. in hunc loc.* (2) *in ora ad hunc loc.*

In duobus autem quos continuo proferam, locis si idem factum esset; tanto magis futurum fuisse qui ab Almeloveenii exemplari discederet, certo scio. Est uterque locus libro 8. Alter cap. 7. « nisi duae partes ejus temporis, intra quod quaeque ossa conferveut, transierint. «Alter cap 10» nonnumquam autem recte quidem ossa conferbuerunt, superincrevit vero nimius callus». Igitur quum ad primum ego III. ad te Epistola (1) adnotassem, in duobus codicibus pro *conferveni* legi *conservantur*, in editionibus autem meis omnibus *conseruntur*; sexto fere post anno extitit Schulzius (2), qui actum agens, et vel quandam meam typographorum Constantini emendationem tacitus describens, eo transivit, ut Lindenium acriter damnarct, quod non retinuerit, *conseruntur*, quo in verbo *veteres in universum omnes consensissent*, et quo Celsus *sensu non dissimili* usus esset, quum de artubus lib. 4. cap. 22. haec scripsit : *articulis inter se conseruntur.* Ad me non attinet, cui hic nec seritur, nec metitur, illud excutere, an revera omnes veteres in eo verbo consenserint, quando duo, quos inspexi, codices non ita consentiebant, neque an sicuti ossa in artubus, recte dixit Celsus, inter se articulis conseri, nimirum mutuo se excipientia, et subeuntia, sic non minus recte potuerit dicere, ea conseri, quum fracta, quodam interjecto quasi glutine, cohaerent. Si id agerem; quaerere possem, ubinam Celsus, ut hoc significaret, eo verbo usus sit? quum glutinari quidem, coire, et praesertim confervere tunc ossa, dixerit. Quin, ut idem quod proposito loco scripserat, rursus capite 10. enunciaret; haec, si codices, et editiones, velut tibi eadem III. Epistola (3) exposui, inspiciamus, haec, inquam, habuit verba, *donec duae partes ejus temporis, quod quoque os, vel quod os quoque conservet, compleantur.* Quae quidem verba si egregie praemonente Constantino, et Schulzio ipso (4) confitente, si egregie, inquam, sic a Lindenio intellecta atque edita sunt, ut nunc legamus *quo os quodque confervet*; quaerere, si viveret, Lindenius posset, collato hoc loco cum superiore, cur si ubi codices habebant *conservet*, recte edidit *confervet*, cur, inquam, ubi habebant *conservantur,* non laude, non excusatione, sed contumelia dignus sit, quod ad eundem modum emendaverit? Sed Lindenium tueri in praesentia, ut dixi, ad me non attinet, qui illud exemplis ostendendum susceperim, quam praestitisset, ut quidquid mutaret, de eo lectores admoneret, quo facilius quisque posset quam lectionem mallet, eam sequi. Itaque non improbo omnino dissensum Schulzii, multoque minus ejus laudabilem voluntatem id illustrandi quod a Celso bis dictum retuli de expectando donec *duae partes* transeant ejus temporis quo os quodque confervet. Quaeri enim posse, duas quintas, an septimas, paucis, quotas voluerit partes? Si igitur est qui duas tertias significari, non intelligat; huic ex Hippocraticis monumentis (5) locum exhibet unde id colligat: qui locus ab Almeloveenio indicari potuisset. Libens quoque laudo; ut alia quae infra memorabo, praeteream; lectionem quam scite excogitavit alterius supra descripti, loci, in quo apud Almeloveenium legitur *ossa conferbuerunt*, nulla adnotata ex editionibus, et codicibus varietate. Schulzius autem quum in suis sex editionibus, ad quas meas adde reliquas, et mem-

(1) p. 344, 16. (2) *Exercit. de Ossib. Confervent.* § 1. et 2. (3) p. 344, 18.
(4) *Exerc. cit.* §. 3. (5) *l. de Fract.* n. 6.

braneum codicem, animadvertisset, scriptum esse *coeperunt*; ex hoc manifeste vitiato hic verbo effici posse, censuit, *coierunt*, verbum a Celso pro *conferbuerunt*, si alios eius attendamus locos, hic verisimiliter usurpatum. *Conferbuerunt* autem non ideo rejicit, quod huc non conveniat; neque enim ignorat, scripsisse Celsum superiore pagina *ossa non conferbuerunt*, *et inter se ossa confervere*: imo ob hoc ipsum rejicit; non est enim, inquit, ab elegantia Celsi expectandum, ut unam eandemque loquendi formulam *tam exiguo intervallo, toties repetat*. Mallem, suam nobis lectionem probasset ex levi scripturae dissimilitudine inter *coeperunt* et *coierunt*, quam ex accuratiori isto formulas variandi studio: quod saepe a Celso, ut magnum decebat, et perspicuitatis amantem Scriptorem, neglectum est: minorque, Schulzium, quum exempla illa e decimo ipso capite mox proferret, *os coire*, et *cum caeteris coeant*, non attendisse, quatuor, nec notos, versiculos esse inter utrumque interjectos, quum sexdecim, et quatuordecim intercedant in exiguo illo, ut ipsi visum est, intervallo: ut sileam, quum Celsus dixisset de ossibus quae interdum non recte *inter se confervent*, maxime proprium videri posse, ut eodem usus verbo, haec illis opponeret: *nonnunquam autem recte quidem ossa conferbuerunt*.

Utcunque id est; optandum fuerat, ut qua felicitate et perspicuitate Schulzius ex *coeperunt* fecit *coierunt*, eadem ex *contactum*, quod in cunctis quibus tunc utebar, editionibus, sive ex *contractum*, quod in codicibus legi, Ill. ad te Epistola (1) adnotaveram, elicere potuisset vocem aliquam, Celso usitatam, et ad propositum facientem, quam in perdifficilem aliquin locum reciperemus. Ipse autem *confrutum* nobis excogitavit. Intelligis, me de iis verbis dicere quae, conjectura adductus, quod tunc ostendi, Roberti Constantini, sic in Praefatione edidit Almeloveenius, *duritiem*, *mollitiem*, *loevorem*, *confructum: processus deinde singulorum et recessus*, videlicet humanorum viscerum secundum naturam se habentium. Igitur ut Schulzio (2) demus, quae fortasse non omnes continuo darent, sicuti a deferveo *defrutum*, ita a conferveo potuisse fieri *confrutum*: deinde ex iis quae, ut erat doctissimus, e compluribus Graecis Scriptoribus operose congessit, illa effici quae ipsi visa sunt, et huc redeunt tandem, ut Latini *confervere* dixerint non de ossibus modo, sed *de quavis parte solida*, *quae appulsu fluidarum augetur, vel nutritur* propterea quod cum ea quoque *succus nutritius conferveat*; ut haec, inquam, omnia demus; non tamen idcirco *omnino*, ut ipse, *persuasum* habebimus, hic a Celso *confrutum* fuisse scriptum: quae vox neque apud ullum alium extat, quod sciamus, Latinum Scriptorem, nedum apud Celsum usquam, neque eo in loco intelligitur quomodo ad rem faceret. Loquitur enim Celsus; quod Schulzius (3) agnoscit; *non de praeternaturali statu, sed maxime naturali*: in hoc autem quid sit istud *confrutum*, peculiariter, ut caetera illa, ab Anatomicis adnotandum, neque ipse declarat, nec ego assequor. Nam si est bona bene nutritorum viscerum habitudo; satis illa ex *colore*, *magnitudine*, aliisque ibi a Celso enumeratis cognoscitur; ut praeteream quod aliis visum est, eo in loco vocem desiderari quae non minus ipsa *laevori*, quam *mollitiei duritiei*, et *recessus processibus*, opponatur: quamquam in nostris, quae re-

(1) p. 338, 44. et p. 339, 9. (2) Exerc. cit. §. 10. et seqq. (3) §. 24.

cte se habeant, interioribus non facile video quid asperi obvium sit, ubi eam partem quae in thorace est, excipias arteriae illius quae propterea aspera nominatur.

Verum ut hic locus ob vitiatum fortasse in codicibus verbum (1), ansam praebuit doctis hominibus aliquid audendi, et inusitatas voces excogitandi; si alii in quibus nihil, quod sciam, vitii fuerat, cur Lindenio dederint mutandi occasionem, dicere non possim qui ejus codices non inspexerim: illud possum, multo minus locos istos alios, nisi variantibus lectionibus indicatis, fuisse mutandos. Libro 8. cap. 4. ubi verba fiunt de asperitate quae in percussa calvaria specillo occurrit, dubitante Chirurgo, a suturis, an a fracto osse illa sit, in meis omnibus editionibus et membraneo ipso codice legebatur *os aperire tutissimum est*. Ibi Lindenius, quasi veritus ne hoc quod de nudando osse dicitur, acciperetur, ut Paawius (2) faccre inceperat, de terebrando, sic mutavit, *os deoperire*. Idem profecto mox voluerat Celsus, quum, aliquando post vehementiorem ictum, scripsit, *quamvis specillo nihil invenitur, tamen aperire commodius est. At si ne tum quidem rima manifesta est etc.* Hic vero nihil mutavit Lindenius. Quod si primo etiam loco fecisset; in Lexica receptum non esset verbum *deoperio*, ex hac quidem Celsi, si modo Celsi est, auctoritate. Sed illud, si non aeque prisca, aliqua tamen tuetur auctoritas. Vox autem *carpus* ita producitur, ut quae neminem praeter Celsum auctorem habeat, qui lib. 3. cap. 6. scripserit, *ejus carpo manum admovere* Non facile autem illam producturum fuisse, credo, qui et codicem, et editiones meas omnes habere, sciret, non *carpo*, ut Lindeniana, sed *corpori*, et Constantini esse explicationem, non lectionem, quod in ejus libri ora adjectum est *carpo*: *aut thoraci*. Sane Celsus non carpum, sed primam palmae partem dixit lib. 8. c. 1. *In manu vero prima palmae pars ex multis minutisque ossibus constat*: qui locus illud quoque docet, non *manum* dumtaxat *explicatam aut dilatatam*, ut tradi video, *palmae* vocabulo significari. Etsi vero pro latina voce *corpori* non latinam *carpo* substitui, plerique difficilius patientur; non tamen facillime sinent, in latinae locum reponi alteram, quamvis latinam, et a Celso ipso alibi in usum vocatam, praesertim si illa quae extruditur, ejusmodi sit, ut, nisi caveamus, ejus interire paulatim memoria queat. Urinae in mulieribus iter Celsus, quod dixerat lib. 4. cap 1. virili esse *brevius et plenius*, id est minus angustum, ut libro 7. cap. 26. simul esse *rectius*, addit, sic eadem usus diligentia, ne Chirurgi ad lotium manu emoliendum fistulam in illud demissuri, aliquando, ut nostra aetate etiam contigit, turpiter decipiantur, docet non solum ubi semper, sed insuper quem saepe in modum se ostendat illius finis, *Mammulae simile*, inquit, *inter imas oras super naturale positum est*. Et sic quidem codex, et editiones omnes habent quae apud me sunt. Almeloveeniana autem habet *carunculae simile*, eadem certe sententia, et voce non minus latina. Sed vox *mammula* rursus in periculum adducitur, ne quemadmodum in Varronis libris (3) expuncta fuerat, ni Viri doctissimi ex codicibus antiquis restituissent, ita libris etiam Celsi elimineutr. Eodem quoque in eadem editione sen-

(1) *de quo tamen vid. Epist. VIII. infra medium.* (2) *Comm. in hunc loc.*
(3) *de Re Rust. l. 2. c. 3.*

tentia redit lib. 8. cap. 10. ubi postquam traditum est, in suppuratione eo dimittendum esse ferrum *qua parte maxime tumebit locus*, haec adduntur: « Si nusquam tumor se ostendit; ubi maxime pus subsit, sic intelligemus etc. » Qui tamen noverint, in omnibus meis editionibus, et codice quoque sic legi: *Si nusquam caput se ostendit*, iidem fortasse hoc malent, praesertim si sciant, ad Plinium (1) docentem, quae furunculos discutiant, *priusquam capita faciant*, sive, ut alibi (2) loquitur, *si nondum caput fecerint*, adnotasse Dalechampium (3), videlicet *si nondum in acutum fastigium sublati fuerint, si nondum in acuminatum verticem exluberaverint*. Ex qua capitis apud Latinos significatione illa orta apud nostrates videtur consuetudo, ut tumores quibus id accidit, ipsi dicant *venire a capo*. Celsus eodem intellectu alibi (4) scripsit: suppurationes *in exteriorem partem feruntur, et acuuntur*.

Plinii facta mentio cujusdam me admonet; quem ipse laudavit (5), loci Cornelii nostri. Is est lib. 2. cap. 33. *herba muralis (parthenium vel perdicium appellant.)* Quae sic, ut Almeloveenius, Editores, qui apud me sunt, caeteri proposuere, uno excepto, Viro apprime docto, Joanne Ruellio. Hic enim Celsi libros, ab se emendatos, typographo dedit qui Parisiis A. 1529. vulgavit simul cum Scribonio, ut gratus in litteris fatetur, huic praepositis, ad ipsum Ruellius scriptis. Ruellius igitur ista herbae muralis nomina quae Almeloveenius inter uncos inclusit, non latinis, sed graecis et litteris, et terminatione excudenda curavit. Quod quum judicio adductum suo, tum libris calamo exaratis, quibus abundasse legi, in primis permotum, fecisse, puto, quando ego quoque in membraneo codice non aliter scripta ea nomina animadverti. Accedit ipsius Celsi duplex in eodem capite exemplum, qui latinis herbae sanguinalis, et solani vocabulis cum graecis litteris alia quae apud Graecos in usu erant, adjecerit; non apparet, cur in herba murali idem facere non debuerit, praesertim quum alibi quoque eandem servaverit consuetudinem, ut capite 25; ne alia quaeram exempla; libri 5. in *herba solari*, servaturus quoque, ut opinor, libro 6. cap. 10. in *radice ea, quam dulcem appellant*, nisi ut erat unicuique longe notissima, minime opus fuisset graeco etiam nomine, praesertim quod ipsa significationis vi nihil discreparet a latino, designare; quapropter ex verbis illis apud Scribonium (6): *glycyrrhizae succi (est autem radix dulcis)* quatuor haec ultima ideo neglexisse Marcellum, quod *glossa esset*, Rhodius (7) non dubitat; *neque enim res adeo facilis*, inquit, *interpretationem postulabat*. Si igitur graece hic illa nomina adscripsit Celsus; viderint, quo jure faciant qui *parthenium et perdicium* inter latinas voces referunt ex Celsi quidem auctoritate, quum interea *herbam muralem, et solarem, et radicem dulcem* ejusdem, ut possent, exemplis non confirment. Id viderint pariter qui hunc locum ita ediderunt, uti descripsimus: nam praeter graecas litteras, et terminationem, vox *Graeci*, quae in proximis exemplis non omittitur, desideratur. Sed altera ex parte objici potest is quem indicavi, Plinianus de Celso locus. *Parthenium, alii leucanthen, alii amaracum vocant. Celsus apud nos, perdicium et muralium*. Non est, mi Vulpi,

(1) *Nat. Hist. l. 22. c. ult.* (2) *Ibid. l. 26. c. 12.* (3) *ad cap. 12. cit.*
(4) *l. 2. c. 8. p. 41, 16.* (5) *Hist. cit. l. 21. c. 30.* (6) *Compos. Med. 86.*
(7) *Not. ad cit. Compos.*

tempus ut hinc ad Rem Herbariam divertam, neque ut, Plinii verba emendare conatus, actum fortasse agam Sed quantum ex Dalechampii editione, qua melior, quum hanc Epistolam scriberem, non erat in manibus, et ex iis quae in ejusdem margine adscripta huc sunt, ego quidem possum conjicere; Plinius potius est ex Celso, quam Celsus ex Plinio, emendandus: apud quem alibi quoque (1) quum alter ex hoc Celsi capite profertur locus, *strichnon* latinis litteris descriptum video, quam vocem Celsi Editores, nisi siqui forte graecis carebant typis, graecis litteris scripsere. Quod si ad Plinium, quotiescunque aliquid ex Celso; quod non saepius tamen facit; nominatim producit, hujus adnotata fuissent verba ex iis videlicet qui extant, libris; interciderunt enim qui ad Rem Rusticam attinebant, ad quos videntur referenda quae producta sunt lib. 10. cap. 53, aut si ad Celsum indicata semper essent loca quibus ejus sententia a Plinio laudatur; fortasse alter ad alterius scripturam meliorem reddendam opis aliquid afferre potuisset.

Verum ad Almeloveenium ut redeam, vel potius redire videar; neque enim reapse digressus sum, quum haec attigi quae de vocibus aliter ab Ruellio, aut apud Plinium scriptis, ad Celsum poterat adnotare; debebat certe de mutato primo verbo capitis 1. lib. 7. lectores admonere. Legebant ibi ante Lindenium omnes quos inspeximus, *Luxata*: quam vocem, ut accipi quidem solet, res ipsa evidenter respuit; agitur enim de sugillatis, et contusis: tum Celsus, an quod vetustatem olere crederet? Catoni, ejusque antiquorum verborum studioso Crispo Sallustio et *luxatum* et *luxum* reliquit: et quanquam ii qui mox scripserunt, *luxare*, et *luxatum* rursus in usu revocaverint; ipse tamen fugit studio tanto, ut libro 8. non modo initio capitis 2. sed et capite 11. et quatuordecim quae sequuntur, quum de luxatis ossibus semper ageret, nunquam hoc verbo, sed aliis, et pluribus potius, ne eo uteretur, usus sit. Nam *de loco*, aut *sedibus suis moveri, excidere, elabi, prolabi, loco suo non esse, expelli, propelli, procidere, delabi, incidere, recedere, promoveri, labi, prorumpere, prodire* ossa, dixit, et pleraque horum verborum repetere etiam saepe maluit, idque exiguo intervallo, quam semel, ossa luxari, scribere; ut nisi aliae essent quae alias (2) proferentur, haec una animadversio satis ostenderet, non esse a Celso inscriptiones istorum capitum *De Ossibus luxatis*: *De Maxilla luxata*, et caeteras ejusdemmodi. Recte igitur videtur fecisse Lindenius, quod primum illud sustulit verbum *Luxata*: fortasse etiam hoc recte, quod pro illo rescripsit *Vexata*, non modo quia levissima mutatione, sed et quia Constantino, imo quodam Constantini codice non dissentiente, id fecit Ille enim huc adscripserat: *contusa scriptum inveni: itemque vexata, quod plane non displicet, si pro contusis sumatur, ut apud Gell.* Hic vero loco quodam suarum *Noctium* (3), quem hic designari puto, sic habet: *qui fertur, et raptatur, atque huc, atque illuc distrahitur, is vexari proprie dicitur.* Verum hinc sequitur, vexationem posse quidem esse sugillationis causam; non ipsam tamen esse sugillationem. Nec quidquam de suo, quo hic uteremur, Macrobius (4) addidit, quum haec, atque alia ex Gellio innominato descripsit. Celso aequalis Auctor, Scribonius (5) rem magis illustrasset, si quos *ex ictu, casu, — contusione*

(1) *l.* 27. *c.* 13. (2) *Epist. VII §. Sed ut plenius.* (3) *l.* 2. *c.* 6. (4) *Saturn. l.* 6. *c.* 7. (5) *Compos. Med.* 101.

dolentes memorat, *nec minus arbore alta delapsos, vel scalis devolutos, excussos a rheda vel curriculo, atque ita tractos*, non illos *manifesta causa vexatos*, sed simpliciter *vexatos* dixisset, neque aliis *ex occulta causa laborantibus* opposuisset. Celsus autem ipse, qui sugillationem lib. 5. cap. 18. sic designaverat, *si facie contusa, livor suberuentus est*, capite autem 23. *collisa corpora vel per ictus, vel ubi ex alto deciderunt*, memoraverat, et cap. 26., nec semel, eadem significatione *collisum* scripserat, aut *collisa*, et lib. 2. c. 10. *si ex superiore parte aliquis decidit, si contusus est*, etc. cur non hic *Contusa*, aut *Collisa* dixit; sed *Vexata* ? Ob has igitur, atque alias quae in aliquorum animis insidere possent, dubitationes, ut si forte *luxata* hic crederent Celso aliud, quam apud alios soleat, significare, tum etiam ne priusquam optimi non unius codicis auctoritate res, quae ratione non posset, confirmaretur, alii essent qui *vexata* pro contusis accipi jam posse, Celso auctore, non dubitarent; ob haec, inquam, omnia quid antea scriptum esset, non videbatur reticendum. Sic etiam admonendi erant lectores, apud omnes, quantum nos quidem vidimus, lib. 4. cap. 2. pro *capillitio* legi *capillo*, aut sicut in Codice a Constantino inspecto, *capillis*; quum tamen noster codex *capillo* habeat; in iis verbis, *sub quo nomine*, capitis, *nunc significo eam partem, quae capillitio legitur*; ne ad unum quod ex Apulejo (1) proferri video, exemplum insuper Celsi addi posse, pro certo existimaretur. Sic et inferius illos omnes habere, non *spongiam concavam, subinde aqua frigida expressam*, sed *in aqua frigida expressam*, idque melius aliquando; nam verius fortasse fuit *ex aqua*; sic enim cap. 24. *spongia imposita, quae subinde ex oleo, vel aceto, vel aqua frigida exprimitur*: libro autem 6. cap. 6. non *tanto finis minus expeditior est*, sed *minus expeditus est*: et sane comparativo aliquando *magis* adjunctum legi; *minus* nec legisse memini, nec, si rationem attendas, potui. Utrobique autem codex cum editionibus consentit. Denique in eo loco libri 7. cap. 19. *Neque tamen nimium ex ea* tunica *rursum relinquendum est*; indicandum erat, editum fuisse ab illis omnibus id quod in codice, *sursum relinquendum est*. Nam etsi quae proxime praecedunt. *Sed non a summa inguinis plaga, verum infra paululum ea abscindenda*, utrumlibet legere permittunt, placetque ibi *rursum* dici pro e *contrario*; decebat tamen, non ignorari, Celsum fortasse ipsum quoque ita *sursum* posuisse, ut motum non significaret locum versum.

Quin etiam ubi non tanti referebat, quid antea legeretur commemorare, minime id erat praetermittendum, ut libro modo citato 7. cap. 13. in his verbis, *Medio tumor una linea inciditur*, scriptum fuisse in meis omnibus libris (quibus et codicem addes) *Medio tumore*, Pinziano excepto, cujus lectionem *tumor* qui in margine adnotarunt Constantinus, et Roussens, recte quidem fecerunt quippe quum Celsus alibi, ut puta libri hujus cap. 2. scripserit, *majores sinus — duabus aut tribus lineis incidendi sunt;* sed idem tamen cap. 9. etiam scripsit, *ab interioribus ejus angulis lineas transversas incidere* : Ut cap. 3 quum laudantur, puris jam redditis ulceribus, *cibi potionesque corpori faciendo aptae*, hanc utique lectionem dignam esse quae hic probetur, ubi de carne producenda agitur; nec ta-

(1) *Metam. l. 2.*

meu extra librorum marginem, quos duo iidem Viri procurarunt, usquam extare, quod sciam; sed pro ea fuisse *corpori reficiendo*: Ut in Praefatione ad librum eundem hunc 7. ea verba: *sed* Chirurgus *perinde faciet omnia, ac si nullus ex vagitibus alterius affectus oriretur*; apud omnes, si Caesarium, et Pantinum excipias, sic legi, *perinde faciat*: et sane his nullo alio interposito verbo, ea praeponuntur, « non ut clamore *aegri* motus, vel magis, quam res desiderat, properet, vel minus, quam necesse est, secet: » Ut lib. 6. cap. 6. ubi nunc scriptum vides, *alvum duci, longioremque inediam induci, necessarium est,* fuisse olim scriptum in meis editionibus cunctis id quod in codice, vel aurium ipsarum judicio, melius, *inediam indici*: Ut lib. 4. cap. 4. pro illis *caput leniter dolet*, quae Pinzius quoque, et Junta, et Caesarius habent, reliquos, ut codex, habere *leviter*, quemadmodum et Celsus alibi apud Almeloveenium ipsum loquitur lib. 8. cap. 9. *is locus leviter indolescit*: Denique ut lib. 3. c. 27. ubi editum nunc est, *quicquid est puris, exeat,* in illis omnibus exemplaribus pro *exeat* fuisse *excedat*, si unum Caesarii demas, in quo erat *excidat*, errore fortasse operarum, facili, nec hic quidem sententiam mutante, ut contra nonnullis aliis locis animadverti, velut extremo capite 9. libri 8. Ubi enim legitur, *si quid ex vertebra excidit, aut aliquo modo fractum est,* quasi ibi ageretur etiam de Spinae luxatione, quum de fractura solum agatur; ibi codex, et Pinzii, Juntae, et Manutiorum ambae editiones sic habent, *si id quod ex vertebra excedit, aliquo modo fractum est*; in caeteris est *excidit*, in quarum aliquibus, ut Constantini, et Roussei, deest *quod*, tametsi ex libri ora constet, in veteri codice non defuisse. Itaque mutato *excedit* in *excidit*, inepta primum sententia, deinde haud intelligibilis facta est: quae res Lindenium coegit, ut pro *id quod* ederet *quid*, et particulam *aut* adjiceret; sic autem rursus quidem intelligibilem sententiam reddidit, sed ab Auctoris mente, nisi ego fallor, plurimum discrepantem. Hoc enim voluisse Celsum, arbitror, si aliquo modo fractus est vertebrae alicujus processus, is videlicet qui magis est injuriis expositus, nimirum posterior. Processum autem ut designaret, hic dixit *id quod ex vertebra excedit*, quemadmodum ultimo hujus libri capite dixit *quod excedit*, ut significaret nudi ossis eminentem partem, primo autem capite os calcis *quadam parte sinuari, quadam excessus*, id est processus, *habere*: quae hoc libentius adnotavi, quia isto modo, et significatione in Lexicis non inveni.

Jam vero in eodem primo capite libri 8. quaedam juvat animadvertere. Et primum ubi nunc legis, *Sed ea foramina, quae a summis ad intimas nares simplicia sunt*, magno antea probandoque consensu legi consueverat, *a summis ad imas*. Illa autem multo inferius, *Ima vero spina in coxarum osse desinit*, optime fortasse, ex conjectura Constantini, edita sunt, quum scriptum sit *desidit* in cunctis editionibus, si Manutiorum utramque excipias, quae, et membraneus codex habent *discedit*. Constantinus tamen sic adnotaverat *desidet* vel *desinit*, minus a codice recedens in *desidet*: quanquam illa vox *discedit*, vel potius *desidit*; si quod supra dixerat Celsus, *parum desidentes simus*, attendamus; indicare videntur aliquid de Sacri ossis concavitate, in qua, hactenus extuberans, spina repente subsidit. Cujus omissionem ossis minus in Celso notasset Paawius (1), si haec suspicatus

(1) *Comment. ad locum prox. super.*

esset, aut etiam si in descriptione ossis coxarum Sacrum quoque comprehendi, animadvertisset; ex dextero enim et sinistro unum, idque transversum os Celsus non faceret, si, ut pectinem, ita Sacrum etiam os excluderet. Superius vero ubi descripti sunt dentes, et recte puto ab Almeloveenio haec ferme omnia esse proposita: « utrinque fere maxillares quini sunt, praeterquam in iis, in quibus geminl, qui sero gigni solent, non increverunt », et recte simul quae Paawius maluerat, esse indicata: qui quum *quaterni*, ut omnes, legeret; mirum non est, si *non* in *iam* mutaret, haud mutandum amplius ex quo, antiqui apud Constantinum codicis auctoritate, ab Lindenio rescriptum est *quini*. Legebant practerea omnes *in quibus tres ultimi*, ubi penultimam voculam primus, quod sciam, expunxit Paawius, egregie quidem, re ipsa videlicet, ac membraneo, quod laudare solitus sum, exemplari consentientibus; in eo enim sic inveni, *quibus hi ultimi*: quum postremam, quae apud omnes est, vocem nescio cur mutaverit Lindenius. Ad dentes quoque ea pertinent, *cum toto osse quod superiores dentes excipit*. Sic enim Lindenius, Constantini editionem, et quod in margine alii habent, sequutus, edidit; nemine admonente, caeteros tamen habere *exigit*, quod in codice etiam video; et Celsum ipsum non uno loco, ut non multo infra, *ab utroque latere processus duos exigunt*, et mox, *deorsum versus processus exigunt*, et lib. 3. c. 28. *radices altius exigunt*, vim hujus verbi, non satis fortasse in Lexicis repraesentatam, expressisse: et quamvis ad hunc ultimum Celsi locum adnotet in Scholiis Almeloveenius, tribus exceptis Editoribus, alios maluisse ex codicibus *adigunt*, se vero ex Columellae consuetudine *agunt*, vel *exserunt*; tamen sic habeto, praeter illos tres, apud me septem alios esse Editores, qui *exigunt* retinuere, vix duobus in margine commemorantibus *adigunt*, Columellam (1) autem vites scripsisse et *materiam*, et *uvas duplices*, et *complures exigere*. Sed quaedam videtur nonnullorum esse quasi conjuratio de verbo isto *exigo* e Celsi libris exigendo Nam ecce tibi etiam Paawius, qui in eo quem primum de tribus prodnximus, loco pro *exigunt*, lego, inquit, *exserunt*, nullo, quem laudet, codice, nulla, quod sciam, editione assentiente. Sed nimirum quum alter altero in loco retineat *exigunt*; non satis apparet, cur in utroque non debeant retinere. Iam vero in iis quae continuo sequuntur, quidquid a Paawio, aut ab Lindenio mutatum est, videamus. Ea sunt: « Vertebrae, mediae perforatae, qua spinae medulla cerebro commissa descendit: latera quoque inter duos processus tennibus cavis pervia, per quae a membrana cerebri similes membranulae deducuntur ». Codex vero, omnesque editiones meae pro *latera quoque inter*, habent *circa quoque per*; pro *pervia* autem, quod sic mutavit Paawius, habent *perviae*. Sed; ut alia omittam; qui de particula *per* in alias, ut *inter*, aut, sicuti Constantinus, et Ronsseus in libri ora, *subter* mutanda cogitarunt, non videntur animadvertisse, quemadmodum, in cervice praesertim, per cavos a superiore facie processus meninges, et nervi exeant, ut neque, si hic ea particula mutanda sit, capite quoque 14. mutari oportere, ubi summo omnium, atque adeo ipsorum etiam consensu scriptum est, vertebras non posse excidere, « nisi et medulla, quae per medium, et duabus membranulis, quae per duos a lateribus processus ferun.

(1) *de Re Rust. l. 5. c. 6. et l. 3. c. 2. et 6.*

tur, et nervis qui continent, rupţis ». Interea juvat animadvertere, quum Celsus vincula, et tendines, ut solet, nervorum nomine hic designet, pro veris autem nervis nihil nisi membranas memoret, a cerebri videlicet membrana deducta; utroque loco cum iis facere videri qui his temporibus vim eorum quos nervos proprie appellamus, in horum meningibus, non in substantia ipsa nervea, agnoscunt, praesertim quum de oculo quoque verba faciens lib. 7. cap. 7. tunicas quidem scleroticam, et choroidem ajat « extenuatas et in unum coactas per foramen, quod inter ossa est, ad membranam cerebri pervenire, eique inhaerescere; » substantiam autem, quam convestiunt, nervi Optici, prorsus negligat. Sed ne esse nimius videar in exemplis, ad eam Facultatem quam profiteor, attinentibus; rursus ad alia quae alio pertineant, redeamus.

Utinam quod lib. 7. cap. 30. fecit Almeloveenius, id semper facere potuisset. Ibi enim quum sermo sit de podicis venis sanguinem fundentibus, etsi edidit *ut omnia vasa quasi capitula conspicua sint*; tamen quum monuerit, esse qui aliter legant, excitavit ad editiones alias, ipsosque codices inspiciendos. Quarum illae, exceptis Manutianis, in quibus est *omnes venae*, quum apud me habeant, non sine manifesto errore, *omnia vela*, codex autem *omnia vena*: proclive est attendenti, de iisdem venis scripsisse Celsum cap. 18. superioris libri *ora venarum tanquam capitulis quibusdam turgentia*; proclive est, inquam, in Constantini inclinare sententiam, qui pro *vela* adscripserat *venarum*, ut legatur *omnia venarum quasi capitula*. Sed eodem libro 7. cap. 26. ubi post signa calculi vesicae spinosi in cervicem delapsi, cum Lindenio edidit Almeloveenius, *neque adhibenda manus, nisi id consistit*, nec de varietate lectionis admonuit; quotus quisque erit qui suspicetur, in cunctis iisdem editionibus, Manutianis quoque, et praeterea in membraneo codice, et, quod probe memini, etiam in altero illo Veneto legi *nisi id constitit*: quam lectionem illud confirmat quod supra inculcatum fuerat, *ne curandum quidem, nisi cum hoc*, nempe calculum descendisse in cervicem, *indiciis suis cognitum est*. Quamvis autem infra ubi post sectionem praecipitur, ut siquis exiguus supersit calculus, potius relinquatur, haec subjiciuntur, quia « longa inquisitione vesica laeditur, excitatque inflammationes mortiferas; adeo ut quidam non secti, quum diu frustaque per digitos vesica esset agitata, decesserint: » quamvis, inquam, noster codex habeat *quidam non sequuti*; non reticendum tamen fuerat, editiones, quotquot apud me sunt, ad unam omnes negantem particulam haud habere; ut siqui mallent, id quod a primo postulare videtur locus, has sequi, possent. Multo autem minus id fuerat supra negligendum, quum haec proposita sunt. » Manus sinistra calculum compellit deorsum digitis, donec ad cervicem pervenitur, in quam, si oblongus est, sic compellendus est, ut ne pronus exeat: si planus, sic, ut transversus sit: si quadratus, ut duobus angulis sedeat: si altera parte plenior, sic, ut prius ea, qua tenuior sit, evadat ». Namque ut haec sint ad eorum normam quae in libri ora adscripserat Constantinus; tamen Constantinus ipse edidit, uti plerique, *sinistrae digiti deorsum eum compellunt*, uti omnes autem, *ut pronus exeat*: quae duo sic etiam in codice leguntur. Nec ratio quam attulit pro nova scriptura *ut ne pronus*, sic placere omnibus videtur posse; ut Lindenio placuit. « Jacens ovum oblongum pronum est, *inquit Constantinus*:

stans erectum. Pronus *calculus* minime, aut vix extrahi posset ». Imo ovi exemplum adversatur; neque enim per id foramen per quod jacens traduci potest, traduci poterit erectum: itaque Celsus ovi similem calculum, idest altera parte pleniorem, altera tenuiorem, non erectum, sed pronum educi, voluit, quum dari operam jussit, ut prius ea parte qua tenuior sit, evadat. In caeteris autem quae his interjecta descripsimus, num recte omnia interpretetur Constantinus, alii viderint; res enim sane digna est de qua quaeratur. Nos vero, quum in iis nihil prorsus a communi scriptura alienum animadvertamus; ad alios Celsi locos in quibus ea mutatio est, transimus.

Libri igitur octavi capite 10: ubi in ossia artuum fractura cui carnis quoque vulnus accesserit, fragmentum esse, docet, manu in suam sedem recondendum, « ac, si id manus facere non potest, vulsellam, quali fabri utuntur, injiciendam esse acutae ossis prominentis cuspidi, ab ea parte, qua sima est; ut ea parte,, qua gibba est, eminens os in suam sedem compellat »; admonendum omnino fuerat, pro *acutae ossis prominentis cuspidi,* quae nescio ex quo exemplari accepta sint, longe aliud alios legere consuevisse. Codex enim, et Pinziana, et Juntina editio ibi habent *recte se habendi capiti*, idest *habenti*, ut plerique postea ediderunt: nam aliqui *habenti capite*, unus Caesarius *habente capite* proposuerunt. Recte autem se habens caput, videtur hic extremum ossis, cujus ossis fragmentum prominet, firmum, et idoneum ad sustinendum vulsellae illius quasi vectem, significare: quale non fore, si in acutam desinat cuspidem, tum ratio docet, tum Hippocrates (1) in re non ita dissimili, his verbis confirmat: « Si vero superna ossis pars immutata fuerit, ac confracta, ut vecti adhibendo locus non sit commodus; sed acutum quid prominet; tunc osse scalpendo deraso, securam vecti sedem facere oportet ». Acutam autem cuspidem in fragmento quod reponi debet, intelligi hic non posse, ea quae modo scripserat Celsus, ostendunt, si fragmentum « acutum *est*, ante acumen ejus, si longius est, praecidendum; si brevius, limandum, et utrumque scalpro laevandum ». Libri quoque ejusdem caput 12. quod est de maxilla luxata, quum ad comprobandum, quanti referat, post ejus repositionem liquidiore cibo uti, sic desinat, *adeo ut sermo quoque frequens, motu oris temporum nervos laedat*; non tamen ad eundem modum verba haec in libris caeteris leguntur. Omnes enim, et codex pariter sic habent, *adeo ut sermo quoque frequenti motu oris per nervos laedat.* Quod qui sciat, is fortasse suspiceretur, minus haec eo pertinere quo indicavit Constantinus, quum ad marginem rescripsit *motu, oris nervos perlaedat*, non satis, ut videtur, animadvertens, num hoc verbum apud idoneos Scriptores legatur, aut qui sint oris nervi, aut denique num eorum laesionem hic praecipue spectare conveniat; minus, inquam, haec verba eo pertinere suspicetur, quam ne articuli maxillae, in suam sedem nuper repositae, quum quiete egeant, sermone laedantur, quippe maxilla, inter loquendum, pro vario oris motu per suorum identidem musculorum tendines cogitata. Sic fuisset suspicionibus aliis locus lib. 6. cap. 6. si, quum illa de lusciosis propos ita sunt, « inungi oportet sanguine jocinoris (maxime hircini;

(1) *l. de fractur. n.* 35.

sin minus caprini) ubi id assum coquitur, excepto; » indicatum simul esset, Manutios tamen pro *sanguine* scripsisse *humore*, plures autem, in quibus Caesarius, Constantinus, Rousseus, in libri ora edidisse alios *sanie*, alios *humore*, alios utrumque. Extitisset enim profecto aliquis, cui alterutra harum vocum magis, quam *sanguine*, placuisset, sicque Pantinum; a quo Celsus propterea arguitur, elusisset. Pantinus enim in sua ad hunc locum Adnotatione, quum Dioscoridem (1) produxisset, a quo adversus ejusmodi vitium *caprini iecoris assi* ἰχὼρ *commendatur*, et Plinium (2), *qui pro Dioscoridis ichore saniem vertit* (quasi Dioscoridem ante Plinium scripsisse, constaret) *Celsus* vero, inquit, *minus bene*, *sanguinem interpretatur*. Et mihi quidem Trallianum (3) quoque, ut Rousseus hic in Enarratione admonet, animadvertenti in eodem casu laudantem, si ex hircino jocinore, *dum assatur, ichora colligamus, et inde lumina perungamus*, venisset in mentem, ut ex *humore*, quod verbum in codice quoque inveni, *ichore* in Celso rescriberem, si vox *ichor* ut in Lexicis ex ejus lib. 5. cap. 26. sect. 20. producta est, sic ibi latinis, non graecis, litteris scripta haberetur.

Loci duo sunt libro 4. alter c. 9. alter 11. Ille ad hunc modum ab Almeloveenio proponitur: *oleae ex muria durae*; *lactucae intictae in aceto*. Omnia ex Lindenio sunt praeter illud *durae*. Ediderat enim *dura*, ut omnes, qui ex Rei Rusticae Scriptoribus probe scirent, quid esset muria dura. Itaque operarum inscitia id factum crederem; nisi certior fierem, in prima quoque Almeloveenii editione scriptum esse ad eundem modum. Sed et omnes, ut codex pariter, post *dura* habent *tinctae in aceto lactucae*: ut quamvis alibi scriptum esset *oleae albae ex dura muria*, *eaedem aceto intinctae*; tamen nihil mutandum, non monito lectore, fuisse videatur, praesertim quum Lindenius ipse lib. 8. cap. 1. in Celso retineat, *spongia subinde in aceto tincta*. Locus alter est: « Admovendumque naribus pulegium ex aceto, vel polenta vino aspersa, vel mentha, vel quod secundum naturam est ». Qui minime ignoret, in plerisque editionibus legi *vel mentha*, *si nondum matura est*, adscribente Constantino *nempe materia*, fortasse hoc malit. Qui vero animadvertat, non fuisse opus hoc addere, quum illa imperata sint, *si adhuc subcruda sunt*, *quae vomuntur*, simulque sciat, in codice, et in pervetusta Pinzii editione, et Juntae, et Manutiorum utraque scriptum esse, *vel menta secundum naturam est*, is fieri potest, ut dictum accipiat de mentha, ut per se est, non ut pulegium ex aceto, neque ut polenta vino aspersa. Ibi etiam ubi gestationum lenissima genera, et instrumenta proposuerat Celsus lib 2. cap. 15. dixeratque: *Si nihil horum est*, *suspendi lectus debet*, *et moveri*; quod auxilium erat libro proximo cap. 18 in phreneticis, capite autem 27. in iis qui resolutam haberent partem corporis, laudaturus; quum illa continuo adjiciuntur: « Si ne id quidem est, at certe uni pedi lecti fulcimentum subjiciendum est, atque ita lectus huc et illuc manu impellendus; ibi igitur si adnotatum esset, ab aliis scribi *uni pedi lecti funiculus subiiciendus est*, tanto consensu, ut neque in codice, neque in editionibus meis omnibus aliter legatur; aliquis fortasse scripturam hanc probare maluisset, tanquam magis post illa quae praecedere diximus, congruentem, ut quum suspensus omnibus pedibus haberi lectus non posset,

(1) *l.* 2 *c.* 39. (2) *l.* 28. *c.* 11. (3) *De singul. corp part. vitiis etc. l.* 1. *c.* 23.

at uno haberetur. Caeterum fulcimentum quoque, uni pedi subjectum, quum pariter praeter illum quem secundum lineam diagonalem habet oppositum, reliquos pedes suspensos servet; eundem praestare usum potest, praesertim si ejusmodi sit quale cunis supponitur ut manu huc et illuc agitentur. Quod ob lectorum *fulcra* illa *mobilia* dico quae ad eundem usum ab Antyllo, et Aetio memorata, ad hunc ipsum modum interpretatur Mercurialis meus (1): qui caetera gestationum similium genera apud priscos medicos usitata, omniumque utilitates explicans, hoc quo *uni pedi lecti funiculus subjiciebatur*, ait Vir eruditissimus, *primum (quod ipse sciat) inter Medicos Celsum monstravisse*. Libro etiam 4. cap. 4. quum in gravedinis, aut distillationis initio haec praecipiuntur, *Ambulatione tantum non acri, sed recta utendum est*, haud ab re fuisset monere, hactenus omnes scripsisse *tantum acri, sed tecta*, nisi quod Ruellius, et Stephanus *recta* ediderunt. Insuper Rubeus (2), cur acris, et tecta esse debeat, ostendit, et Celsi commemoravit loca, quibus aeris inaequalitate maxime ea ipsa concitari incommoda, docuit lib. 1. c. 2. et 5. Attamen eodem cap. 2. *melior*, universe dicitur *esse* ambulatio *sub divo*, *quum in porticu*, et *recta*, *quam flexuosa*, et cap. 4. quibus caput infirmum est, iis commendatur *multum ambulare*; *sed*, *si licet*, *neque sub tecto*, *neque in sole*. Nescio, an quidquam, saltem ejuscemodi, dici possit pro eo loco libri 1. cap. 3. *Si assidua oscitatio urget*; quum ibi nemo; quod sciam; id legerit, sed omnes *fatigatio*, quam vocem ut ea quae praecedunt, ac sequuntur, requirunt, sic Thriverius (3), et Pantinus (4) non nisi ea posita sententiam Celsi explicarunt. Nam quod lib. 2. cap 7. nunc editum est secus atque in iis quos vidi, omnibus, *Suppuratio vero pluribus modis excitatur*, *pro pluribus morbis*, quae lectio satis cum proximo utrinque Auctoris sermone congruit; tamen Constantinus in margine adscripsit, *legi* etiam *modis*. Et quamvis in iis verbis lib. 6. cap. 18. *Sive autem hoc modo* cutis (de praeputio sermo est) *victa erit*, *sive nunquam repugnaverit*, legendum potius *unquam* cum Pinzio, Junta, Caesario, Ruellio videatur propterea quod supra positum est, *reduci* eam cutem, *aut rursus induci non posse*; tamen de hoc amplius videndum est, cum reliqui, et codex habeant *nunquam*.

At tanto magis discrepant in loco altero ejusdem capitis: « Quod si ex ictu testiculus ali quidem desiit, fere quoque pus increscit »; ut minus oporteat mirari, editum esse ad hunc modum quo repugnantia dici videntur. In codice enim scriptum est, *si ex ictu alii desit*, in editionibus, *si ex ictu testiculis aliquid desit*; sed in horum aliis mox vocula desideratur *pus*, quae in aliis, et in codice est. Denique Constantinus, et qui hunc in libri oris plerunque sequitur, nusquam nominat, Rousseus novam lectionem, nec omnino contemnendam, adnotarunt, *si ex ictu testiculis aliquid haesit*, *fere quoque pus increscit*. Ad eosdem testiculos, tres attinent loci cap. 18. lib. 7. hic minime praetermittendi. Primus est: « testiculi simile quiddam glandulis habent, nam sanguinem non emittunt, et omni sensu carent: dolent autem in ictibus et inflammationibus tunicarum, quibus hi continentur ». Codex quidem, meique omnes libri pro *glandulis* habent *medullis*, cui le-

(1) *Art. Gymn. l. 3. c. 12. et l. 6. c. 11.* (2) *Annot. ad hunc loc.* (3) *Comment in hunc loc.* (4) *Ibid.*

ctioni plerique credent ista ipsa favere quae vidisti continuo sequi. At duo quos novissime laudavi, in margine adscripserunt *glandulis*, Galeno astipulantes: cujus etiam gratia Rubeus (1) hanc vocem mavult. Verum mox gravior est dubitatio: nam *si omni sensu carent* testiculi; quomodo in tunicarum ictibus *dolent?* Certe haec dubitatio in eam non cadebat, quam omnes antea sequebantur, scripturam, *dolent autem — tunicae, quibus hi continentur*. Paulo inferius haec alia occurrunt: membranulae *inter duas* testium *tunicas superioribus partibus tenues patulaeque sunt*. Hic vero legebant cuncti *leves parvulaeque sunt*. Quaeres, cur id ita mutatum sit? Locus hoc ostendet tertius, qui, non ita multis interjectis versiculis, ad hunc modum proponitur: rupto in inguinibus peritonaeo, « pondere eo devolvitur aut omentum, aut etiam intestinum: atque ibi reperta via, paulatim ab inguinibus, in inferiores quoque partes nisum', subinde nervosas tunicas, et ob id, quod dixi, patentes diducit ». Verum hic quoque, ut Manutii ediderint *nisum*, et Constantinus in margine *ob id* deleverit: ipse tamen, et caeteri sic exhibuerunt, *demissum*, *subinde nervosas tunicas*, *et ob id ejus rei patientes diducit*. At in extremo proximo capite 19. etsi in verbis illis. « Inflammatione *incisi scroti* finita, propter nervos propiore cataplasmate, dein cerato utendum est »; etsi, inquam, antea legebatur *priore cataplasmate*, et sane unum, atque alterum paulo superius propositum fuerat; tamen, ne aliud dicam, is saltem, quem tibi saepius nomino, Constantinus monuerat, *propiore* plane *legendum, ut et vetus Codex ostendit*. Sic idem ad eum locum cap. 29. «¦ At si pes alter *intus emortui foetus*, juxta repertus est, alter retro cum corpore est, quicquid prolapsum est, paulatim abscindendum est », adnotavit, revera in vetere exemplari esse *prolapsum*; quum in omnibus quidem meis sit *protractum*. Pariter ad ejusdem libri 7. caput 3. Constantinus adscripserat, codicem habere *callosae* in his verbis, *si, antequam sinus carne impleatur, orae callosae fiunt*, ubi apud me omnes habent *carnosae*, idque optime, ut puto, quum ea continuo sequantur, *illa quoque ipsa carne hebete, nec firma*. Hinc vero intelligis, quanti retulisset in his etiam locis quorum alia alicubi occurrebat scriptura, quid a caeteris scribi consensset, non omisisse Quanto igitur minus omitti hoc debuit, ubi nusquam quod sciamus, ea quae proponitur, occurrebat? velut proximo superiore capite, « At si nervi juxta sunt, ignis alienus est; ne distendantur et membrum debilitent»: aut capite 7.» deinde melle inungendum e quarto die, vapore aquae calidae fovendum, inungendumque medicamentis ad cicatricem perducentibus ». Hic enim etsi codex habeat *ut quarto*, alii autem *et quarto*, alii, et melius, ut videtur, *at quarto*; nemo tamen habet, *a quarto*. Ibi vero ut alii non re, sed verbis discrepent in eo quod est etiam in codice, *ignis alienus est*; omnes certe in hoc conveniunt, ut scribant, *ne vel distendantur hi*, *vel membrum debilitent*; praeclare autem nosti, posse horum alterutrum ita fieri, ut alterum non sequatur.

Et, ne diutius in libro hoc uno 7. haereamus; vide, quaeso, libri 2. caput 12. ubi catharticis, quia stomachum fere laedunt, in febricitante improbatis, haec subjiciuntur. « Plerunque vero alvus lotionibus ducende est, quod ab Asclepiade quoque sic vituperatum, ut tamen servatum sit

(1) *Annot. in hunc loc.*

etc. ». Asclepiadem cathartica quidem vituperasse; quod et quo in volumine ab eo factum, Celsus quoque supra dixerat; indicatus ab Almeloveenio Plinii locus (1) ostendit, *Arguit et medicamentorum potus stomacho inimicos*; sed clysteres etiam vituperasse, non ostendit. Et quanquam aliqui in Celso hic legunt, *vituperatum;* fere omnes tamen legunt *temperatum*, quod codex quoque habet, et quae mox adduntur, confirmant, « Est autem ea moderatio, quamvis sequutus videtur, optissima, ut neque saepe etc. » Confirmat pariter Celsi alter locus, quaem huc attinere, adscriptis ad ejus oram numeris Almeloveenius significavit: « Asclepiades medicamenta sustulit; alvum non toties; sed fere tamen in omni morbo subduxit ». Alvum autem ducere, aut subducere a Celso hic dici pro eo quod est per clysterem exonerare, quum illud indicat quod id opposuit, et oppouit propinatorum medicamenturum actioni, nou secus atque ubi scripsit, *vel alvi ductione uti, vel lacte purgari*; tum praesertim Lindenius, et Almeloveenius non dubitant, qui a prima memorati capitis parte quae *de Dejectione* per medicamenta est, totam hanc alteram separantes, huic inscriptionem praeposuerunt *De Alvi ductione*. Quae altera pars etsi quaedam habet quae ad clystcres dumtaxat non videantur attinere, si hodiernam spectes frequentiorem consuetudinem, aut eos etiam, quibus interdum vel tunc utebantur, *ex pura aqua*; cur enim tot servanda quae Celsus jubet? tamen tota ad clysteres pertinere ab Rubeo (2) existimatur, nec minus ab Lindenio, et Almeloveenio, ut qui hujus partis id quod descripsi, initium fecerunt, *plerunque vero alvus lotionibus ducenda est*: quid enim aliud esse hic ipsis lotiones possunt, nisi clysteres,, quos plures Italorum hodieque, et Galli haud absimili solent uomine significare? Nollem vero, a graeca vocabuli clysteris origine, nedum ab hac sequiorum temporum In eo designando consuetudine illos fortasse adductos fuisse, ut huc eam vocem inferrent *lotionibus*, pro qua plures quidem scribebant *potionibus*, ea quae paulo ante animadvertimus, non attendentes; sed Pinzius, Juuta, Ruellius, et in utraque editione Manutii idem quod In codice est, *potius*, unde *potionibus* videtur factum, ut hinc tandem ab Lindenio *lotionibus*. Quam ego vocem, minime, quemadmodum ostendi, apnd Lindenium necessariam, quum hic antea apud neminem viderim, neque eo quidem significatu, nisi in aliquo forte Lexico, idque ex hac Lindenii, et Almeloveenii lectione, offendisse meminerim; idcirco potissimum hunc locum diligentius consideravi. Sed qood ad alterum attinet, quem Ascepladis facta mentio ad memoriam redegit ex libro eodem 2. sub finem capitis 6. *quod Asclepiades sciens, funeri obvius inclamavit, eum vivere, qui efferebatur*; satis est certiorem te facere, neque in ullo meorum librorum extare *sciens*, et in cunctis pro *inclamavit*, esse *intellexit*; ut propemodum credam, huc aliquid translatum ex illis Apuleii (3) verbis, *confestim exclamavit vivere hominem*, in ejusdem videlicet casus narratione, quem nescio cur duo eruditissimi Viri pro fabula habere videantur, quum ad illam Apuleii narrationem, hoc Celsi, et geminum Plinii (4), Asclepiadi alioquin parum aequi, testimonium accedat: et ut fraus subesse potuerit, sic nihil repugnet quominus vel sine

(1) *Nat. Hist. l.* 26. *c.* 3. (2) *Annot. in hoc caput.* (3) *Florid. l.* 4.
(4) *Nat. Hist l.* 7 *c.* 37. *et l.* 26 *c.* 3.

ullo dolo id potuerit accidere, praesertim quum Plinius ajat, illi *funeri*, Asclepiadem *occurrisse ignoto*, si qua collusionis suspicio fuisset, non omissurus.

Sed ad Celsum ut redeam; capite etiam 10. libri ejusdem constantem hanc inter omnes scripturam invenio: « Quod si vehemens febris urget, in ipso impetu ejus sanguinem mittere, hominem jugulare est. Expectanda ergo remissio est. Si non descrescit, sed crescere desiit, tunc quoque, quamvis pejor, sola tamen occasio non omittenda est ». Praeclarus hic ordo, et praeclara sententia; ut mirer, sic mutatam nunc esse, ut legamus, « Expectanda ergo intermissio est: si non decedit, quum crescere desiit: si neque remissio speratur, tunc quoque etc. » quasi remissio non satis opponeretur impetui, et quasi in febre quae non decedat, non ante videndum esset, an descrescat, quam an saltem crescere desinat. Non despliceret lectio quae proximo libro 3. proponitur cap. 11. « ei *febris* remissioni credendum est, quae etiam immoratur, et jactationem fervoremque corporis, quem ζεσιν Graeci vocant, minuit »; si modo editiones veteres, codicesve eandem haberent. Sed quotquot illarum apud me sunt, et codex quoque hic mire inter se conveniunt, in omnibusque sic legitur, *foetoremque quendam oris, quem ὄζεω Graeci vocant, minuit*: quam graecam vocem ex hoc quidem ipso Celsi loco in Thesaurum suum (1) retulit Henricus Stephanus, in suumque Lexicon (2) Joannes Scapula: eandemque Rhodius, ut ex iis quae ad Scribonium adnotavit (3), manifestum est, procul omni dubitatione in Celso erat editurus. Nec vero minus illa omnia exemplaria conveniunt in verbo *aqua* omittendo, quod lib. 5. cap. 28 nunc legimus in eo loco, « adjiciendusque ei pulvis ex contrita testa, ex aqua, qua faber ferrarius tingere candens ferrum solitus est », aut in habendo *tum is locus* pro *tumens locus* libro 8. cap. 5. aut denique capite 9. in vocula *sed* praetermittenda, ubi nunc legimus, *sed abunde est eadem, quae supra scripta sunt, facere*; nisi quod codex ab editionibus in eo discrepat, quod omisso *tum*, habet *is locus*, et quod istud *sed* non omittit. Contra autem in eodem codice ne unum quidem ~~et~~ verbum ex his quae finem faciunt capitis 7. lib. 3. « Si quis autem in hujusmodi febre, *ardente*, leniter tussit, is neque vehementi siti conflictari, neque bibere aquam frigidam debet, sed eo modo curandus est, quo in caeteris febribus praecipitur ». Quod ideo a me adnotandum censui, quia Ronsseus quum ad hunc locum enarrandum pervenisset, suspicatus est, « periodon hanc a sciolo quodam assutam potius, quam a Celso ita pronunciatam; praesertim quando Pinzianum exemplar eam omittat ». Et certe in eo non est, neque in Florentino, si probe memini, neque in Juntino. Suspicio autem Ronssel ex illo ipso Aphorismo (4) nata est, quem Almeloveenius quasi cum descriptis verbis congruentem, in pagellae ima ora indicavit, « Quibus plurimum siccae tusses leviter irritantes in febribus ardentibus fiunt, non multum siti infestantur ». Si igitur hoc verum est, ut Galenus quoquo (5) explicando confirmat; « frustra Celsus moneret, *inquit Ronsseus*, hosce non gravandos vehementi siti, nec propinandam frigidam, quod per se ipsi — siticulosi — non sint, et fauces affectae frigidam non admit-

(1) *in* O'ZΩ. (2) *Idem.* (3) *Not. ad hoc Compos.* 40. (4) 54. *sect.* 4:
(5) *Comment. in eum Aphor.*

tant ». Utcunque id est; haec reticere non debebat Almeloveenius, tu neque eos qui illa Celso verba adscribunt, non ita ut ipse edidit, proferre, sed *leviter tussit* pro *leniter*, et, si Caesarium excipias, pro *conflictari* scribere *conflictatur*, qua ratione ab Hippocratis aphorismo ista non discreparet sententia.

Non me praeterit, ex his atque aliis quos producere possem, locis non paucos esse ejusmodi, ut quemadmodum propositi sunt ab Almeloveenio, ita pluribus sint placituri. Verum neque ego ideo produxi quod omnes; ut quidam certe; displiceant mihi; sed tantummodo ut cognita lectionum varietate intelligeres, quanto melius ille facturus fuisset, si eam plerumque lectoribus indicasset, quorum alii, ut varii sunt hominum sensus, aliter fortasse legere maluissent. Praeter eos tamen locos, sunt alii in quibus non video, quomodo Almeloveenii scriptura ab ullo facile probari possit. Quos, ne haec nimium longa Epistola fiat, in alteram differemus. Vale.

Patavii MDCCXXXVIIII. XII. Kal. Januar.

EPISTOLA SEXTA.

Jo. Bapt. Morgagnus Jo. Bapt. Vulpio S. P. D.

Accipe jam quos nudius quintus promisi, locos. Quorum tanto magis referebat variantes lectiones ab Almeloveenio indicari, quanto illa quam ipse potissimum sequutus est, minus caeteris, nisi me fallit opinio, placere potest. Initio autem duo proferam quae pro fortuitis ejus operarum hallucinationibus haberes, nisi ad eundem modum Lindenius utrumque edidisset, secundum vero Caesarius quoque. Libro 2. cap 8. « Ex vesica dolenti, si purulenta urina processit, inque eo laeve et album subsedit »: et cap. 11. « In aeneum, lineamentum ardens conjicitur ». Dixerat autem modo Celsus de cucurbitula *aenea*, et *cornea*, et mox de *cornea* dicturus est iterum; ut manifestum sit, non ad paulo ante positum genus *aeneum*, et *corneum*, sed ad proxima esse respiciendum: et sane, una illa Caesarii editione excepta, decem meae reliquae, et codex habent hic *aeneam*, ut illic omnes *inque ea*. Sed ejusmodi una in litterula typographorum errores, ab iis quas nominavi, editionibus in Almeloveenianam traducti, facile, ut fit, doctissimorum illorum hominum oculos effugere potuerunt. Neque ipse aliam ob causam hic indicavi, nisi ut ab iis ad graviorem, eadem, ut puto, ratione illapsum, transirem. Est in brevi Praefatione, memorato libro 2. anteposita: *Non quod non omni tempestatum genere, omnis aetatis, omnis habitus homines etc.* Duo hic verba *omni tempore*, post tria illa prima collocanda, in Juntae, deinde in Caesarii editionibus omissa, in Lindeniana pariter, et Almeloveeniana desiderantur; sed non in codice, caeterisve meis editionibus. Quin mirum est, Almeloveenium, quum indicatum a Pantino (1) olim, et Constantino (2) Hippocratis Aphorismum (3), quem Celsus hic spectavit, adscriberet, non sensisse, duo

(1) *Comment. in hunc loc.* (2) *Adnot. in marg. ad eund. loc.* (3) S. III, 19.

ista potissimum requiri hic verba ; quanquam satis id Celsus ipse praemonstraverat, qui, quum modo scripsisset, sibi exponendum, *quae tempora anni, quae tempestatum genera, quae partes aetatis, qualia corpora* quibus morbis sint, aut non sint opportuna , idque praestet capite continuo insequente, eadem quadripartita divisione, eodemque ordine conservatis; non poterat sane in propositis , quae ei divisioni , et ordini respondere debebant, verbis, quum res posteriores tres poneret, primam omittere. Ad eundem modum , sed gravius propter obscuratam sententiam, peccatum est lib. 8. cap. I. in ossiculorum carpi descriptione : « oblonga omnia, et triangula, structura quadam inter se connectuntur quum invicem superior alterius planities sit ». Quis, obsecro te , sex ultima haec verba quid sibi velint , satis intelligat ? Pleraeque autem editiones , et codex quoque sic habebant, *quum invicem superior alterius angulus, alterius planities sit*: quo quidem modo quum Celsi apertissima sententia fiat; credas facile , neminem hic, nisi Almeloveenii typographum, esse accusandum , qui duo necessaria verba *alterius angulus* transilierit. Sed hunc absolve , qui ab Lindenii typographo in errorem adductus est, iterum hunc etiam, qui a Pantini , et Pantini denique typographum, qui , nisi vetustius erratum est, a Caesarii typographo deceptus fuit: hoc unum mirare , tot , tamque doctos homines non sensisse.

Quis autem Lindenio, et Almeloveenio imposuerit, nescio, ut pluribus aliis,quos continuo producam,locis ea praetermitterent quae minime erant praetermittenda, et in codice utique cunctisque meis undecim editionibus leguntur. Lib. 4. cap. 1. renes *et venosi sunt , et tunicis super conteguntur.* Post tria prima , totidem omissa sunt verba *et ventriculos habent* ; quasi Hippocrates (1), quem Celsus inferius quoque sequitur, ubi *a renibus singulas venas, colore albas*, scribit, *ad vesicam ferri*, non ita esset loquutus, *etiam ipsi* renes *ventricolos habent*, et mox , *enascuntur ex* rene *ipso venas in vesicam*. Nempe Anatomes parentes Graeci, ut alibi (2) de laryngis ventriculis adnotavi , appellare caveas saepenumero solebant ventrium , aut ventriculorum nomine, quorum consuetudinem in corde, et cerebro adhuc retinemus. Libro eodem cap. 2. Cynicus spasmus *cum acuta febre oritur*. Nisi post secundam vocem praeterita esset vox *fere* ; minus a vero distaret sententia. Libro autem 5. c. 26. « malum vulnus est , quodcunque in alis, vel feminibus, vel inanibus locis, vel inter digitos est ». Si post verbum *locis* haec quoque interjicerentur *vel in articulis* ; non miraretur lector , omnia perpendens quae infra (3) de difficultate bene curandi articulos vulneratos traduntur , horum vulnera non fuisse cum caeteris illis commemorata. Nec, nisi quaedam omissa essent , inferius miraretur , in haec incidens : « Hae gravissimorum vulnerum curationes sunt. Sed ne illa quidem negligenda , ubi interior pars collisa est » : quis enim monitore egeat, ut sciat , interiorum partium collisiones haud esse negligendas? At Celsum non viscus aliquod , sed partes quae proxime cuti subsunt, hic designasse , facillime intellexissent omnes qui sic legissent , *ubi integra cute , interior pars collisa est.* Et quoniam haec ad Chrirurgos spectant ;

(1) *de Oss. nat. n. 8.* (2) *Advers. Anat. 5. Animad. 43.* (3) *Sect. 28 hujus cap.*

duo quoque alia ejuscemodi loca subjiciamus. Libro 6. cap. 6. ubi oculorum ulcera *aut supercrescentia*, *aut sordida*, *aut certe vetera esse consuevisse* dicuntur; post *sordida*, haec desunt *aut cava*. Statim enim quomodo *supercrescentia* reprimantur, *sordida* autem purgentur, Celsus docet: collyriis autem ad id utilibus propositis, antequam dicat, qua ratione *vetustis ulceribus* succurrendum sit, *cava ulcera* qui commodissime impleantur, ostendit. Eodem libro cap. 18. si Celsus praecipit, quum propter colis ulcera *glans excidit*, *sub* eo *casu cutem ipsam circumcidendam esse*, et nisi id fiat, quae incommoda, et pericula instent, diserte mox docet; apparet certe, inter haec non posse legi, sub eo casu cutem *esse servandam*; Imo desiderari particulam *non*, quae sententiam ut in contrarium vertat, sic cum proposito congruentem faciat.

Sed omitti aliquid incuria potest: addi vero, nisi de industria, fere non potest; ut qui addit, nec quae aliorum scriptura esset, ignorare queat, et sciat, quanti referat eam indicare. Quod si fecisset Almeloveenius; haud dubito, quin libro 2. cap. 24. ubi inter ea quae stomacho apta sunt, ab ipso, cum Lindenio, primum ponuntur *murices*, *purpurae*, *cochleae*, quasi vix septem versiculis interjectis haec eadem inter illa non esset iterum positurus, haud, inquam, dubito quin ii qui scirent, in omnibus quae apud me sunt, editionibus, si unam Ruellii excipias, ipsoque in codice, secundo dumtaxat loco ista legi, primum illud supervacuum additamentum repudiarent. Sed nec Ruellius, nec codex, nec decem reliquae editiones quidquam eorum habent quae non apparet quid coegerit his tribus aliis locis adjicere. Libro eodem cap. 8. « Longe optimum est *in tabe*, febrem omnino non esse: secundum est, tantillam esse, ut neque tantulum cibum impediat, neque crebram sitim faciat». Istud *tantulum*, quod adjectum est, ne Hippocrates quidem indicat in ea praedictionum parte (1) quae tota ibi, ipso quoque ordine conservato, a Celso latine reddita est. Probat enim, in tabescente *febrem non invadere*, *ut ne a coenis prohibeatur*, *neque sitiat*. Libro 6. extremo capite 18. » Si hac ratione ulcus non tollitur, vel aliis medicamentis similibus, vel vehementioribus; ferro adurendum est». Legebatur antea vel medicamentis vehementioribus, vel ferro adurendum est.» Quae interjecta sunt, *aliis similibus*, quum superflua sunt; quid enim tunc a similibus sperandum est? tum Auctoris sententiam mutant, qui, quum ei ulceri modo imposuisset medicamenta quaedam ex iis quae inter *adurentia* commemoraverat (2); si haec inutilia sint, pergendum porro in adustione praecipit, sed vel medicamentis ex eo genere validioribus, vel ferro candente. Libro 7. cap. 5. postquam traditum est, quatenus plaga aut ampliauda sit, aut facienda, ut telum, corpori inhaerens, aut ab ea parte, qua venit, aut ab ea, in quam tetendit, extrahatur, haec sequuntur: « In summa autem utraque parte ista habenda cura est, ne nervus, ne vena major, ne arteria incidatur ». Sed num summa dumtaxat pars tunc inciditur? aut ejusmodi nervus, et vasa num in summa tantum sunt parte? Certe si addita non esset ista particula *In*; neque haec possent objici, et Celsi hic eadem ac saepe alibi, locutio foret, « magna cura habita, ne venae, quae juxta sunt, violentur: magna cura habita, ne qua vena incidatur; summaque cura quod ita sutum est, tuendum etc. »

(1) *l.* 2. *n.* 12. (2) *l.* 5. *c.* 8.

Verum alia qnoque eorum quae minus bene ant omissa, aut addlta videantur, exempla habebis inter ea, ad quae jam transeo, non feliciter mutatornm verborum. Quo in numero haud scio an recenseam quod lib.5.est cap 28. *Praeter haec, is, qui tam robustus est.* Nam etsi haec ad verba illa continuo attexuntur, *si lactens puer ita affectus est*,unde patet,quae graviora auxilia sequuntur, requirere ut legamus *is, qui jam robustus est*; tamen litterulae unius mutatio non tam consilio,quam casu, accidere potuit, idemque Caesarii quoque,et Pantini typographis contigisse. Non aeque facile crediderim,duas alias,quamvis unius pariter litterae,mutationes fortuito esse factas libro 7. cap. 19. et 20. Prima est in *confectis* pro *conjectis*: altera in *sinistro* pro *ministro*. Primus locus ita editus est: « tunicam extra collocare oportet; deinde eam — incidere sic, ut intrare duo digiti, index et medius possint: his deinde confectis, incidenda reliqua pars tunicae, et inter digitos scalpellus immittendus est ». Vides, ut, nisi antea scriptum sit, *conjectis* digitis, non posse praecipi, ut inter digitos scalpellus immittatur. Locus alter sic proponitur: « eaque tunica eodem modo duobus hamis excipitur sic, ut a sinistro testiculus eatenus contineatur, ne per vulnus exeat ». Certe autem si inciso inguine, tunica excipienda ibi est duobus hamis eodem modo, id est si *juxta ipsas oras* est *apprehendenda*; neuter hamus poterit testiculum in sua sede continere, ne si instrumentum quidem esset ad eam rem idoneum. At Chirurgi ministrum, qui non raro his duobus ultimis libris, et ad aliquid praesertim simile praestandum superiore capite memoratur, quis posse dubitet? Apparet igitur, quanto melius *conjectis* et *ministro* legatur in codice, meisque omnibus editionibus. In quibus pariter, nisi siquam nominatim excipiam, ea credito scripta esse, quaecunque recentibus mutationibus deinceps opponam. Libro 6. cap.19. *excipiuntur fico pingui leviter cocta et melle.* Legebatur summo consensu, *cocto ex melle.* Non improbo *cocta*: quanquam in re controversa tantum consensum veterum exemplarium indicatum fuisse, mallem. *Ex* vero in *et* mutatam non probo: quaeri enim potest, quemadmodum, aut ex humore coctam ficum voluerit Celsus, nisi legas *ex melle.*

Haec quae modo notata sunt, si ea quoque casu mutata esse, credideris; non valde repugnabo. Utinam vero idem credi posset de iis quae sequuntur. Libro 1. cap. 2. Exercitatio « semper antecedere cibum debet: in eo qui minus laboravit, et bene concoxit, remissior: in eo, qui assuetus est, et minus concoxit, amplior ». Contra autem antea legebatur, « in eo, qui minus laboravit, et bene concoxit, amplior: in eo, qui fatigatus est, et minus concoxit, remissior ». Utra lectio probanda sit, productis rationibus disputare nihil attinet, quando Celsus paulo ante docuit, *qui parum* concoxit, *quiescere debere* Celso eodem auctore, non difficile est judicare in iis quae scripsit de gravedine lib. 4. cap. 4. num recte edita sint quum alia, tum haec praesertim: Gravedine levata, « si nares magis pallent, balneo utendum est; — deinde cum cibo pleniore vinum bibendum ». Etsi ad hunc modum et Caesarius, et Ruellius, et codex habent; manifestum est tamen, legendum esse, ut in reliquis editionibus, *si nares magis patent*. His enim mox ea opponit Celsus: *At si nares aeque clausae videntur.* Qui etiam quum *vinum bibendum* praecepit levato vitio, et naribus jam magis patentibus, satis ostendit, in iis quae pau-

lo ante posita sunt, incipiente gravedine, *protinus abstinere a sole, a balneo, a venere debemus*; post *balneo*, male omissum esse *vino*, quod in codice, cunctisque legitur editionibus. Sed et pluribus aliis locis utra lectio retinenda sit, Celsus ipse commonstrat. Ubi enim lib. 3. cap. 21. nunc editum est, exigua hydropicis potio *optima est, quae urinam movet. Alvum moliri cibo melius est, quam medicamento*, quum, scriptum esset olim non *Alvum*, verum *Sed id ipsum;* hoc, videlicet sed urinam movere, ea comprobant quae continuo sequuntur: « Si tamen res coget, ex his aliquid, quae id praestant, erit decoquendum, eaque aqua potui danda. Videntur autem hanc facultatem habere iris, nardum, crocum, cinnamomum, cassia, *idest casia*, myrrha, balsamum, galbanum », atque alia, in quibus ut quaedam sint quae alvum etiam movent; pleraque tamen non eam movent, sed urinam. Libro 5. cap. 26. Gangraenae ulceri « proxima cutis plerunque subnigris pustulis impletur; deinde ei proxima, vel pallida, vel livida, fereque aeruginosa et sine sensu est. Deterior in inflammatione est ». Quanto melius antea legeretur; mitto *rugosa* pro *aeruginosa*; at certe *Ulterior*; nam *Alerior* in Pinziana, et Juntina editione mendum manifestum est; pro *Deterior*, praeclare apparet ex iis quae Auctor ipse statim subiicit, «omniaque ea simul serpunt; ulcus in locum pustulosum; pustulae in eum, qui pallet aut livet: pallor aut livor in id, quod inflammatum est, inflammatio in id, quod integrum est, transit». Lib. 6. cap. 6. Suffusio, « oculi pupillae, qua cernit, se opponit ». Olim vero; si Caesarium, et Pantinum excipias, apud quos perperam erat *oculi pituitae*; longe melius scribebant *oculi potentiae*, confirmante Celso lib. 7. cap. 7. ubi suffusionem, ait, *interiori potentiae se opponere*: quod *potentiae* vocabulum, hoc quidem significatu, miror in iis quae apud me sunt, Lexicis non inveniri. Eodem capite 7. ubi de humorum cursu ad oculos verba fiunt per ea vasa, quae alia Epistola (1) memoravimus aut « inter calvariam et cutem, *aut* inter membranam cerebri et calvariam repentia» legimus nunc, «Potest autem adhiberi remedium his, quae supra os fluunt, non potest his quae ab osse». At legebant quondam, «non potest his quae sub osse», ut non praecedentia solum, quae modo commemorabamus, significant, sed et ea quae mox addit Celsus, confirmant. Raso enim capiti adhibitis quae humoris cursum suspendunt, « si sicci oculi esse coeperunt, apparet, *inquit*, per eas venas, quae sub cute sunt, irrigari: si nihilominus madent, manifestum est, sub osse descendere ». In his autem quae continuo sequuntur: *si est tumor sed levior, duplex vitium est*, id est per viam utramque humor fertur; in his, inquam, pro *est tumor*, de quo nulla fuerat injecta mentio, *est humor* legebant. Quam vocem infra quoque, uno excepto Caesario, habebant, ubi viginti interjectis versiculis, nunc ita scriptum est, *venas ex quibus ad oculos transiret*; ut nisi scias, olim edi consuevisse, *ex quibus humor*; quid transiret, nusquam appareat. Vide insuper eodem capite num placere possint quae in unguis oculi curatione ad hunc modum proponuntur: Caruncula lachrymalis, « Si vehementius unguis ducitur, sequitur quoque ac decidit. Si abscissa est, etc. ». Quo enim modo, si decidit, abscindi adhuc potest? Erat autem antea haec scriptura, « sequitur. Ideoque decipit: ac si abscissa est, etc. »

(1) *IV. p.* 361. 43.

Sunt et alia capita hujus libri 7. In quibus novae mutationes vel proximis pariter Celsi verbis improbantur. Capite 4. Linum, per ani fistulam bipatentem trajectum, et utroque capite ligatum, « bis in die, soluto nodo, ducendum est sic, ut subeat fistulam pars, quae superior fuit ». Sed quidnam cogit bis in die nodum solvere? Num quod linum aliter sic duci non possit? At praeceptum modo fuerat, *ut laxe cutem, quae super fistulam est, teneat.* Num ut antequam putrescat, recens aliud linum alligari ad vetus possit, et pro hoc in fistulam trahi? At ejus rei causa mox scribitur, satis esse, ut *tertio quoque die nodus resolvatur.* Quid ergo est? Nempe olim, non *soluto*, sed *salvo nodo* scriptum erat vel apud Pinzium, et Juntam, etsi hi, per operarum incuriam, *salvo modo* ediderunt. Capite etiam 2; nisi quid me fallit in Celsi sententia atque ordine intelligendis; mutata sunt quaedam praeter rationem. Videtur enim haec velle, ut ex incipientibus abscessibus materia eo congesta, incisa cute, et cucurbitula ter admota, extrahatur: fieri tamen nonnunquam posse, ut cucurbitula nihil agat, propterea quod eam materiam sua illa tunica concludat, quam Meges quidem (haud multo aliter ac plures hoc tempore de folliculo censent cysticorum tumorum) non proprie tunicam vocari, ajebat, quia nervosa non est, sed callus est qui pus vetustius consequitur; verum aliquando esse vel prius quam pus conficiatur, eoque cucurbitulae tunc obstare interjectu suo, ne ex incipiente abscessu materiam educat. Quae si ita sunt: non modo illa; quod quidem manifestius est; perperam sunt posita, « cucubitulam accomodare oportet; quod quicquid illud malae corruptaeque materiae coiit, extrahat *pro* quae quicquid illuc; *sed haec insuper*, Neque tamen fas est, nihil a cucubitula agere. Interdum etiam fit, ut quicquid abscedit, velamento suo includatur, *loco eorum*, Neque tamen fas non est nihil cucurbitula agere. Interdum enim: « itemque haec, *tum pure quoque maturiore, haec* tunica *interdum esse consuevit*, quum antea legerent, *maturior haec*, aut, quod est in codice, *maturius haec*: et quanquam in alio Constantinus aduotet fuisse, ut tres quoque editiones habent, *maturiore*; non hic tamen agitur de pure celerius confecto, sed de materia ex qua conficeretur, extrahenda, nisi celerius tunica perfecta est qua illa concludatur.

Sed et capite 5. ejusdem libri septimi, et capite 26. alia sunt, quorum mutationes haud facile probes. In hoc, Medicus « sinistrae manus duos digitos, indicem et medium, leniter prius unctos oleo, simul in anum ejus demittit ». Scribebant olim, « leniter prius unum, deinde alterum in anum ejus demittit, » et longe quidem melius. Agitur enim de puero cui calculus e vesica excidendus, satis doloribus circa ea loca cruciato, quos cur, duos *simul* digitos immittendo, Medicus plus aequo augeat, nulla causa est. Quum vero ad nimiam sanguinis profusionem, quae evulso calculo interdum accidit, compescendam, si inutilia sint alia, *agglutinanda cucurbitula* proponitur *et in genibus, et coxis, et super pubem*; scire licet, scriptum antea fuisse, non *et in genibus*, sed *et inguinibus*: quin Celsus pariter adversus nimias mulierum purgationes *cucurbitulas*, vel *cute incisa*, *inguinibus admoveri*, voluisse; qua autem ratione, et quatenus, Rorarium (1), et Rubeum (2) explicasse: quae siquis in eo casu non pro-

(1) *Contradict. Cels. V.* (2) *Annot. ad eum locum.*

bet (quanquam de scriptura, non de ratione hic quaerimus) is neque admotam genibus cucurbitulam in hoc probabit. Capite autem 5. quum legeretur, *Latum vero telum si conditum est*, eodem videlicet modo quo paulo ante, *Nihil tam facile in corpus, quam sagitta, conditur*; non apparet unde sumtum sit quod pluribus verbis nunc ita editum videmus, *Latum vero telum si aliquis intus in carne habuerit*; nisi forte ex libro aliquo in quem pro duobus Celsi verbis longum glossema e margine in contextum irrepsisset. Infra etiam ubi traditum est; qua ratione extrahendum sit telum quod ossi inhaeserit, quum illa adduntur; *si nihilominus morabitur, excuti quoque cum aliquo ferramento poterit*; non video, cur antiqua lectio mutata sit, *ictum aliquo ferramento*. Minusque video libro 6. cap. 6. quid sibi velint ea verba, *post haec cibo paulo pleniore, quam ex operum consuetudine uti*, quum haec quae prius erant, praeclare intelligam, ex *eorum dierum consuetudine*. Proximo capite 7. postquam praeceptum est, quid agendum sit, ubi crusta, qualis super ulcera innascitur, intra auris meatum conspecta est, haec modo subjiciuntur: « Atque ubi crusta ex auricula procidit; eluenda est aqua tepida; quo facilius ea per se diducta oriculario specillo protrahat ». Olim autem erant haec, in quibus nihil displiceat: « Atque ubi crusta a corpore jam recedit, eluenda auris aqua tepida est, quo facilius ea per se diducta, oriculario specillo protrahatur ». Capite 18. levis quidem mutatio est in iis verbis, « At Erasistrati compositio, aut Cratonis, recte super purulenta naturalia imponitur; » una enim littera detracta ex *Aut* factum est *At*. Sed tamen quum ea quae proxime praecedunt, ipsa quoque purulentis naturalibus imponenda proponantur; si *Aut* ita displicebat, ut alia particula substituenda videretur; non quae adversaretur, sed quae conjungeret, potius erat seligenda, qualem, exempli causa, in libri ora Constantinus, et Rousseus indicaverant, *Ac*, et optime quidem, nisi vocalis sequeretur. Verum in his quae continuo legimus: *Folia quoque oleae ex novem cyathis coquuntur*, manifestum est, humoris vocem desiderari: quam alii omnes habent, *ex novem cyathis vini* scribentes, si Caesarium excipias, cujus quoque operae ex incuria, ut opinor, praetermiserunt.

Sed non ob incuriam factum credo, ut lib. 4. cap. 22. nunc quidem sic legamus: « Ultimum est, et in uteri quoque morbis efficacissimum, tribus aut quatuor locis super coxam, cutem candentibus ferramentis exulcerare ». Nam etsi non idem modo Caesarius, sed et ante ipsum Pinzius, et Junta hic habeant *uteri*; reliqui tamen, et codex habent *veteribus*. Loquitur autem hic Celsus de coxarum dolore, de quo proximo etiam capite 23. quo agit de dolore genuum, haec videtur docuisse, « Omnes autem ejusmodi dolores, ubi inveteraverunt, vix citra ustionem finiuntur ». Libro 5. cap. 26. inter signa vulnerati cordis hoc ponitur, « sudores frigidi, malique odoris, tanquam in aegroto corpore oriuntur ». Sed vox illa *aegroto*, quae plerisque ibi placere non potest, in nulla alia, quod sciam, editione est. Vix a Constantino, et Rousseo in libri ora adnotatur, sic tamen, ut haec sequantur, *melius irrigato, nam in vetusto cod. irrotato*. Unde factum est quod uterque eorum, et Caesarius antea, et Ruellius, et Pantinus, aliique ediderunt, *in rotato*. Verum illa ipsa vox *irrotato* facile orta est, una haud intellecta litterula, ex vera, si quid ego ju-

dico, quae in codice nostro, et Manutiorum utraque, et Stephani editione est, *irrorato*, nisi forte mavis ex duabus, quas Pinziana, et Juntina habent, *in rotato*. Utroilbet autem modo corpus significatur, levi tenuique sudore, quasi rore, aspersum, qualis, ut puto, sudor infra quoque inter notas percussi ventriculi indicatur, *sudores tenues oriuntur, per quos extremae partes frigescunt*. Ejusdem libri caput 28. qua parte abscessuum curationes proponit, non unum habet examine dignum. Sed; ut modus aliquis sit; hic quoque non omnia persequemur. Satis haec esse poterunt, « Eadem aut haec in minoribus quoque abscessibus — recte fiunt. Eademque omnium curatio: tantummodo distat ». Crediderim quidem, typographorum negligentia mutatum esse *autem* in *out*: eademque crederem ex *tantum modo* factum esse *tantummodo*, nisi duas illas voces in unum pariter conjunctas viderem in Juntae, Caesarii, Pantini, Constantini, et Roussei editionibus, nisi quod hi duo ultimi in margine saltem disjunctas exhibueruut, ut ratio postulat, et Codex, et Pinzii, Manutiorum, Ruellii, Stephani editiones proponunt.

Hic tamen discrepantia erat. Sed in ea lectione quam mox laudabo, quum quotquot mihi sunt editiones, et codex ipse convenirent; haud sane video, qua causa permoti Lindenius, et Almeloveenius in alia omnia abierint. Libro 3. cap. 5. locus est tanto dignior quem diligenter consideremus, quod vel ex eo uno intelligi planissime potest, Celsum, quamvis non vulgo, medicinam exercuisse. Dissensionem proponit Medicorum de tempore alendi aegros, si febris assidua sit, nec levior unquam fiat. Qui alunt matutino tempore, his illud objicit, insequi tempus meridianum, a quo omnis aeger fere pejor fiat. Transit deinde ad alia tempora his verbis, apud Almeloveenium quidem: quae, etsi plura sint, tamen omnia describam, necesse est. « Igitur alii vespere tali aegro cibum dant. Sed, quum eo tempore fere pessimi sint, qui aegrotant, verendum est, ne, si quid tunc moverimus, fiat aliquid asperius. Ob haec alii differunt ad mediam noctem, decurso jam gravissimo tempore, eodemque longissime distante. Securius vero datur antelucanis horis; quibus omnes fere maxime dormiunt: deinde matutino tempore; quod natura sua levissimum est ». Dicet hic aliquis, et jure dicet, quum cibum dare matutino tempore ob insequens meridianum improbaverit paulo superius; quomodo nunc probat? Deinde, quomodo antelucanis praesertim horis? quibus quum omnes fere maxime dormiant, expergefaciendi essent importunissime, nec sine detrimento. Accipe nunc caeterorum lectionem: longe aliam Celsi fuisse videbis sententiam, quae neque propositis difficultatibus obnoxia sit, et medicinam ipsum exercuisse, evidenter ostendat. «Ob haec ad mediam noctem decurro, id est finito jam gravissimo tempore, eodemque longissime distante, sequutoris vero antelucanis horis, quibus omnes fere maxime dormiunt, deinde matutino tempore, quod natura sua levissimum est ». Vides, ut sibi constet excellens Medicus, qui ea tempestate quum rarius quam nostra, cibum caperent sani, multo autem rarius aegri, tempus quidem spectabat quo cibum daret, sed illa simul quae datum essent insecutura. Animadverterat enim; ut ejus verbis ex superiore capite utar; *non diduci tam celeriter* cibum *posse*, ut tempore proxime sequenti, in aegris praesertim, jam satis diductum esset. Secundum haec tradit, quid secus ac

aliis ipse facere consuevisset. Quo ejus luculentissimo testimonio, ut Medicum fuisse, ostenderem, in ea qua id quaerebam, Epistola (1) non sum usus, quia necdum, quomodo haec ejus verba oporteret legere, demonstraveram. Sed summa quoque et codicis, et eorum quos laudavi, aut omnium, aut fere omnium erat consensio in quibusdam aliis locis quos mutavit Lindenius. Qui, quoniam ad aegros spectant juxta propositam normam alendos, hic indicabuntur. Capite igitur, quod modo designabam, quarto libri 3. sic edidit: « Interdum enim pejores dies pares fiunt; et opportunius post febrium accessiones cibus datur». Omnes loco *febrium* habebant *eorum*, aut *earum*. Recte habuisse, mens Celsi ostendit improbantis hic priscorum consuetudinem, ad hunc modum paucis ante versiculis propositam, « sic aegros nutriebant, ut dierum imparium accessiones expectarent: deinde postea cibum, quasi levioribus accessionibus instantibus, darent»; itaque nisi legamus *post eorum*, id est dierum parium, *accessiones*; sententiam Celsi corrumpimus. Infra pariter ubi eodem capite nunc scriptum est, « satius est, principia cibi a decedente febre, quam reliquias ab incipiente excipi. Ita si longius tempus secuturum est, quam integerrimo dandus est: si etiam breve, antequam ex toto integer fiat »; bene omnes pro *secuturum* scribebant *secundum*, id est felix et opportunum integritatis tempus, et; si Juntam, et Caesarium excipias; *si breve, etiam antequam* pro *si etiam breve, antequam*.

Quoniam hactenus vix quidquam notavimus in libro 8; quidquid ex hac Epistola reliquum est, in eum impendamus. Qui quum maxima ex parte huc redeat, ut ossa proponat aut vitiata, aut fracta, aut de loco mota; in his singulis casibus pertractandis verba aliqua comperiemus aut aliter, aut alibi fuisse ab Almeloveenio scribenda. Quod ad vitiata igitur ossa attinet; sunt capite 2. et 3. quaedam ita nunc edita, ut dubitare possis, an sint retinenda; nonnulla autem sic, ut pro certo scias, esse mutanda. Quae ut dignoscamus; Celsi ordinem servare juvat. Vitiatum os, docet, *primo fere pingue fieri, deinde vel nigrum, vel cariosum*. Quod autem pingue est, semel iterumve satis esse admoto ferramento adurere, *ut ex eo squama secedat*. Erat in omnibus quae apud me sunt, editionibus, *ut ex eo statu secedat*: in codice evidenti mendo, pro *statu* erat *stava*: Constantinus in margine adscripserat *recedat*. Lindenius sic emendavit, ut primo loco posuimus, multo probabiliore scriptura, non tamen certa; nam et *testa* Celsus; sic enim etiam solet; poterat, non *squama*, scripsisse. Pergit deinde Celsus ad nigredinem, et cariem, curationem utriusque in summo osse tradens, et notas subjiciens, per quas seorsum tum illius, tum hujus finem in osse cognoscamus, tunc etiam quum *dubium est*, quam alte utralibet descenderit; quo loco, et quidem apud alios quoque, majori divisionis signo apposito, post voculam illam *est*, spatioque insuper relicto, male in duas sententiam videbis fuisse disjectam. Et cariei quidem finem magis, minusve profundum monstrari, docet, a tenui specillo magis, minusve descendente. Quum expectas, ut de nigredine quoque doceat; ecce continuo haec legis, quasi ad cariem ipsam spectantia: « Colligi idem potest etiam ex dolore, et ex febre, quae ubi mediocria sunt, illa alte descendisse non potest. Manifestior tamen adacta terebra fit, nam finis vi-

(1) *IV. p.* 351.

tii est, ubi scobis nigra esse desiit ». Sed nonne Auctor, quum inferius scribit, « sive autem nigrities, quam terebra detexit, sive caries, quam specillum ostendit etc. satis indicat, haec de terebra ad nigredinem attinere? Est igitur omnino ea scriptura restituenda, quam in codice video, et in cunctis editionibus: « Nigrities colligi quidem potest etiam ex dolore etc ». Hanc in illam mutari jusserat Paawius (1), *corruptissimam* judicans, quia nigritiem ex symptomatibus colligere non est opus, quippe quae *conspicitur, neque latere potest*; haud animadvertens, non de nigredine quae in summo osse est, sed de profunda illa hic quaeri, de qua, ut Celsus dixerat, *dubium est*. Verum ut hoc loco non erat Paawio obtemperandum; sic altero quidem erat. Is in proximo est. « Sin autem nigrities est, aut si caries ad alteram quoque partem ossis transit, oportet excidi. Idem quoque in carie ad alteram partem ossis penetrante fieri potest ». Etsi in his codex, et editiones cunctae; nisi quod habent, *Atque idem in carie quoque*; mire conveniunt; ratio tamen clamat, huc ex libri ora glossema irrepsisse: neque ille tantus et calamo, et typis scriptorum librorum consensus aliud ostendit, nisi jam diu esse quum irrepsit. Cur enim continuo, et inutiliter bis idem diceretur? imo cur simul idem praeciperetur, et Medici arbitrio relinqueretur? neque enim, ut libri, ita haec conveniunt inter se *oportet excidi*, et *fieri potest*. Itaque glossema esse, non dubitarunt Constantinus, et Ronsseus, et post hos Paawius. Sed illi delendas esse quatuor illas voces *est, aut si caries*: hic autem, iis relictis, totam alteram partem, *Item quoque etc.* tollendam censuit. Ego cum hoc facio. Caeterum non, ut hic, ita etiam altero in loco ratio codici, et editionibus repugnabat, ubi ab Almeloveenio de specillo, cariem explorante, scriptum est, « depressum in id foramen, quod infra solidam sedem habet, et renitens aliquid invenit, et madens exit », omissis ante *renitens* voculis duabus, quas habent omnes, *ob id*. Si causam quaeris; nempe Paawio visae erant *sensum turbare*, proptereaque cum precedente vocula *et* delendae. Ubi etsi mihi aliter videtur; tamen levius fero non secus ac quum paulo ante in Paawio legendo sic hallucinatus est Almeloveenius, ut pag. 278 quod ille recte admonuerat de *ac si* linea 23, ipse transtulerit ad *At si* linea 17. Gravior interea, ut qui sententiam prorsus vitiet, in una dempta litterula error est, qui in Caesarii, et Ronssei editiones, non in caeteras, ne Lindenii quidem, neque in codicem irrepsit. Quem ut errorem planius ostendam; alter qui praecedit, indicandus est: uterque autem postulat, ut hic quoque Celsi ordinem commemoremus. Os, quum altius vitiatum est, docuerat, ut vidimus, esse excidendum. Excidi autem, si vitium potest angusto modioli ambitu comprehendi, circumacto modiolo, docuit. Sin latius est; terebra, et scalpro. Terebra enim, secundum Almeloveenii scripturam, « foramen fit in ipso fine vitiosi ossis atque integri: deinde alterum non ita longe, tertiumque, donec tactus is locus, qui excidendus est, his cavis cinctus sit ». Quaeres hic, quid significet ista vox *tactus*? Nempe incuriam operarum significat; operarum, inquam, non Almeloveenii, non Lindenii, tametsi hic quoque sic habet, sed operarum Caesarii, in cujus editione anno ab hinc ducentesimo, et quod excurrit, ita scriptum est pro *totus* quod et sententia requirit, et codex

(1) *Comm. in hunc loc.*

habet, et editiones reliquae omnes quae apud me sunt. «Tum pergit mox Almeloveenius, excisorius scalper ab altero foramine ad alterum malleolo adactus id, quod inter utrumque medium est, excidit; ac si ambitus similis ei fit, qui in angustiorem orbem modiolo imprimitur. Utro modo vero etc.». Quibus verbis si litterulam addas, et pro *ac si* rescribas *ac sic*; plana fient omnia atque aperta. Quem errorem si typographo pariter imputare velis; facile assentiar; nec vero, quamvis sententiam, ut dixi, omnino pervertat; aut ipsum, aut qui eum praecedit, hic eram memoraturus nisi ab una in alteram editionem animadvertissem aut transiisse, aut longo post tempore se se iterum intrusisse. Haud dissimile quidpiam accidit paulo superius, capite eodem 3. ubi nunc legimus; « Si nigrities est, angulo scalpri sinus exiguus sit, qui clavum *modioli* recipiat, ut, eo insistente, circumactus modiolus delabi non possit: deinde his habena, quasi terebra, convertitur ». In his enim verbis non modo per typographorum negligentiam *sit* factum est ex *fit*, quod omnes habebant; sed et *his*, quod in Pinzianam, et Juntinam editionem incuria intruserat, reliquae autem editiones, et in iis Lindeniana quoque, sic emendatum protulerant *is*, modiolus videlicet; *his* inquam, rursus in Almeloveenianam se retulit. Quae de carie paulo ante attigimus, locum alterum ad memoriam revocant, qui tametsi non ad 8. sed ad 5. attinet librum, non est hic a nobis praetereundus. Ibi igitur cap. 28. ubi de specillo in fistulam demisso, et os jam contingente verba fiunt, haec sunt: « si dilabitur specillum, nondum caries est: si non dilabitur sede, qua innititur, caries quidem, verum adhuc levis est ». Antea scribebant omnes, *si non labitur, sed aequali innititur*, idque egregie. Nam etsi Constantinus, et Rousseus in margine adscripserint *sede qua*; monstrat tamen Celsus, utra verior scriptura sit, quum ad descripta verba haec continuo attexit, *si inaequale quoque et asperum subest, vehementius os exesum est*. Scilicet voluit secundo loco, cariem quidem esse, sed hactenus, ut specillum labi non sinat, caeterum levem adeo ut os aequale videatur.

Satis de vitiatis ossibus. Nunc, ut pollicitus sum, de fractis. Ad haec pertinent ex libri, ad quem redeo, octavi capite quarto propemodum extremo verba illa de curatione fractae calvariae: «Ubi bene res cedit, incipit ab ipsa membrana, vel si os eo loco duplex est, inde quoque caro increscens id, quod inter ossa vacuum est, replet ». Non dubito, quin pro *caro increscens id, quod*, malis communem lectionem *caro increscere, eaque id quod*. Capite autem 7. ubi legis, « si maxilla transversa fracta est (sub quo casu fere dens super proximum dentem excidit) » tametsi Caesarii quoque, et Ruellii editiones, atque adeo codex habent *excidit*; res tamen ipsa postulat, ut caeteris potius astipulemur, qui habent *excedit*. Sed hic neutiquam praetermittendus est locus, ad fracta artuum ossa pertinens parte ultima capitis 10. « Solent tamen interdum adversa inter se ossa confervere: eoque et brevius membrum, et indecorum fit ». Hic vero est ubi Schulzius (1) in illos asperius invehitur, qui *temeraria mutatione*; sic enim loquitur; *adversa ossa* ediderunt, ubi veteres *omnes* habebant *diversa*. Omnes autem ei sunt, qui sex quas laudat, editiones procuraverant. Quinque ego alios addo; nec tamen an reliqui pariter, quibus

(1) *Exerc. de Ossib. confervent.* §. 4.

nunc careo, omnes habeant *diversa*, pro certo scio: esse posse qui non habeat, ex codice apparet, in quo lego *transversa*, quemadmodum et alios, quos non nominat; sed indicat Rubeus (1), legisse, non ignoro. Quid in suis codicibus Lindenius, illius mutationis auctor, legerit, nescio. Attamen Schulzio libens assentior improbanti istam lectionem *adversa*. Assentior quoque anteferenti alteram illam *diversa*. De ratione autem qua explicat, cur abjiciat, primam, tuetur alteram, magna ex parte dissentio. Nam discere cupientem quid Celso sint *adversa ossa*, rejicit ad caput 5. libri hujus. Ibi autem ossa narium *adversa fracta* illa intelligenda esse, patet, quae ab adverso, non ab laterali, ictu fracta sint; itaque ossi opponuntur, quod *a latere fractum*, *ictumve* sit: quae res quantum ad propositum faciant, non video. Scire etiam aventem, quid sint *diversa*, attendere jubet, Celsum proposita parte capitis 10. tradere instituisse « communes curationes, ad humeros, brachia, crura, femina, digitosque confractos pertinentes; respexisse *igitur* ad illos casus, ubi in cubito vel crure utrumque os fractum est, minusque curiose omnia in respondendis et continendis ossibus facta sunt: ex quo accidere potest, ut ulna cum radio, vel tibia cum fibula, hoc est ossa diversa coalescant ». Ego vero illud primum dico, qua parte propositum Celsi est communes etiam humeris et feminibus curationes docere, ea parte peculiares brachii vel cruris, quas superius absolverat, iterum attingi, praesertim nec brachio, nec crure commemorato, non potuisse. Deinde dico, quos Schulzius ponit casus me neque apud Tagaultium, neque apud Paraeum, neque apud Fabricium nostrum, neque; ut alios omittam; apud Cel. Heisterum, ubi consultissimi hi Viri, neque minus in Celsi lectione, quam in Chirurgia diutissime versati, de ossium brachii, aut cruris fractura agunt, legere meminisse: ut quamvis ex parte queant contingere; rari sint, oporteat, quum Celsus non ita rarum designet suum; *Solent enim*, inquit, *interdum etc*. Quid ergo est? Non 5. hujus libri capite, sed prima parte capitis hujus 10. qua plura quoque communia Celsus docuit, locus erat, cum eo quo de agimus, comparandus, ut simul quid ipsi essent ossa *adversa*, et esse possent *diversa*, simul hic verba esse de crebro casu, nec solum ad brachii, aut cruris ossa attinente, perspiceretur. « Si *fracta ossa* non adversa, sed obliqua junguntur (quod fit ubi loco suo non sunt) membrum id altero latere brevius est, et musculi ejus tument ». Loquebatur ibi de ossibus necdum repositis, non modo necdum conferventibus. Si ergo accidat, ut sic conferveant, quod solitum interdum accidere sive Chirurgi, sive aegri culpa, vel nimis notum est; sua quoque curatio, oblongis omnibus ossibus communis, Celso non erat hic omittenda. Quam ita subjicit, ut *frangi rursus ossa, et dirigi debere*, dicat; non transferri: quemadmodum mox quoque dicit, « ab ea parte, in quam os se inclinat, involutam lana regulam *esse* objiciendam ». Adversa igitur inter se ossa confervere non aliud Celso est, nisi ita confervere, ut naturalem quodque directionem conservent, non ut fractarum partium aliam alio inclinent. Non scripsit igitur hic *adversa*; sed id quod adversis oppositum est. Quod ut significaret, *obliqua*, ut vidimus, supra dixerat. In codice hic, ut dictum est, non secus ac alii olim, *transversa* reperi: quod et obliquitatem interdum non ma-

(1) *Annot. ad hunc loc.*

ximam significat, ut quum febricitantes sues, Columella (1) scripsit, *obstipas transversa capita ferre*, quod postea sic expressit Plinius (2), *index suis invalidae — caput obliquum in incessu*. Potuit tamen Lindenius in alio codice invenire *adversa*, sive quod inscitia librariorum, praecedens negativa vocula deesset, sive quod tenuis quae eam repraesentaret, notula, atramento diffugiente, evanuisset: nec prohibet quidquam credere, potuisse hic Celsum scribere, ut alibi fecisse vidimus, *non adversa*. Veruntamen si plerique optimi codices inter se hic, ut editiones, conveniant, et *diversa* habeant; hoc potius ita accepiemus, ut in longo aliam ac Schulzius, sententiam euntes, aliam ossium, quae conferbuerint, partem alio versam inclinatamque significari, existimemus

Restat, ut de ossibus loco suo motis verba faciamus. Capite 19. hujus, a quo non recedimus, libri octavi primum quidem *in manuum digitis totidem fere luxationum casus, eademque signa* esse dicuntur, *quae in ipsis manibus*. Dictum autem fuerat cap. 17. manum *in omnes quatuor partes prolabi*, id est in priorem, aut in posteriorem partem, aut in utrumlibet latus, et quae his singulis conveniant, casibus, curationes adjectae. Quum eadem igitur in digitis quoque expectes; de eorum curatione haec solum invenis: « Super mensam tantummodo intendi debent, qui vel in priorem vel in posteriorem partem exciderunt; tumque palma compelli: ut ita in locum, unde lapsus est digitus, restituatur ». At qui in latus alterutrum prociderunt, ii qua ratione curandi sunt? Monstrant editiones omnes meae, quae nimirum summo consensu pro novem istis ultimis verbis, haec habent, *atque id quod in latus elapsum est, digitis restitui*, id est Chirurgi digitis, ut opinor, non palma: quamobrem suspicatus sum aliquando, Celsum non *atque*, sed *at* scripsisse, certe in codice sic est, *ad id quod in latus elapsum est*. Verum hoc levius. Nunc ad primum, unum, atque alterum dumtaxat exemplum addam, utrumque luculentum, utrumque ex capite 20 libri hujus; sed alterum ex initio, ex fine alterum. Primum est: « Quum de humeris dixerim; de his quoque, quae in cruribus sunt, videri possum dixisse: siquidem in hoc casu quaedam similitudo est femori et humero, tibiae et cubito, pedi et manui ». Dixerat Celsus proximis superioribus quinque capitibus de prolapsis humero, cubito, manu, et quae, in hac sunt, palma, et digitis. Cur igitur de humeris, ajat dumtaxat, se dixisse? aut quomodo humeris non modo femora, sed et tibiae, et pedes respondeant? haec enim omnia, ut diserte explicat, *crurum* nomine hic accepit. Num igitur ut nominata hac una parte totos artus inferiores, quod nescio an alibi usquam fecerit, hic certe significat; sic etiam humerorum appellationes totos superiores designavit? Sane hoc loco aliquid ejusmodi comminisceremur, necesse esset; quanquam non ad hunc modum loqui solitum sciremus, ut quum supra, cap. 1. *per omnia femur humero, crus vero brachio simile esse*, scripsit; nisi et codex, et editiones, quotquot apud nos sunt, sic huius 20. capitis initium proponerent, *Quum de his dixerim; de his quoque*, sive, ut habet Stephanus, *de iis quoque, quae in cruribus sunt, videri possum dixisse*. Qua ratione ut vocula *his* ossa omnia artuum superiorum, sic vocula *iis* omnia pariter inferiorum comprehendit. Tandem ut ex capite hoc extremo alterum exemplum profera-

(1) *de Re Rust. l. 7. c. 10.* (2) *Nat.Hist. l. 8. c. 15.*

mus; tres certe ultimi ejus versiculi, *Potest tamen conditus*, *articulus medius aut summus canaliculo aliquo contineri*, neutiquam possunt femoris ossi convenire, de quo uno in suam sedem reponendo, in eademque continendo verba facta sunt eo capite. Et vero neque codex, neque ex meis omnibus editionibus ulla est, quae tres eos alibi versiculos habeat, quam post totidem ex quibus caput constat 24. quod ad caput, quippe de luxatis digitis pedis, attinere possunt verba de articulo medio, aut summo. Sed quum digiti qui in manu sunt, singuli articulos habeant ternos, quot non habent singuli qui sunt in pede, et quod praesertim attendendum est, his longiores sint, multoque illos crebrius, quam hos, movere consueverimus; mirari aliquis possit, cur eum canaliculum Celsus non illis potius quam his continendis proposuerit capite 19: quod si fecisset; non fuisset opus hic iterare ubi in digitis pedis *nihil ultra fieri*, praecipit, *quam quod* praeceperat in manus digitis. Quaerere insuper aliquis posset, quare quum cruri, aut femori continendis, si fracta quidem, non si luxata sint, canalem adhiberi jusserit parte 5. capitis 10; in digito fracto canaliculum non laudaverit particula illa proxima 6. brevi adeo, ut typographi in altera Manutiana editione, prioris alioquin consimillima, pene accepisse videantur pro inscriptione partis 7. Quod si is quaereret, quasi ad brevissimam hanc particulam verba illa quae proposuimus, suspicaretur esse adjicienda: plura essent per quae ab ejusmodi suspicione posset dimoveri: sed unum satis est, quod articulus medius aut summus *conditus* dicitur, eadem videlicet significatione, qua capite 23. *condi* dicuntur luxata plantarum ossa; *iisdem modis*, *quibus in manibus*, *prodeunt*, *iisdemque conduntur*, id est reponuntur: articuli autem nomine hic junctura non accipitur, sed os quod jungitur: quae significatio in artu quidem, non in articulo, a Lexicorum Scriptoribus memoratur. Quae quum ita sint; conjicere posse mihi videor, Lindenium a codice fortasse aliquo admonitum, ad caput potius 19. attexenda verba proposita credidisse, eoque a capite 24. disjunxisse, ejus autem amanuensium incuria ad caput 20. adjuncta esse.

Haec, mi Vulpi, habui quae duabus Epistolis ad te scriberem super locis pluribus, quae mihi Almeloveenianam Celsi editionem inter scribendum volutanti, et cum libris seu typis, seu calamo descriptis conferenti, hic illic forte occurrebant digna in quibus alia scriptura aut indicata esset, aut etiam proposita. Ut haec, sic alia, opinor, nec pauca fortasse, deprehendere potuissem, si minus fuissem aliis studiis, et occupationibus distentus. Sed vel ea quae notavi, satis superque esse poterunt scire aventibus, quid ego de ista editione sentiam. Neque tamen in Lindenium hanc culpam confero, quod marte, ut dicitur, suo tot mutaverit, multoque etiam minus, quod mutando, plura vitiaverit, quam emendaverit. Me enim illa quam modo dicebam, collatio docuit, bene multa, quae ab ipso primum invecta crederes, in quibusdam antea editionibus, aut codicibus fuisse: plurima autem ne intelligi quidem potuisse, nisi emendationibus, quas ratio, et facilitas ipsa commendat, ab eo saepius, ut videtur, selectis, quam excogitatis, feliciter restituta haberemus. In ejus igitur editione, ut ab Almeloveenio ornata est, quum et plurima sint, ut dico, et in parte etiam ostendi, bene emendata, et plurima quoque, praeter respondentes Celsi locos, numeris ad latus adscriptis indicatos, tum pagellis

plerisque, tum volumini universo, non sine legentium utilitate, subjecta: quumque in caeteris editionibus, si eadem trutina examinarentur, non pauciora saltem ; ne dicam multo plura ; emendationem requirerent ; quis merito arguere te possit quod non aliam nunc Cominianis formis describendam cures interea dum aliqua tandem melior exstat. Et sane postquam ex eadem officina eandem emisisti editionem, quum semel, iterum, tertio apud exteros Celsus prodierit ; secundum Aimeloveenii editionem semper audio prodiisse. Utinam Viri docti , quibus codicum optimorum copia sit, ea in medium conferant , unde lumen accendatur ad illam, aliis non temere detractis, aliis adjectis, aliis mutatis, aliquando perficiendam. Nam certe, quo magis considero , novae mihi subinde oriuntur dubitationes, quae, si codicum subsidio abundarem, fortasse ad verum propius vestigandum perducerent. Nunc per se vix usui sunt. Nam ut vitiatum suspicer locum aliquem, faciunt; ut videam, quomodo restituere possim, non faciunt: et tametsi videre mihi aliquid interdum videar quod a veri similitudine non abhorreat; id tamen proponere vix audeo conjecturae nomine, aut divinationis, vel potius conatus divinandi. Cujusmodi igitur futura essent, intelligis, quae promiseram; ut aegre ferre non debeas, si jam satis longam Epistolam nolui facere his quae melius apud me latebunt, multo longiorem. Vale: et librum, quem ad Samonicum, et ad me attinere, dixeras, quam primum mitte.

Patavii MDCCXXXXVIIII. VII. Kal. Januar.

EPISTOLA SEPTIMA.

Jo. Bapt. Morgagnus Jo. Bapt. Vulpio S. P. D.

Negas, mi Vulpi, te prius librum, quem eras pollicitus, esse missurum, quam dubitationes acceperis , et divinationes, quas promiseram. Accipe , quando ita vis , qualescunque sunt , et quotquot , et quocunque ordine succurrent protinus scribenti. Sed cave , ne tot sint , ut te poeniteat voluisse, neve, si justae Epistolae, tuique desiderii modum forte transivero, tu mussitans, me similem propemodum cantorum censeas (1).

» Omnibus hoc vitium est cantoribus, inter amicos
» Ut nunquam inducant animum cantare, rogati :
» Injussi, nunquam desistant.

Haereo primum in quodam loco lib. 2. cap. 7. *tum in superioribus partibus fit abscessus : ac si inter ipsa initia sanguis e naribus non fluit , circa aures erumpit.* Causa dubitandi est, quia quum ea quae haec praecedunt , et quae subsequuntur, ex uno eodemque loco Hippocratici Praenotionum libri (2), ipso rerum conservato ordine, sumpta agnoscam, neque indidem accipi videam quae illis interiecta hic descripsi , neque satis cum his convenire, intelligam, ut putant aliqui, certum quendam Coacarum Praeno-

(1). *Horat. Serm. l. 1. Sat. 3.* (2) *n.* 6.

tionum (1) locum, in quo de sanguine quidem e naribus, sed post parotidis eruptionem fluente, verba fiunt; quaerendum superest, unde igitur sumpserit Celsus, et cur hoc loco interjecerit; nisi quidem huc temere e sua sede translata sint, quae sententia Ronssei (2) fuit. Verum id dum quaerimus, scriptura ipsa nostrae officit perquisitioni. Verba enim illa, *sanguis e naribus*, neque in nostro codice, neque in ulla ex his quae ante oculos sunt, editionibus invenimus: et vix Constantinus, et Ronsseus in libri ora scribunt *initia*, aut *viscera*, quum in contextu omnes scribant *ipsa ulcera*; alii autem *non fluit*, alii *non fuit*, quod et vetustior ex meis editionibus, et codex habet, hicque insuper *viscera*; ut mihi aliquando in mentem venerit legere, *ac si inter ipsa viscera non fit, circa aures erumpit*, abscessus videlicet. Quod etsi, quemadmodum postea animadverti, placuerit etiam Pantino (3); tamen, ut in loco aliter adeo ab aliis scripto, esse amplius perpendendum censeo.

Commemorata sententia Ronssei de eo loco paulo superius transferendo, ad memoriam redigit dubitationem quandam meam, num alius sit forte de sede sua deturbatus. Indicia enumerans Celsus lib. 3. cap. 6. ex quibus Medicus febricitare aegrum, cognoscat, non videtur mihi omnium, ut nunc quidem legimus, ultimum illud facere potuisse, *si venae non aequis intervallis moventur*; quum haec continuo esset adjuncturus: «Ob quam causam medicus neque in tenebris, neque a capite aegri debet residere; sed illustri loco adversus eum, ut omnes notas ex vultu quoque cubantis perspiciat». Quod si illud ex arteriarum ictibus percipiendum signum perpaucis ante versibus scriptum fuisse, concipiamus; nempe ultimae erunt illae notae, post quas statim possint illa recte subjici, *Ob quam causam*, et caetera quae descripsimus.

Sed leve hoc prae iis quae lib. 8. cap. 1. in descriptione articulorum dubito superiorum vertebrarum, sive rei obscuritas tantummodo, sive et vitium quodpiam verborum est. Illustrare conemur locum, non perbrevem, hactenus saltem, ut minus difficile possit intelligi, an a verborum depravatione, id quod credibilius est, oriatur obscuritas. « 1. Omnesque vertebrae (exceptis tribus summis) a superiore parte in ipsis processibus parum desidentes sinus habent: ab inferiore alios deorsum versus processus exigunt. 2. Summa igitur protinus caput sustinet, per duos sinus receptis exiguis ejus processibus. 3. Quo fit, ut caput deorsum parvis tuberibus exasperetur. 4. Secunda superioris parti inferiori inseritur. 5. Quod ad circuitum pertinet, pars summa angustiore orbe finitur, itaque superior secundae circumdata in latera quoque caput moveri sinit. 6. Tertia eodem modo secundam excipit, *et perpaucis de cervicis mobilitate interjectis*, 7. Jamque vertebra tertia tubercula, quae inferiori inserantur, excipit. 8. Caeterae processibus deorsum spectantibus in inferiores insinuantur, ac per sinus, quos utrinque habent, superiores accipiunt ». Locum omnem quum brevitatis, tum perspicuitatis causa in octo particulas divisi. In prima igitur, quae verba uncis intercepta sunt, num a Celso esse, credemus? aut si a Celso, ita prorsus ab eo scripta? Nam si vertebrae tres summae superioribus carent sinibus, itemque processibus inferioribus; quomodo prima

(1) *Apud Haller. sect. 2. l. 1. A. 21.* (2) *in Enarr. hujus loci.* (3) *Comment. in hunc. loc.*

vertebra sinus habet, ut in 2. particula est, quibus capitis processus recipiat? et quomodo tertia vertebra tubercula quae inferiori inserantur, exigit? sic enim ostendam in particola 7. esse legendum. Jam vero particula 3. non ita uti ex Almeloveeniana descripsi, in caeteris exstat editionibus, sed ad hunc modum, *Quo fit, ut caput sursum deorsum versus tuberibus exasperetur*; nisi quod Juntae editio, et Manutiorum utraque, et Ruellii habent *versum*, quibuscum et codex, et vetustior editio omnino conveniunt. Paawius (1), qui *versus* legeret, perperam huc intrusam ratus voculam *sursum*, quia *deorsum versus processus solummodo exseril caput*, hanc sustulit. Sed retinenda est, opinor, legendumque cum vetustioribus *caput sursum deorsum versum*, ut attollendi inclinandive capitis motus intelligatur: quem recte Celsus sine articulis illis fieri non posse, indicat, quos proxime 2. particula memoraverat, sicuti motus capitis in gyrum, sive in latera cui structurae debeatur, mox 5. particula est traditurus. Veruntamen in hac, de qua loquimur, 3. num aliquid redundat, aut aliter legendum est? Nam si nihil aliud scripsisset, nisi *Quo fit, ut caput sursum deorsum vertatur*, aut *verti possit*; jam satis omnia exposita essent; *tubera* enim, quibus, additum est, caput *exasperari*, iidem nempe *exigui ejus processus* sunt, de quibus proxime dictum erat; ut minime opus fuisset, a Lindenio huc inseri illam insuper vocem *parvis*, quam apud alios non invenio, et quam supervacuam Celsus fecerat, quum *exigui processus* dixerat. Caeterum etsi alii fuerint, ut Constantinus, et Rousseus in libri ora indicant, quibus post *versus* addere verbum placuit *moveatur*; ii tamen continuo et quoque addiderunt, et reliqua retinuerunt. Ego praeter ea quae antiquiores libri mutanda esse, docuerunt, nihil muto: quid dubitem, tantum indico. In particula tamen 4. mutare nihil ausim, tametsi et codex, et editiones omnes meae magno consensu ab ea discrepent. Habent enim: *Secunda superiori parti inferiore. Quod ad etc.* scriptura, ut vides, aperte adeo mendosa, ut Paawius (2) huc adscripserit, *quis sensus? nullus sane, lego*, secunda superiori parti inferioris, *ut mens sit, secundam vertebram jungi superiori parti inferioris vertebrae, nulla tum obscuritas*. Nulla utique. Sed neque erat, cur id Celsus traderet, quod omnes haud aliter esse posse, per se intelligerent: neque erat, cur necdum absoluto sermone de vertebris duabus primis, mentionem iniiceret de tertia, praesertim quum haec quomodo secundam excipiat, mox esset 6. particula indicaturus. Praeterea in Paawii lectione verbum deest, neque in iis quae proxime antecedunt, aut subsequuntur, quidquam est unde illud subaudias. Quamobrem longe melius ab Lindenio videtur factum, qui litterulas illas Paawii duas *i*, et *s* sejungens, rescripsit *superioris* parti *inferiori*, verboque *inseritur*, quod Constantinus in codice legi admonuerat, accepto, particulam hanc 4. complevit. Verum hinc oriri potest dubitatio, an quod hac 4. sic dictum est, supervacuum sit propter ea quae statim subiiciuntur particula 5. de vertebra prima circumdata secundae, et, quod consequitur, de secunda igitur superiori inserta. Nec dissimulare possum, aliquando mihi venisse in mentem suspicari, an non 4. particula, mendose adeo, ut vidimus, scripta, e librorum margine in contextum irrepsisset quum dici non possit, quam apte post tertiam quae de capitis inclinatione, aut erectione est, statim sequeretur 5. quae ad circumversio-

(1) *Comm. in hunc loc.* (2) *Ibid.*

nem attinet ejusdem capitis, addito uno, haud amplius, verbo *secundae* videlicet ante *pars summa*. Sed quid de particula dicemus 6? Traditur in 5. modus quo prima vertebra excipit secundam, nimirum hujus summae parti circumdata, quae in angustiorem dentiformem processum finitur. Continuo autem in 6. additur, *Tertia eodem modo secundam excipit*. Num secunda igitur ab ima etiam parte alterum ejusmodi processum exigit, cui tertia ad eundem modum circumdetur vertebra? Multo quam haec aut emendare, aut dilucide explicare, facilius videtur restituere particulam 7. *Jamque vertebra tertia tubercula, quae inferiori inseruntur, excipit.* Nam etsi plures, nec contemnendae editiones sic habent; vetustior tamen, et illae pariter quas supra laudavi in particula 3. et praeterea Henrici Stephani editio, et membraneus codex, et rei ipsius natura docent, pro *excipit*, rescribendum esse *exigit*. Quo enim pacto fieri possit, ut tubercula inserenda vertebrae inferiori, id est quartae, excipiantur a tertia, id est tertiae inserantur? imo haec a tertia emittuntur in quartam: idque adeo ex Anatome; quod praeclare nosti manifestum est, ut quamvis particula 8. quam ob hanc unam tantummodo causam protuli, indicare videatur, a quarta vertebra incipere processuum inferiorum in subjectas emissionem; tamen (nisi etiam discrimen forte aliquod Celso fuisset inter processus, et tubercula, per quod rem explicare quis posset) multo levior mihi repugnantia haec videretur, quam in uno eodemque versu dicere, eadem tubercula et alio inseri, et hic excipi.

Exposui fuse dubitationes meas, earumque causas, in descriptione vertebrarum. Nunc illas pressius indicabo, quae ad clavicularum, ut Pauwius ipse (1) existimat, descriptionem spectant. Locus est eodem I. capite aliquanto inferius, ubi latorum scapularum ossium figura, et adhaesione propositis, haec scribuntur; *At a summa costa etc.* Describitur hic os *quod sustinet jugulum*, sive *in* quo jugulum *insidit* exteriore *capite*. Non potest igitur esse clavicula; hanc enim Celsus non solum alibi, ut hujus libri 8. capite 8. *jugulum* vocat, sed et hic, nec describere tamen incipit ante verba illa, *In ipsum recurvum etc*. Quodnam igitur os esse istud, dicemus, quod primo loco proponit? Exterius certe juguli caput nullo alio osse, nisi eo quod nunc Scapulae appellant Spinam, sustinetur. Si pergens igitur latum os scapularum describere, hic de ejus Spina Auctor loquitur, cui Spinae quidem pleraque ejus verborum conveniunt; quomodo ait, *a summa costa* fere *media* hoc *os excrescere*, primum tenue, deinde eo plenius latiusque, *quo propius lato scapularum ossi fit?* Ut enim pro *summa costa* non accipias, quam his duabus iisdem vocibus non multo superius designavit, duodecim costarum supremam; sed unum de tribus scapulae lateribus; nam *triangulum* esse, dixerat, certe a summo illorum, quod costam superiorem vocamus, Spina non oritur, sed a basi, multoque superius, quam ubi haec media est. Deinde Spina, quae a scapula oritur, et per ipsam pergit, parsque ejus est, num propior fieri scapulae ipsi diceretur? Scriptum oportuit, *quo propius vertici lati scapularum ossis fit*, ut veram agnosceremus descriptionem. Sed et descriptio juguli ipsius quum sic finiatur *et cum lato osse scapularum, infra caput ejus, nervis et cartilagine connectitur;* quid tandem verbis illis designat, *infra caput ejus?* Nam sive caput, summum verticem

(1) *Comm. in hunc alterum loc.*

significat scapulae, sive ipsum juguli exterius caput; vox *infra* quomodo cum vero conveniat, non est facile divinare. Et sunt quidem aliqua in his spinae scapulae, et claviculae descriptionibus, quae aliter in Almeloveenii, aliter in caeterorum editionibus, ipsoque codice leguntur. Sed nihi juvant ad has mihi dubitationes eximendas.

Nec plus juvant varietates aliae in iis quae paulo superius, ut modo indicabam, de costis scripta sunt. « Infra cervicem vero summa costa contra humeros sita est. Inde septem inferiores usque ad imum pectus perveniunt». Equidem video, accipi non posse lectionem hanc, quum, aliquot interjectis versibus, haec sequantur, *Sub costis vero superioribus, quinque etc.* Sic enim costae cum summa illa uno in latere essent tredecim. Verum haud satis video, quomodo sine aliqua haesitatione accipiam id quod ante Lindenium legebant, *Inde undecim inferiores*. Nam si universae costae ibi continuo describuntur; cur de inferioribus quinque mox scribitur, *ipsae quoque paulatim in cartilaginem versae?* quod profecto supervacuum esset quum modo de omnibus scriptum esset, *paulatim in cartilaginem degenerant.*

Sed non de ossium fabrica tantum, neque hae tantum dubitationes fuere, quas, vel codice, meisque editionibus inspectis, mihi ex animo non potui eximere. De plurimis huc aliquot adjiciam. Libro 3. cap. 22 postquam inter levia phthisis initia, cibi primo acres, deinde lenes, tum in vicem modo hi modo illi propositi sunt; haec sequuntur, « adjiciendaque] quaedam ex media materia, praecipue vero ex prima, cerebellum, vel pisciculus, et his similia ». Quo referrem illud *ex prima*, quum minime appareret; quid antea ibi legeretur, quaesivi. Omnes aut *ex apruna*, aut, sicuti Pantinus (1) admonuit, *ex aprugna* habent, codex *ex pruna*. Sed quodnam *ex pruna*; si tamen sic affari, voluisset; cerebellum indicasse Cornelium, dicas? non aprugnum certe, quando lib. 2. cap. 18. aprum valentissimae materiae esse, docuit, nec vulgo ea copia aprini cerebri est, quae caeterorum quos phthisicis laudavit, ciborum. Suis quidem cerebellum minus valentis esse materiae, *ex agna* autem, *haedove totum caput*, dixit, *in media materia poni posse*. Itaque ex quonam horum, aut his similium cerebrum sumendum esset, scripsisse, puto, idque nomen in mendo latere; nisi forte malis, revera *ex pruna* scripsisse; cerebellum autem quum ex media materia, quam supra explicaverat, accipiendum esse, diceret, animalis nomen adjicere supervacuum existimasse: quanquam et codex, et editiones, quum ita habeant, *praecipueque vel ex*, priori magis conjecturae favere videantur. Libro 7. cap. 2. planissima illa quidem sunt de suppuratis: «Sed caetera etiam subcruda aperiri possunt; inter nervos ultima expectanda maturitas est, quae cutem extenuet, eique pus jungat, quo propius reperiatur». Verum quae continuo sequuntur, non item.» Iamque alia rectam plagam desiderant, ut in carne: alia vero vehementer cutem extenuant, in quibus tota ea super pus excidenda est». Si editiones inspicio; omnes habent *Itemque* pro *Jamque*, et *extenuat* pro *extenuant*: nulla *ut*. Sed pleraeque habent *aliam rectam*, perpaucae *alia rectam*. Codex cum his perpaucis convenit; sed in eo discrepat ab omnibus, quod pro *tota* habet *tuto*. Verum per has lectionum varietates nihil proficere mihi videor, ut neque per Constanti-

(1) *Annot. in hunc loc. qui ipsi est c. 13.*

ni, adscriptas in margine, conjecturas. Fieri enim posse, existimo, ut Celsus postquam dixit de prorsus maturis, verba fecerit de subcrudis, et quod consequitur, magis de carne, quam de cute incidenda: repetita autem esse per librariorum incuriam quae de extenuata cute dixerat. De cute vero tota excidenda si hic quidquam praecepisset; non videtur paucis post versibus de eadem re ad hunc modum fuisse scripturus, *Est etiam in rerum natura, ut cutis latius excidenda sit.* Quod si non *tota*, sed *tuto super pus* excidenda, imo forte incidenda scripsit: nimirum hoc quoque ad ultimam illam maturitatem pertinebat. Vides igitur, cujusmodi sint quae huc intrusa putem pro illis quae nequidquam in codice, et tot aliis exemplaribus quaesivi.

Nec felicior fui in ejusdem libri 7. capite 26. Namque ubi emoliri manu urinam oportet, quum haec legerem: « Homo tum resupinus eo modo, quo in curatione calculi figuratur, super subsellium aut lectum collocandus est; » non mediocriter miratus sum, probe gnarus, quam molesta, et simul ut minus hic necessaria ea figura sit, quae in calculi curatione a Celso ipso inferius proponitur. Multo autem magis miratus sum, ubi meis editionibus, et codice inspectis, summo consensu in omnibus pro *in curatione calculi* scriptum reperi *in curatione ani*: in qua alienam omnino a proposito requiri figuram, manifestum est, neque eam a Celso usquam fuisse descriptam. Itaque aut nomen alterius curationis hic posuit, aut ab ejus manu non sunt ista, *eo modo, quo in curatione ani figuratur.*

Libro etiam 8. quum in extremo capite 7. animadvertissem, iis quorum maxilla fracta est, non modo humidum cibum diu praescribi, sed haec insuper addi, « etiam, quum tempus processit, in lagano similibusque aliis perseverandum esse, neque quicquam edendum, donec ex toto maxillam callus firmaverit »; alterutrum suspicatus sum, aut Celsum tria ista verba *neque quicquam edendum* non scripsisse, aut, si scripsit, aliud quodpiam interjecisse quod a librariis praeteritum sit, ut puta *durius*, aut aliud ejusmodi, nempe ad hunc modum, *neque quicquam durius edendum.* Nam laganum, ut tenue esset, quantum ex Acrone (1) intelligimus, *comedebatur* certe, quod et ipse Acron diserte ait; non potabatur. Quonam igitur modo qui in lagano perseverandum esse, diceret, idem negaret, quicquam edendum? Quum quotquot habeo editiones consulerem; nulla omnino fuit in qua tria illa verba invenirem. Sed codex ita prorsus habet, uti Lindenius, quem commentum non esse quae addidit, hic quoque locus indicio est. Quanquam igitur eo inclinat animus quo indicant editiones, praesertim quum Celsi sententia, vel tribus iis verbis demptis, eadem sit; tamen cum Scriptoribus liceat interdum aliqua inculcare, verbaque illa non modo in nostro, sed ut apparet, in aliis etiam, quae Lindenius viderit, scriptis exemplaribus legantur; me potius juvat pendere animi, quam fortassis contra fidem vetustiorum, quibus careo, meliorumque codicum quidpiam pronunciare.

Magis autem haereo in ejusdem libri capite 10. ubi de fracti humeri curatione verba fiunt. Neque enim haec est sine aliqua obscuritate, quae si a depravatis dumtaxat vocibus oriretur; aliquanto minus difficile esset eam discutere: sed vereor, ne praeterea quidpiam desit, ut in fasciae quae

(1) *in Horat. l. 1. Sat. 6.*

secondo loco ponitur, descriptione, in aliisque fortasse. Frustra autem codicem, et libros formis descriptos inspexi. Variat quidem scriptura; sed non ibi ubi sperabam. A tergo aegri minister sub ea de qua modo dicebam, fascia, « porrecto, si dexter humerus ducendus est, dextro, si sinister, sinistro brachio, demissum inter femina ejus, qui curatur, baculum tenet: medicus super eam fasciam, de qua tertio loco dixi, plantam injicit dextram, si sinister, sinistram, si dexter humerus curatur etc. »; medicus enim adversus, humiliusque sedet, eaque tertia fascia, amplexa imum aegri humerum, deorsum pendet capitibus ibi inter se vinctis. Pro *porrecto*, pro *plantam*, pro *humerus curatur*, in editionibus cunctis invenio *correpto*, in aliis autem *planam*, in aliis *palmam*, et rursus in cunctis *humerus sumatur*. Codex apud Constantinum pro hac ultima voce habet *sinuatur*; noster magis evidenti mendo *suratur*. Sed quum uterque habeat *planam*; noster, qui manifesto errore pro *correpto* habet *correcto*; habet contra pro *baculum*, quod ab omnibus scribitur, planissime *brachium*: quae lectio tanto minus negligenda est, quod de baculo nullum antea, aut postea in hac curatione verbum est; *brachium* antem legi animadvertimus in hoc ipso Celsi loco in Vesalii Chirurgiam (1) relato. Nec *plantam*, ab Lindenio hic positam, facile rejiciendam puto. Idcirco enim videtur tertia fascia *deorsum* fuisse *demissa*, ut eam planta injecta *premat medicus*, sicuti mox Celsus loquitur; potius, ni fallor, *trahat* dicturus, si manu voluisset. Manu antem ut posset utraque medicus fracti humeri partes in suam sedem compellere, quemadmodum et res exigit, et superius ipse in universum docuerat; propterea planta uti maluerit ad fasciam premendam. Sic etiam cap. 15. ut ambabus manibus reponi luxatus humerus posset; Medicum jussit vel genu uti; si modo Lindenius recte illa edidit, *humerum genu sub ala ejus cogere*, quomodo in antiquo libro manu exarato legi, docuerat Constantinus. Qui tamen dum confirmari hanc lectionem credidit cap. 20. de luxato femore, an hallucinatus sit, videas, ex verbis illis, « rotundum aliquid super inguen ponendum, subitoque super id genu adducendum est eodem modo eademque de causa, qua idem in brachio fit »; neque enim a Celso ibi designari, crediderim, ut Constantinus ibidem putat, caput hoc 15. de humero, sed potius caput 16. quod proprie est de brachio, et in quo sane haec scripserat, « rotundum aliquid a lacerti parte ponendum est, et super id repente cubitus ad humerum impellendus est »; ut genu capite 20. aegri sit, non medici, cujus quidem est in quadam repositione humeri apud Hippocratem (2), in qua medicus, praeter manus, genibus quoque, et capite nititur. Verumtamen lectio, a Constantino producta, ejusmodi est saltem ut intelligi facilius possit, quam quae est in nostro codice, ad eundemque prorsus modum in Pinzii, Juntae, Manutiorum editionibus misere depravata. Sed ad caput 15. ut redeam; etsi quae de quibusdam in eo verbis censeam, non reticui; quae praeterea tamen desiderem, supra indicavi.

Proferam denique ex lib. 5. cap. 19. num. 11. locum illum: « Sunt autem quaedam emplastra, quibus utriusque rei facultas est, quae, nisi singula habenda sit, meliora sunt ». Cum haererem in ea voce *singula*, du-

(1) *L.* 2. *c.* 8. (2) *L. de Artic. n.* 2.

bius, an Celsus, sic praesertim, illa uti voluisset; vel magis haesi, dum attentius legens quae sequuntur, eaque cum superioribus, et mox adjectis contendens, non invenire visus sum ita presse, apteque scripta, ut Celsus solet. Et sane editiones caeteras consulens, deesse illa vidi quae sequuntur; sed tamen et ipsas, et codicem vitio non carere. Habent enim, *quae si singula habenda sunt, meliora sunt*, statimque illuc transeunt, *sed in copia etc.* Cui vitio si Constantinus mederi voluit ex ingenio per ea quae in margine adnotavit, quorum parte usus est postea Lindenius; morbum quidem magis cognovisse mihi videtur, quam sustulisse: sin codice aliquo usi sunt; vereor ut ejusmodi fuerit, qualem ipse versare et scrutari vellem: quanquam vitia interdum adeo antiqua sunt, ut ad ea tollenda satis opis ne a vetustissimis quidem, optimisque exemplaribus habere liceat. Quod quum possem tibi non uno exemplo demonstrare, eo quod sequitur, ostendam.

Quum aestate A. 1742. in Patriam secessissem meam, nec horas vellem pomeridianas illas fervidissimas perdere; Celsi codicem, quem alias, ut scis, nonnihil versaveram, petii; ut quidquid a Pinziana editione discreparet, in hujus oris perscriberem. Haec editio, A. 1497. Venetiis habita, et qua nunc apud me nulla alia vetustior est, eo gratior in dies mihi sit, quo magis convenire ipsam in plerisque cum principe Florentina, intelligo, quum plura quae ex hac adhuc servo, excerpta confero: estque eadem *Celsus* ille *Pinzianus*, quem adeo laudabat Sculzius (1). Celsus autem Foroliviensis calamo in membranis scriptus est A. 1451; ut quanquam ab editione illa in non paucis differat, non tamen unquam miratus sim, quod in difficilioribus locis non idem mihi auxilium tulerit, quod a multo antiquioribus libris sperassem, ut neque tunc in quodam Praefationis loco, necdum mihi, ut verum fatear, satis perspicuo, multo autem minus in Almeloveenii editione, in qua sic legitur: « Nam ne uterum quidem, ut nihilominus aerem contineat, spirante homine posse diduci ». Certe enim venter, spirante animali (quod vel proxima verba non negant) imo diutius vitam trahente, in experimentis anatomicis aperitur; non ita quidem, ut aerem nihilominus contineat: sed quis hoc requirat? aut sic objiciat, quod per se omnibus manifestum est, fieri nullo pacto posse? Itaque in nulla ex meis editionibus ita is locus descriptus est; sed in cunctis ad hunc modum, « Nam uterum quidem qui minus ad rem pertineat spirante homine posse diduci ». Verum ut communis haec lectio neque insequentibus verbis repugnet, nec vero, nec illud requirat, aut objiciat quod sic non esset objiciendum; tamen id ponit quasi minus ad propositam disputationem pertinens, quod evidens est ad ipsam pariter valde attinere. Ea enim erat disputatio quae non minus ad haec spectaret, quae alvo, quam ad illa quae thorace includantur, vivo animali, examinanda. Quum propterea haesitarem; frustra codicem illum cum Pinziana editione contuli: id enim quod modo tibi descripsi, ut in hac, ita in illo pariter scriptum erat. Quid optabilius esse poterat, quam videre, quomodo legeretur is locus in eo codice, *quicum nullum inter omnes Italiae membranas aetate vel emendatiori scriptione comparandum esse*, censuerat Jo. Rhodius (2)? Hujus voti me

(1) *Epist. ad Thomasium, praefixa Exercit. de Ossib. conferv.* (2) *Praefat. in Scribon. et Dissert. de Acia c.* 6.

ultro compotem fecit Vir Humanissimus, idemque graece, latineque Doctissimus Antonius Cocchius Mugellanus in adjectis ad Etruscam suam de Anatome Dissertationem, ad me perbenigne missam. In illis enim, inter egregia caetera, lectiones aliquot proferens ex vetusto illo Mediceo, quem Rhodius tantopere laudaverat, codice, eam quoque produxit quam prae omnibus optabam. Sed quum ea nihil prorsus discrepet a communi; jam aequum esset fortasse, ut me tardiorem in percipiendo, aut fastidiosiorem in accipiendo faterer: quod et facerem libens, nisi animadverterem, plerisque pariter Editoribus non planissimam esse visam propositae scripturae sententiam. Cujus rei iudicium est, quod legendum credidere *qui minus*, et interrogandi notam ? in fine apposuere; quasi ita aliquando captu facilior redderetur. Quum vero difficultatem ne sic quidem tolli, existimaret Constantinus; eo decurrit, ut in libri ora adscriberet. *Nam ne uterum.* Quam adnotationem retinuit Rousseus, credo ob eandem causam, Lindenius autem in contextum recepit, aliaque mutavit ex codice aliquo, an ex ingenio? minus feliciter certe, ut ostensum est, sed non obscura significatione difficultatis, quam offenderent in communi lectione satis commode intelligenda.

Cave tamen credas, optimos ejuscemodi codices; etsi non omnibus in locis meliora quaerenti respondeant; non magno alibi esse usui ad veram lectionem aut ex quibusdam quasi vestigiis indagandam, aut etiam plane aperteque reperiendam. Exemplis utrumque comprobabo, ab eodem Cocchio propositis. Legitur, ut in Manutiorum, aliorumque complurium, sic etiam in Almeloveenii editione lib. 8. cap. 20. « Neque tot genera machinamentorum quoque, ad extendendum in hoc casu femur, Hippocrates, Andreas, Nileus, Nymphodorus, Protarchus, Heraclides, faber quoque quidam reperissent, si id frustra esset ». Quid cogebat Celsum, ut post tot, talesque Viros, obscurum fabrum memoraret? Nihil certe. Itaque laudanda videtur editio princeps, et Ruellii, et ante hanc, Pinzii, et Juntae editiones, et siquae aliae nihil habent de fabro, quum caeterae meae omnes habeant, et codex Foroliviensis, et quinque alii Florentini, eodem saeculo scripti XV. Sed fuitne in codicibus vetustioribus quidquam ex quo perperam lecto istud extiterit de fabro commentum? In vetustissimo illo, inter *Heraclidem*, et *reperissent* haec scripta fuerant, *quid qua vi*. Admonet autem non minus opportune, quam docte, Cocchius, locum hunc Celsi videri ex loco expressum Heraclidis Tarentini, extante adhuc apud Galenum (1): quod eo facilius credo, quo saepius video, Heraclidem illum a Celso memorari, et quo similiorem utriusque loci sententiam agnosco. Heraclides vero quum Medicos clarissimos nominet, in iisque Hippocratem, Nileum, et Nymphodorum; de fabro nihil, sed hujus loco, habet, ut Cocchius vertit, *aliique quidam*. Quibus ex vocibus, a Celso verisimiliter scriptis, neque ut fabrum, sed ut claros alios Viros, quos Heraclides nominatim laudaverat, significaret, num illae sint natae *quid qua vi*, Criticorum erit existimare.

Vidisti, ut optimus codex indicia praebeat ad veram, aut certe veri similem scripturam indagandam. Nunc accipe, quemadmodum plane eam a-

(1) *in Hippocr. de Artic. Comment. l. 4. n. 42.*

perteque exhibuerit. Libro 7. cap. 26. ubi Celsus docet, qui via ferro facienda sit, per quam calculus e vesica eximatur, haec legebantur : « Juxta anum incidi cutis plaga lunata usque ad cervicem vesicae debet, cornibus ad coxam spectantibus paululum: deinde ea parte, qua strictior ima plaga est, etiamoum sub cute, altera transversa plaga facienda est, qua cervix aperiatur. » Quumque omnia quae apud me sunt, exemplaria in iis praesertim verbis conveniant, *qua strictior ima plaga est*; horum loco in pervetusto illo codice scriptum fuerat, *qua resima plaga est*. Nosti, qua significatione, non satis fortasse in Lexicis expressa, utatur Celsus voce illa *resima*, quum renes dicit lib. 4. cap. 1. *a parte* altera *resimos, ab altera rotundos*. Hic aotem vides de plaga *lunata* verba fieri, novamque hanc, vel potius vetustissimam omnium scripturam aperte docere, transversam plagam ad lunatam illam ab ea parte esse addendam , a qua extant ejusdem cornua. Versamur , ut vides , in re gravi , et ad eam rationem extrahendi calculi pertinente, quam inter caeteras praestantissimam multis de causis ostendit idoneus, siquis alius , harum rerum existimator, Heisterus (1) ; qui praeterea ex eadem ortam esse, non dubitat (2) , *Methodum* , ut vocant, *Lateralem* , ounc maxime celebratam , confirmatque (3) testimonio Ravii, qui de hac methodo, Raviana etiam dicta , interrogatus, saepe respondit, *legite Celsum*.

Atque utinam Cl. Cocchius, ut has variantes lectiones proposoit, illamque insuper quam et oos, admoniti a Foroliviensi codice, et cunctis editionibus, et re ipsa, in extrema superiore Epistola (4) attigimus; utinam, inquam, sic etiam reliquas omnes adjungere potuisset, quas, Celsum totum cum scriptis libris conferendo, jam diu habet adnotatas: magno certe beneficio quum omnes politissimi, utilissimique Auctoris studiosos, tum me praesertim, qui jampridem ejus humanitati multum debeo, hoc etiam nomine obstrinxisset. Nam ego uno qualicunque codice usus, vix audeo ex iis quae animadversa habeo, quaepiam proferre, veritus, ne aliter in aliis antiquioribus, et praestantioribus libris legatur. Exempli enim causa, libro 1. cap 2. ubi ambulatio *melior* esse dicitur *in umbra, quam parietes aut viridaria efficiunt, quam quae tecto subest*, pro illa voce *viridaria* , quae in meis omnibus est editionibus, in codice inveni *viridia*. Quod paulo fidentius memoro, quia io alio quoque codice sic legi , ex mea Pantini editione intelligo, cujus librilduo primi, et tertii priora capita quum olim; a quo nescio; collata fueriot cum veteri aliquo exemplari, et variantes lectiones inde habeant in oris calamo descriptas, inter has hic habent *paries* , *aut viridia*. Differre autem, crediderim , viridia a viridariis , quod hac voce non nisi loca herbis et arboribus virentia, illa vero loca eadem aliquando, alias autem arbores plantaeve ipsae virentes videntur significari. Sic Catanaeus (5) in minoris Plinii verbis illis, *ambit hunc ambulatio pressis varieque tonsis viridibus inclusa*, accipiendum censuit *viridibus* pro *arboribus semper virentibus*. Nec certe Vitruvium (6) aliter existimes accipere potuisse, quum scripsit: *Media vero spatia, quae erunt sub divo inter porticus; adornanda viridibus videntur*. Neque enim viridariis dicere voluit , quae ipsa sunt loca, seu spatia ; sed arboribus, quibus *hypethrae*, idest subdia-

(1) *Dissert. de Lithot. Celsi praestantia.* (2) *Ibid. n.* 52. (3) *Ibid. n.* 52. (4) *p.* 393. *l. ul.* (5) *Comment. in l.* 5. *Epist.* 6. (6) *de Architect. l.* 5. *c.* 9.

les, ambulationes includerentur, ut sic *haberent* etiam a viridibus *salubritatem*, et in urbium obsidionibus, ut aliquanto inferius ait, succisis arboribus apertae, lignorum necessariam copiam sufficerent civitati. Quis autem Senecam (1), credat, quum in Africani majoris villa *cisternam* dixit *aedificiis ac viridibus subditam*, viridaria intellexisse ? quum cisterna, ut aedificiis et arboribus posset, viridariis subdita esse non posset : neque enim haec satis convenirent quum caeteris quae mox subjiciuntur, *sub hoc ille tecto tam sordido stetit, hoc illum pavimentum tam vile sustinuit*. At enim Macrobius (2) quum *viridia* non pro apposito, ut iu viridibus pratis, sed pro positivo ponitur, ut in illis, *formosa, facies viridiorum,* docuit, et in genitivo casu sic finiri, et *ipsam loci viriditatem significare*. Fateor, qui supra dixerim, non semper arbores virentes designare. At certe non viriditatem ipsam loci apud laudatos Auctores significat ; id quod proposito meo est satis : ut minime mihi quaerendum sit, qua significatione in Phaedri (3) versiculo ponatur,

Perambulante laeta Domino viridia ;

quanquam ubi de ambulando per Romanos Xystos sermo est, posset alicui in mentem venire, ut secundum Plinii, et Vitruvii productos locos explicaret. Multo autem minus hic quaeram, sintne *viridia* ad eundem modum accipienda in scriptis veterum Jurisconsultorum. Qua de re memini multa mecum olim erudite, ut solebat, verba fecisse Herculem Franciscum Dandinum Comitem (qui huic Gymnasio, mihique in primis, moriens, magnum tot ejus virtutum desiderium reliquit) quum differre, ipse quoque, sed alia ratione, *viridia*, et *viridaria* conjiceret, quamobrem alios fuisse *viridiarios*, alios *topiarios*, existimabat, nec *viridaria* dicta etiam *viridiaria*, nisi ex imperitia librariorum, qui *viridia* non intelligentes, alias in *viridaria*, nonnunquam littera ultima *i* non deleta, in *viridiaria* mutassent: quae in eum quem ultimum edidit librum (4) fuse retulisse, non dubito. Illud dubito, ne forte etiam in Celso nostro ob eandem causam ejusdemmodi mutatio contigerit, et ex *viridia*, quae ubi de ambulatione agitur, adeo convenire vidimus, factum sit *viridaria*.

Ex iis quae in Foroliviensi codice animadverti, hoc quoque est. Lib. 2, cap. 12. ubi Almeloveenius haec edidit, « immittenda in alvum est, si levi medicina contenti sumus, pura aqua ; si paulo valentiori, mulsa; si leni, aqua, in qua foenum graecum, vel ptisana, vel malva decocta sit: si reprimendi causa, ex verbenis » ; supra illa verba, *si leni, aqua* (quae in eo codice, ut in meis omnibus editionibus, ita sunt, *si leni, ex aqua*) supra illa igitur scriptum est *leniendi causa*, in margine autem *molliendi causa*. Quae an glossemata, an variantes, ut saepenumero in eodem codice, ex aliis descriptae lectiones sint, non facile dixerim; sed tamen dixerim, apte his respondere, quae mox sequuntur, *si reprimendi causa, ex verbenis*. Quo loco, si ex me quaeras, quid Celso verbenae sint; noli expectare, ut cum Almeloveenio respondeam *quaevis herba*, quasi foenum graecum, vel malva non essent herbae, vel herbae omnes reprimerent ;

(1) *Epist.* 86. (2) *Saturn. l.* 1. *c.* 4. (3) *l.* 2. *Fab.* 5. *v.* 14. (4) *Interpret. de Servit. Praedior.*

neque, ut cum aliis virgulta semper virentia, et jucundo odore, ant alia denique, magis ad Auctores alios, quam ad Celsum explicandum attinentia. Se ipse Celsus interpretatur hoc eodem libro cap. 33.quum inter reprimentia ponit verbenarum contusa cum teneris caulibus folia ; « cujus generis, inqnit, sunt olea, cupressus, myrtus, lentiscus, tamarix, ligustrum, rosa, rubus, laurus, hedera, punicum malum»:et uno versu interposito,» aqua calida, in qua verbenae coctae snnt, quas supra proposui. Eae autem omnes num semper vireant, aut jucundo odore sint, vides.

Sed, ut plenius desiderio tuo satisfaciam, audendum jam est, et sine cortice natandum, id est sine ullo codicum adjumento, verae similior scriptura, si non divinanda, conjecturis saltem, aut certe suspicionibus perquirenda. A facilioribus incipiamus. Celsum quidem ipsum libros suos in quaedam capita divisisse, manifestum est illa ejus loca attendentibus (1), quae in extrema sua Praefatione indicavit Lindenius. Ita vero Celsum divisisse, ut nunc videmus, aut eas quas legimus, inscriptiones capitibus praefixisse, si quis crederet; is quae ego, scripta exemplaria inspiciendo, eam protinus opinionem deponeret. Longe enim alias, easque haud raro ineptas, et divisiones, et inscriptiones animadvertens, a Celso illas esse non posse, statim perspiceret. Huc adde, non easdem esse in cunctis codicibus partitiones. Quarum rerum omnium specimen habebis in II. et III. in Celsum Epistola ad te nostra, si particulam illam Indicis quam in II.(*) ex Foroliviensi codice descripsi, cum ea contuleris quae in III. (**) est ex Veneto, utramque autem cum ea parte quae illis respondet in libro cujuscunque editionis quarto. Quum enim editiones apparari coeptae sunt, tunc primum, ut opinor, cogitatum est de aptiore et divisione in capita, et lemmatum his praeponendorum sententia aut seligenda, si quo in codice minus forte inepta erat, aut de integro excogitanda : itaque non in cunctis editionibus easdem ubique divisiones sunt, eaedemque inscriptiones. Haec attigi, primum ut mecum laudes Lindenium, si quid scite in lemmate aliquo emendavit, velut in eo quod antepositum capiti I. libri 8. sic in meis editionibus legebatur, *De positu et figura totius humani corporis*, quando non haec eo capite Celsus docuit, sed ejus *ossium positus figurasque*, ut ipso capitis initio promiserat. Recte igitur Lindenius fecit, quod a Constantino adscriptam in margine vocem *ossium* illi addidit inscriptioni. Deinde illa attigi, ne mireris, si fidentius dixero, e lemmate capitis 27. libri 7. *De cancro, qui excisa vesica nascitur*, quamvis et codex, et omnes apud me editiones sic habeant, verbum esse tollendum *excisa*, aliudque, ut, exempli causa, *incisa* substituendum. Quis enim, nisi mortuo, vesicam exeidat, id est scalpelli ope detrahat ?

Faciles quoque, tametsi non in lemmate aliquo, sed in ipso Auctoris contextu, eae mutationes videri possunt, quae una in litterula consistunt, ut si libro 6. sub finem capitis 6. in illis verbis, quae iisdem editionibus et codici sunt communia, *recognitis omnibus, quae medici quoque prodiderunt*, pro *quoque* rescribamus *quique* : neque enim ipse medicus non erat, nec remedia, quae tam longo capite tot, et tam varia proposuerat, fere omnia a medicis non fuerant prodita.

(1) p. 210, 12. et 290, 15. (*) p. 334, 17. (**) p. 337, 35.

Ubi vero sub initium capitis 17. lib. 5. haec edidit Almeloveenius: «In hoc autem volumine eas *compositiones* explicabo, quae vel desiderari in prioribus potuerunt; vel ad eas curationes pertinent, quas protinus hic comprehendam sic, ut tamen quae magis communia sunt, simul jungam. Si qua singulis, vel etiam paucis commodata sunt, in ipsorum locum differam »; recte quidem fecit, quod in *paucis* sequi maluit Lindenium, quam caeteros qui magno consensu habent *parvis*, ne Pantino quidem, et Constantino, et Rousseo exceptis, quorum tamen primus in Adnotationibus, hi autem in libri ora Lindenio praeluxerant; sed illud haud bene, quod scripserit *commodata*, qua in voce Almeloveenii typographos errasse, crederem, nisi eandem in Lindenii, et Pantini editionibus, imo in hujus quoque Adnotationibus offendissem, quum reliqui omnes ediderint *accomodata*, codex habeat *accomoda*. Hic tamen, illique omnes quum habeant *in ipsorum locum*; ego qui haec non videam alio posse, quam ad curationes, referri, malim *in ipsarum locum*.

Jam vero ad paulo majoris momenti suspiciones progrediamur Libro 3. cap. 6. haec legimus. « Ac protinus quidem scire *oportet*, non febricitare eum, cujus venae naturaliter ordinatae sunt, temporque talis est, qualis esse sanis solet: nec protinus etiam sub calore motuque febrem se se concipere: sed ita, si etc. ». Et in eo quidem ab Almeloveenio discrepant pleraeque editiones, et codex, quod habent *non protinus autem*; sed in caeteris mire omnes conveniunt, nisi quod Pantinus, offensus ultimis verbis in Adnotationibus credit *se se* in *potuisse* mutandum, Constantinus autem et Rousseus leviori mutatione in margine adscribunt *posse*. Mihi vel hac levior placeret, id est *esse*, legeremque *febrem esse, concipere*, quomodo Celsus ipse alibi dixit, « urinam in vesicam destillare, concipiunt, et ego eundem quidem hominem posse omnia ista praestare, concipio etc. »

Libro 2. initium capitis 14. apud Almeloveenium est ad hunc modum. «De frictione vero et gestatione ad eo multa Asclepiades, tanquam inventor ejus, posuit in eo volumine, quod Communium Auxiliorum inscripsit, ut, quum trium tantum faceret mentionem, hujus et vini et gestationis, tamen maximam partem in hoc consumpserit», id est in frictione, ut vel ea demonstrant quae de hac una et continuo, et toto capite sequuntur. Igitur quum Celsus dicat, *in hoc, et hujus, et inventor ejus*, nec de gestatione verba facere incipiat, nisi capite 15; aut me omnia fallunt, aut duae illae voces *et gestatione*, temere in primum versum irrepserunt, idque a longo jam tempore, quum in cunctis meis editionibus, et codice legantur. Rousseus in libri ora habet *equitatione*, ex eo, credo, quod in plerisque erat editionibus, *hujus et equi, et gestationis*, quasi equitatio ad gestationem non pertineret, ad quam diserte retulit Plinius (1), melius tamen paucis, et in his Manutiis *aquae* pro *equi* scribentibus; sic enim ediderant, *vini, et aquae, et gestationis* sive ex codicibus quibusdam; nam Foroliviensis ita prorsus habet, ut in margine Rousseus, *vini. s. et aquae, et gestationis*, sive etiam Plinium (2) respexerunt. Is enim de Ascepiade haec scripserat, cum proposito Celsi loco conferenda, « quinque res maxime communium auxiliorum professus, abstinentiam cibi, alias vini, fricationem corporis,

(1) *Nat. Hist. l.* 28 *c.* 4. (2) *Ibid. l.* 26. *c.* 3.

ambulationem, gestationes ». Quibus ex verbis etsi Muretus (2) delenda censuerat illa duo, *alias vini*, haud animadvertens, sic illas res *quinque* non fore; tamen ob hanc ipsam causam nihil mutandum esse, credidit Dalechampius (2), nisi *alias* in *aliquando*; neque hoc ipsum necessario, ut opinor. Nam quod Plinius infra subjicit: « Trahebat praeterea mentes artificio mirabili, vinum promittendo aegris, dandoque tempestive, tum frigidam aquam », aeque congruit cum superioribus, sive *alias* legas, sive *aliquando*. Sed quomodo Plinium *quinque* communia Asclepiadis auxilia, et Celsum *tria tantum* fuisse, dicentem conciliabimus? Frustra Pliniana Harduini editionem consului, quam post missam ad te V. Epistolam, nactus, ut libenter vidi pleraque eorum quae de collatione utriusque Auctoris desideraveram, non omittentem, ita sperabam hujus quoque nodi solutionem praebituram. Quae quum me spes frustrata esset ubi ad ea Plinii verba is quo de agimus, adnotatur Celsi locus; capita alia inspexi in quibus aut de Asclepiade, aut de frictione, et gestatione sermo est. Sed non modo nihil quod me juvaret, inveni; verum insuper ad caput 4. libri 28. non praetereundam operarum hallucinationem offendi. Graecus enim Hippocratis locus, ut Galeni (3) aetate in libro κατ' ἰητρεῖον legebatur, qui locus ut ad frictionem attinet, sic omnino erat iis Celsi verbis, quibus expressus est, subjungendus not. 5. Sect. 14; ad alia Celsi verba, quae de gestatione sunt, not. 8. non secus ac si ille pariter ad gestationem spectaret, adjunctus est. Nos vero eam quam proposuimus, repugnantiam qua tandem ratione tollemus, ut cum Plinius quinque, Celsus tria tantum communia Asclepiadis auxilia fuisse, scripserit? Sic fortasse, ut dicamus, Celsum de illis quae in memorato ab ipso volumine posuerat Asclepiades, Plinium de caeteris quoque eidem usitatis mentionem fecisse. Utcunque id est; quum Celsus tria dumtaxat memoret, ex quibus unum frictionem fuisse, demonstravimus, alterum autem gestationem fuisse ex consensu omnium hanc diserte in tribus illis enumerantium, veri similius est; satis pespicue apparet, *hujus*, id est frictionis, optimam scripturam esse, bonam *gestationis*, dubiam vero auxilii ejus quod inter utramque a Celso positum est, sic tamen ut vox *aquae* praevaleat, si codicem, qui hanc habet, et editiones, in quibus aut eandem legimus, aut ex ea corruptam *equi*, attendere velimus; vox autem *vini* ab iis qui frustra eadem quae a Plinio, a Celso quoque dicta vellent, in codices aliquos intrusa videatur.

Ut igitur voces illas duas *et gestatione* in ejus capitis initium, sic totidem suspicor irrepsisse in proximum caput 15. ubi nunc legimus: « Gestationum lenissima est navi, vel in portu, vel in flumine; vel lectica, aut scamno: acrior vehiculo: vehementior, in alto mari navi ». Intelligis, me de istis postremis dicere duabus vocibus: quanquam de *navi*, pridem ab Almeloveenio ipso notata, quin glossema sit, dubium esse non potest. At ego suspicor, non unum esse, neque Celsum, postquam *in alto* scripserat, *mari* adjiciendum censuisse. Suspicionem autem minus improbabis meam, ubi animadverteris, alio ordine in caeteris editionibus, ipsoque codice locum istum proponi consuevisse, ut gestationes quae navi fiunt, minime disjungerentur, sic videlicet: « Gestationum lenissima est navi vel in por-

(1) *Variar. Lect.* 14. c. 16. (2) *in marg. ad hunc loc.* (3) *Vid de Sanit. tuen l.* 2. c. 3.

tu, vel in flumine : vehementior in alto mari navi ; » unde haec duo ultima verba auferre non modo licet, sed et iuvat. Non me fugit, quid Lindenium moverit, ut antiquum ordinem mutaret, nimirum ne quae sequebatur gestatio *vel lectica, aut scamno*, ea videretur non minus vehemens dici, quam quae navi in alto. Verum si hoc attendendum ; illud quoque attendendum erat, eo quem ipse maluit, ordine vehementiorem dici gestationem navi in alto, quam vehiculo, quasi vero gestatione in alto tunc utendum fuisset quum mare ventorum vi maxime esset agitatum: itemque dici lenissimam, ut navi in flumine, quae vel lectica fiebat, vel sella, quarum motus, quippe pluribus gestantibus, creberrime inaequalis sit et dissimilis, necesse est. Non tamen negaverim, ut aliquid temere addit sic et omitti inter *alto* et *lectica* potuisse. Verum minus mihi facile est conjicere quod omnino verbum omissum sit, quam quae sint addita, suspicari.

Sic et voces alias duas, et has quidem ex librariorum incuria redundare, crediderim sub initium capitis 29. libri. 7. « Sed ante omnia vulvae natura mirabilis, quum in multis aliis, tum in hac re quoque facile cognoscitur. Oportet autem ante omnia etc. ». Quis enim tantam in disertissimo Scriptore inopiam verborum fuisse, existimet, ut duo illa verba *ante omnia*, nulla adductus ratione, tam brevi intervallo iteraverit ? Ut bene illa conveniant secundo loco, ubi ordine praecipere Auctor incipit quidquid fieri oportet ad maturum partum, iutus emortuum, manu educendum ; certe primo illo non apparet, cur ponantur. Quum enim difficultatem ejus operis proposuerit; continuo spem unam dat, eamque in uteri natura mirabili quae occasionem praebet cauto et perito Chirurgo primum unum digitum, deinde et alterum, et sic deinceps totam manum per illas angustias inserendi. Namque ex intervallo subinde os uteri dehiscit: qua occasione utendum, ut magister quisque obstetricandi spectatissimus vel nunc praecipit, sicque deinceps expectandum *donec iterum id os aperiatur* ; ita enim legere malo, quam cum Lindenio, adscripta in margine a Constantino, et Rousseo sequente, *os adaperiatur*, quum sit in codice *ad os aperiatur*, ut in omnibus quoque, mihi notis, editionibus, excepta principe Florentina, ex qua a me olim excerpta nunc inspiciens, gaudeo, in his idem prorsus quod in mentem venerat, reperire.

Fortasse ob eandem veterum scribarum indiligentiam, quaedam alia iterata sunt verba in citati libri 7. capite 26. « Quum jam eo *calculus* venit, ut super vesicae cervicem sit, juxta anum incidi cutis plaga lunata usque ad cervicem vesicae debet ». Veterum dixi ; nam hic quoque tum in codice, tum in meis omnibus editionibus eadem illa repeti video, quamvis caetera paulo aliter, nempe ad hunc modum proponantur, « ut incidi super vesicae cervicem juxta anum cutis plaga lunata usque ad cervicem vesicae debeat », nisi quod in codice est *uebet*, quod in libri ora Constantinus, et Rousseus malunt, *ut* illud deientes, tanto melius haec quidem quam Lindenius, quod si calculus super vesicae cervicem sit, necdum ad eum pervenit locum, ut secundum inculcata hoc capite a Celso praecepta aggredi Medicus sectionem debeat. Ante hanc enim vel modo praeceperat, ut calculus digitis compellatur deorsum donec ad cervicem perveniat, in eamque impellatur. Itaque ubi mox dicit, *Quum jam eo venit*, perspicuum est, hoc velle, Quum jam in cervicem venit; ut absonum sit addere *ut super vesicae*

cervicem sit, supervacuum autem videri possit dicere, *super vesicae cervicem* esse incidendam cutem, quando plaga lunata juxta anum debere dicitur *usque ad cervicem vesicae* pervenire, aut si illud minus supervacuum sit, vox saltem *vesicae* secundo hoc loco sit minime necessaria.

Utcunque id est: a non absimili operarum socordia quum factum esse, conjecissem, ut in cunctis a me versatis editionibus duo alibi verba essent repetita; meam conjecturam postea confirmatam vidi non illibenter. Locus est lib, 8. sub initium capitis 7. ubi quaedam de variis casibus attinguntur, qui ossi, dum frangitur, possunt incidere. « Quinetiam aliquando plura fragmenta a fragmento fiunt. Sed in aliis quidem ossibus ex toto saepe fragmentum a fragmento recedit ». Vides, quibus de verbis dicam, nempe *a fragmento*, quae ut secundo loco necessaria sunt, sic primo vel tunc redundare mihi viderentur, si *e fragmento* scriptum esset, quod nusquam legi. Et fuisse quidem alios antea quibus displicuissent, ex Constantini marginibus intelligebam, qui adnotatum habent, *Quidam segmento*; nec tamen quid isti spectassent, percipiebam. Verum quum denique in Foroliviensi codice duo illa verba prorsus deesse primo quidem loco, animadverti; sic enim scriptum est, *plura fragmenta fiunt*; tum vero ad meae conjecturae pleniorem confirmationem nihil aliud optandum cognovi, nisi ut cum eo codice plures alii, in primisque optimi, consentirent.

Quamobrem etsi alias duas suspiciones meas ab eodem codice demum inveni confirmatas; nolui tamen eas magis quam superiorem, ei codici acceptas referre non modo quia ipsae quoque multo mihi antea in mentem venerant, quam ejus varietates codicis omnes adnotarem, verum etiam quia uni codici, neque ei optimo, non multum tribuo, in re praesertim quae minus est in veteribus ejusmodi libris attendenda, velut haec de duabus prima, quae nimirum pendet a distinctionum notulis, inter verba interjectis. Paulo supra finem ejusdem capitis 7. in omnibus quae apud me sunt, editionibus ad hunc modum scriptum est, *costae, spina coxarum*, *os tali*, *calx*: ad eundemque modum iterum paulo supra finem insequentis capitis 8. eadem verba proponuntur, nisi quod eo capite 8. *coxarum* loco, quam vocem retinent Lindenius, et Almeloveenius, reliqui habent, codice non discrepante, *costarum*. A quibus hic duo vides posse requiri, costarum spina quid sit? et quare a costis distinguatur? scribunt enim *costae*, *spina costarum*: quum a duobus illis prioribus unum modo requiri possit, idque reliquis capite quidem 7. commune, spina coxarum quid sit? neque enim Celsus quum libri hujus 8. capite 1. ossa omnia sigillatim proposuit, in iisque costas, et os coxarum; illis, aut huic spinam tribuit; ne quis forte quia posteri summam hujus partem utrinque spinam vocarunt, eam, credat, capite 7. intellexisse. Quid ergo est? *Coxarum* ego utroque loco scribendum opinor; *spina coxarum* neutro. Sed verba ita distinguenda, *costae, spina*, *coxarum os*, *tali calx*; aut, si mavis, *coxarum os*, *os tali*; vel *coxarum os*, *talus*; sic enim singula haec ossa alibi nominat Celsus. Qui inter caetera ossa, quae ibi cap 8. memorat, fere immobilia, id est non aeque mobilia, ac humeri, brachii, femoris, cruris, digitorum ossa, de quorum curationibus est postea acturus, coxarum os praetermittere non debuit, nec vertebras; has autem spinae nomine, ut solet, hic quoque intellexisse, initium, et finis proximi, quod sequitur, 9. capitis satis ostendunt.

Haec quum essem conjectura persequtus; codice inspecto, distinctionis notas inveni, non inter *coxarum*, et *os*, sed inter *spina*, et *coxarum*, et inter *os*, et *tali*, quemadmodum suspicione praeceperam.

Antequam alias hujus generis suspiciones adjiciam; alteram illam indicabo, quam a codice comprobatam vidi. Libro 6. cap. 18. « Anus quoque multa, taediique plena mala recipit, nec a se multum abhorrentes curationes habet ». Quum haec primum legi; credibile visum est, non ita olim scriptum fuisse, sed potius *nec inter se multum abhorrentes*, quomodo Livius (1), exempli causa, dixerat *abhorrent inter se orationes*. Et vestigia quidem ejus scripturae in cunctis meis editionibus deprehendi, in quibus videlicet legitur *nec in se*; licet Constantinus, et Ronsseus in libri margine adnotaverint *necnon in se multum abhorrendas*, lectione minime iis, quae sequuntur, curationibus conveniente, quas si perlegas, plerasque agnoscas nullam asperitatem, multam similitudinem inter se habere. Suspicionem denique codex luculentissime confirmavit, in quo perspicue scriptum reperi *inter se*.

Redeo nunc ad eos locos, in quibus suspicor, ob pravam verborum distinctionem sententiam esse corruptam. Libro 2. cap. 29. inter ea quae alvum movent, ponuntur *uvae recentes pingues, minutae aves, cochleae etc.* Capite autem insequente inter ea quae contra adstringunt, recensentur « dura ova, magisque, si assa sunt: minutae aves, merula, palumbes; magisque, si in posca decocta est ». Num eaedem igitur minutae aves alvum et adstringunt, et movent? Haec repugnare, sensit Ronsseus (2), commentusque est, primo loco teneras et nuper exclusas, elixasque; altero siccas, et adultas, et assas; quasi Celsus si ita intellexisset, per se declarare non consuesset. Quod et de Pantino (3) dictum volo, qui teneras, durasque distinxit; quum facilius posset, quam Ronssens, mutatis primo loco inter verba notulis, tollere, ut mihi videtur, repugnantiam, ad hunc modum, *uvae recentes, pingues minutae aves*. Dixi autem facilius, quam Ronsseus; hic enim ne dubitavit quidem, quin pingues uvae essent intelligendae, sicque in Enarratione sua explicavit. At Pantinus (4) utrum mallemus, optionem dederat, *pingues* de uvis, an de avibus dictum accipere. Ego vero non dubitandum crediderim, quin de avibus sit accipiendum. Pinguedo enim proprie in animalibus dicitur, et *caro pinguis* mox diserte a Celso in iis quae alvum movent, commemoratur. Caeterum quum alii sic verba distinxerint, ut Almeloveenius, alii ambigue, ut Pantinus; vix tandem unum Constantinum animadverti ita, uti ego conjeci, distincta edidisse.

Verum ne hunc quidem inveni qui alia quaedam ita distingueret, quemadmodum mihi distinguenda videntur, libro 5. cap. 26. ubi Celsus sub nomine cancri, vulneribus supervenientis, gangraenam fere et sphacelum describit. Nam quod Almeloveenius quae Pantinus (5), et Ronsseus (6) huc adscripserant, magis attendens, quam quae Constantinus; indicat, quasi huc attinentes. Galeni locum, et Hildani Observationem; nempe uterque horum ibi de tumore verba faciunt, quem hodieque omnes cancrum appellant, non de affectionibus quas Celsus hoc quidem nomine complecti so-

(1) *Hist. l. 38. haud ita procul. a fine.* (2) *Enarrat. in hos loc.* (3) *Comm. in primum loc.* (4) *ibid.* (5) *Annot. in hunc. loc.* (6) *Enarrat. in eund. loc.*

let, nimiae vulnerum inflammationi, aut constrictioni, ut antequam describat, ipse ait, succedentibus; sic enim quum saepe alibi, tum praesertim ibi loqnutus est, ubi generatim vetuit nimis arctas fieri deligationes, *siquidem id, quod adstrictum est, alienatur, et cancro opportunum est*, et ubi speciatim in ossis fractura quacum sit vulnus conjunctum, tanto laxiores fascias laudavit, *quanto facilius, et alienari et occupari cancro vulnus potest.* In illa igitur descriptione haec etiam sunt, « ex nigro ulcere humor pallidus fertur, malique odoris est, et caro intus corrupta: interdum etiam nervi ac membranae resolvuntur, specillumque demissum descendit etc. » Nemo autem caeterorum est qui vel majoris distinctionis notam inter *corrupta*, et *interdum* non interponat; si Manutios, et Stephanum excipias: quanquam nemo ibi *caro intus corrupta* habet; habent vero *caruneulae corruptae*, vel, ut codex, *carunculaeque corruptae*, quod ego melius existimo, quia ante duos tresve versiculos quum de hoc ulcere dictum esset *caro ejus corrupta est*; ineptum fuisset idem iterare. Sic igitur rescribendum suspicor, « ex nigro ulcere humor pallidus fertur, malique odoris est: carunculaeque corruptae, interdum etiam nervi ac membranae resolvuntur etc. » id est putrefactae excidunt.

Est etiam ubi depravatam sententiam credas non tam quod verba non bene distincta sint, quam quia transposita. De quo ut existimare possis; ex lib. 3. cap. 6. non brevem locum describam, necesse est, ad tempus attinentem quo potio febricitantibus et concedenda. « Ac ne illud quidem ab Heraclide Tarentino dictum, ratione caret: ubi aut bilis aegrum, aut cruditas male habet, expedire quoque per modicas potiones misceri novam materiam corruptae. illud videndum est, ut, qualia tempora cibo leguntur, talia potioni quoque: ubi sine illo datur, diligantur, quum aegrum dormire cupiemus: quod sere sitis prohibet. Satis autem convenit, quum omnibus febricitantibus nimius humor alienus sit, tum praecipue esse foeminis, quae ex partu in febres inciderunt ». Hic igitur manifestius est, quam ut admonitione mea egeat, non aliam, nisi minoris distinctionis notulam, inter *quoque*, et *ubi* fuisse ponendam. Illud aliquam attentionem requirit, ut suspicemur, suo non esse loco ea verba, *quum aegrum dormire cupiemus: quod fere sitis prohibet.* Haec enim, sive ad istum modum legantur, sive ipsis particula, *aut*, ut in codice, meisque libris omnibus, praeponatur, non bene ibi collocata esse videbuntur iis qui animadverterint, tempora illa non tunc dumtaxat esse deligenda, quum aegrum dormire cupiemus, sed tunc etiam quum materiam novam corruptae misceri, volemus. Quorum utrumlibet addita quidem ista particula *aut* significabit, sed in alium translata locum simul cum verbis insequentibus. Tantum igitur abest, ut eam particulam, quod Constantinus, et Roussens in margine indicant, expungendam credam; ut sententiam sic restitui posse, existimem, « Ac ne illud quidem, ab Heraclide Tarentino dictum, ratione caret: ubi aut bilis aegrum, aut cruditas male habet, expedire quoque per modicas potiones misceri novam materiam corruptae, aut quum aegrum dormire cupiemus; quod fere sitis prohibet. illud videndum est etc. » Quod si forte malis, nulla translatione verborum facta, mutare tantummodo *aut* in *ut*; etsi translationem magis probem; non pertinaciter repugnabo: satisque mihi erit, locum, quemadmodum hactenus legebaut, vitio non caruisse.

Age nunc veniamus ad alterum in quo manifestius esse videbitur vitium, neque, ut puto, sine verborum transpositione facile tollendum. Lib. 4.sub initium capitis 13 haec sunt. « Sed prior, *morbus videlicet Ileus*, modo supra umbilicum, modo sub umbilico dolorem movet. Fit in alterutro loco inflammatio nec alvus, nec spiritus infra transmittitur. Si superior pars affecta est, cibus : si inferior, stercus per os redditur ; si utralibet, metus est. Adjicitur periculo, si vomitus biliosus , mali odoris , aut varius , aut niger est ». Vides , num ubi stercus per os jam redditur , possit vomitus esse, nisi mali odoris ? numve periculum, quod jam summum est, his adjectis augeatur ? Certe Aphorismus ipse, (1), quem, tanquam huc attinentem, indicat Almeloveenius; si rationem, et Galeni (2) interpretationem attendamus ; periculum in Ileo praenunciat ex eo vomitu, non qui vomitum stercoris, aut stercori similium excipiat, sed qui hunc praecedat. In Ileis, inquit Galenus, « vomitus non semper adest , sed quando exitiales sunt: et si vehementius distorquentur, stercus eis ascendit » :et mox, « Haec vero mihi fieri videntur ab intestinis in quibus passio talis existit, a se expellere stercus appetentibus , quando longitudine temporis coepit molestare ». Quam alteram ex Galeno descripsi particulam ob eam etiam causam, ut intelligeres, quanto melius in producto Celsi loco, ubi nunc legitur, *si utralibet metus est*, legeretur antea ab omnibus , *si utrumlibet vetus est*, quod et codex habet. Itaque locum sic restitui posse, conjicio, si post *transmittitur* , continuo scribamus. « Adjicitur , *vel ; quoniam in codice est*, accidit; Accedit periculo, si vomitus biliosus, mali odoris, aut varius, aut niger est. Si superior pars affecta est, cibus: si inferior, stercus per os redditur; si utrumlibet vetus est » ; videlicet si in superiore, aut in inferiore parte inveteravit affectio. Ad eundem enim modum Celsus de dysenteria infra loquitur cap. 15. *Si pluribus diebus nihil remedia illa juverunt , vetusque jam vitium est.* Verum ad alia veniamus, vel potius revertamur.

Cum enim supra mentionem facerem immobilium quorundam , id est minus inter se, secundum naturam, mobilium ossium , quae Cornelius noster extremo capite 8. libri 8. nominaverat; in memoriam redii, quid essem olim suspicatus in verbis illis , quibus inter initia capitis 11. ejusdem libri, ossium motus praeter naturam, id est luxationes, ita distinxit. « Moventur *ossa* sedibus suis duobus modis. Nam modo quae juncta sunt, inter se dehiscunt: ut quum latum os scapularum ab humero recedit; et in brachio , radius a cubito ; et in crure, tibia a sura: — — modo articuli suis sedibus excidunt ». Quem secundum modum sigillatim insequentibus proponit capitibus, de maxilla luxata, et, quod ad susceptum sermonem maxime attinet, de luxato humero , aliisque ejusmodi. Hinc autem suspicio oritur, in iis quae produximus, verbis non *ab humero*, sed *ab jugulo* potius esse legendum. Jugulum enim, id est clavicula, ita cum lato scapularum osse junctum est,ut quum tibia fibula, aut si mavis, cum ulna radius, non ita ut cum lato eodem osse humerus, qui et per articulationem jungitur, maximos quosque motus permittentem, et cum recedit ab illo osse, sive, quod eodem redit, quum illud os ab ipso recedit, non huc res attinet , sed alio, videlicet ad caput, quod peculiariter extare dixi, de luxato humero. Quae

(1) 10. *Sect.* 7. (2) *Comment. in hunc. Aphor.*

animadversio non tantum ad id valet, ut vitiatam hic esse scripturam, opinemur (frustra explicante Constantino de acromio, quod ossiculum perraro in adultis invenitur, nec inter ossa a Celso proponitur) sed ad illud quoque, ut paulo inferius ab Lindenio egregie emendatam intelligamus. Quum enim et editiones omnes, et codex ipse, ut *ab humero* habent, sic perperam quoque haberent *mollibus*, vel etiam, ut in Constantini, et Ronssei margine, *molibus*; nihil melius rescribi potuit, quam *mobilibus* in iis verbis, *Quorum vitandorum causa facienda, eadem sunt, quae in ossibus mobilibus laesis*. Quid enim huc *ossium molibus*, vel *ossibus mollibus*, aut *mollioribus?* nam hoc malebat Constantinus. Hic enim, ut fibulae, et radii diserte proposita exempla ostendunt, de ossibus agitur immobilibus, aut certe minus mobilibus: hisque Celsus laesis, adhibenda eadem esse, docet quae laesis mobilibus.

Simile vitium, similique ratione emendandum, irrepsisse in primum caput libri hujus 8. suspicaberis, ubi legeris, *Maxilla vero est molle os*. Nemo enim hoc dicat, nedum Celsus, qui sternum, duritie cum maxilla non conferendum, os tamen esse *v lens, ac durum*, isto eodem capite dicturus est. At enim codex, et editiones, quotquot inspicimus, habent *molle*. Nimirum, credo, ut *mollibus* habebant in loco superiore, notula quae compendium vocis *mobilibus* significaret, a librariis olim non intellecta, aut minus animadversa: cujusmodi ob causam Veterum duo tresve ediderant infra, capite 4. ut Almeloveenius quoque ibi adnotavit, *membrana mollis ac sui coloris*, ubi edendum fuisse *membrana mobilis ac sui coloris*, satis illa ostendunt quae continuo his opponuntur, *membrana immobilis nigra etc.* Unum est, quantum video, quod mihi, pro *molle* hic *mobile os* reposituro, objici possit, nempe tribus, nec totis, interjectis versiculis, de eadem maxilla haec addi, *solaque ea movetur*; supervacuis verbis, si modo ea mobilis dicta esset. Attamen haud plane supervacua fortasse videbuntur, si quid continuo sequatur, attenderis Hoc enim ait Celsus, « solaque ea movetur. Nam malae cum toto osse, quod superiores dentes excipit, immobiles sunt ». Aliud autem est dixisse, mobile os maxillam esse, statim atque de ea sermo fieri coeptus est, nempe caeteris illis capitis partibus quae omnino immobilibus compinguntur ossibus, ad eum usque locum descriptis: aliud est, nonnullis de ea jam dictis, opportune admonere, maxillam de qua verba fiunt, illam esse quae sola movetur; ne quis forte rerum ignarus, maxillae nomine deceptus, putaret, superiorem quoque a Celso mobilem dictam fuisse. Nam superiorem etiam, a Romanis maxillam fuisse appellatam, ipsum malae nomen indicio est, quod ex maxilla contractum esse, jam diu est quum docti homines de M. Tullio (1) didicerunt. Quod nomen etsi Plinius (2) tradidit, in homine tantum habere locum; non tamen scripsit, haud licitum esse in homine quoque superiorem maxillam dicere: imo licere, exemplo docuit suo, quum remedia adversus *maxillarum dolores*, *tumoresve* proposuit (3). Celsus igitur, ne quis dubitare posset, utram maxillam mobilem esse, dixisset; quum illud addidit; tum superiorem, nisi forte simul cum inferiore, nusquam, quod meminerim, alio quam malarum, nomine designavit: quin a malis aperte, ut hic, maxillam, videlicet inferiorem, distinxit, quemadmodum capite 7. hujus libri videbis in illa certorum os-

(1) in *Oratore*. (2) *Nat. Hist. l.* 11. *c.* 37. (3) *Ibid. l.* 21. *c.* 20. *et l.* 23. *c.* 2. *et* 7.

sium enumeratione *maxilla*, *malae*, *jugulum etc*: quam constantem ejus consuetudinem haud scio, an alii satis adnotaverint.

Locus eodem capite primo brevis est, sed in quo de pluribus dubitatur. «Super hos quoque musculos, qui tempora contegunt, os medium, in exteriorem partem inclinatum, positum est». Sic cum Lindenio Almeloveenius. Sed qui eos praecesserant, quotquot inspexi, et cum his non codex modo quem memorare solitus sum, sed et Venetus, ut quaedam quae olim ex eo excerpsi, mihi adhuc ostendunt, habent ad hunc modum, *Sub his quoque musculis, qui tempora connectunt*: in caeteris autem conveniunt codices, non editiones. Nam vel princeps, et Pinziana *inclinatum* habent, nedum reliquae, praeter editionem Roussei, in qua tamen aliud discrimen animadverto; scripsit enim *in interiorem partem inclinatum*, quam lectionem Paawius(1)sequitur. Quibus de musculis Celsus loquatur, manifestum est: quo de osse, ambiguum, eoque magis, quod varia adeo profertur scriptura De qua etsi in musculis minus controversiae est; ea ipsa tamen a vera fortasse longius abest, quam putant. Qua enim, quaeso significatione tempora *connectere* isti dicuntur musculi quos Temporales vocitamus? Difficultas haec, credo, Constantinum, et Rousseum impulit, ut in libri ora adscriberent *contegunt*. Quam tamen Paawius vocem respuit, tanquam *Celso minus familiarem*, oblitus; ut renum, et omenti descriptionem (2), et locos alios praeteream, ab hoc capite distantes; hujus ipsius initio scripsisse illum, *cerebri membranam contegit*, in eademque pagella paulo supra, *os contegat*, et *erit contegendum;* ut intra duodecim, aut tredecim versus ter usus sit. Est igitur Celso maxime familiaris. Sed tamen dubito, num usurpaverit hoc loco, an potius, quam *contegunt*, scripserit *continent*. Quo id auctore? inquis. Nempe eodem Celso, quem animadverti, quum hos musculos indicaret hujus ipsius libri alio loco, qui et in codice, et in editionibus sine ulla cujusquam dubitatione uno eodemque modo legitur, ita scripsisse, *inter musculos, qui tempora continent*. Utinam Celsi ipsius auctoritate uti possem ad caetera pariter quae in verbis propositis dubia sunt, veri similiori ratione dirimenda, quae ab illo nimirum pendent omnia, quod os intellexerit? Et a primo quidem id esse videtur quod latine a jugi similitudine satis bene vocamus Jugale: quamvis enim hanc jugalis significationem in Lexicis non videamus adnotatam; Celsus tamen *Jugale appellari posse ab eadem similitudine, a qua id Graeci* ζυγῶδες *appellant*, infra docet, ubi id os memorat, ac describit. Quod attendens Paawius, negat, proposito loco de eo osse Celsum loqui, de quo paulo post ex instituto sit loquuturus, et quod praeterea non *sub* his musculis sit, sed ipsis impositum. Cui secundae animadversioni tantum videtur tribuisse Lindenius, qui de Jugali hic dici, crederet, ut propterea fortasse, pro *sub his* ediderit *super hos*, mutatione libris omnibus quos viderimus, ut supra indicatum est, repugnante, et minime ipsi necessaria; stante enim homine, est Jugale os infra totos ferme eos musculos. At Paawius processum petrosum opinatus est hoc loco indicari: quam opinationem, quum Celsus nihil usquam attigerit eorum quae non nisi aperta calvaria, possunt de hac conspici; examinare non est operae. De Constantini autem opinione, quam

(1) *Comment. in hunc loc.* (2) *l.* 4. *c.* 1 *p.* 108, 15. *et p.* 109, 3.

ex libri ora conjicimus, ubi pro *os medium* posuit *os malarum*, satis est, secundum Paawii primam animadversionem, hoc quaerere, quid attinuerit hic scribi quod paulo post nihilominus erat scribendum? Nam si *iuxta* aurem *finiri* Jugale *os* tradetur, *quod transversum a genis tendit*; inde satis intelligi poterat, *sub* Temporalibus *musculis os malarum*, *in exteriorem partem inclinatum*, *positum esse*. Quid igitur est? Fortasse, nihil a scriptis libris recedendo, vox illa *medium*; quam quo referamus, si de osse Jugali sermo sit, haud satis apparet; de parte illa calvariae accipienda est quae, sub his musculis latens, contra medium fere ipsorum in exteriorem inclinatur partem. Quum enim hic Celsus calvariae latus describat, suturam videlicet squamosam, et os quod proxime post aurem crassissimum est; a veri similitudine non abhorret, cavere voluisse, ne quis forte, ut aequatum exterius videt ab his musculis capitis latus, sic ob ignorationem eorum crassitudinis putet, subjectam quoque calvariam ipsorum esse superficiei parallelam: itaque illud caventem, ibi os extrorsum inclinari, ubi sedem relinquat majori eorum crassitudini, docuisse: dixisse autem, *sub* his musculis, quia hisce obtegitur, non secus atque alibi (1) cor, dixit, *sub sinisteriore mamma situm*. Verum ex his omnibus quae super uno isto loco a me scripta sunt, noli aliud magis attendere, quam quod, Celso auctore, conjeci de verbo *continent* pro *connectunt* substituendo.

Ejusdem auctoritate ductus, nonnullas alias suspiciones, dum infra legerem hoc ipsum caput, subortas, mihi jam demere conabor. Humerus, inquit, *extremis utrinque capitibus tumidus*, *mollis*, *sine medulla*, *cartilaginosus*. Nulla hic mendi suspicio. Nam quod duas illas voces *sine medulla* Paawius (2) *omnino delendas* esse, pronunciat, quia hoc os, sicuti mox Celsus ipse agnoscit, *medullosum* esse, constat; delendae essent aliae quoque, id est *mollis*, et *cartilaginosus*, quia durum esse, manifestum est, neque id Celsus negat. Sic enim pergit, *medius teres*, *durus*, *medullosus*. At vero omnia sunt retinenda; prima, quia de *extremis capitibus*; caetera, quia de *medio* inter extrema osse diserte dicuntur: utraque autem, si eae inter se conferantur ossis partes, satis vera sunt. Suspicio autem oritur ex iis quae continuo sequuntur, *leniter cavus*, *in priorem et interiorem*; *gibbus*, *in posteriorem et exteriorem partem*. Certe intelligis, haec, sicuti Lindenius, et Almeloveenius edidere, cum ipsius ossis figura non convenire. Sed neque conveniunt quae pro his omnibus meae cunctae habent editiones. In aliis enim sic legas, *leniter gibbus*, *et in priorem et posteriorem*, *interiorem*, *et exteriorem partem*: in aliis autem, quibuscum Pinziana, et codex ipse consentiunt, *leniter gibbus* et *in priorem*, *et in exteriorem partem*; quasi vero aut ab nulla parte esset cavus, quod primae indicant; tunc autem pressius Celsus scripsisset, leniter gibbus in omnem partem: aut praeter priorem, et exteriorem, duae partes reliquae non essent hic commemorandae, quod caeterae significant editiones; tunc autem Celsus haec statim non subjecisset, « Prior autem pars est, quae a pectore est: posterior, quae ab scapulis: interior, quae ad latus tendit: exterior, quae ab eo recedit ». Si Celso igitur, et re ipsa ducibus, locus ille a librariorum facillima in ejusmodi praesertim verbis describendis hallucinatione est vindicandus; non inde, opinor, ejus initium unde Lindenius, sed unde omnes reliqui facien-

(1) *l. 4. c. 1. p.* 106, 23. (2) *Comm. ad hunc loc.*

dum est, rescribendumque magna ex parte, ut primi illi, *leniter gibbus in priorem et posteriorem et interiorem*; *cavus in exteriorem partem.*

Sed etsi tam varia, ut vidimus, apud varios scriptura vitium ipsa la eum locum irrepsisse, indicabat; non est tamen cur alteri plurimum fidamus, in quo scribendo mire omnes consentiunt. Est eodem capite primo, ubi femina, id est femorum ossa, *ab exteriore parte gibba* dicuntur. Sunt autem; idque procul omni dubitatione: a priore, si re ipsa, et verborum paulo ante proposita declaratione standum est, quam Auctor *ad omnes articulos pertinere*, etiam *in ulterioribus*, diserte admonuit. Crediderim igitur, scripsisse, *a priore*, aut, si minus recedere a communi lectione velis, *ab anteriore*: aut si forte *ab exteriore* scripsit non tam quia inde quoque, in nonnullis praesertim corporibus, nonnihil gibba sint, quam ut Hippocrati obsequeretur; non omisisse tamen *a priore*, ut simul id quod multo evidentius est, simul ipsum sequeretur Hippocratem (1), cujus haec verba sunt, « considerare oportet, quod femur gibbosum magis est ad externam partem, quam ad internam, et magis ad anteriorem, quam posteriorem ».

Mendum quoque alterum mihi esse videtur in extrema eorundem feminum descriptione. « Atque in eo inferiora quoque capita media sinuantur, quo facilius excipi a cruribus possint ». Scire enim velim, quorsum pertineant duae istae voculae *in eo*. Nihil enim singulari numero praecedit, quo referas. Novissima autem haec fuerant, *tum infra introrsus leviter tendunt, quo aequalius superiora membra sustineant.* Igitur aut eae voculae inducendae sunt, ut modus quo praecedentia ista dicuntur, in subsequentibus servetur, aut videndum est, an forte ex *ideo* describentes fecerint *in ea*, potueritque Celsus ita scribere *ideo*, *quo*, ut notum est, eadem mente scriptum esse a M. Tullio (2) *eo*, *quo*, et *idcirco*, *quo*.

Verbum *sinuantur*, quod in isto ultimo erat loco, locum alterum ad memoriam reduxit ejusdem capitis, ubi ossa brachii proponuntur. Brachii autem nomine haud accipio humerum quoque, de quo jam vidimus; tametsi, Celso ipso auctore, non aliis modo, me posse crederem, qui quum supra hic scripsit, *paululum motu brachii moveri* jugulum, non videtur humerum quoque non intelligere potuisse. Accipio, quod ipse multo saepius, eam artus superioris partem quae inter humerum est, et manum. Ejus igitur partis ossa describens Celsus, quum radium proposuisset superius tenuem, cubitum autem ibi pleniorem, ampliusque quam radius, cum extremo humero commissum, deinde radium a cubito paulatim diremptum; « rursus, *ait*, ad manum coeunt, modo crassitudinis mutato. Siquidem ibi radius plenior, cubitus admodum tenuis est. Dein radius in caput cartilaginosum consurgens, in cervicem ejus insinuatur. Cubitus rotundus in extremo, parte altera paululum procedit ». Gravis suspicio in ea cadit, *in cervicem e us insinuatur.* Nam primum quae est cubiti cervix? aut ubi a Celso indicata est? Deinde quomodo radius in imum cubitum insinuatur, si cubitus ibi in radium, ut probe nosti, se insinuat? Denique quum summam radii partem *leniter cavam* esse, a Celso non fuerit praetermissum; quomodo in ima tanto ampliorem omittere sinum potuisset? aut si omisis-

(1) *l. de Fractur. n.* 24. (2) *ad Attic. l.* 8 *Epist.* 9. *et l.* 1. *epist.* 16.

set ; qui mox posset illum , ubi de manu verba facit , non secus ac si propositus antea esset, commemorare ? Primam enim manus partem describens, duo ejus processus , inquit, *in sinum radii conjiciuntur.* Augetur suspicio editionibus inspectis, quae ante Lindenium, a quo notata illa verba accepit Almeloveenius, prodierant , Nam Caesarius quidem , et Pantinus *in cervicem* , at caeteri *in verticem* (nisi quod Constantinus *in vertice) in verticem*, inquam , *ejus* ediderunt , quod in codice quoque est : in eodemque , ut in editionibus quae apud me sunt, prorsus omnibus , verbum sequitur quod quaerebam , nimirum pro *insinuatur* habent *sinuatur.* Quid tamen adhuc ista faciemus voce *cervicem*, aut *verticem*, aut denique *vertice ?* De cervice enim diximus, cur hic agnoscere non possimus. Verticem autem ut pro infima radii parte dici potuisse , non negaremus , exemplo inducti, quod infra animadvertimus in ossibus digitorum; illa tamen adjecta vox *ejus* non digna ibi Celso videretur, sive ad radium velles referre , sive ad radii caput. Satis enim fuisset scribere, *in vertice sinuatur.* Si quid ego suspicer, quaeris ; a te peto, ut propositum locum attente relegas, et Celsi mentem in describenda alterna illa superius atque inferius radii , et cubiti mutatione , perpendas. Continuo idem quod ego, suspicaberis , ut radium quem in summo tenuiorem, quam cubitum, dixerat , in imo dicit esse crassiorem ; ita quoque eundem quem illic ostenderat multo minus , quam cubitum, ad juncturam pertinere. hic contra, unum ferme cum mano committi, ostendere debuisse, et, quod consequitur, tradere, cubiti loco radium ipsum sinuari. Quod praeclare fecerit, si, ut puto, scripserit *in vicem ejus*, id est cubiti, *sinuatur.* Ita autem scribere potuisse, quum aliorum, tum Celsi ipsius commonstrant exempla. Quorum hoc , proposito simillimum, et maxime geminum, est libro 4. cap. 7. « Sed hic vinum sorbere, ut supra praecepimus, morbus ipse non patitur: in vicem ejus, cremor ptisanae sumendus est ».

Suspiciones alias ; quasi non nimis multas jam protulissem , huc additurum , opportune litterae interpellant tuae. Quae quoniam non breves sunt, et multa , ut video, de Celso, nec levia, proponunt; quum perlectae fuerint , respondebo. Has interim accipe , et quae de Samonico expecto , fac mittas , et valeas.

Patavii Postrid. Kal. Januar. MDCCL.

EPISTOLA OCTAVA.

Jo. Bapt. Morgagnus Jo. Bapt. Vulpio S. P. D.

Litteras perlegi tuas , quibus ex me plura quaeris : illud primum , et gravius, quid sentiam de non ita paucis, quas descriptas misisti , in Corn. Celsum Adnotationibus. Dicam, ut solitus sum , ingenue. Ab una eademque manu mihi profectae non videntur. Sunt enim plures ex quibus aut acumen ingenii elucet, aut doctrina multiplex, atque eruditio, aut linguarum peritia non vulgaris , ut si has a magno quamlibet Viro esse , dicas , non difficile assentiar. At sunt vicissim aliae ab illis adeo discrepantes , ut

prope poeniteat legisse. Quod ne temere dictum suspiceris; relege quas indicabo.

In Celsi Praefatione haec de Medicis Rationalibus verba sunt, *eum mederi posse arbitrantur, qui prius illa ipsa, qualiter eveniant, perceperit.* Pro hoc ultimo verbo substituitur in Adnotatione *praeceperit*, hoc addito *Unde praecipere animo, praesumere*; quasi Celsus ipse nec praeposuisset *prius*, neque ita satis significaret, qui illa ante didicerit. Lib. 1. cap. 3. « Qui vomere post cibum volet, si ex facili facit, aquam tantum tepidam ante debet assumere ». Adnotantur haec, *Non tantum, ut alii, reponendum. Nam hic graecissat, proque ὡς tanquam ponit.* Credas fortasse, vetustissimas editiones habuisse *tanquam*; novissime autem aliquos fuisse qui mallent *tantum.* Et tamen, si ex inspectis a me tot editionibus tres excipias; caeterae omnes, et vetustiores in primis, et codex habent *tantum*, quae vox adhuc magis conveniat, ostendunt quae continuo sequuntur, *si difficilius; aquae vel salis, vel mellis parum adjicere.* Vides, ut *adjicere* opponatur illi *tantum.* Quin etiam, duobus versiculis interjectis, haec leges, *deinde aquam tepidam, ut supra scriptum est, bibere.* Sed gravius quiddam tentatur in verbis illis ex cap. 15. lib. 3. *dandaque opera est, ne qua cruditas in quotidianum id malum vertat*, quartanam videlicet febrem. Haec enim apponitur Adnotatio, *ne qua cruditas quotidiana in malum vertat*, ut quum dicitur *Hoc tibi vertet in malum*: non *se vertet.* Utrum tandem ista adversus codicis, et editionum consensum proposita mutatio est, quod Celsus ita loqui, ut Plautus, Virgilius, et Cicero ipse, non posset? an quod ibi non deberet, ubi de quartana in quotidianam facile mutanda verba facit? Haec enim continuo subjicit, « Nam quartana neminem jugulat: sed si ex ea facta quotidiana est, in malis aeger est ». Imo *ne qua cruditas quotidiana* isto loco dicere non debebat, tum ne quis crederet, nisi quotidiana cruditas sit, ex quartana fieri quotidianam non posse, tum quia aegrum, supra jusserat, *tertio die abstinere*, hic vero quomodo in cibo assumendo se debeat gerere, non quotidie, sed quo die febris expectatur, ostendit. Libro 7. cap. 26. ubi is minister qui puerum, jam novem annos, nondum quatuordecim excedentem, sic contineat, ut oportet, dum ei calculus extrahitur e vesica; ubi igitur is minister debere esse dicitur *homo praevalens et peritus*, verbum *praevalens* Adnotatio mutat in *prudens.* Quid ita? *Nam saepe al in veteribus codicibus pro de legitur.* Fac, saepe ita legi. Num semper, num hic ita lectum esse, credemus? ubi non prudentia modo, quae satis hic quidem voce illa *peritus* significatur, verum etiam vires adeo requiruntur, ut mox admoneat Celsus, si pueri qui curatur, robustius sit corpus, tum unius loco, ministros esse oportere *duos valentes*, qui contineant, imo semper a lateribus alios *duos valentes*, qui unum illum, aut eos duos *labere non sinant.* Magis sane quam in his qui puerum continent, in eo ministro prudentia requiritur, cujus manibus altera alteri imposita mulieris venter premitur, ut infantis mortui caput ad os uteri compellatur. Neque tamen a Celso insequente cap. 29. aliis quam his, designatur verbis, *valens homo, non imperitus.*

Aliae autem sunt Adnotationes, nec eae paucae, quibus non tam verba Celsi mutantur, ut in superioribus, quam per causam glossematum omnino tolluntur, velut in ipsa Praefatione. « Nam famem facilius fert adolescens, quam puer: facilius in denso coelo, quam in tenui: facilius hieme, quam

aestate: facilius inexercitatus, quam exercitatus ». Quid hic glossematis? Nempe in duabus illis vocibus *quoque assuetus*, quae *glossema esse ineptum* dicuntur. Verum si tollantur, quae membri illius sententia erit? Sic etiam lib. 3. cap. 5. quum oportere, ait Celsus, « cibum quam maxime semper ab accessione futura reducere: et hoc salvo, dare quam integerrimo corpore; illud *hoc salvo*, non dubitatur quin *superfluum sit, et glossema* ». Est vero adeo necessarium, ut, si demas, Auctoris praeceptum longe aliud appareat. Neque enim id vult, nec fieri potest, ut febricitanti cibum semper demus, quum est integerrimo corpore, verum ut integerrimo quidem demus, sed tunc dumtaxat, quum integritas tot horas mansura est, quot omnino ad cibi diductionem requiruntur, antequam nova incipiat accessio. Hoc enim, ut superiore capite adversus Asclepiadem, et Themisonem constituit, non illud, Celso praecipuum est: itaque, hoc salvo, illud tunc denique non recusat. Post haec, duo leviora videbuntur: sed quum in eundem librum cadant; alia hic potius, quam ipsa, omittam, Alterum ad caput attinet 13; alterum ad 18. In primo legimus, *Si res inveteraverit*. In altero, *Si vero consilium insanientem fallit*. Ad primum haec adnotantur, *Abundat* res. *Sic tamen loquebantur Plauti tempore, sed non Celsi*. Ad alterum, *insanientem* pronunciatur *glossema esse. Nam eleganlissime dici*, raro hoc fallit). Non est nobis quaerendum in primo, num sic amplius non loquerentur Celsi tempore, neque in secundo, an omissa voce *insanientem*, haererent lectores, paulisper saltem. Celsus ipse hoc eodem libro cap. 21. certe scripsit, *Neque eum res fefellit*; nisi huc quoque, adversus codicis, et editionum fidem in sententia obfirmati, duo contendamus irrepsisse glossemata: sicque alia in alios, qui produci possent, Cornelii nostri locos, ut puta ubi sub Operis finem legitur, *quum tam vetus res est* pro vetus morbus est, aut alibi, « Ubi bene res cedit; et Balneum rarum res amat, et neque enim semper concoctionem res expectat, etc. ». Sed quis tandem erit modus? Si jam sic in alienis scriptis nimis ingeniosi esse velimus; ad multo pauciora verba redibunt antiquorum libri, eorumque sententiae ex dilucidis saepe obscurae fient, et ex absolutis aliquando imperfectae.

Est vicissim ubi Adnotationum Auctorem malles ingenium exercuisse suum, quam Celsum, quem aliqua tueri aequa interpretatione decebat, praepropera festinatione damnavisse, ut libro 4. capite 12. quod de morbo *ventriculi* scripsit, qui *κοιλιακὸς a Graecis nominatur* Statim decurritur ad notam hanc apponendam: *Commiscuit* colicum *cum κοιλιακῷ Celsus. Facilis enim est lapsus*. Quid? si proximo, quod sequetur, capite diserte non scripsisset, intestini plenioris morbum (de quo est caput 14.) *κωλικὸν nominari*. Altera additur nota, « Hallucinatus haec scripsit, quia quum alvum nihil reddere dicat in hoc morbo (quod falsum est, et videtur de colico intelligendum) tamen paulo post astringentia praescribit. Ex quo apparet, medicum non fuisse Celsum ». Ego vero medicum non fuisse, opinor, qui hoc ipsi objecerit. Vidisset enim, postquam ventrem tandiu *liquaverat*, quandiu in *longo* morbo opus esset, debuisse tandem sub finem morbi justum robur ventri ipsi reddere, idque *paulatim facto transitu*, non ad valida astringentia, sed ad *assam carnem valentem*, et ad *pluviatilem aquam decoctam*, timentem videlicet, nisi ventrem denique

confirmaret, *ne vitium contrarium oriretur*, ut loquitur capite 16. Caeterum quo magis omnibus manifestum est, et semper fuit, descriptum hic, et curatum a Celso morbum longe alium esse ac qui solet a Medicis Coeliaca passio nominari; eo aequius erat, exemplo adductos quod insequens caput proponit, Ilei, primum inquirere, an forte qui ante Celsum de Medicina scripserant Graeci non eundem quem posteriores, morbum eodem nomine designassent; aut si eundem, an interdum tamen alium quoque: deinde, si nunquam alium quam posteri, significassent; tum vero cogitare, an librarii, ut tot alia nomina, graeca praesertim, in describendo vitiarunt, ita aliud a Celso fortasse scriptum, in κοιλιακὸς mutassent. Rubeus (1) est certe laudandus, qui quum alium omnino morbum ac quem alii hoc nomine solent, a Celso hic proponi, videret; tum quis esse posset, quaesivit, tum plerosque redarguit, qui *quum hoc non animadvertissent, injuria Celsum toto hoc fere capite reprehenderunt.* Sed Adnotationum quas misisti, plures non ea aequitate scriptae sunt. Itaque ad locum lib. 2. cap. 4. quem studuerant Interpretes alii vel explicare, vel restituere, de quibusdam in urina *quasi filis*, hoc adnotatur, *Falsum esse Celsum satius est dicere*. Qua ratione cito quidem nodi inciduntur; non solvuntur. Neque aliter cum Celso agitur ad caput 1. ejusdem libri. Nam quod scripserit, *urinae difficultas, στραγγουρίαν quam appellant*, non quaeritur, num forte in codice vetustissimo quum graecae vocis prima syllaba δυς, atramento diffugiente, intercidisset, sciolus aliquis longe aliam ac Celsus scripsisset, temere suffecerit. Continuo sic pronunciatur', *Fallitur Celsus in στραγγουρίας interpretatione, quae proprie Latinis* substillum, *non* stillicidium) adduntur que in hanc sententiam quae apud Mercurialem (2), et Meursium (3) legeris ex Festo, et Catone, qui *omnium qui nunc extant, antiquissimus linguae Latinae auctor* dicitur ab Adnotationis Scriptore. Quem ego potius oblitum credam addere *prosa oratione*, quam ignorare potuisse, Plautum, et Terentium extare, quorum uterque ante Catonem, et primus quidem lustris non ita paucis est mortuus; ut aequior in eum sim, quam ipse in Celsum fuit. Qui tametsi hic, et alibi illud fortasse magis spectasset, stranguriam quam ibi ex Hippocratis sententia memoraret, sine urinae difficultate non fieri; quamobrem credo, quae in Epidemiis (4) de stranguria posita sententia fuerat, eandem in Aphorismis (5) legi de dysuria; tametsi igitur Celsus id magis spectasset, quam ipsam vim, et naturam vocis; hanc tamen vim certe quidem ita expressit aliquando, et praesertim proximo capite septimo, Aphorismum vertens 80. Sect. 4. ut στραγγουρίῃ sic reddiderit, *si urina paulatim destillat.* Sed magnus Vir, et qui multa adeo ex graecis latina fecit, tam facile, in re quam ignorare haud poterat, non fuisset, opinor, damnatus; si qui damnavit, antea, ut bonum interpretem decet, ejus libros saepe, attenteque perlegisset: quod non fecisse, quum ex iis quae subinde scripta sunt supra, tum magis ex his quae sum additurus, intelliges.

Libro 3. cap. 6. *quando* aeger *melior sit*, inquit Celsus. Haec, inter caetera, adnotantur, *Cicero*, meliuscule mihi est. *Celsus diceret*, sum meliusculus. *Vid. cap. 20. p. 93. l. 14.* Ibi vero iterum legitur, *sit* aeger *me-*

(1) *Annot. in hoc cap.* (2) *Praelect. Patav. l. 3. c. 32. et alibi.* (3) *Not. in Caton. de Re Rust. c.* 156. (4) *l. 2. S. 6.* (5) *S. 6. Aph. 36.*

lior est. Qui magis Celsum versasset ; non hunc locum, sed alterum indicasset ex cap. 22. *Qui meliusculus esse coepit.* Libro 2. cap. 12. *si reprimendi causa ex verbenis*. Adnotatio sic habet, *Tallos herbarum intelligit Celsus per* verbenas : *ut videbis postea variis locis.* Tu vero an bene, an satis Celsi mens ita explicetur, ex illo uno quidem, sed prae caeteris attendendo, loco scies, quem Litteris protuli superioribus (1). Sic pariter ex alia Epistola (2) intelliges, num probare liceat conjecturam ad verba illa, quae recte olim cap. 28. lib. 5. legebantur, *si non labitur* specillum, *sed aequali innititur.* sic adnotatam, *Vel* labitur sede quali. *Conjectura est ; quia sedem postea in eo significatu sumit* ; quasi non continuo id Celsus opponeret, quod, ut lectionem antiquam confirmat, sic ejusmodi conjecturis refragatur, *si inaequale quoque et asperum subest.* Sed hoc ea Epistola satis explicavimus. Itaque praestat ad alteram Adnotationem transire. Inter alia quae lib. 4. cap. 8. utilia hepaticis remedia traduntur, *pini flos* legitur. *Pini flos*, scribitur in Adnotatione, *i. e.* chamaepitys, *quia non audet dicere* pinum *simpliciter*, *ne intelligatur arbor*.. *Propterea Virgilius* : Et semper florida pinus. « Ubi male P. Bembus *πιτρίς* pro *pinus* correxerat in Culice in fine. Adde quod Dioscor. dicit ἡπατικοῖς prodesse chamaepityn ». Si alienas lites mihi facere placeret meas; quaererem, ut priusquam ita damnaretur Bembus, quocum modestius olim egerat Petrus Victorius (3), unde ista Virgilli interpretatio petita est ; quaererem, inquam, ut chamaepityn semper florere, ostenderetur : nam Bembus quidem, Theophrasti (4), aut certe Plinii (5) testimonio ostendere poterat, *toto anno florere* picridem suam. Sed tamen si ibi Virgilium, ut in versu quoque illo altero (6)

» Ipse thymum, pinosque ferens de montibus altis,

si Virgilium, inquam, darem, pini vocabulo designasse chamaepityn ; quod vel olim inter Viros doctissimos controversum, atque adeo a Salmasio (7) pernegatum esse, scio ; non hinc profecto sequeretur, quam herbam Poeta vocasset pinum, eandem Celsum, non jam pinum, sed *pini florem* vocare potuisse. At enim Celsus non ausus est dicere pinum simpliciter, et humilis ista pinus hepaticis prodest. Audio. Sed mitto quaerere, cur non dixerit potius pinum humilem, aut pinum florentem? Hoc unum quaero, cur non ausus sit dicere chamaepityn ? Certe si Adnotationum Auctor diligentius Celsum versasset; novisset praeclare, libro 5. cap. 4. non dubitasse scribere, *pyrethrum, chamaepitys, uva taminia*, quam vocem *chamaepitys*, sive eam latinis, sive graecis potius, ut tot alias, litteris scripserit Celsus, quum omnia habeant apud me exemplaria, ne illo quidem excepto, quod calamo descriptum est; suspicari non oportet, obscuro *pini floris* nomine hic eandem herbam, quam perspicuo poterat, significare voluisse. Nam quod haec hepaticos juvet ita verum est, ut tamen ipsa quoque major pinus iisdem utilis sit, auctore non solum Dioscoride (8), sed

(1) *Epist. VII. p.* 405, 41. (2) *VI. p.* 391, 21. (3) *Variar. Lect. l.* 25. c. 5. (4) *de Hist. Plant. l.* 7. c. 11. (5) *Nat. Hist. l.* 21. *c.* 17. (6) *Georg, l,* 4. *v.* 112. (7) *Plinian. Exerc. in Solin. c.* 23. (8) *de Med. Mat. l.* 1. *c.* 74.

inter alios, hoc vetustiores, apud Caelium Aurelianum (1) Diocle ipso, *quem inter priscos maximosque medicos* Celsus (2) posuit. At hi, inquis, pini folia laudabant; non florem: quem neque laudare poterant, quippe quum pinus nullum ferat; ut propterea Constantinus hic legendum censuerit *lini flos*. Ego vero qui de lini flore, aut foliis nihil ejusmodi invenire adhuc potui litterarum memoriae mandatum; si quid hic esset mutandum, multo mallem *pini folia*, quam *lini flos*. Prius autem quam mutemus, cogitandum est, potuisse Celsum cum iis facere quos ex Theophrasto (3) commemorat Caesalpinus (4), haec scribens, *praeter fructum, amentum fert pinus deciduum, quem aliqui florem putant*. Quin Caesalpinus ipse florem amentaceum ferre, non negat: Caelius autem (5) quum veteres Medicos, generatim ait, *viridis pini decoctionem* hepaticis dedisse; certe amenta ista non excepit. Verum haec tu videris. Interea ad aliquanto graviora veniamus.

Libro 2. cap. 3. « Pejor cita alvus est, *inquit Celsus*, sed ne haec quidem terrere protinus debet, si matutinis temporibus coacta magis est, aut si procedente tempore paulatim contrahitur, et rufa est, neque foeditate odoris similem alvum sani hominis excedit ». Nihil huc aliud adnotatur, nisi quod ad vocem *coacta* pertinet. *Coacta, Martialis : Nec* (sic) *desiderio coacta ventris*, *Gutta pallia non fefellit ulla*. Quid haec de catella (6), desiderio exonerandi ventris impulsa, attinent ad minus liquida alvi recrementa ? Hic enim manifestum est, respexisse Celsum ad locum illum ex Coacis Praenotionibus haud ita procul a fine, *Alvi egestio optima est mollis, cohaerens ac compacta, subfulva, non valde graveolens*, sive etiam ad alterum consimilem ex libro Praenotionum (7): nec dubitare quisquam potest quem non pigeat quae de justa copia, horaque consueta egestionis, et de lumbricis simul ejectis in utroque loco subsequuntur, cum iis conferre quae proposita Celsi verba proxime antecedunt, aut sequuntur ad tres istas easdem res spectantia, et eadem quidem sententia. Igitur a Celso, nihil hic nisi quae egeruntur, attendente, *alvus coacta* opponitur *alvo liquidae*. Satisque erat libri 4, caput 19. quod de ventris fluxu est, perlegisse, ut pateret, hic alvum coactam alvum minus liquidam significare : quanquam hoc illis etiam verbis confirmatur quae continuo sequuntur, *aut si procedente tempore paulatim* alvus *contrahitur* : demonstratur autem evidentissime loco altero ex capite 8. hujus libri 2. *Alvus in hac valetudine* (tabe adhuc sanabili) *ea tuta est, quae quotidie coacta, eaque convenientia his quae assumuntur, reddit*. Quod enim hic dicitur de ipsis recrementis, ibi, ut idem significaretur, de alvo dictum est.

Haec scripseram, quum in aliam incidi Adnotationem, ex qua locum istum ultimum lectum quidem esse, nec melius tamen explicatum cognovi. Neque enim aliter exponitur ac primus ille, nempe ad hunc modum: Coacta *ergo* alvus *erit hic quae* cogitur *excernere ut infra* (eodem cap. 8.) *quae vix excernit* : locus autem qui indicatur, revera de alvo est quae cogitur excernere in ischiadicis, *alvusque nisi coacta non reddit, idque, quod excernitur, mucosum est*. Sed quid hic ad priorem locum de tabescente ?

(1) *Morb. Cron. l.* 3. *c.* 4. (2) *l.* 7. *c.* 6. *p.* 216, 21. (3) *Vid. Hist. cit l.* 3. *c.* 6. (4) *de Plant. l.* 3. *c.* 52. (5) *cap. cit.* (6) *Vid. Martial. l.* 1. *Epigr.* 110. (7) *n.* 9.

in quo alvus *coacta*, *eaque convenientia* reddere dicitur. Num *coacta* ad alvum referemus vi apertam? quando *convenientia* non nisi ad egesta referri possunt; interjecta autem *eaque* prohibent alia *coacta* referre, quam quo *convenientia*. Verum quid verbis opus est? Utrumque locum ex libro 2. Praedictionum Celsum descripsisse, caetera ostendunt. Is autem qui ad tabescentem attinet, ejusmodi est (1), « Venter autem egerat quotidie, et id, quod egerit, sit durum (ἔσω σκληρὸν) copia pro ratione ciborum ingestorum. « At qui de ischiadicis est (2), » quibus alvus non egerit, nisi ad necessitatem coacta (εἰ μὴ πρὸς ἀνάγκην) et prodit ipsis multus stercoraceus mucus ». Celso igitur aliud in alio loco latine reddendo spectandum fuisse, intelligimus, ideoque alterum ex altero loco non esse explicandum. Multo autem minus ex loco qui ad ischiadicos spectat, illum interpretari decet quem primum ex cap. 3. produximus, et ex Coacis Praenotionibus, aut ex Praenotionum libro acceptum diximus. Nam *coacta* ex ξυνεστηκὸς, aut συνεστηκὸς videtur expressum, quod *cohaerens* reddiderunt. Praetereaque manifestum est, Celsum de *cita* jugiter *alvo* loquentem, quum mane *coactam magis* dixit, minus quidem liquidam intelligere potuisse, adeo autem duram factam, ut cogi debeat ad egerendum, non potuisse.

Videamus porro, num alibi hae Adnotationes Celsum felicius interpretentur: et primum in alio loco ubi ad Hippocratem pariter videtur respexisse. Libro. 1. cap. 3. « Ubi amari ructus cum dolore et gravitate praecordiorum sunt, ad hunc (*vomitum*) protinus confugiendum est». Haec adnotantur, « Amari ructus i. e. acidi, ὀξυρεγμίαν Graeci vocant. Lucil. exhalans acidos e pectore ructus ». Nullum est dubium, quin ructus acidi a Graecis sic appellentur, imo *apud Hippocratem atque alios medicos nihil pene est notius*, ut vere ait Mercurialis (3), quam sic vocari. Illud dubium est, qua ratione quos Celsus *amaros* dixit, nos *acidos* intelligamus, praesertim si, ut eidem Mercuriali (4), et Almeloveenio visum est, spectaverit hic Aphorismum 17. Sect. 4. quo Hippocrates vomitum praecipit *cordis morsum*, et *oris amaritudinem* patienti. Nec vero probabiliorem crediderim interpretationem alterius loci ex libro 3. cap. 20. Quum lethargicos alii excitare identidem studerent admotis iis quae sternutamenta evocarent, aut foedo moverent acrique odore; extiterat quidam Tharrias, insequenti etiam capite nominatus, qui contenderet, expectandum esse dum lethargus cum febrili accessione remitteret; tunc enim, nisi aeger expergisceretur, esse ob has causas excitandum, ut excerneret aliquid, et sumeret: *Itaque eos, qui subinde excitant, sine usu male habere.* Huc ea adscribuntur, *Graecismus est* ἀπείρως ἔχειν, *imperitos esse*. Mihi vero magis congruens cum iis quae sequuntur, et minus contumeliosa in caeteros Medicos placet interpretatio, ut intelligam, hoc Tharriam dixisse, qui identidem aegrum excitare conarentur, eos hunc sine utilitate vexare. *Neque enim*, ut ibidem mox legimus, *vigilando melior fit; sed per se, si melior est, vigilat.* Notius est autem, quam ut confirmari a me debeat, *usum* persaepe utilitatem significare: nam *male habere* quin idem hic valeat, ac molestia et incommodo afficere, dubitare nemo potest, cui vel Celsi unius non sit ignota consuetudo, tot aliis locis quos sciens praetereo, non aliter,

(1) *n. 12.* (2) *n. 45.* (3) *Praelect. in Aph. 1. S. 6.* (4) *in Aph. 17. S. 4.*

quam libri ejusdem 3. capite 6. scribentis, « qua mole (*satis multae vestis*) plerique aegros in ipso impetu febris, potissimeque ubi ardens ea est, male habent ».

Est etiam ubi Adnotationes aliquae obscurae mihi videantur, velut ea quae ad vexatissimum illum Praefationis attinet locum (1), ubi, inter caetera, ab Anatomicis, spirante etiam tum animali, in hujus interioribus animadvertenda, occurrit vox illa *confractum*, sive ut alii antea ediderant, *contactum*, sive, ut Schulzius sibi persuasit, *confrutum*, sive demum, ut in aliqua editione, et in Constantini erat codice, et in Veneto, et Foroliviensi, *contractum*: quae vox cur Rubeo placeret, alias ad te scribens (2), commemoravi. Auctori quoque placet Adnotationum. Sed causam, id est explicationem haud satis intelligo. Sic enim habet, *Ruell.* contractum. Σύμπτωσιν *vocat Hippocr. Aph. 3. lib. 4. compressum, contracturam*: contractum *ergo legendum*. Quid enim sibi vult per interiorum *compressum*, et *contracturam*, quod non satis complectantur duae praecedentes, inter caeteras, voces *figuram, magnitudinem*? Reddunt quidem latine, ut nosti, plures Interpretes graecam illam aphorismi vocem *compressiones*, alii, ut Mercurialis, quem, ut civem, libenter nomino, *collapsiones*, sed omnes eadem quam aphorismus requirit, sententia, ut effectum videlicet institutae a Medico evacuationis. Sed quid haec ad Celsi propositum, de eo interiorum statu qui maxime secundum naturam sit, ibi sermonem habentis? Obscura igitur Adnotatio est. Quod si exemplum aliud aliquod quam concidentium ab evacuatione vasorum, produxisset; conarer fortasse rem ad eum modum explicare, qui mihi, istam vocem *contractum* in codicibus reperienti, in mentem venerat aliquando, nec forsitan praeter rationem. Scilicet quum inter ista omnia quae Celsus, sive potius apud Celsum Rationales Medici consideranda esse, ajebant in vivi animalis interioribus, nihil de horum motibus inveniamus, quumque de eorundem Medicorum sententia modo ostensum esset, quanti referat scire, an concoctio fiat quod *atteratur cibus in ventre*, ut docebat Erasistratus, an aliter, ut alii; item quae ad *spiritum trahendum* attinent, *et emittendum*, ad *venas modo submittentes se, modo attollentes*, ad alia ejuscemodi; ob has causas non improbabile videri possit, *contractum* inter caetera positum esse ea mente, non ut interiora collapsa, sed ut alternam eorum contractionem significet, per quam cor sanguinem in vasa impellit, septum transversum ad ducendum spiritum juvat, ventriculus denique, et intestina, dum peristaltico motu cientur, sive, ut loquitur M. Cicero (3), *tum adstringuntur, tum relaxantur*, etiam *terendo* sic *cibo*, faciunt, ut *omnia cocta* sint *atque confecta*. Sed haec obiter. Ad minus obscuras Adnotationes redeamus.

Apertissimae illae sunt, quibus aliquis redarguitur, ut ea quam venae, paulo ante pro arteriis positae, ad memoriam redegerunt. (*Male Constantinus pro* venae *reponit* arteriae) Nihil mutavit Constantinus, ut qui probe sciret, priscis, et in his Celso in more fuisse, ut saepius pro arteriis dicerent venas. Explicat tantum. *Venae hic, i. e. arteriae*. Si aeque paucis possem; inquirerem hic, jure, an injuria Celsum quoque ipsum modo in remediorum materia, modo in aliis quae pariter ad Medicum spectant, li-

(1) *Vid. Epist. III. p.* 338, 23. *et V. p.* 367, 19. (2) *Epist. III. p.* 339, 7.
(3) *de Nat. Deor. l.* 2.

bere aperteque aliae Adnotationes reprehendant. Verum satis sit tibi quod supra in aliqua attigi de eo genere. Sed minus tamen dedecuisset, in iis rebus tantum Auctorem ab eo notari qui in iisdem longe excelleret. Quod ne hic facile credamus, nonnullae ex his faciunt Adnotationes. Libro 5. cap. 18, in Ctesiphontis malagmate partem Celsus ponit *nitri quam ruberrimi*, Hoc adnotatur, « Mirum, qui dicat ruberrimum esse nitrum, quum viride sit, et in ollas indatur, ad caules viridiores efficiendos ». Non mihi opus est quaerere, quo colore esset nitrum quocum olera coquebantur, ut *smaragdina* fierent, quemadmodum loquitur Apicius (1); et Columella (2), Plinius (3), Martialis (4) indicant: illud certe erat album, quod teneris etiamtum brassicae plantis, tritum desuper spargebat Palladius (5), *ut speciem pruinae candentis imitaretur*; sic enim postea, *virore servato*, coquebantur. Satis est; ut de Plinio (6) nihil dicam, qui nitrum in Ægypto, scripsit, *et rufum exire a colore terrae*, aphronitrum autem probari, ut sit *colore pene purpureo*; satis, inquam, est quid de nitro ipso tradiderint Medici tres, inter antiquos nobilissimi, et omnium manibus versatissimi, commemorare. Hippocrates igitur libro de Internis Affectionibus (7) mentionem facit *nitri AEgyptii rubri torrefacti*; *nitri* item *rubri* libro de Natura Muliebri (8), et libro 2. de Morbis Muliebribus (9), et, ne alios perquiram locos, libro etiam de Fistulis (10), ubi *nitrum rubrum assari*, jubet. Dioscorides de Medica Materia libro 5. cap. 89. non id modo quod Plinius, habet de optimi aphronitri *colore pene purpureo*; sed quod ad nitrum ipsum attinet, *praeferri*; hoc, ait, *leve, roseo colore, aut candido*. Galenus denique libris de Compositione Medicam. secund. loc. *nitrum rubrum* memorat in Compositionibus Aristarchi (11), Tryphonis Gortyniatae (12), Critonis (13), et Andreae (14). Nec plura quaero ex his tribus, aut ex aliis, qui postea floruerunt, Medicis: tametsi Oribasium (15) memini de nitro eadem quae Dioscorides, scripsisse; Avicennam (16) *album, aut purpureum, aut roseum*, praetulisse; Auctorem denique Historiae Simplicium Medicamentorum (17), quae sub Serapionis nomine circumfertur, *alibi coolore roseo, rubrove, alibi candido, cineritioque* commemorasse: nec Recentiores (18) deesse, qui etiamnum in Ægypto prope Nilum quasdam nitri *strias* eflorescere, confirment, « nunc rubescentes, nunc blande caerulescentes, et (19) nitrum nativum Alexaudrinum rosei coloris esse, ejusdem Neapolitanum ». Mirum est igitur, non jam apud Celsum memorari nitrum quam ruberrimum; sed mirari aliquem, quod memoretur. Neque minus admiratione dignum est quod adscribitur ad initium capitis 21. libri 4. ubi occasione captata ex *nimia*, de qua Celsus loquitur, *seminis profusione*, sive gonorrhoea proprie dicta, hoc de altera illa adnotatur, qua ex lue venerea non semen, sed pus, aut aquosa quaedam emittuntur, *Ea vero me auctore, vocari potest fistula*. Scilicet effluxus, qui fistulae effectus est, hoc auctore, fistula esset: ipsa autem fistula, quae gonorrhoeas illas

(1) *de Re Culin. l.* 3. *c.* 1. (2) *de Re Rust. l.* 11. *c.* 3. (3) *Nat. Hist. l.* 31, *c.* 10. (4) *Epigr. l.* 13, 17. (5) *de Re Rust. l.* 3. *t.* 24. (6) *Ibid.* (7) *n.* 29. (8) *Ibid.* (9) *n.* 120. (10) *n.* 6. (11) *l.* 5. *c.* 1. (12) *l.* 9. *c.* 2. (13) *Ibid. c.* 3. (14) *l.* 10. *c.* 2. (15) *Medic. Coll l.* 13. (16) *Canon. l.* 2. *tr.* 2. *c* 84. (17) *l.* 6. *c.* 53. (18) *Vid. apud Etmull. Not. ad Ludov. Diss.* 1. *de Remed. etc.* (19) *apud eund. in Schrod. Mineralog. c.* 23.

graviores aut neglectas, aut male curatas demum consequitur aliquando, in omnibus esset ex ea lue gonorrhoeis vel levissimis, ac recentissimis.

Quae omnia quum ita sint; rescribere ad illum posses qui descriptas ad te istas Adnotationes misit, quasi *a viro divino* profectas, bene actum fuisse cum Celso, quod earum Auctori, quicunque is tandem sit, alias ejusdemmodi addere non libuerit. Neque enim, ista quidem ratione, *huic Augiae stabulo expurgando* magis ipse par fuisset, quam caeteri, qui huic operi, ut scribis, satis licenter pronunciantur *minime pares*. Duos illos dico, qui, ut ais, nominantur, doctos et acutos Viros, quos quum hoc praemium referre video diuturnae operae, ut professi erant, in Celso positae; dicere non possim, quam gaudeam, me aliis semper occupationibus ab eadem suscipienda provincia fuisse avocatum, et dies vix paucos flagitanti tibi tribuere potuisse, quibus cursim nonnulla, ut hic illic forte occurrebant inter scribendum, attingerem; non ex proposito, Celsi libros emendarem. Quod si mihi proposuissem; alia atque alia, optimorum codicum praesertim, subsidia comparassem: atque, ut caeteris caruissem; at certe diligentius aliquanto cavissem, ne quae mutanda non essent, mutarem; ne quae demenda non essent, demerem; ne Celsum damnarem potius, quam interpretarer, aut saltem excusarem; ne eorum quae alibi scripsit, aut in scribendo spectavit, oblitus, aliud quam quod praeclare sensit, ipsi tribuerem; ne quid mihi vellem, esset obscurum; denique ne Celsum iis in rebus accusarem, in quibus ipse quasi hospes videri possem: aut si forte in horum aliquod prolaberer; ut modeste id, et dubitanti similis facerem; non praefidenti festinatione pronunciarem. Quae vitia, ut ostensum est, quum alia in alias, tum ultimum praesertim in omnes fere cadit, quas perpendimus, Adnotationes. Invenies fortasse et alias alia aliqua animadversione dignas: quanquam mihi festinanter, et ne omnes quidem, percurrenti, plures, ut initio dixi, visae sunt istarum dissimiles adeo, ut facile possint ad longe alium Auctorem attinere, eumque Lindenio fortasse antiquiorem: certe alteruter ab altero videri potest quaedam sumpsisse; quum iidem interdum loci ad eundem modum legantur in illius editione recte emendati. Sunt etiam nonnulla in his Adnotationibus aliam ob causam supervacua, sive quia res per se clara satis est, sive quia ad alios Scriptores magis, quam ad Celsum, attinent quae adnotantur. Vides igitur, quo delectu esset opus, si missis ad me Adnotationibus uti velles.

Caetera quae ex me quaeris, brevi possunt responsione expediri. Scire enim aves, num alia praestet ad Celsum addere praeter ea quae multa de similibus Auctorum locis, pauca autem de variantibus lectionibus, paginis subjecit Almeloveenius, aut ex suis, aliorumve adnotationibus conjecit in Scholia. Ego vero scire ex te aveo, quot, quantisve sit voluminibus Celsi editionem Bibliopola adornaturus. Neque enim uno aut altero vel majoris formae ea omnia comprehenderet quae addi possunt. Noli autem credere; ut de similibus Auctorum locis primum dicam, quae non indicari, sed fuse produci, velles; modico haec posse volumine contineri. At ea saltem, dices, proferantur quae ex libris Hippocratis, aut qui sub Hippocratis nomine extant, Celsus videtur accepisse. Cave existimes, non plura esse, quam quae collegit Henricus Stephanus. Ne Aphorismos quidem omnes, huc attinentes, pervidit: itaque alii a Viris doctis additi sunt, quos ipse omiserat. Praeter Aphorismos autem quot alios tandem excussit libros?

istosque alios quam accurate? Quaere, exempli causa, locos quos supra indicavi; num collegerit, facile intelliges.

De variantibus autem lectionibus sic habeto, vel codices optimos, non modo vetustissimas editiones, crebris, et saepe manifestissimis scatere mendis: esse autem immensi laboris seligere in singulis exemplaribus quae utilia proponas, quum in mendis ipsis indicia nonnunquam lateant verioris scripturae, ut si certa quaedam menda omittas; doctos non satis adjuves: si nulla omittas; immani omnes inutilium verborum copia obruas. Huc adde miras inter se varietates, et codicum numerum, et legendi, ob vetustam litterarum formam, et compendia vocum, difficultatem, et itinerum impendia ac molestias; nisi si velles alienis oculis, et diligentiae credere, quae in ipsarum quas in manibus habemus, editionum lectionibus ut saepe numero fallat, periculo a nobis facto, compertum est. Crederes autem non modo in hoc, sed in delectu quoque illo ut plurimum oporteret, qui infirmissima sis valetudine.

Restat ut dicam de Scholiis. Jam nosti quae ad Celsum explicandum, emendandumve olim scripserint Caesarius, Thriverius, Pantinus, Lommius, Rorarius, Constantinus, Ronsseus, Rubeus, Paawius, Rhodius, alii. Si omnia omnium edantur; quae libri moles? nam fusius aliqui scripserunt. Deinde quot inutilia admixta ex inanibus hypothesibus? Seligendum igitur. At quos omittes? Num qui proliziores fuerunt? At in his quoque sunt sua bona: nec qui brevitatem sequuti sunt, idcirco non plura habent praetermittenda, vel quia non bona, vel quia a Lindenio jam in contextum recepta. Itaque intelligis, aut ex omnibus eligenda utiliora, aut omnia quae omnes ediderunt, esse recudenda. Quorum alterum est longi temporis, gravis laboris, peracris in primis judicii, quod sine assidua animi contentione adhiberi non potest; alterum inutile magna ex parte, et mole ipsa odiosum ac permolestum.

Quid ergo mei consilii est? Nempe quod initio fuit, ut typographo auctor sis eandem quam prius, Almeloveenii editionem repraesentandi, imo omnia, quae ab Almeloveenio non sunt, omittendi. Num tuas etiam, inquis, Epistolas? Imo illas maxime, necui amplius ansam praebeant Patavinas mihi Almeloveenii editiones tribuendi. Satis, superque illae Epistolae hic, atque alibi e typographorum officinis prodiere, non ad id scriptae, sed ut privatim postulationi satisfacerem tuae. Neque aliud mihi fuit propositum has quoque alias fundenti potius, quam scribenti: aut si quando aliud fuit; tunc fuit, quum scirem necdum, quot in folia possent excrescere, nec spes deesset recognoscendi, quae nunc vix est relegendi. De prolixitudine ipse quid sentiam, paulo ante dixi. Edentur alias separatim, si tanti esse videbuntur, nec tempus deerit recensendi, et ad pauciora redigendi; nosti enim, nulla re nos fieri in scribendo longiores, quam temporis angustiis. Peto igitur abs te, mi Vulpi, majoremque in modum contendo, ut has quinque Epistolas apud te premas. Quod si in Praefatione tamen dicendum censueris, et scriptas esse, et qua impellente justissima ratione sint scriptae, aut si certo quopiam earum loco, speciminis causa, uti volueris; non repugnabo. Vale.

Patavii IV. Idus Jan. MDCCL.

ALIAE EPISTOLAE NOVEM

IN A. CORNELIUM CELSUM

EX EDITIONE TARGANA 1810.

EPISTOLA PRIMA

Gajetano Cognolato Leonardus Targa S. D.

Nunc demum animadverti et particulam *vel* in his Celsi verbis *qui vel melle* etc. lib. 5. cap. 23. sect. 1. et pronomen *id* in illis *ut id ita fieri possit* cap. 26. sect. 35. ejusdem libri deesse in editionibus ann. 1493. 1497. 1524. ac neque Caesarium illius vocis, neque hujus omittendae Egnatium auctorem fuisse. Quare si quae ego ad loca illa adnotavi, nondum sunt impressa, cura ut pro « Quidam cum Caesario omittunt *vel* » reponatur « Alii omittunt *vel*, secuti Editionem an. 1493. » et pro » Ita in Mss. Mediceis, et in Editionibus antiquioribus. Egnatius, et Caesarius *id* expulerunt : quos ceteri Editores sequuti sunt ; « rescribatur » Ita in Mss. Mediceis, et in Ed. prima. Editio an. 1493. omittit *id* : (*) At ea quae scripsi ad haec verba lib. 2. cap. 8. *ubi urina quaedam araneis similia subsidentia ostendit*, jamque excusa sunt ; etiamsi in integro res mihi esset, tamen non edi nollem ; quamvis Josephus Scaliger interpretatione sua omnem ab hoc loco mendi suspicionem removere tentaverit. De hoc ideo volui te certiorem facere, ne si quid forte de interpretatione ista audieris, clarissimi viri adnotationem meos fugisse oculos putes. Vidi, sed non probavi. Novum, inquies, in litteris hominem tanto critico repugnare? Tu igitur pro tua summa latinae linguae peritia, atque eruditione, de re tota judicabis. Quod ut rectius facere possis, Scaligerianae adnotationis exemplum ad te mitto. Vale. Pridie Kal. Novembr. MDCCLXVII. Veronae.

subsidentia) *i. e.* supersidentia, *quia est* ἐπίστασις ἀραχνώδης. Subices *dicuntur nubes, et Virgilius Eclog. x. v. 74.*

Quantum vere novo viris se subjicit alnus.

i. e. se attollit. *Item.* subjectare *est sursum jactare. Virgilius AEn. lib. XII.*

aut corpora saltu
Subjectant.

Non mirum igitur, si subsidentia *hic pro* supersidentiis *et* ἀντὶ τῆς ἐπιστάσεως *sumit.*

P. S. (*) Quum hanc epistolam scripsi, carebam Editione an. 1491 (1). Nunc ea quoque apud me est; ac video in hac primum et particulam *vel*, et pronomen *id* omissum fuisse.

(1) *An edit. Mediol.* 1481 ?

EPISTOLA SECUNDA

Leonardo Targae Gajetanus Cognolato S.

Quod nunc demum de Caesario et Egnatio observasti, et in duabus illis adnotationibus emendandum esse scripsisti, id serius accidit, quam oportebat. Jam enim Typographus processit, ac librum quintum absolvit. Neque sane molestum hoc tibi esse debet: levia enim sunt illa, nec quidquam laudis tuo labori, summaeque diligentiae detrahunt. Quin immo magna in hoc ipso laus est, quinque illos priores libros novo studio observasse, tibique neque alia, neque graviora corrigenda occurrisse. Nam illud etiam quod de Scaligero scribis, bene est; quod ejus scilicet interpretationem praetermiseris, ac tacitus improbaveris. Ac ne de hoc ipso diutius dubites, rem totam, ut ipse postulas, explanabo. Celsus igitur lib. 2. cap. 8. haec habet: » Si quis etiam in eo morbo (*de tabe autem loquitur*) diutius traxit, ubi capilli fluunt; ubi urina quaedam araneis similia subsidentia ostendit, atque in his odor foedus est; maximeque ubi post haec orta dejectio est, protinus moritur »: ita scilicet hunc locum ipse legis, ita edendum esse censuisti. Male omnino Josephus Scaliger vocem illam *subsidentia* a communi significatione detorquet, explicatque *supersidentia*. *Subices*, inquit, *dicuntur nubes*: at quod coelo, quod Deorum pedibus subjiciantur. Gellius ad fin. cap. 17. lib. 4. N. A. « Ennius, *inquit*, in tragoedia, quae Achilles inscribitur, Subices pro aere alto ponit, qui coelo subjectus est, in his versibus:

« Ergo deum sublimes subices, humidas
« Unde oritur imber, sonitu saevo, et spiritu.

Festus vero in Fragmento de Verborum Significatione ita legit et explicat hunc Ennii locum: « Subices Ennius in Achille pro subjectis posuit quum dixit:

» Nubes per ego deum subices humidas,
» Unde oritur imber, sonitu saevo spiritu.

Vides nullam esse in hujus vocis explicatione insolentiam: at eam fortasse Scaliger ab ipsa nubium altitudine repetendam putavit; in quo quidem potuit non errare; at dum simili exemplo *subsidentia* pro iis, quae supernatant, explicuit, neque verborum ipsorum potestatem, neque latinam consuetudinem attendit. Est enim *subjicere* sursum jacere, *gettare di sotto in su*, *alzare*; at nihil simile in eo verbo *subsido*, sive *subsideo*. Hinc illa, quae ipse affert ex Virgil. Ecl. x. v. 74.

» Quantum vere novo viridis se subjicit alnus;

et illa etiam AEneid. xii. v. 287.

aut corpora saltu
» Subjiciunt in equos;

sic enim optimi habent vulgati libri, et ipse Virgilianus Codex Mediceus, qui nuper Romae praeclara forma, magnoque sumptu est editus. Ita Livius lib. 31. cap. 37. ad fin. (ex recens. Drakemborkii) *Pavidum regem in equum subjecit*. Quod si suum illud *subjectant* Scaliger velit, ob ipsam vim verbi *jacto*, eandem habebimus significationem, quam ipse antea italice reddidi. Prompta haec omnia et aperta: at illud sane difficilius, quod ex

ipsa ratione Scaliger sumit ; ea scilicet , quae urina araneis similia habet supra esse; *subsidentia* , inquit, *i. e. supersidentia* , *quia est.* ἐπίστασις ἀραχνώδης. Hanc ego rem Hippocratis primum auctoritate, tum ipsis Medicorum observationibus explicabo. Saepe apud Hippocratem ὑποστάσιες τῶν οὔρων , ὑπόστημα τῶν οὔρων, at ego allatum Celsi locum respiciens, ea tantum afferram, in quibus id quod in urina subsidit araneis simile dicitur; ac tabem ingravescentem, viscerum dissolutionem proximamque mortem significat. In libro igitur Praenotionum Sect. 2. pag. 40. apud Foesium de urinis quaedam habet Hippocrates , atque haec etiam : τὰς λιπαρότητας δὲ τὰς ἄνω ὑφισταμένας ἀραχνοειδέας μέμφεσθαι , συντήξιος γὰρ σημεῖα , quae verba ita Foesius latine reddit : « Quin etiam pinguedines supra innatantes (*Lindenius* superne instantes) araneorum telas referentes damnare oportet ; colliquationem namque significant » : in suis autem adnotationibus (adnot. 35.) vocem ὑφισταμένας esse illam quidem in vulgatis quibusdam libris fatetur , at in aliis , iisque melioribus , legi ἐφισταμένας ; hoc esse apud Galenum, hoc sibi probari. Quare quum utraque vox in antiquis Codicibus fuerit , is fortasse, quo usus Celsus est , habebat ὑφισταμένας, potuitque latius Hippocrates scribere *subsidentia* , vulgaremque notionem huic verbo tribuere. At conjecturis minime est opus. Nam in Coacis Praenotionibus n. 582. apud eundem Foesium ita legimus : τὸ δὲ πτυαλώδεας ἔχον ὑποστάσιας οὖρον , ἢ ἰλυώδεας, ῥίγεος δηλωτικόν , τὸ δὲ ἀραχνιῶδες , συντήξιος. Foesius vero latine : « quae vero (*scilicet urina*) sputo similia habet sedimenta, aut limosa rigorem denuntiat ; quae araneorum telis similia quaedam habet, colliquationem ». In duobus hisce casibus urinae ὑποστάσιας intelligit Hippocrates; idque ipse Lindenius agnovit, et aptiore latina interpretatione significavit: « quae sputo similes subsidentias, aut limosas habet, rigorem indicat , quae aranei telis similes (*scilicet subsidentias*) colliquationem ». Vox igitur *subsidentia* a Celso adhibita (uti Medicei ac Vaticani Codices testantur) ad urinae ὑποστάσιας refertur , eamque habet significationem, quae communis est, quaeque illi alio in loco ab eodem Celso tribuitur ; nempe cap. 5. ejusdem libri secundi , ubi haec certissime legimus : *item, si urina modo liquida et pura est, modo habet quaedam subsidentia*. Tandem, ut id afferam quod praecipuum est , pinguiores istae urinae partes , quae tabe ingravescente apparent , non jam ob ipsam tenuitatem, sed ob eam, quam referunt figuram araneis similes dicuntur ; neque supra innatant, at subsidunt. Saepe etiam haec veluti aranea inter ea, quae in fundo vasis restiterunt, ipsamque extimam urinae superficiem conspiciuntur , eumque locum obtinent qui ipsorum gravitati respondet; itaque posita recte adhuc dicuntur *subsidere*. Atque hoc quidem a Medicis observatum illud etiam me docuit, quomodo duae illae voces ἄνω ὑφισταμένας in allato Hippocraticarum Praenotionum loco optime possent cohaerere. Nihil est quod Scaliger quaerat amplius. Habes , Leonarde humanissime , verbosam et insuavem epistolam ; at qui veteres Codices jamdudum tractas, qui veterum Scriptorum loca saepe colligis, confers, componis, illustras, his jam assuevisti. De iis, quae alias scripsi, te rursus moneo. Da operam, ut nostram fidem citissime liberemus. Quamquam, commota adhuc valetudine, minime tibi properandum existimo : *Non ignara mali*; nosti jam caetera. Nunquam ego neque tibi, neque Celso deero. Gratulor in-

terim omnium primus egregiam laudem, quod laboranti Celso medicas manus adhibueris. Vale.

Patavio. Idib. Novemb. MDCCLXVII.

EPISTOLA TERTIA.

Leonardus Targa Josepho Torello S. D.

Explica mihi, oro te, locum illum Celsi lib. 7. cap. 26. sect. 2. ubi in omnibus Codd. Mss. omnibusque antiquis Edd. ita legitur: « In quam (*vesicae cervicem*), si oblongus (*calculus*) est, sic compellendus est, ut pronus exeat; si planus, sic, ut transversus sit; si quadratus, ut duobus angulis sedeat; si altera parte plenior, sic, ut prius ea, qua tenuior sit, evadat ». Sed Ed. Lindenii habet *ut ne pronus*, ex Constantino, qui haec margini adscripsit »: *ut ne pronus*: nam hic contra erectum distinguitur. Jacens ovum oblongum pronum est: stans erectum. Pronus minime, aut vix extrahi posset ». Verba autem etc. *ut duobus angulis sedeat*, sic interpretatur Constantinus: «Sedet binis angulis, immo quaternis, quum per totam planam superficiem jacet, nec in latus procumbens carinatur». Morgagnus neque lectionem Constantini, neque interpretationem probat. « Imo, *inquit*, ovi exemplum adversatur; neque enim per id foramen per quod jacens traduci potest, traduci poterit erectum: itaque Celsus ovi simillem calculum, id est altera parte pleniorem, altera tenuiorem, non erectum, sed pronum educi, voluit, quum darj operam jussit, ut prius ea parte qua tenuior sit, evadat. In ceteris autem quae his interjecta descripsimus, num recte omnia interpretetur Constantinus, alii viderint; res enim sane digna est de qua quaeratur ». Ego duo verba *sedeat* et *sit* glossemata esse puto; ac periodum hanc regi a verbis *exeat* et *evadat*. Tu de his omnibus quae exposui, judicabis. Et quia propter multas occupationes te convenire non possum, pergratum mihi facies, si per litteras respondebis. Vale.

EPISTOLA QUARTA.

Josephus Torellus Leonardo Targae S. D.

Ego ne, mi Leonarde, si quid in Celso subobscurum est, explicare audeam? praesertim tibi, qui longo illum trivisti usu, atque in tuum prope succum et sanguinem convertisti. Bene igitur habet, quod de re explorata quaeris, tuamque potius sententiam aperis quam exquiris meam; hoc opinor consilio, ut eam firmius teneas, si mihi placuisse cognoveris. Ita enim a natura comparati sumus, ut ea ipsa, quae dubia nobis non sunt, certiora ducamus, cum aliis quoque, qui minime blandiri solent, probari videmus. Utcumque sit, de Celsi loco, quem mihi affers ex libri VII. capite XXVI. ubi de curatione agitur calculosis adhibenda, ita sentio, illum te, quum paulo corruptior sit, ita uti fieri debet, emendare, deque vera ejusdem sententia recte conjicere. Neque enim aliud sibi vult Scriptor diligentissimus, quam docere quomodo calculus in vesicae cervicem

compellendus sit, ut inde minore negotio extrahatur. Quum vero non una eademque sit calculorum omnium figura, de quadrato praecipit, ita illuc esse compellendum, *ut duobus angulis exeat.* Quod cujusmodi sit, haud sane pronum est intelligere. Mihi hoc videtur significari, calculum, quem diximus, contra plagam, quae mox in vesicae cervice facienda est, constituendum esse secundum lineam, quae proxima duo ejusdem calculi latera dirimit. Tunc vero ille figuram quandam referre videtur ex duobus quasi cuneis constantem, communem habentibus basim, contrarioque modo inter se invicem positis. Ita fiet ut si anterior cuneus medici manu in vulnus adigatur, hujus orae ad illius usque basim magis magisque diducantur; quumque eo ventum sit, succedente posteriore cuneo, eaedem rursus committantur et coeant. Quoniam vero hi duo cunei, qua parte simul junguntur, duos angulos utrinque efficiunt, quos per vulnus transmitti necesse est, facile apparet quid sit apud Celsum *duobus angulis exire.* Quare nemo satis miretur Constantinum, qui optime, si quis alius, videre potuit quinam esset horum verborum sensus; quippe indicat; tamen illum rejicere, aliumque sequi, qui a vero longissime abhorret. Nec enim vult cunei, quem diximus, aciem in vulnus adigi, sed potius ejusdem latus; quod sane qui fieri possit, quin vesicae cervix rumpatur, ne satis quidem intelligo. Nisi forte dicere volumus verbum *sedeat,* quod in Codicibus omnibus legitur tum manuscriptis, tum editis, viro docto obfuisse ad intelligendum; quum insuper animadverteret vulnus priore illo modo latius aliquando fieri, quam hoc postremo. Verum et verbum *sedeat* insititium est, ut ipse mones, aut in *exeat* mutandum; et parum refert quam magnum sibi iter calculus faciat, modo rite faciat; idest sensim pedetentimque, atque ita ut vulneris orae ne laedantur. Itaque calculum altera parte pleniorem ita vult Celsus in vesicae cervicem compelli, *ut prius ea, qua tenuior sit, evadat.* Haec habui, mi Leonarde, quae tuae epistolae breviter, et quantum potui perspicue responderem; quae si tibi, ut spero, probabuntur, erit cur mihi gratuler, quod in re si non valde difficili, certe non mea, aliquid viderim. Cave igitur ad tua haec studia saepius nos revoces, ne dum eadem retracto, ipse quoque, quasi aliud agens, medicus fiam, et in tuam possessionem furtim irrumpam. Vale. Ex Bibliotheca domestica IV. Non. Jul. MDCCLXVII.

EPISTOLA QUINTA

Leonardus Targa Joanni Baptistae Morgagno S. D.

Quo magis Celsianae emendationis opus ad finem perducere festinamus, eo plures majoresque difficultates offendimus, quae nos longius quam sperabamus morantur. Nam ceteris quidem in libris multa erant expedita: at in primo libri octavi capite mihi tertio fere quoque versu haerendum est. Praeter tot illa a te jam notata loca vel mendi suspicione laborantia, vel manifeste corrupta, alia occurrunt quorum non minus dubia est fides. Ex pluribus duo tantum tibi proponam. Alter est de coronoide maxillae processu, qui jugale os subire dicitur, et *super id* temporum musculis illigari. Atqui jugale os processus ille non fere superat. Fortasse igitur,

quoniam in pervetusto Mediceo Codice non extat particula *super*, sed tantummodo *id*, legendum *ibi*. Nisi forte *id* quoque adventitium est. Locus alter, ad jugulum pertinens, ita legitur in omnibus antiquis libris tum editis, tum mss. *Id ipsum recurvum, ac neque inter durissima ossa numerandum* etc. Sed particulae illae duae *ac neque* ita stare posse non videntur. Paawius *neque* extrudendum censet; *quod*, inquit, *dura solidaque sit clavicularum substantia*. Attamen inter laxa (χαῦνα) ossa jugulum repositum fuit ab Hippocrate de Artic. sect. 12. *Jugulum vero, ut et reliqua ossa, quae laxa sunt, prompte coalescit*. Lindenius Paawium sequitur. Ego ab utroque dissentio, et aliquid deesse suspicor. Id cujusmodi sit, divinare non ausim: verumtamen ut causa non fuit, cur aliquis *neque* huc intruderet, sic facile fieri potuit, ut quum duo essent incisa, quae utraque per eamdem particulam *neque* inchoarentur hoc modo; *ac neque...... neque inter durissima ossa numerandum*; librarius prius omiserit. Ita lib. 7. cap. 23. ex verbis illis *curari res neque manu, neque medicamento potest*, haec *neque manu* in Codice Mediceo supra allato desiderantur. Si vero non praetermittendo aliquid, sed addendo librarius peccavit, ego quidem conjunctionem *ac* inconsulto addidisse existimaverim. Omnino haec verba *neque inter durissima ossa numerandum* non videntur recte habere. In hac enim lectione et ab Hippocrate, cui libenter adstipulari solet, minus recedit Cornelius noster, et ratio cum eo facit. Nam jugulum, quamvis durum, non est tamen, opinor, duritie cum humero femoreque comparandum. Vides me in tua provincia versari: itaque certum auxilium a te peto, id est ut ad me scribas quid de duobus his locis ipse sentias. Neque vero sum adeo imprudens, ut tibi homini occupatissimo nimium oneris imponere audeam. Abunde mihi erit satisfactum, si quae tu me scire oportere existimabis, summatim perscribes. Verum de hoc ut voles. Illud te oro, ut me, quemadmodum facis, amare pergas; quum te tamquam parentem alterum a me summa pietate coli videas. Vale.

Veronae Nonis Juniis MDCCLXVI.

EPISTOLA SEXTA

Joannes Baptista Morgagnus Leonardo Targae S. P. D.

Utinam, mi Leonarde, aliter ac scribis, res se haberet, neque caput praesertim istud quod primum est in Cornelii nostri libro octavo, incuteret attentis emendatoribus adeo crebram tum vitiati loci suspicionem, tum ita vitiati, ut et numero deterriti, ex suis dubitationibus plures omittere, et difficultate haud raro victi verae excogitandae emendationis, probabilem, ut primum videtur, sed de qua vel ipsi mox dubitent, conjecturam proferre interdum cogantur. Haec eo libentius dico, quod in me potius cadere, quam in alios, non modo sentio, sed veri amore percitus, ultro etiam fateor, qui Celsi hic illic emendandi curam semel, atque iterum olim suscepi, ut simul Vulpio meo satisfacerem, simul alios excitarem, qui multo essent ad id aptiores quum ingenio, et doctrina, quod facile est, tum copia antiquorum Codicum, quae nec omnibus est, nec u-

biqne. Cujus voti me factum per te compotem eo demum tempore intellexi, quo tua te valetudo huc paulisper secedere coegit, mecumque colloqui. Equidem jam ante hos viginti annos, qua esses ingenii praestantia, et qua diligentia noveram, quum ab nobilissimo Cive tuo mihi commendatus, vix uno, aut altero anno hic in optimis studiis exacto, eam, priusquam huc domo redires, ad me epistolam dedisti, qua lecta, nihil postea miratus sum, quod apud tuos in aegrorum curatione versatus, alias, atque alias, consulendi causa, miseris ita scriptas, ut quae feceras, et quae mox facere in animo habebas, non magis probare jure ac merito deberem, quam doctrinam, et eruditionem suspicere. Sed postquam in ultimis illis colloquiis certiorem me fecisti, te quum vetusta Celsi exemplaria Romae, et Florentiae, tum vetustissimum omnium Mediceum annis superioribus versasse, attentissimeque non alienis, at tuis ipsis oculis perlegisse, et quae adnotanda viderentur, euncta adnotasse, et in nova, quam parares, Celsi editione cum omnibus esse communicaturum: tunc vero quanto me gaudio affeceris, cognoscere potuisti, praesertim quum certa quaedam exempla, quae ego, ut fit in colloquiis, a te petebam, referres, et quomodo aut scripta invenisses, aut ex primae scripturae vestigiis rescribenda sagaciter censeres. Quod igitur etiam alia subinde per litteras addideris, et duo insuper nunc mittas; potius missa reor, ut me ante alios cumulares novo gaudio, quam ut exquireres sententiam hominis tot jam annos assiduis longe alia scribendi, docentique occupationibus a verborum Celsi examino prorsus avocati. Certe enim de locis duobus nunc quaeris, de quorum a te proposita emendatione dubitare vix possis. Nam quod acutus maxillae inferioris processus alte adeo ascendat, sub osse jugali subiens, ut *super id* temporum musculis illigetur, quisnam, Anatomes non ignarus, malit sic legere, postquam non *super id* in antiquissimo illo Mediceo Codice extare, cognoverit, sed *id* tantummodo; quae si vocula ipsa pariter (quae altera hic tua conjectura est) adventitia sit, eoque tollenda; illico planissima sententia existat, et quae nullam mendi suspicionem relinquat. Quum tamen de ista emendatione ipse dubites; aliunde ac ex Anatome, petitam causam subesse, suspicor: qua de re infra videbimus. Jam vero quod ad secundum, nempe de clavicula, attinet locum; aut ipse plurimum fallor, aut quicumque est in librorum veterum qui calamo scripti sunt, emendatione exercitatus, ut suspicionem probabit tuam de iis quae facile ibi potuerit librarius transilire; sic tecum procul dubio esse retinendam censebit particulam istam *neque*: cujus expungendae (quod a pluribus factum nollem) contra librorum omnium fidem, qui ad initia usque superioris saeculi extabant, quis auctor fuerit, et cur nec ei sit, nec ejus imitatoribus assentiendum, praeclare doces. Aliud enim esset jugulum dicere non esse os durum, aliud est *neque inter ossa durissima numerandum*. Hoc autem Celsus ait; non illud. Et certe ut poterat extremas juguli partes eadem fortasse ratione qua proximi humeri capita, molles dicere; non poterat tamen medium quoque jugulum inter mollia ossa recensere. Itaque ne forte aeque durum, ac humerum medium esse docet, crederemus; scite admonuit, non esse inter durissima ossa numerandum. Huc autem Celsum spectasse, et tu vides, recte anatomicas claviculae meliores descriptiones sequutus. Insuper fecisse, addis, ut ab Hippocraticis dogmatibus,

quae prae caeteris sectari solebat, quanto minus poterat, ibi recederet. Quam rationem si magis ego attendissem; nunc cujusdam meae in Celso emendandο conjecturae non poeniteret. Ea quae sit conjectura, volebam tibi exponere, et simul quod supra pollicitus sum, his litteris praestare. Sed quando hae jam satis sunt longae, ne aequo longiores fiant, utrumque proximis litterulis expectabis, et me interea, ut facis, amabis. Valetudinem tuam, mi Leonarde, cura diligenter: quo gratius mihi facere nihil potes.

Patavii IV. Idus Jun MDCCLXVI.

EPISTOLA SEPTIMA.

Joannes Baptista Morgagnus Leonardo Targae S. P. D.

Ignosces, mi Targa, homini aliis atque aliis occupationibus jugiter distento, et gravissimae aetatis incommodis nonnunquam impedito, si tandem post tam longum tempus tam longam epistolam mittit, quasi satis spatii non habuisset, ut scribenda, ad te praesertim, et de hujusmodi argumento, contraheret in pauciora. Huc enim res tota redit, ut tibi, facile assensuro, comprobem, in Celsi libris germanae scripturae restituendis, praeter caetera opus esse attendere, quem saepius Auctorem sequi consuevisset; hunc autem Hippocratem fuisse, inter omnes constat. Cujus utinam mihi tunc etiam venisset in mentem, quum inferiorem maxillam os *molle* dici a Cornelio nostro miratus, conjecturam, quam modo nollem, proposui, sperans videlicet, in vetustiore aliquo Codice pro *molle* fortasse *mobile* repertum iri. Sed dubitare postea coepi ex quo animadverti, patellam quoque, et humeri capita ossa *mollia* a Celso dici. Spe autem omnino excidi, quum te nullo in exemplari audivi *mobile*, in cunctis vero *molle* os maxillae scriptum vidisse. Tunc denique cujus exemplo, atque auctoritate, et quid intelligens Celsus id scripsisset, suspicatus, Hippocratem in manus sumpsi, ab eoque traditum legi, fractam maxillam cito confervere *quemadmodum etiam alia ossa rara*, idque eodem in libro *de Articulis*, in quo quum fractam quoque claviculam, *itemque alia ossa laxa* cito coalescere, legamus; recte conjiciebas, Celsum ideo negasse, claviculam inter durissima ossa numerandam, ut minus recederet ab Hippocratis auctoritate. Optandum saue esset, ne ab Hippocrate longe adeo discessisset, ut os pectoris *durum* esse, traderet, quando in eo libro qui inscribitur *Mochlicus*, *laxum* esse, olim docuerat, et vere docuerat Hippocrates. Certe enim quum recens virilis cadaveris sternum qua parte videbatur crassius, simulque haud procul a mento inferiorem maxillam, itemque patellam scalpro discidissem; nullum ex hisce ossibus fuit, quod intus ex osseis non constaret lamellis, cellulas, cancellosve efformantibus non secus ac in extremis oblongorum ossium partibus videmus. Et erant quidem in patella cellulae ut minores, ita confertiores; cortex autem osseus in maxilla crassior, in patella, sternoque tenuior; ut proclive esset intelligere, quae *rara*, aut *laxa* Hippocrates vocasset ossa, eadem, si sternum excipias, *mollia* a Cel-

ro ob eam cellulosam structuram esse dicta, *durorum* appellatione iis servata, quae, ut medius humerus, mediumque femur, sub crassissimo pariete plenum medulla tubum, cellularum loco, habent. Novissime autem propter ea quae ab utroque de clavicula scripta memoraveras, quum hujus quoque ossis, ex viro, pariter ac ille prior, consistentis aetatis, sumpti, structuram vellem attentius recognoscere; sic vidi. Capita quidem multo pauciores continebant cellulas, quam expectarem, et clavicula reliqua tubum habebat ab uno capite ad alterum pertinentem, quem medulla implere videbatur, et paries cingebat osseus, nec sane tenuis. Attamen et hic paries, si cum proximi humeri pariete conferres, partem vix tertiam crassitudinis alicubi aequabat, et tubus quantus quantus erat, non continuato, ut passim in humero videmus, complebatur medullae corpore, sed ubique interciso adeo crebris et inter se implicitis lamellis, fibrisve osseis, ut viam per eas si immisso stylo quaereres, expeditam nusquam invenires, et propter hunc saltem structurae modum censeres, potuisse claviculam ab Hippocrate inter dura ossa non reponi, a Cornelio autem nostro vel meliori jure inter durissima non admitti. Cur haec tibi, mi Leonarde, volui commemorare? Nimirum ut altero huc addito Hippocratis loco experiar, an forte praestare id valeam quod promiseram litteris superioribus. Locus est in eodem quem supra semel, iterumque laudavi libro *de Articulis*, quo loco affirmat Hippocrates, acutum maxillae inferioris processum, quem *cornicem* vocat, *supra jugale os excedere*, contra atque priore epistola videbar sentire. Scilicet Anatomen dumtaxat spectando, fore, ajebam, ut Facultatis hujus Cultores mallent, ubi apud Celsum de eodem maxillae processu haec legimus *sub osse jugali subit, et super id temporum musculis illigatur*, verba illa *super id* prorsus tolli, quando in vetustissimo Mediceo Codice ex parte jam desunt. Sic enim omnis auferratur mendosae suspicio scripturae, si quod verum postularet, attenderemus. Quid erat igitur, cur de ejusmodi emendatione ipse tamen dubitares? Num fallor putans ob locum Hippocratis, quem modo producebam? Ab eo quidem Auctore supra vidimus nonnunquam Celsum recessisse. Saepius tamen atque adeo plerunque sequutum esse, constat: idque, si vera fateri volumus, eo quoque loco videtur fecisse, quo de agitur. Nam et acutum maxillae inferioris processum *longius procedere*, scripsit, et *jugalis* ossis vocabulo non idem quod nunc solent, os designavit, idest orbitam ab latere exteriori efficiens, sed, ut Hippocrates, ejus tantummodo processum ossis, qui *transversus* inde ad posteriora tendens, jugi similitudinem referre jam incipit. Hujus autem jugi, non ossis a quo venit, altitudinem ab acuto maxillae processu in simia praesertim superari, in nonnullis ossium hujus bestiae quam Veteres potissimum dissecabant, imaginibus vidisse memini; σκελετὸν enim quem olim parare institueram, canis improba, necdum rite colligatis ossibus, omnino pessumdedit. Huc si Codicum caeterorum addas consensum, in quorum nullo, sicut in illo, quamvis antiquissimo, uno tamen, istam, quae casu potius fugisse ibi librarium videtur, particulam *super* praetermissam vidisti; continuo intelligetur, causam tibi non defuisse cur dubitares, aliudque esse scripturam quae planius cum vero nunc conveniret, aliud quae prisci Auctoris germana fuerit, constituere. Sed tu haec melius. Interea fac, certius sciam, quod

summopere cupio, te minus, minusque in dies incommoda uti valetudine, et me redamantem, mi Targa, ama.

Patavii Pridie Idus Sextiles MDCCLXVI.

EPISTOLA OCTAVA

Viro summo Joanni Baptistae Morgagno Josephus Torellus S. P D.

Proximis diebus quum Celsum evolverem, quo ego auctore ob singularem latini sermonis puritatem et elegantiam mirum in modum delector, forte incidi in libri octavi caput undevicesimum, quod est de digitis luxatis, ubi haec leguntur: « super mensam tantummodo *digiti* intendi debent, qui vel in priorem, vel in posteriorem partem exciderunt, tum jam palma compelli ». Quibus postremis in verbis quum haec duo *tum jam* mihi paulo durius conjungi viderentur, statim Lindenianam editionem consului, cupiens nimirum cognoscere num ipsa, quae omnium fertur emendatissima, aliter haberet. Ego enim utebar Aldina, quam an. MDXXVIII. Venetiis procuravit Joannes Baptista Egnatius, quacum caeterae omnes consentiunt. Ibi vero *tum jam* in *tumque* mutatum inveni. Satis quidem apte, nisi Codices omnes, quos Romae, et Florentiae Targa meus, vel potius noster, consuluit, repugnarent, qui miro consensu vulgatam lectionem tuentur. Quid ergo agendum? Sequemurne antiquos codices? At id latinae aures vix permittunt. Anne potius Lindenianam editionem? Hujus vero auctoritas tanta non est, ut unam tot codicibus praeponamus: in hoc praesertim capite, ut tu prae caeteris optime nosti. Audendum in loco est. Quid si, pro *tum jam*, legamus *tum in eam?* ut hoc Celsus docere voluerit, digitos, de quibus dixit, super mensam tantummodo intendi debere, tum in eam, idest CONTRA EAM, palma compelli. Ita enim fiet, ut illi in suam sedem restituantur. Certe sententia perspicua est, locoque apta; similitudo autem tanta inter *iam* et *in eam*, quod fortasse etiam in Codd. Mss. scriptum erat hoc modo, *ieam*, ut facile librarius errare potuerit. Nosti hominum genus, quam sit incuriosum, et quam saepe in longe clarioribus caecutiat. Habes conjecturam sane probabilem, nec fortasse aspernendam, si de re esset non adeo levi. Ideo tecum communicare volui, cui nihil est leve, quod ad Celsi tui emendationem pertineat; simul sperans fore ut, ipse quid sentias, libere, ut soles, candideque perscribas. Hoc tam mihi erit gratum, quam quod gratissimum. Vale tibi tuoque saeculo, quod praeclaris ingenii tui monumentis illustrare perges.

Veronae III. Idus Jul. MDCCLXVIII.

EPISTOLA NONA.

Viro clar. Josepho Torello Joannes Baptista Morgagnus S. P. D.

Quod de loco isto Cornelii Celsi ita sentias, ut ad me scribis, tuum, Vir eruditissime, non minus in Criticis, quam in Poeticis, et Mathematicis

studiis sagax, ingenium perspicio : quod vero scire aveas de eodem loco ipsae quid sentiam , tuam erga me singularem benevolentiam agnosco. Duae illae particulae *tum jam* conjungi , inquis , paulo durius videntur , quam a Celso esse posse credamus. Sunt autem duae illae ipsae, eumdemque in modum conjunctae particulae ad Lindenium usque servatae summo consensu in Celsi libris , qui calamo extant , typisve descripti. Nihilo tamen minus , ut tot aliis in locis, et merito quidem , Criticis non obstitit ejusmodi consensus , quominus mutandum aliquid cogitarent , sic nequo hoc iu loco obstare debet. Nempo vera dicis, eoque ab nemine horum studiorum non imperito facile neganda. Illud sequebatur, ut de Lindenii mutatione judicium ferres. Non injuria tulisti. Scilicet ab antiquissima illa scriptura *jam* nimis distat particula ; quam substituit , *quae*, pro *tum jam* rescribens *tumque*. Longe propiorem ipse excogitasti emendationem *tum in eam* , videlicet *mensam*. Sic enim Celsi locum conjicis esse legendum. « Super mensam tantummodo *digiti* intendi debent, qui vel in priorem, vel in posteriorem partem exciderunt, tum in eam palma compelli ». Unum fortasse morosus aliquis in conjectura tua desiderare posset, idest, ut verbum *mensam* propius abesset , quam *partem* ab duobus istis *in eam*, minime attendens digitos, non in eam, in quam exciderint, partem, sed in diversam omnino esse compellendos. Morosus vero alter (saepius enim, ut nosti, in difficiles, quam in faciles incidimus homines) qui tum id ipsum,quod modo dicebam, attenderit, tum Celsum meminerit in istis, quae de ossibus suo loco motis conscripsit capitibus, quum ejuscemodi usus est loquendi forma, compellenda praecepisse non in durum, et renitens, ut mensa est, sed in id , quod excipiat , et in se compulsa admittat , nimirum in suam sedem, aut in diversam partem; hic igitur alter morosus, ne prorsus taceat, fieri potest ut inquirendum amplius in scriptis Codicibus , aiat, an vestigia forte supersint aliqua vetustioris alterius scripturae, exempli causa *in aliam*, oppositam videlicet partem, quod postremum verbum, ut diximus, et propius est, et Celso non insolitum, quum os compellere in hanc aut in illam partem imperaret. Certe autem dicere interea poterit , vocis hujus *alium* plus quam dimidium in particula illa *iam* libros et scriptos , et impressos retinere. Verum de ejusmodi vestigiis , atque adeo de quibuscumquo Celsi locis non ex homine quaerendum est, qui olim tantummodo, velut ego , sic satis fuerit in ejus lectione versatus ; sed ex nostro potissimum Targa, quem meis verbis salvare jube. Vale , et Celsum , cujus illustrationem juvare coepisti, non dico magis quam Archimedem, aut Plautum, et Virgilium, at non secus ac caeteros idoneos latinos Scriptores amare, atque ornare perge.

Datum Patavio XIV. Kal. Sextiles MDCCLXVIII.

LOCA PARALLELA

INTER

HIPPOCRATEM ET CELSUM

INTER HUNC ET PAULUM AEGINETAM.

In brevi sed quidem operoso et medicorum foecundo temporis spatio, quod inter Hippocratem et Celsum intercessit, Scriptores pene innumeri floruerunt, quorum Opera, infelici quodam fato, deperdita, nulla spes Medicis superest ipsa tandem inveniendi. Vix perpaucas, proscissasque sententias hinc, atque illinc a scriptoribus posterioribus collectas per plurimum laborem, lacrymabilis exitiosique naufragii miserrimas reliquias tradere licuit posteritati. Qua de re Celsi opus magni ponderis ac momenti est, quum e contextu illius clare pateat Auctorem ex scriptis Medicorum, qui praecesserunt, lucri fecisse; eisque legendis omnes theoreticas conceptiones, omnesque animi libidines indignanter praeteriisse, et tantum solidos reapse utilesque praeceptiones docte prudenterque collegisse. Hippocratem cum Celso, Aristotelem et Theophrastum cum Dioscoride Pliniogue comparando, novas opes per quingentos fere annos a Medicina Chirurgia Historiaque naturali conquisitas, animi conjectura probabiliter intelligere licet. Comparatio vero inter postremos perfectior est; siquidem inter primos tantum patent artis praecepta actu posita, et conceptiones usui accomodatae, in quibus Celsi austerum ingenium dumtaxat se exercuit.

Sed non aliter Hippocratem cum Celso comparare licet, quam illius innumeras divitias recensendo easque contra perspicuam concisamque doctrinam alterius ponendo. Tunc quam parum superesset, quod pertinere videatur ad quinque saecula, quae duo artis principes, ac signiferi diviserunt! Quomodo inflatae inanesque doctrinae, quae in partes scisserunt, et violenter exagitarunt fere viginti subsequentes hominum generationes, penitus deletae, e memoria elapsae sunt!

Doctrinarum varietates, praeceptionum copiam, exercitationum profusionem, quae in Operibus Medicinae Parentis exuberant, recensendo, Celsus ipse prae Hippocrate fere decrescit. Sed si cui in mentem venisset in unum et brevius contrahere quod in scriptis fere innumeris Hippocraticae collectionis utilius et usu accomodatius invenitur, is sapientiae suae judicio, quod Celsus fecit, iterum repetere deberet. Hippocrates comparandus est spatioso et opimo agro segetum frugumque laeto; Celsus horreo in quo fruges a paleis, foliis et aristis repurgatae conduntur. Hippocrates est pleoum et

ingens Americae flumen, quod copiosis aquis aureas volvit arenas; Celsus vero aurum purum a coeno et ab omnibus sordibus perpurgatum. Quamobrem si omnia Celsi monita colligere vellem, quae etiam in Hippocrate inveniuntur, fere integrum Latini Scriptoris opus transcribere debuissem. Ex quibus tantum seligo praecepta, quae formam substantiamque praeceptionum Graeci Medici vix immutatam servant. Sed ab eis quoque patet, etiam quum Celsus praecepta Coa dumtaxat in Latinum vertere videatur, saepe ita ea amplius explicat, ita noviter comparat, et tam apte temperat ac componit, ut fere sua propria essent, specie novitatis omnia exornat. Sed ille non agit uti quidam temporum nostrorum alienis vestibus exornati, qui aliquid artificiose mutant, ad obtegenda ignominiosa latrocinia. Contra Celsus candide explicat quid agere vult, et quasi una non satis esset solemnis declaratio, passim suarum doctrinarum fontes indicat. « Non dubitabo, inquit, auctoritate antiquorum virorum uti, maximeque Hippocratis; quum recentiores Medici, quamvis quaedam in curationibus mutarint, tamen haec illum optime praesagisse fateantur ».

Hippocratis magnam Librorum partem Celsum consuluisse compertum est; sed *Aphorismis* et *Praenotionibus*, nec non tractatubus *De capitis vulneribus*, *De fracturis et De articulis* praecipue usus est. Libros etiam ex communi Criticorum sententia ut spurios habitos ad examen revocavit, uti videndum est ex citatione illius Libri V. Epidemiorum (1) sententiae, cum qua Hippocraticus Scriptor se a suturis deceptum esse ingenue fatetur.

Henricus Stephanus, quum Celsum in sua *Artis Medicae Principum* editione 1567 denuo recuderit, primus post Indicem II. Voluminis articulum addidit cui titulus : *Hippocratis loci aliquot, quorum alios omnino, et pene ad verbum, alios ex parte Celsus interpetratus est.* Sed saltem loca praecipua comparando opus imperfectum exhibuit. Ego ultra tercenta septuaginta loca Hippocratis (2) cum totidem locis Celsi ex adverso posui, quod historiae et literaturae veteris medicinae non parum utilitatis allaturum confido.

Operae pretium erat etiam Celsum cum aliquo posteriore Scriptore comparare, nec in eo eligendo animi pendere poteram, quum compertum sit Paulum Aeginetam, qui ultra sexcentos quinquaginta fere annos post Celsum vixit, totam medicinam in compendium redegisse, et quamvis minus feliciter, tamen quod Celsus pro Medicina Hippocratica fecit eum pro Galenica Medicina fecisse. Ipsa forma Libri Aeginetae cum illa Celsi aliquo modo concordat, et quamplurima loca duorum Auctorum ita perfecte consentiunt, ut inferre liceat aut Paulum Latinum Scriptorem transcripsisse, aut suas praeceptiones ex iisdem fontibus hausisse. Quamobrem aliqua comparatio inter duos Scriptores et opportuna est et necessaria iis, qui progressus artis intueri, et meliorem fructum ex operibus veterum carpere desiderant. Quare igitur aliqua loca comparabilia inter Celsum et Paulum exponere censui, (3) et breviter id feci, ne praetergredi justos terminos operis omnino voluisse dicerer.

(1) « *Deceperunt enim me suturae* » §. 14. (2) *Ex edit Lugdun Batav* an, 1665. *J. A. Vander Linden.* (3) *Ex edit Basileae* 1535. *Alb. Torin.*

LOCA PARALLELA

INTER

HIPPOCRATEM ET CELSUM

EX APHORISMIS.

APHOR. SECTIO PRIMA

Celsi Lib. I. Prooem. p. 11. l. 38.

Aph. II. Inspicere oportet regionem et tempus.

Cels. L. II. c. 2. p. 29, l. 39.

Aph. III. In exercitantibus boni habitus ad summum progressi periculosi sunt, si in extremo fuerint. Non enim manere possunt in eodem, neque quiescere. Quum vero non quiescant, non amplius in melius augescere possunt: reliqnum est igitur nt in deterius.

Cels. L. III. cap. 6. p. 78, l. 38.

Aph. VII. Ubi quidem peracutus est morbus, statim etiam extremos labores habet, et extreme tenuissimo victu uti necesse est. Ubi vero non, sed pleniore victu uti licet, in tantum subdescendendnm est, in quantum morbus estremis mollior fuerit.

Cels. Lib. III. c. 5. p. 76. l. 1.

Aph. XI. Quibus per circuitus exacerbationes fiunt, in exacerbationibus subtrahere victum oportet.

Celsi Lib. I. Prooem. et c. 3. p. 12. l. 12. p. 20. l. 15.

Aph. XIII. Senes facillime jejunium ferunt: deinde aetate consistentes: minime adolescentes, omnium vero minime pueri.

Celsi Lib. I. c. 3. p. 20. l. 48.

Aph. XIV. Qui crescunt... plurimo opus habent alimento.

Celsi Lib. I. c. 3. p. 20. l. 24.

Aph. XV. Hyeme... alimenta plura adhibenda sunt.

Celsi Lib. III. c. 6. 78. l. 17.

Aph. XVI. Victus humidi omnibus febricitantibus conferunt.

Celsi Lib. I. c. 3. p. 20. l. 24, 30. 33. 37.

Aph. XVIII. Aestate et autumno cibos difficillime ferunt, hyeme facillime, deinde vere.

Celsi Lib. III. c. 4. p. 71. l. 31.

Aph. XXII. Concocta medicamentis aggredi oportet, et movere, non cruda; neque in principiis, si non turgeant.

APHOR. SECTIO SECUNDA.

Celsi L. II. c. 6. p. 34. l. 22.

Aph. I. In quo morbo somnus laborem facit, mortale.

Celsi L. III. c. 18. p. 89, l. 5.

Aph. II. Ubi somnus delirium sedat, bonum est.

Celsi Lib. II. c. 4. p. 31. l. 20.

Aph. III. Somnus, vigiliae, utraque modum excedentia, malum.

Celsi Lib. I. c. 3. p. 15. l. 28.

Aph. IV. Non satietas, non fames, neque aliud quicquam bonum est, quod naturae modum excedat.

Celsi Lib. II. c. 2. p. 30. l. 14.

Aph. V. Lassitudines spontaneae futuros denunciant morbos.

Celsi L. II. c. 7. p. 38 l. 30.

Aph. VI. Quicumque aliqua parte corporis dolentes, plerumque dolores non sentiunt, his mens aegrotat.

Celsi Lib. I. c. 2. p. 15. l. 6.

Aph. XI. Facilius est repleri potu, quem cibo.

Celsi Lib. III. c. 5. p. 75. l. 14.

Aph. XIII. Quibuscumque judicatio fit, his nox gravis ante exacerbationem. Quae vero sequitur, plerumque tolerabilior est.

Celsi Lib. I. c. 2. p. 15. l. 20.

Aph. XVI. Ubi fames non oportet laborare.

Celsi Lib. II. c. 6. p. 35. l. 26.

Aph. XIX. Acutorum morborum non omnino tutae sunt praedictiones neque mortis, neque sanitatis.

Celsi Lib. I. c. 3. p. 20. l. 21.

Aph. XX. Quibus dum juvenes sunt, ventres humidi sunt, his senescentibus resiccantur. Quibus vero dum juvenes sunt, ventres sicci sunt, his senescentibus humectantur.

Celsi Lib. III. c. 4. p. 73. l. 10. et seq.

Aph. XXIII. Acuti morbi in quatuordecim diebus judicantur.

Cels. Lib III. c. 4. p. 73 l. 28.

Aph. XXIV. Septimae quarta index est. Alterius hebdomadae octava principium est. Consideranda vero est undecima. Haec enim quarta est secundae hebdomadae. Consideranda rursus decimaseptima. Ipsa enim est quarta quidem a decimaquarta, septima vera ab undecima.

Celsi Lib. II. c. 8. p. 43. l. 2. p. 46. l. 28.

Aph. XXV. Aestivae quartanae plerunque sunt breves. Autumnales vero longae, et maximae quae ad hyemem pertingunt.

Celsi Lib. V. c. 26. § 26. p. 165. l. 13.

Aph. XXVI. Febrem in convulsione fieri melius est, quam convulsionem in febre.

Celsi Lib. II. c. 5. p. 33. l. 13.

Aph. XXVIII. Febricitantium non omnino leviter, permanere et nihil minui corpus, aut etiam magis quam pro ratione colliquari, malum est.

Celsi Lib. II. c. 3. p. 30. l. 35.

Aph. XXXII. Plerumque omnes male habentes, ab initio cibum bene capientes, et nihil augescentes, ad finem rursus cibum fastidiunt. At ab initio quidem valde cibum aversantes, postea vero bene cibum capientes, melius liberantur.

Celsi Lib. II. c. 3, et 4. pag. 30. l. 28. p. 31. l. 26.

Aph. XXXV. In omni morbo partes circa umbilicum et pectinem crassitudinem habere, melius est. At vehemens tenuitas, et eliquatio, prava est.

Celsi Lib. II. c. 13. p 53. l. 32.

Aph. XXXVI. Sana habentes corpora, dum medicamentis purgantur, cito exolvuntur.

Celsi Lib. II. c. 8. p. 46. l. 18.

Aph. XLII. Apoplexiam fortem quidem solvere impossibile est, debilem vero non facile.

Celsi Lib. II c. 8 p. 46. l. 27.

Aph. XLIII. Ex his qui strangulantur, nondum autem mortui sunt, non reconvalescunt, quibus spuma circa os fuerit.

Celsi Lib. II. c. 1. p. 29. l. 32.

Aph. XLIV. Crassi admodum secundum naturam, magis cito moriuntur, quam graciles.

Celsi Lib. II. c. 8. p. 42. l. 18.

Aph. XLV. Juvenibus comitialium liberationem faciunt mutationes, maxime aetatis.

Celsi Lib. I. c. 3. p. 16. l. 3.

Aph. XLIX. Adsueti consuetos labores ferre, etiamsi fuerint debiles, aut senes, non adsuetis fortibus ac juvenibus facilius ferunt.

Celsi Lib. I. c. 3. p. 15. l. 28. p. 17. l. 8.

Aph. L. Ex multo tempore consueta, etiamsi deteriora fuerint, inconsuetis minus molestare solent. Oportet igitur etiam ad inconsueta transmutationem facere.

Aph. LI. Multum et repente evacuare, aut replere, aut calefacere, aut frigefacere, aut omnino quomodocumque corpus movere, periculosum est. Et omnis multitudo naturae contraria est. Quod vero pau-

latim fit tutum est, tum alias, tum si ex altero ad alterum transitus fit.

Celsi Lib. I. c. 3. p. 20. l. 21.

Aph. LIII. Quicumque ventres humidos habent, dum quidem juvenes sunt, melius degunt quam hi, qui siccos habent. Verum ad senectutem deterius degunt.

Celsi Lib. II. c. 1. p. 27. l. 10.

Aph. LIV. In corporis magnitudine juventutem quidem degere, liberale est et non indecorum. Senectutem vero degere, inutile est et deterius parvitate.

APHOR. SECTIO TERTIA.

Celsi Lib. II. c. 1. p. 26. l. 17. Lib. I. c. 2, et 9. p. 14. l. 10. p. 24. l. 25.

Aph. I. Mutationes temporum maxime pariunt morbos, et in temporibus magnae mutationes frigoris aut caloris, et reliqua juxta rationem hoc modo.

Celsi Lib. I. c. 9. p. 24. l. 11.

Aph. II. Naturarum aliae quidem ad aestatem, aliae vero ad hyemem, bene aut male se habent.

Celsi Lib. II. Prooem. p. 26. l. 6.

Aph. III. Morborum alii ad alia tempora, bene aut male se habent; et aetates quaedam ad tempora, et regiones et victus.

Celsi Lib. I. c. 3. p. 20. l. 38.

Aph. IV. In temporibus quum eadem die, modo calor, modo frigus fit, autumnales morbi expectare oportet.

Celsi Lib. II. c. 1. p. 28. l. 9. et. 2.

Aph. V. Austri auditum gravantes, caliginosi, caput gravantes, torpidi, dissolventes. Quum hic praevaluerit, talia in morbis patiuntur. Si vero Aquilo fuerit, tusses, fauces, alvi durae, urinae difficultates, horrores, dolores costarum, pectoris. Quum hic dominatur, talia in morbis expectare oportet.

Celsi Lib. II. c. 1. p. 28. l. 33.

Aph. VI. Quum aestas fit veri similis, sudores in febribus multos expectare oportet.

Celsi Lib. II. c. 1. p. 28. l. 19.

Aph. VII. In siccitatibus febres acutae fiunt.

Celsi Lib. II. c. 1. p. 27. l. 2.

Aph. VIII. In constantibus temporibus, si tempestive tempestiva reddantur, morbi constantes et judicatu facillimi fiunt.

Celsi Lib. II. c. 1. p. 27. l. 15.

Aph. IX. In autumno morbi acutissimi et omnino mortiferi. Ver autem saluberrimum et minime lethale

Celsi Lib. II. c. 8. p. 44. l. 6.

Aph. X. Autumnus tabidis malus.

Celsi Lib. II. c. 1. p. 28. l. 24.

Aph. XI. De temporibus, si quidem hyems sicca et aquilonaris fuerit, ver autem pluviosum et australe, necesse est aestate febres acutas, et lippitudines et dysenterias fieri, maxime muliebribus, et viris natura humidioribus.

Celsi Lib. II. c. 1. p. 28. l. 27.

Aph. XII. Si vero hyems australis, et pluviosa, ac clemens fiat, ver autem siccum et aquilonare, mulieres quidem quibus partus ad ver instat, ex omni occasione abortiunt; quae vero pariunt, ita ut aut statim pereant, aut tenues ac morbosi vivant. Aliis autem dysenteriae et lippitudines siccae fiunt. Senioribus vero defluxiones brevi perimentes.

Celsi Lib. II. c. 1. p. 28. l. 35.

Aph. XIII. Si vero aestas sicca fiat et aquilonaris, autumnus autem pluviosus et australis, capitis dolores ad hyemem fiunt, et tusses et raucedines, ac gravedines; quibusdam etiam tabes.

Celsi Lib. II. c. 1. p. 28. l. 37.

Aph. XIV. Si autem aquilonaris

et aquarum exors autumnus fierit, his quidem, qui humidas naturas habent et mulieribus commodus erit. Reliquis vero fient lippitudines siccae, et febres acutae et gravedines. Quibusdam vero etiam atrae biles.

Celsi Lib. II. c. I. p. 26. l. 23.

Aph. *XV.* Ex anni vero constitutionibus, in summa siccitates pluviosis salubriores sunt, et minus lethales.

Celsi Lib. II. c. I. p. 28. l. 19.

Aph. *XVI.* Morbi in pluviosis quidem plerumque fiunt, febres longae, et alvi fluxiones, et putredines, et comitiales, et siderationes et anginae. In siccitatibus vero tabes, lippitudines, arthritides, urinae stillicidia, et dysenteriae.

Celsi Lib. II. c. I. p. 28. l. 9.

Aph. *XVII.* Quotidianae vero constitutiones, aquilonares quidem corpora compingunt, et robusta, et ad motum idonea, et bene colorata, et melius audientia faciunt, et ventres resiccant, et oculos mordent, etsi circa thoracem aliquis dolor prius est, magis affligunt. Australes autem corpora dissolvunt, et humectant, et gravem auditum, ac capitis gravitatem, et vertigines in oculis, et corporibus aegrum motum, et ventres humectant.

Celsi Lib. II. c. I. p. 29. l. 1.

Aph *XVIII.* Secundum tempora, vere quidem et prima aestate, pueri, et qui his aetate cohaerent, optime degunt et maxime sani sunt. Aestate vero et autumno aliquandiu senes. Reliquo autumno et hyeme mediam aetatem habentes.

Celsi Lib. II *Proaem* p. 26. l. 9.

Aph. *XIX.* Morbi omnes quidem in omnibus temporibus fiunt: quidam tamen magis in quibusdam ipsorum et fiunt et exacerbantur.

Celsi Lib. II. c. I. p. 27. l. 11.

Aph. *XX.* Vere etenim insaniae et atrae biles, et comitiales et sanguinis fluxiones, et anginae, et gravedines, et raucedines, et tusses et leprae, et impetigines et vitiligines, et pustulae ulcerosae plurimae, et tubercula, et morbus articularis.

Celsi Lib. II. c. I. p. 27. l. 18.

Aph. *XXI.* Aestate vero et quidam ex his, et febres continuae, et ardentes, et tertianae plurimae, et quartanae et vomitus, et alvi profluvia, et lippitudines, et aurium dolores, et oris exulcerationes, et pudendorum putredines, et papulae sudorosae.

Celsi Lib. II. c. I. p. 27. v. 22.

Aph. *XXII.* Autumno autem et ex aestivis multi, et febres quartanae et erraticae, et splenes, et hydropes, et tabes, et urinae stillicidia, et intestinorum levitates, et dysenteriae, et coxendices, et anginae, et anhelationes, et volvuli, et comitiales, et insaniae et atrae biles.

Celsi Lib. II. c. I. p. 28. l. 7.

Aph. *XXIII.* Hyeme vero pleuritides, peripneumoniae, lethargi, gravedines, raucedines, tusses, dolores pectorum, laterum ac lumborum, capitis dolores, vertigines, siderationes.

Celsi Lib. II. c. I. p. 29. l. 5. Lib. VI. c. 11. p. 208. l. 29.

Aph. *XXIV.* In aetatibus autem talia continguut. Parvis ac recens natis pueris fervida oris ulcera, vomitus, tusses, vigiliae, timores, umbilici inflammationes, aurium humiditates.

Celsi Lib. II. c. I. p. 29 l. 8.

Aph. *XXV.* Ad dentitionem vero accedentibus, gingivarum pruritus, febres, convulsiones, alvi profluvia, et maxime ubi dentes caninos producunt, tum crassissimis pueris, tum his qui duros ventres habent.

Celsi Lib. II. c. I. p. 29. l. 12.

Aph. *XXVI.* Grandioribus autem

evadentibus, verticuli, in occipitio intro luxationes, anhelationes, calculorum generationes, lumbrici rotundi, ascarides, verrucae, tumores glandularum circa aures oblongi, satyriasmi appellati, strumae, et alia tubercula, maxime vero praedicta.

Celsi Lib. II. c. 1. p. 29. l. 15.

Aph. XXVII. Adhuc vero grandioribus et ad pubertatem accendentibus, pleraque ex his, et febres diuturnae magis, et ex naribus sanguinis fluxiones.

Celsi Lib. II. c. 1. p. 29. l. 16.

Aph. XXVIII. Plurimae vero affectiones pueris judicantur, partim in quadraginta diebus, partim in septem mensibus, partim in septem annis, partim ad pubertatem accedentibus. Quae vero permanserint pueris affectiones, et non exolutae fuerint circa pubertatem, aut foemellis circa mensium eruptiones, diuturnae fieri solent.

Celsi Lib. II. c. 1. p. 29. l. 22.

Aph. XXIX. Juvenibus autem sanguinis spuitiones, tabes, febres acutae, comitiales et alii morbi, maxime vero praedicti.

Celsi Lib. II. c. 1. p. 29. l. 23.

Aph. XXX. His vero, qui hanc aetatem excesserunt, anhelationes, pleuritides, peripneumoniae, lethargi, phrenitides, febres ardentes, alvi profluvia diuturna, bilis sursum ac deorsum effusiones, dysenteriae, intestinorum laevitates, haemorrhoides.

Celsi Lib. II. c. 1. p. 29. l. 26.

Ap. XXXI. Senibus autem spirandi difficultates, et defluxiones cum tussi, urinae stillicidia, urinae difficultates, articulorum dolores, nephritides, vertigines, siderationes, mali habitus, pruritus totius corporis, vigiliae, alvi, oculorum, et narium humiditates, visus hebetudines, glaucedines, auditus gravitates.

APHOR. SECTIO QUARTA.

Celsus Lib. I. c. 3. p. 18, l. 34, contra opinionem Hipp. praecepit.

Aph. IV. Medicamentis purgare oportet aestate quidem, superiores magis: hyeme vero inferiores.

Celsi Lib. II. c. 7. p. 36. l. 21.

Aph. XI. Quibus tormina, et circa umbilicum dolores, et lumborum dolor, qui neque a medicamento, neque alias solvitur, in hydropem siccum firmatur.

Celsi Lib. II. c. 13. p. 53. l. 31.

Aph. XIII. Ad veratrum, his qui non facile sursum purgantur, ante potionem corpora humectare oportet ampliore cibo ac quiete.

Celsi Lib. II. c. 13. p. 53. l. 33. Lib. II. c. 6. p. 34, l. 19.

Aph. XVI. Veratrum periculosum est sanas carnes habentibus. Convulsionem enim inducit.

Celsi Lib. I. c. 3. p. 18. l. 30.

Aph. XVII. Sine febre existenti cibi fastidium, et oris ventriculi morsus, et vertigo, et os amarescens medicamento sursum purgante opus habere significat.

Celsi Lib. II. c. 8. p. 46. l. 28.

Aph. XXI. Egestiones alvi nigrae, velut sanguinis niger, sua sponte prodeuntes et cum febre, et sine febre, pessimae sunt.

Celsi Lib. II. c. 6. p. 34, l. 23.

Aph. XXII. Quibuscumque morbis incipientibus, si atra bilis aut sursum, aut deorsum prodierit, lethale est.

Celsi Lib. II. c. 6. p. 34. l. 24.

Aph. XXIII. Quibuscumque ex morbis acutis, aut ex diuturnis, aut alias attenuatis, atra bilis, sive qualis sanguis niger, postridie moriuntur.

Celsi Lib. II. c. 8. p. 45 l. 10.

Aph. XXIV. Dysenteria, si ab atra bile inceperit, lethalis est.

Celsi Lib. IV. c. 23. p. 129. l. 2.

Aph. XXVI. Si a dysenteria occupato, veluti carnes subierint, lethale est.

Celsi Lib. II. c. 8. p. 43. l. 15.

Aph. XXVIII. Quibus biliosae sunt egestiones, surditate oboriente cessant.

Celsi Lib. II. c. 4. p. 31. l. 23.

Aph. XXIX. Quibus in febribus sexta die rigores fiunt, difficulter judicant.

Celsi Lib. II. c. 7. p. 40, l. 4.

Aph. XXXI. Delassatis in febribus, ad articulos, et circa maxillas maxime, abscessus fiunt.

Celsi Lib. II. c. 6. p. 34. l. 12.

Aph. XXXIV. Si a febre occupato, tumore non existente in faucibus, suffocatio derepente contingat, lethale est.

Celsi Lib. II. c. 6. p. 34. l. 14.

Aph. XXXV. Si a febre occupato collum repente obversum fuerit, et vix deglutire poterit, tumore non existente, lethale est.

Celsi Lib. II. c. 5. p. 33. l. 9.

Aph. XXXVII. Frigidi sudores . . . . . cum mitiore (febre) vero, morbi longitudinem.

Celsi Lib. II. c. 2. p. 30. l. 7.

Aph. XXXVIII. Et ubi in corpore sudor est, illic morbum esse declarat.

Celsi Lib. II. c. 2. p. 30. l. 4.

Aph. XXXIX. Et ubi in corpore caliditas . . . isthic morbus est.

Celsi Lib. II. c. 5. p. 33. l. 11.

Aph. XL. Et ubi in toto corpore mutationes, et si corpus perfrigeretur, aut rursus calefiat, aut color alius ex alio fiat, longitudinem morbi significat.

Celsi Lib. II. c. 4. p. 32. l. 9. Lib. III. c. 12. p. 83. l. 18.

Aph. XLIII. Febres quaecumque non intermittentes, per tertiam fortiores fiunt, magis periculosae sunt. Quocumque vero non intermiserint, quod sine periculo sint, significant.

Celsi Lib. II. c. 7. p. 39. v. 14.

Aph. XLIV. Quibus febres longae, his tubercula, aut ad articulos, dolores fiunt.

Celsi Lib. II. c. 6. p. 34. l. 16. Lib. II. c. 14. p. 55. l. 16.

Aph. XLVIII. In non intermittentibus febribus, si externae quidem partes frigidae fuerint, internae vero ardeant, ac sitim habeant, lethale est.

Celsi Lib. II. c. 6. p. 33. l. 34.

Aph. XLIX. In febre non intermittente, si labium, aut palpebra, aut oculus, aut nasus distorqueatur: aut non videat, aut non audiat, aeger jam debilis existens, quicquid horum fiat, propinqua mors est.

Celsi Lib. II. c. 6. p. 34. l. 16.

Aph. L. Ubi in febre non intermittente, difficultas spirandi et delirium fit, lethale est.

Celsi Lib. II. c. 5. p. 33. l. 8.

Aph. LI. In febribus abscessus, qui non solvuntur ad primas judicationes, longitudinem morbi significant.

Celsi Lib. II. c. 4. p. 34. l. 25.

Aph. LII. Quicumque in febribus, aut aliis aegritudinibus, voluntate lachrymentur, nihil absurdi est. Qui vero non ex voluntate, absurdum.

Celsi Lib. II. c. 4. p. 31. l. 26.

Aph. LIII. Quibus circa dentes in febribus viscosa adhaerent, his fortiores febres fiunt.

Celsi Lib. III. c. 7. §. 2. p. 80. l. 39.

Aph. LIV. Quibus plerumque tusses siccae, parum irritantes, in febribus ardentibus, hi non ita valde siticulosi sunt.

Celsi Lib. III. c. 5. p. 74. l. 26.

Aph. LV. Ex glandularum tumoribus febres omnes malae sunt, exceptis diariis.

Celsi Lib. II. c. 5. p. 33. l. 10.

Aph. LVI. Febricitanti sudor oboriens, febre non remittente, malum.

Celsi Lib. II. c. 8. p. 43. l. 6. Lib. V. c. 26. §. 26. p. 165. l. 14.

Aph. LVII. A convulsione aut distensione nervorum vexato, febris accedens morbum solvit.

Celsi Lib. II. c. 8. p. 43. l. 12.

Aph. LVIII. A febre ardente occupato, rigore accedente, solutio fit.

Celsi Lib. II. c. 8. p. 43. l. 14.

Aph. LX. Quibus in febribus aures obsurduerunt, his sanguis e naribus effusus, aut alvus exturbata, morbum solvit.

Celsi Lib. III. c. 4. p. 73 l. 15.

Aph. LXI. Febrientem si non in diebus imparibus febris demiserit, recidivare solet.

Celsi Lib. III. c. 24. p. 102. l. 25.

Aph. LXII. Quibus in febribus morbus regius fit ante septimum diem, malum: nisi conversi humores ad ventrem fuerint.

Celsi Lib. III. c. 24. p. 102. l. 25.

Aph. LXIV. Quibus in febribus morbus regius septima, aut nona, aut decimaquarta accedit, bonum, si praecordium dextrum durum non fit: sin minus, non bonum.

Celsi Lib. II. c. 4. p. 32. l. 16.

Aph. LXVI. In febribus acutis convulsiones, et circa viscera dolores fortes, malum.

Celsi Lib. II. c. 4. p. 32. l. 17.

Aph. LXVII. In febribus, ex somnis timores, aut convulsiones, malum.

Celsi Lib. II. c. 7. p. 39. l. 15.

Aph. LXVIII. In febribus spiritus offendens, malum. Convulsionem enim significat.

Celsi Lib. II. c. 4. p. 32. l. 24.

Aph. LXXII. Quibus urinae pellucidae albae, malae. Maxime autem in phreneticis compareant.

Celsi Lib. II. c. 3. p. 31. l. 9.

Aph. LXXIII. Quibus praecordia elevata, permurmurantia, lumborum dolore accedente, his alvi humectantur, si non flatus erumpant, aut urinae copia prodeat. In febribus autem haec.

Celsi Lib. II. c. 7. p. 37. l. 10.

Aph. LXXIV. Quibus spes est abscessum fore ad articulos, eos liberat ab abscessu urina multa, et crassa, et alba prodiens.

Celsi Lib. II. c. 7. p. 37. l. 14.

Aph. LXXV. Si quis sanguinem aut pus mingat, renum aut vesicae ulcerationem significat.

Celsi Lib. II. c. 7. p. 37. l. 15.

Aph. LXXVI. Quibus in urina crassa existente, carunculae parvae, aut veluti pili simul exeunt, his de renibus excernuntur.

Celsi Lib. II. c. 7. p. 38. l. 1.

Aph. LXXIX. Quibus in urina arenosa subsidunt, his vesica calculo laborat.

Celsi Lib. II. c. 7. p. 37. l. 23.

Aph. LXXX. Si quis sanguinem mingat, et grumos, et urinae stillicidium habeat, et dolor incidat in imum ventrem, et ani ac scroti intercapedinem, partes circa vesicam affectae sunt.

Celsi Lib. II. c. 7. p. 37. l. 16.

Aph. LXXXI. Si quis sanguinem et pus mingat, et squamas, et odor gravis sit, vesicae exulcerationem significat.

Celsi Lib. II. c. 18. p. 43. l. 16.

Aph. LXXXII. Quibus in urinaria fistula tuberculum nascitur, his suppuratione facta, et eruptione, solutio fit.

APHOR. SECTIO QUINTA.

Celsi Lib. II. c. 6. p. 34. l. 19.
Aph. I. Convulsio ex veratro lethalis est.

Celsi Lib. II. c. 8, p. 46. l. 23.
Aph. III. Sanguine multo effuso, convulsio, aut singultus accedens, malum.

Celsi Lib. II. c. 8, p. 46. l. 25.
Aph. IV. Ex superflua purgatione, convulsio aut singultus accedens, malum.

Celsi Lib. II. c. 6. p. 34. v. 19.
Aph. V. Si quis ebrius derepente voce privatur, convulsus moritur, si non febris corripuerit, aut ubi ad horam, qua crapulae solvuntur, pervenit, loquatur.

Celsi Lib. IV. c. 6 p. 113. l. 20.
Aph. VI. Quincumque a distentione antrorsum aut retrorsum corripiuntur, in quatuor diebus pereunt. Si vero has effugerint, sani fiunt.

Celsi Lib. II. c. 8. p. 42. l. 18.
Aph. VII. Quibuscumque morbi comitiales ante pubertatem fiunt, transmutationem habent. Quibuscumque vero viginti quinque annis natis fiunt, his plerumque commoriuntur.

Celsi Lib. III. c. 22, p. 99. l. 13.
Aph. IX. Tabes maxime fit aetatibus, ab anno decimo octavo, usque ad trigesimum quintum.

Celsi Lib. II. c. 7. p. 39. v. 16.
Aph. X. Quibuscumque anginam effugiunt, his ad pulmonem vertitur, et in septem diebus moriuntur. Si vero has effugerint, suppurati fiunt.

Celsi Lib. III. c. 22. p. 98. l. 21.
Aph. XI. Qui tabe infestantur, si sputum quodcunque tussiendo rejecerint, grave olet dum prunis injicitur, et capilli de capite defluunt, lethale est

Celsi Lib. II. c. 8. p. 44. l. 4.
A. C. Celsi V. I

Aph XII. Quibuscumque tabe laborantibus capilli de capite defluxerint, hi alvi profluvio accedente, moriuntur.

Celsi Lib. II c. 7. p. 38 l. 11.
Aph VIII. Quicumque sanguinem spumosum spuunt, his ex pulmone eductio fit.

Celsi Lib. III. c. 22. p. 100. l. 21.
Aph. XIV. A tabe occupato alvi profluvium accedens, lethale est.

Celsi Lib. II. c. 7. p. 38. v. 22. Lib. II. c. 8. p. 41. v. 12.
Aph. XV. Quicumque ex pleuritide suppurati sunt, si in quadraginta diebus repurgati fuerint, ab ea die, qua ruptio facta fuerit, liberantur. Si vero non, ad tabem transeunt.

Celsi Lib I. c. 9. p. 24. l. 24 Lib. II. c. 1. p. 28 l. 25.
Aph. XVI. Calida, frequenter ea utentibus, has noxas inducit, carnium effoeminationem, nervorum impotentiam, mentis torporem, sanguinis eruptiones, animi deliquia. Haec quibus mors.

Celsi Lib. II. c. 1. p. 28. l. 17.
Aph. XVII. Frigida vero convulsiones, antrorsum ac retrorsum distentiones, nigrores, et rigores febriles.

Celsi Lib I. c. 9. p 24. l. 12.
Aph. XVIII. Frigida inimica ossibus, dentibus, nervis, cerebro, spinali medullae. Calida vero grata.

Celsi Lib. I. c. 9. p. 24. l. 15.
Aph. XX. Ulceribus frigida mordax, cutem obdurat, dolorem non suppurantem facit, nigrefacit, rigores febriles inducit, convulsiones, distentiones.

Celsi Lib. I. c. 9. p. 24. l. 21. et 22.
Aph. XXII. Calida . . . rigores, convulsiones, distentiones mitigat.

Celsi Lib. I. c. 9. p. 24. l. 19. Lib. IV c. 24. p. 136 l. 20.

Aph. *XXV*. Tumores in articulis et dolores absque ulcera, et podagricas affectiones, et convulsiones, llorum plurima frigida multa affusa levat, et attenuat, et dolorem solvit. Torpor enim moderatus dolorem solvit.

Celsi Lib. II. c. 18. p. 61. l. 35.

Aph. *XXVI*. Aqua, quae cito calescit, et cito perfrigeratur, levissima est.

Celsi Lib. II. c. 6. p. 34. l. 22.

Aph. *XXX*. Mulierem uterum gerentem ab aliquo acuto morbo corripi, lethale est.

Celsi Lib. II. c. 10. p. 47, l. 15.

Aph. *XXXI*. Mulier uterum gerens, secta vena abortit, et magis si major fuerit foetus.

Celsi Lib II. c. 8. p. 42. l. 41.

Aph. *XXXII*. Mulieri sanguinem vomenti mensibus erumpentibus solutio fit.

Celsi Lib. II. c. 8. p. 38. l. 12.

Aph. *XXXIII*. Mulieri mensibus deficientibus, sanguinem ex naribus fluere, bonum est.

Celsi Lib II. c. 7. p. 38. l. 12. Lib. II. c. 8. p 45. l. 9.

Aph *XXXIV*. Mulieri uterum gestanti, si alvus multum fluxerit, periculum est ut abortiat.

Celsi Lib. II. c 8. p. 42. l. 1.

Aph. *XXXV*. Mulieri, quae ab uteri strangulationibus vexatur, aut difficulter parit, sternutatio accedens, bonum.

Celsi Lib. II. c. 8. p. 46. l. 20.

Aph. *XXXVII*. Mulieri uterum gestanti, si mammae repente graciles fiant, abortit.

Celsi Lib. II. c 8. p. 46. l. 21.

Aph. *XXXIX*. Si mulier, quae neque praegnans est, neque peperit, lac habet; menses ipsius defecerunt

Celsi Lib. II. c. 7. p. 39. l. 12.

Aph. *XL* Mulieribus quibuscumque ad mammas sanguis colligitur, insaniam significat.

Celsi Lib. IV. c. 27. p. 133. l. 28.

Aph. *L*. Mulieri menses si cohibere voles, cucurbitam quam maximam ad mammas appone.

Celsi Lib. II c. 7. p. 38. l. 13.

Aph. *LII*. Mulieri uterum gestanti si multum lac ex mammis fluet, debilem foetum significat. Si vero solidae fuerint mammae, saniorem foetum significant.

Celsi Lib. II. c. 8. p. 45. l. 28.

Aph. *LV*. Quaecumque in utero habentes, a febribus corripiuntur, et fortiter attenuantur sine manifesta occasione, difficulter pariunt et periculose: aut abortum facientes periclitantur.

Celsi Lib. II. c 7. p. 36, l. 32.

Aph. *LVII*. Mensibus pluribus prodeuntibus morbi fiunt, et non prodeuntibus, ab utero morbi contingunt.

Celsi Lib. III. c. 22. p. 99. l. 23.

Aph. *LXIV*. Lac dare caput dolentibus, malum. Malum etiam febricitantibus, et quibus praecordia elevata permurmurantia, et siticulosis. Malum et quibus biliosae alvi egestiones in febribus acutis sunt, e quibus sanguinis multi egestio facta est Convenit autem exhibere tabescentibus, non valde multum febrientibus, et in febribus longis debilibus, nullo ex praedictis signis praesente, sed praeter rationem consumptis.

Celsi Lib. II. c. 7. p. 38, l. 16.

Aph. *LXV*. Quibus tumores in ulceribus apparent, non valde convelluntur, neque insaniunt. His autem derepente dissipatis, retrorsum quidem convulsiones et distentiones fiunt: antrorsum vero, insaniae, lateris dolores acuti, aut suppuratio, aut disenteria, si rubicundi magis fuerint tumores.

Celsi Lib. V. c. 26. §. 26. p. 165. l. 8.

Aph. LXVI. Si in vulneribus fortibus ac pravis tumor non appareat, magnum malum.

APHOR. SECTIO SEXTA.

Celsi Lib. III. c. 21. p. 94. l. 13.

Aph. VIII. Hydropicis facta ulcera in corpore, non facile sanantur.

Celsi Lib. II. c. 7. p. 38. l. 20.

Aph. XII. Haemorrhoidas sanati diuturnas, si non una servata fuerit, periculum est hydropem, aut tabem accedere.

Celsi Lib. II. c. 8. p. 42. l. 39.

Aph. XIII. A singultu detento, sternutationes accedentes solvunt singultum.

Celsi Lib. II. c. 8. p. 42. l. 40.

Aph. XV. A profluvio alvi longo correpto, vomitus sponte accedens, solvit alvi profluvium.

Celsi Lib. II. c. 8. p. 43. l. 38.

Aph. XVI. A pleuritide, aut peripneumonia occupato, alvi profluvium accedens, malum.

Celsi Lib. II. c. 8. p. 42. l. 36.

Aph. XVII. Lippientem alvi profluvio corripi, bonum.

Celsi Lib. V. c. 26. §. 2 p. 159. l. 15.

Aph. XVIII. Vesicam dissectam habenti, aut cerebrum, aut cor, aut septum transversum, aut tenue aliquod intestinum, aut ventriculum, aut hepar, lethale est.

Celsi Lib. V. c. 26. §. 3. p. 159. l. 30.

Aph. XIX. Ubi dissectum fuerit os, aut cartilago, aut nervus, aut genae pars tenuis, aut praepntium, neque augescit, neque coalescit.

Celsi Lib. II. c. 7. p 38. l 31.

Aph. XX. Si in ventrem sanguis effusus fuerit praeter naturam, necesse est suppurari.

Celsi Lib. II. c. 8. p. 42. l. 36.

Aph. XXI. In insanientibus, varicibus aut haemorrhoidibus accedentibus, insaniae solutio fit.

Celsi Lib. II. c. 7. p. 33. l. 21.

Aph XXIII. Si timor et tristitia multo tempore perseveret, atrabilarium hoc signum est.

Celsi Lib. V. c. 26. §. 2. p. 159. l. 17.

Aph XXIV. Si ex intestinis tenuibus aliquod dissectum fuerit, non coalescit.

Celsi Lib. II. c. 8. p. 43. l. 13.

Aph XXVI. Quibus in febribus ardentibus tremores facti fuerint, mentis emotio solvit.

Celsi Lib. II. c. 8. p. 44. l. 25.

Aph. XXVII. Quicumque suppurati aut hydropici secantur aut uruntur, hi pure aut aqua acervata effluente, omnino moriuntur.

Celsi Lib. IV. c. 31. p. 135. l. 31.

Aph. XXVIII. Eunuchi non laborant podagra, neque calvi fiunt.

Celsi Lib. IV. c. 31. p. 135. l. 32.

Aph. XXIX. Mulier non laborat podagra, si non menses ipsi defecerint.

Celsi Lib. IV. c. 31. p. 135. l. 31.

Aph. XXX. Puer non laborat podagra ante veneris usum.

Celsi Lib. VI. c. 6. §. 1. p. 191. l. 17.

Aph. XXXI. Oculorum dolores meri potus, aut balneum, aut fomentum, aut venae sectio, aut medicamenti potio, solvit.

Celsi Lib. II. c 8. p. 44. p. 20.

Aph. XXXV. Hydropicis tussis accedens malum.

Celsi Lib. IV c. 7. p. 115. l. 5.

Aph. XXXVII. Ab angina detento tumorem fieri foris in collo, bonum est; foras enim morbus vertitur.

Celsi Lib. V. c. 28. §. 2. p. 176. l. 5.

Aph. XXXVIII. Quibuscumque occulti cancri fiunt, eos non curare melius est. Si enim curentur, citius moriuntur. Si vero non curentur, multum tempus perdurant.

Celsi Lib. II c. 8. p. 43. l. 4.

Aph. XL. Quibuscumque circa praecordium dolores fiunt, absque inflammatione, his febris accedens, dolorem solvit.

Celsi Lib. II. c. 8. p. 45. l. 24.

Aph. XLII. Morbo regio laborantibus hepar durum fieri malum est

Celsi Lib. II c. 8. p. 45. l. 25.

Aph. XLIII Quicumque splenici a dysenteria corripiuntur, his longa accedente dysenteria, aut hydrops accedit, aut intestinorum laevitas et pereunt.

Celsi Lib II. c. 8. p. 43. l. 7. Item p. 45. v. 27.

Aph. XLIV. Quibuscumque ex urinae stillicidio volvulus accedit, hi in septem diebus pereunt, si non febre accedente urina satis fluxerit.

Celsi Lib. II. c. 8. p. 43. l. 3.

Aph. XLVIII. Splenicis dysenteria accedens, bonum.

Celsi Lib. IV. c. 31. p. 136, l. 42.

Aph. XLIX. Quicumque podagrici morbi fiunt, hi, sedata inflammatione, in quadraginta diebus decedunt.

Celsi Lib. V. c. 26. §. 14. p. 160. l. 39.

Aph. L. Quibus cerebrum dissectum fuerit, his necesse est febrem, et bilis vomitum accedere.

Celsi Lib II. c. 8. p. 44 l. 13.

Aph. LI Quibuscumque sanis derepente dolores fiunt in capite, et statim voce intercepta jacent, ac stertunt, in septem diebus pereunt, si non febris apprehendat

Celsi Lib. II. c. 6. p. 33. l. 31.

Aph. LII. Considerare vero oportet etiam sub oculis apparitiones in somnis. Si enim albae partis quid subapparuerit, non commissis palpebris, si id non ex alvi profluvio, aut medicamenti potione fuerit, malum signum et valde lethale est.

Celsi Lib. III. c. 18. p. 33. l. 31.

Aph. LIII Desipientiae cum risu quidem orientes, securiores sunt: cum studio vero serio, periculosiores.

Celsi Lib. IV. c 31. p. 136. l. 3:

Aph. LV. Podagricae affectiones vere et autumno utplurimum moventur.

Celsi Lib. II. c. 1. p 29. l. 27.

Aph. LVII. Siderationes vero maxime fiunt, aetate a quadragesimo anno usque ad sexagesimum.

Celsi Lib IV. c. 29. p. 135. l. 11.

Aph. LX Quibuscumque a coxendicum morbo diuturno vexatis, coxa excidit, his crus tabescit, et claudicant, si non usti fuerint.

APHOR. SECTIO SEPTIMA.

Celsi Lib. II. c. 4. p. 32. l. 3.

Aph. I. In acutis morbis, frigiditas extremarum partium, malum.

Celsi II. c. 4. p. 32. l. 4.

Aph. III. Ex vomitu singultus, et oculi rubicundi malum.

Celsi Lib. II. c. 4 p. 32. l. 4.

Aph. IV. Ex sudore horror, non bonum.

Celsi Lib. II. c. 8. p. 46. l. 23.

Aph. IX. Ex sanguinis fluxu delirium, aut etiam convulsio, malum.

Celsi Lib. II. c. 8. p. 45. l. 22.

Aph. X. Ex volvulo vomitus, aut singultus, aut convulsio, aut delirium, malum.

Celsi Lib. II. c. 7. p 39. l. 20.

Aph. XI. Ex pleuritide peripneumonia, malum.

Celsi Lib. II c. 7. p. 39. l. 21.

Aph. XII Ex peripneumonia phrenitis, malum.

Celsi Lib. II. c. 7. p. 39. l. 21.

Aph. XIII. Ex ardoribus vehementibus convulsio, aut distentio, malum.

Celsi Lib. II. c. 7. p. 39. l. 22.

Aph. XIV. Ex plaga in caput stupor, aut delirium, malum.

Celsi Lib. IV. c. 11. p. 118.l.3.

Aph. XV. Ex sanguinis sputo, puris sputum, malum.

Celsi Lib. II. c. 8. p. 44. l. 8.

Aph XVI. Ex puris sputo, tabes, et fluxus, malum. Postquam vero sputum supprimitur, moriuntur.

Celsi Lib. II. c. 7. p. 38. l. 15.

Aph. XVII. Ex hepatis inflammatione singultus, malum.

Celsi Lib II. c. 7. p. 39. l. 23.

Aph. XVIII. Ex vigilia convulsio, aut delirium, malum.

Celsi Lib. II. c. 7. p. 39. l. 23.

Aph. XXI. Ex forti pulsu in ulceribus, sanguinis eruptio, malum.

Celsi Lib. II. c. 7. p. 39. l. 19.

Aph. XXIII. Ex meraca alvi egestione dysenteria malum.

Celsi Lib. II. c. 8. p. 46, l. 26.

Aph. XXVI. Ex dolore forti partium circa ventrem, frigiditas extremarum partium, malum.

Celsi Lib. II. c. 7. p. 37. l. 16. et 23.

Aph. XXXIV. Quibus in urinis bullae superstant, rerum affectiones significant.

Celsi Lib. II. c. 6. p.34. l.23.IV. c. 11. p. 118. l. 9.

Aph. XXXVII. Quicumque sanguinem vomunt, sine febre quidem, salutare est: verum cum febre, malum. Perfrigerantibus autem et adstringentibus curare oportet.

Celsi Lib. VII. c.3. p. 222. l.24. et 26.

Aph. XLIV. Quicumque suppurati uruntur, aut secantur, siquidem pus purum fluent et album, evadunt. Si vero suber uentum, et coenosum, ac graveolens, pereunt.

Celsi Lib. II. c. 8. p. 41. l. 13.

Aph. XLV. Quicumque hepar, suppuratum uruntur, siquidem pus purum fluat, et album, superstites evadunt. In tunica enim pus his inest. Si vero velut amurca fluat, pereunt.

Celsi Lib. II. c. 8. p. 44. l. 20.

Aph. XLVII. Hydropicum si tussis vexet, desperatus est.

Celsi Lib. IV. c. 7. p. 115. l. 5.

Aph. XLIX. qui est repetitio Aph. XXXVII. sextao sectionis.

Celsi Lib. II. c. 8. p. 43. l. 5.

Aph. LII. Quibuscumque hepar circumcirca dolet, his febris accedens solvit dolorem.

Celsi Lib. II. c. 5. p. 33. l. 9.

Aph. LXI. Sudor multus, calidus aut frigidus, semper fluens, humorem abducere oportore significat, forti quidem superne, debili vero, inferne.

Celsi Lib. III. c. 18. p. 91. l. 6.

Aph. LXX. Corpora quaecumque quis purgare voluerit, fluida facere oportet. Et si quidem sursum, sistere alvum. Si vero deorsum humectare

Celsi Lib. II. c. 7. p. 39. l. 19.

Aph. LXXX. Et alvi profluvio, dysenteria.

Celsi Lib. II c. 7. p. 39. l. 9.

Aph. LXXXI. A dysenteria intestinorum laevitas accedit.

Celsi Lib. IV. c. 11. p. 118.l.3.

Aph. LXXXII. Ex sanguinis vomitu, tabes et puris purgatio sursum.

PRAENOTIONES.

Celsi Lib. II. c. 3. p. 30. l. 25.

§. 3. Decumbentem aegrotum a medico deprehendi convenit in latus dextrum aut sinistrum, et manus, et collum, et crura modice inflexa habentem, et totum corpus flexibile situm. Ita enim plurimi ex sanis decumbunt.

*

Celsi Lib. II. c. 3. p. 30. l. 27.

§. 9. Quemadmodum secundum naturam consuetum nobis est, interdiu vigilare oportet, noctu dormire.

Celsi Lib. II. c. 3. p. 30. l. 28.

§. 4. Bonam antem spirationem valde magnam vim habere ad salutem in omuibus acutis morbis putare convenit.

Celsi Lib. II. c. 3. p. 30. l. 29.

§. 5. Praecordium optimum est doloris exors, et molle et equale, tum in dextra, tum in sinistra parte.

Celsi Lib. II. c. 3. p. 30. l. 27.

§. 6. Converti antem convenit facile aegrotum.

Celsi Lib. II. c. 3. p. 30. l. 32.

§. 6. Optimum est et totum corpus aequaliter calidum esse ac molle.

Celsi Lib. II. c. 3. p. 31. l. 8.

§. 10. Commodum est et lumbricos rotundos cum egestione prodire, morbo ad judicationem tendente.

Celsi Lib. II. c. 3. p. 31. l. 2.

§. 11. Oportet in omni morbo mollem esse ventrem, et juxta mole praeditum.

Celsi Lib. II. c. 3. p. 30. l. 40.

§. 11. Optima est urina, quum fuerit alba subsidentia, et laevis, et aequalis.

Celsi Lib II. c. 3. p. 31. l. 9.

§. 10. Solvit murmur in praecordio obortum, et maxime quidem si pertransierit cum stercore, et urina ac flatu. Sin minus, etiam ipsum per se si transierit. Prodest item si subdescenderit ad infernos locos.

Celsi Lib. II. c. 3. p. 30. l. 39.

§. 12. Vomitus commodissimum est, ex piluita ac bile quam maxime permixtus.

Celsi Lib. II. c. 4. p. 31. l. 13.

§. 3. Supinum jacere, et manus et collum et crura extenta habere, minus bonum est.

Celsi Lib. II. c. 4. p. 31. l. 14.

§. 4. Erectum sedere velle aegrum in morbi vigore, in omnibus morbis acutis, malum est: pessimum autem in peripneumonicis.

Celsi Lib. II. c. 4. p. 31. l. 16.

§. 9. Minime laedi aeger poterit, si dormiat mane ad tertiam partem diei. Qui vero ab hoc tempore fiunt somni, deteriores sunt. Pessimum autem est non dormire neque noctu, neque interdiu.

Celsi Lib. II. c. 4. p. 32. l. 2. — c. 5. p. 33. l. 9.

§. 8. Caput et manus et pedes si frigida sunt, malum est; ubi et venter et latera calida sunt.

Celsi Lib. II. c. 4. p. 32. l. 7.

§. 5. Pessimi (sudores) sunt frigidi, et tantum circa caput et faciem obcrientes et circa cervicem.

Celsi Lib. II. c. 6. p. 33. l. 20.

§. 2. Horrendissimus fuerit nasus acutus, oculi cavi, tempora collapsa, aures frigidae ac contractae et extremitates aurium aversae, et cutis circa frontem dura et circumtenta ac arida, et color totius faciei pallidus, aut etiam niger, et lividus, aut plumbeus. Siquidem igitur in principio morbi facies talis fuerit, et nondum ex aliis signis conjecturam facere licuerit, interrogare oportet, num vigilaverit homo, aut alvi excrementa valde liquida sint, aut fames aliqua ipsum teneat.

Celsi Lib. II. c. 6. p. 33. l. 27.

§. 2. Si lucem fugiant, aut involuntarie lacrymentur, aut distorqueantur, aut alter altero minor fiat, aut albas partes rubentes habeant, aut venulas lividas, aut nigras in ipsis habeant, aut lemae aut sordes circa oculos appareant, aut etiam instabiles, aut eminentes, aut cavi vehementer facti, aut squallentes et obscuri fuerint, aut color totius faciei alteratus fuerit.

Celsi Lib. II. cap. 6. p. 33. l. 31.

§. 3. Ut in aph. LII. Section. Sextae.

Celsi Lib. II. c. 6. p. 33. i. 33.

§. 3. Si retorta, aut contracta fiat, aut livida, aut pallida palpebra, aut labium, aut nasus, . . . morti proximum esse sciendum est.

Celsi Lib. II. c. 6. p. 33. l. 37.

§. 3. At vero supinum jacere, et manus, et collum, et crura extenta habere, minus bonum. Si vero etiam pronus fiat, et de iecto ad pedes delabatur, magis horrendum est. Si vero nudos quoque pedes habere comperiatur, nec admodum calidos: et manus, et collum, ac crura inaequaliter disjecta, ac nuda, malum est.

Celsi Lib. II. c. 6. p. 34. i. 2.

§. 3. Lethale est et hiantem semper dormire.

Celsi Lib. II. c. 7. p. 39. l 4.

§. 4. At in ventrem decumbere, si quis non sit adsuetus, dum sanus fuit ita dormire, delirium significat, aut dolorem locorum circa ventrem.

Celsi Lib. II. c. 6. p. 34. l. 3.

§. 4. Dentibus stridere in febribus, quibus non familiare id est a pueris, furiosum ac lethale est.

Celsi Lib. II. c. 6. p. 34. i. 4.

§. 4. Ulcus . . . ante mortem lividum ac siccum erit, ant etiam pallidum et siccum.

Celsi Lib. II. c. 6. p. 34. l. 7.

§. 4. Quae in febribus acutis, aut peripneumoniis, aut in phrenitide, aut capitis dolore, ante faciem feruntur, et frustra venantur, et festucas legunt, et floccos de vestibus evellent, et de pariete paleas detrabunt, eas omnes malas et lethales esse.

Celsi Lib. II. c. 4. p. 32. l. 7.

§. 5. Sudores optimi, . . . qui febrem perfecte submovent. Boni..., qui per totum corpus contingentes.. Qui vero. tale quid non effecerint, incommodi sunt.

Celsi Lib. II. c. 4. p. 31. l. 27.

§. 6. Tumor in praecordio durus existens et dolorosus... si fuerit in altera parte minus periculosus est in sinistra.

Celsi Lib. II. c. 7. p. 39. l. 33.

§. 6. Molles tumores et doloris exortes, et qui digito cedunt, diuturniores judicationes faciunt... Si vero transgrediantur sexaginta dies febris detinens, et tumor non considat, suppuratum fore significat.

Celsi Lib. II. c. 7. p. 40. l. 4.

§. 6. Tumores in ventre minus faciunt abscessus, quam hi qui sunt in praecordiis. Minime vero hi qui sub umbilico consistunt, ad suppurationem convertuntur.

Celsi Lib. II. c. 8. p. 41. l. 15

§. 7. Quaecumque extra vertuntur (suppurationes) optimae sunt, quae parvae sunt, et quam maxime foras eminentes, et in acutum fastigiatae.

Celsi Lib. II. c. 8. p. 41. l. 17.

§. 7. Quaecumque vero intra rumpuntur, optimae sunt, quae nihil cum externo loco communicant, sed sunt contractae, et doloris exortes, et totum externus locus concolor apparet.

Celsi Lib. II. c. 8. p. 41. l. 19.

§. 7. Pus optimum est si est album et aequale, et laeve et quam minime graveolens.

Celsi Lib. II. c. 8. p. 44. l. 18.

§. 8. Aquae inter cutem, ex acutis morbis obortae, omnes malae sunt.

Celsi Lib. II. c. 3. p. 31. l. 2.

§. 9. Egestio alvi optima est mollis et cohaerens, et secundum horam, in qua etiam a sano egerebatur. Juxta copiam vero, pro ratione ciborum ingestorum.

Celsi Lib. II. c. 4. p. 32. l. 27.

§. 10. Aquosum valde, aut album, aut pallidum, aut viride, aut vehementer rufum, aut spumosum ster

cus egerere, haec omnia mala sunt

Celsi Lib. II. c. 4. p. 32. l. 29.

§. 10. Malum insuper est et quod exiguum est, et viscosum ac album: et quod subpallidum aut subviride ac laeve.

Celsi Lib. II. c. 4. p. 32. l. 21.

§. 11. Urina subrubra, et subsidentia ipsius similis, et laevis, diutu rniorem quidem hacc morbum significat.

Celsi Lib. II. c. 4. p. 32. l. 22.

§. 11. Subsidentiae in urinis ... albae et tenues valde malae sunt. Verum his deteriores sunt furfuraceae.

Celsi Lib. II. c. 6. p. 34 l. 33.

§. 11. Quamdiu fulva fuerit urina et tenuis morbum inconcoctum esse significat. Si vero et diuturna fuerit talis existens periculum est ne sufficere homo possit, donec urina concocta fuerit.

Celsi Lib. II. c. 6. p. 34. l. 36.

§. 11. Lethaliores autem sunt urinae et foetidae et aquosae, et nigrae et crassae. At tum in viris, tum in mulieribus, nigrae urinae pessimae sunt: in pueris autem aquosae.

Celsi Lib. II. c. 8. p. 44, l. 4.

§ 12. Pinguetudines superne instantes, araneorum telis similes, damnare oportet: sunt enim colliquationis signa.

Celsi Lib. II. c. 4. p. 32. l. 20.

§. 12. Vomitus ... ex pituita ac bile... meraciores, deteriores sunt Si vero id quod vomitu rejectum est...fuerit...lividum, aut nigrum... malum esse putandum est.

Celsi Lib. II. c. 6. p. 34. l. 25.

§. 14. Ex suppurationibus quaecumque dum sputum adhuc biliosum est suppurantur, perniciosae valde sunt, sive biliosum illud in parte, sive simul cum pure exspuatur: et hoc potissimum si morbo ad septimum diem progresso, suppuratio ab hoc sputo procedere incipiat Timor autem est eum, qui talia expuit moriturum esse decimaquarta die, si non aliquod bonum signum ipsi acciderit.

Celsi Lib. II c. 7. p. 4. l. 5.

§. 11. Quicumque urinas tenues, et crudas mingunt multo tempore, si alia veluti superstitibus futuris signa fuerint, his abscessum expectare oportet ad locos infra septum transversum.

Celsi Lib. II. c. 8. p. 41. l. 7.

§. 13. Omnia sputa...quae dolorem sedant omnium optima existunt.

Celsi Lib. II. c. 8. p. 41. l. 10.

§. 13 Sputum autem flavum sanguine permixtum non multo, si in pulmonis inflammatione, in principio morbi rejiciatur, salutare est, et valde prodest.

Celsi Lib. II. c. 8. p. 41. l. 7.

§. 14. Sunt autem bona haec: facile ferre morbum, bene spirare, a dolore liberatum esse, sputum facile tussiendo rejicere, etc.

Celsi Lib. II. c. 8. p. 43. l. 24.

§. 13. Si vero septimo die, aut posterius, minus securum (sputum) est. Omnia sputa mala sunt, quae dolorem non sedant. Pessima vero sunt nigra.

Celsi Lib. II. c. 7. p. 40. l. 8.

§. 14. Quicumque dolores ex his locis non sedantur, neque ad sputorum purgationes, neque ad stercorum alvi subductionem, neque ad venae sectiones, et victus rationem ac medicamenta, eos ad suppurationem verti sciendum est.

Celsi Lib. II. c. 7. p. 40. l. 12.

§ 16. Suppuratione facta ab ea die, qua primum homo febricitavit, aut si forte ipsum primum rigor apprehendit: et si pro dolore gravitatem sibi factam esse dixerit, in

eo loco in quo dolebat: haec enim in principiis suppurationum fiunt.

Celsi Lib. II. c. 7. p. 40. l. 15.

§. 17. Si suppuratio fuerit in altero latere solum... considerare oportet in his num aliquem habeat dolorem in altero latere, et an alterum altero sit calidius; et reclinato aegro in latus sanum... in altero est suppuratio, in quo gravitas affuerit.

Celsi Lib. II. c. 7. p. 40, l. 19.

§. 17. Ceteros omnes suppuratos ex his signis cognoscere oportet. Primum quidem si febris non dimittit, sed per diem quidem tenuis est, noctu vero amplior; et sudores multi oboriuntur, tussesque ac tussiendi promptitudo ipsis adest, et nihil memorabile expuunt; et oculi cavi fiunt, et maxillae ruborem contrahunt, et ungues quidem manuum curvantur, digiti vero calescunt, et potissimum summi: et in pedibus tumores fiunt, et cibos non appetunt, et pustulae per corpus nascuntur.

Celsi Lib. II. c. 8. p. 41. l. 24.

§. 17. Ex his autem maxime superstites manent hi, quos febris eodem post eruptionem die dimiserit: et qui cibos cito appetiverint, et a siti liberati fuerint: et si venter parva et compacta egesserit, et pus album et laeve et ejusdem coloris fuerit, et a pituita liberum, et citra dolorem ac tussim fortem repurgetur.

Celsi Lib. II. c. 8. p. 43. l. 42.

§. 18. Ex suppuratis a pulmonis inflammatione, seniores magis intereunt. Ex aliis autem suppurationibus, juniores magis moriuntur.

Celsus Lib. II. c. 6. p. 34. l. 9.

§. 19. Dolores cum febre contingentes, circa lumbos et inferuas partes, si septum transversum attingerint, inferuas partes relinquentes, perniciosi valde sunt.

Celsi Lib. II. c. 8. p. 41. l. 5.

§. 19. Dolores ab ipsis vesicis solvit urina purulenta micta, quae albam ac laevem subsidentiam habet.

Celsi Lib. II. c. 8. p. 43. l. 21.

§. 19. Dolores ab ipsis vesicis ad occidendum sufficiunt, at alvi non egerunt hoc tempore, nisi durum quiddam et hoc coactae... Atque hic modus potissimum pueros corripit septenes, donec ad quartumdecimum annum pervenerint.

Celsi Lib. II. c. 7. p. 37. l. 2.

§. 22. Quamdiu dolor capitis fuerit, similiter sanguinis e naribus eruptionem, aut puris eruptionem sperare convenit, cum alias, tum si dolor circa tempora et frontem fuerit. Verum sanguinis eruptio magis expectanda est junioribus triginta quinque annis, senioribus vero puris eruptio.

Celsi Lib. II. c. 7. p. 39. l. 8.

§. 22. Auris dolor acutus cum febre continua ac forti, horrendus est. Periculum est enim deliraturum esse hominem, ac periturum... Pereunt autem juniores homines septimo die et adhuc citius, ex hoc morbo: senes vero longe tardius.

Celsi Lib. II. c. 7. p. 39. l. 16.

§. 23. Si vero ad pulmonem vertatur (angina), et delirium induit, et quidam ex ipsis suppurati plerumque fiunt.

Celsi Lib. IV. c. 8. p. 115. l. 5.

§. 23. Securius est autem (in anginis) tumorem et ruborem quam maxime foras verti.

Celsi Lib. II. c. 7. p. 36. l. 1.

§. 25. Quibuscumque in... febre caput dolentibus, pro eo quod obscurum quiddam prae oculis appareat, visus hebetudo contingit... sanguinem de naribus... expectandum est.

Celsi Lib. II. c. 7. p. 36. l. 11.

§. 26. At vero pueris convulsiones

fiunt, si febris fuerit acuta, et venter non egesserit, et vigilarint, et terreantur, et ejularint, et colorem mutarint, etc.

Celsi Lib. II. c. 7. p. 37. l. 4.

§. 24. Quibus febres cessant, neque signis solutoriis apparentibus, neque in diebus judicatoriis his reversuras esse expectandum est.

Celsi Lib. II. c. 7. p. 39. l. 14.

§. 24. Quaecunque febris longiorem moram traxerit, homine alic-qui ad salutem disposito... huic abscessum expectare oportet cum tumore ac dolore ad aliquum articulum, vel maxime inferuum.

Celsi Lib. II. c. 7. p. 39. l. 26.

§. 24. Quemadmodum autem junioribus triginta annis abscessus fiunt. Ita quartanae magis his qui triginta sunt annorum et senioribus.

DE VETERI MEDICINA.

Celsi Lib. I. Prooem p. 6. l. 19.

§. 10. Nemo ne quaesivisse quidem Medicinam videtur, si idem victus et aegrotis et sanis convenisset.

Celsi Lib. I. c. 2. p. 15. l. 5.

§. 15. Fames enim magnam potentiam in naturam hominis habet et sanandi et debilitandi et occidendi.

Celsi Lib. I. c. 2. p. 15. l. 11.

§. 18. Sunt aliqui quibus semel in die cibum capere conducit.

Celsi Lib. I. Prooem. p. 2. l. 26.

§. 36. Medici itemque Sophistae dicunt quod impossibile est medicinam cognoscere eum qui non novit quid sit homo.

Celsi Lib. I. Prooem. p. 5. l. 4.

§. 39. Aliae cavae sunt et ex amplitudine in arctum coactae, aliae expansae, aliae solidae et rotundae, aliae latae et pensiles, aliae extentae, aliae longae, aliae densae, aliae rarae et hiantes, aliae spongiformes et molles.

DE FLATIBUS.

Celsi Lib. I. Prooem. p. 3. l. 24. p. 4. l. 16.

§. 2. Unum autem est horum omnium judicium, hoc scilicet, quae tandem causa sit morborum, et quod principium ac quasi fons sit, ex quo corporis mala omnia scaturiant. Si quis enim causas corporis affecti probe cognovit, potens est valde ea afferre quae corpori commodant.

DE DIAETA LIB. II.

§. 5. Propter situm regionum ac locorum, per quae venti ad singulas regiones accedunt, diversi inter se fiunt.

Celsi Lib. I. c. 3. p. 20. l. 12.

§. 36. Ventrem compactum vomitus solvit, et egerentem magis, quam oportet, sistit.

DE S. LUBRI DIAETA.

Celsi Lib. I. c. 3. p. 20. l. 24.

§. 1. Hyeme quidem comedere quampiurima, bibere autem quam parcissime. Sit potus vinum quam meracissimum: cibi, panis et obsonia assata omnia. Oleribus quam paucissimis hoc tempore utendum est.

Celsi Lib. II. c. 3. p. 20. l. 30.

§. 1. Ubi vero ver apprehenderit, tunc sane potum ampliorem assumere oportet, vinum dilutius ac paulatim...et ex assatis omnia cocta facere.

Celsi Lib. II. c. 3. p. 20. l. 35.

§. 1. At vero aestate..potu aquoso et multo, obsoniis omnibus coctis.

Celsi Lib. II. c. 3. p. 21. l. 3.

§. 1. In autumno vero rursus cibi plures exhibendi sunt et sicciores, potus vero pauciores et meraciores.

Celsi Lib. I. c. 3. p 15. l. 21.

§. Oportet igitur et ad aetatem, et ad tempus anni, et ad corporum species ac habitus, diaetas constituere.

Celsi Lib. I. c. 3. p. 18. l. 24.

§. 5. Sex menses hybernos vomendum est: hoc enim tempus pituitosius est aestivo, et morbi circa caput fiunt.

Celsi Lib. I. c. 3. p. 19. l. 17.

§. 7. Quicumque autem bis in mense vomere consuevit, huic melius est ut consequenter in duobus diebus vomat, quam per quintum et decimum.

Celsi Lib. I. c. 3. p. 17. l. 5.

§. 11. Quicumque ex cursibus fatigati fuerint, eos luctari oportet; qui vero ex lucta fatigantur eos currere expedit.

Celsi Lib. I. c. 2. p. 14. l. 3.

§. 12. Quicumque postridie cibos eructant, et praecordia ipsis elevantur, utpote cibis crudis et incoctis existentibus, his longiori quidem tempore dormire conducit.

DE VICTU ACUTORUM.

Celsi Lib. I. c 3. p. 15. l. 30.

§. 15. His qui bis in die cibum sumunt, et his qui semel, repentinae mutationes noxas ac aegritudines inducunt.

Celsi Lib. I. c. 3. p. 17. l. 8.

§. 23. Lectus praeter morem mollis dolorem inducit, itemque praeter consuetudinem durus.

Celsi Lib I c 3. p. 16. l. 2.

§. 23. Omnia quae derepente multum supra modum huc et illuc mutantur, laedunt.

DE CORDE.

Celsi Lib. IV. c. 6. p. 113. l. 25.

§. 10. Sanguinis enim non est natura calidus, (neque enim alia aliqua aqua), sed calescit. Multis autem videtur natura calidus esse.

COACAE PRAENOTIONES.

Celsi Lib. II. c. 6. p. 33. l. 34.

72. Si debiliter jam affecti, non videant, aut non audiant, aut labium, aut oculus, aut nasus ipsis distorqueatur, lethale est.

Celsi Lib. II. c. 6. p. 34. l. 14. Lib. II. c. 14. p. 55 l. 16.

113. In morbo acuto externas partes perfrigerari, internas autem ardere, et sitire, malum est.

Celsi Lib. II. c. 4. p 32. l. 9. Lib. III. c. 12. p. 83. l. 18.

114. Febres continuae per tertium diem augescentes, periculosae.

Celsi Lib. II. c. 7. p. 39, l. 14.

115 In febribus longis, aut tubercula, aut dolores in articulis fiunt et si facti fuerint, non sunt inutiles

Celsi Lib. III. c. 24. p. 102. l. 25.

118. Morbus regius ante septimum diem accedens, malum. Septimo vero ac nono, et undecimo, ac decimoquarto, judicatorius est, si non praecordia induret.

Celsi Lib. II. c. 8. p. 43 l. 2.

129. Tremores in febribus ardentibus, mentis perculsio solvit.

Celsi Lib. II. c. 8. p. 43. l. 12.

132. Febris ardens rigore superaccedente solvitur.

Celsi Lib. III. c. 4. p. 73. l. 15.

142. Febres quae neque in diebus judicatoriis, neque post solutorium signum decesserunt, recidivant.

Celsi L. III. c. 4. p. 73. l 10.

143. Acuti morbi in diebus quatuordecim judicantur.

Celsi L. II. c. 8. p. 43, l. 14.

207. Surditatem ex febribus, sanguinis e naribus fluxio solvit; item alvi turbatio.

Celsi Lib. II. c. 8. p.42. l. 35.

220. Lippienti alvi profluvium sua sponte prodiens, utile est.

Celsi Lib. II. c. 6. p. 34. l. 12.

271. In febribus derepente suffocari, et deglutire non posse, citra tumorem, malum est.

Celsi Lib. II. c. 6. p. 34. l. 14.

272. Collum convertere non posse, neque deglutire, utplurimum lethale est.

Celsi L. II. c. 3. p. 31 l. 9

285. In dolore praecordiorum submurmuranti, lumborum dolor superaccedens in febribus, ventres utplurimum humectat, si non flatus eruperit, aut urinae copia prodierit.

Celsi Lib. II. c. 13. p. 53. l. 31.

298. Dolor supra umbilicum, et lumborum dolor, si medicamentis non solvantur, in hydropem siccum desinunt.

Celsi Lib. II. c. 8. p. 46. l. 23.

332. In sanguinis fluxione multa, aut singultus, aut convulsio, mala est.

Celsi Lib. II.c. 8. p. 43. l. 6. Lib. V. c. 26. §. 26. p. 165. l. 14.

348. Convulsiones et tetanicas distentiones febris accedens solvit.

Cels. L. V. c. 26. §. 26, p. 165, l. 13.

350. Convulsionem solvit febris superveniens acuta, quae prius non fuit: si vero fuit prius, jam exacerbata.

Celsi L. II. c. 7. p. 39, l. 16.

361. Quibus anginae ad pulmonem vertuntur, partim in septem diebus pereunt, partim evadentes suppurati fiunt.

Celsi Lib. II. c. 7. p. 39. l. 20.

391. Peripneumoniae ex pleuritide transmutatae, securiores sunt his, quae ab initio fiunt.

Celsi Lib. II. c. 7. p. 40. l. 10.

396. Rumpuntur autem plurimae supporationes partim vigesima die, partim quadragesima, partim sexagesima :... Supputare autem oportet tempus, a quo primum doluit, aut gravatus fuit, aut februit, aut si quando rigor corripuit.

Celsi Lib. II. c. 7. p. 38. l. 22, Lib. II. c. 8. p. 41. l. 12.

398. Quibus in pulmone vomicae fiunt, pus educunt ad dies quadraginta post ruptionem. Has vero trasgredientes plerumque tabidi fiunt.

Celsi Lib. II. c. 7. p. 38. l. 11.

425. Qui spumosum sanguinem vomunt, dolorem infra septum transversum non existente, de pulmone vomunt.

Celsi Lib. III. c. 22. p.98. l. 21.

426. Quibus tabidis sputum in igne gravem nidorem olet, et capilli de capite fluunt, pereunt.

Celsi Lib II. c. 8. p. 44. l. 4.

428. Quibus tabidis capilli ex capite defluunt, a profluvio alvi moriuntur.

Celsi Lib. III. c. 22. p. 99. l. 13.

431. Aetates periculosissimae sunt ad tabem, ab anno decimoctavo, usque ad trigesimumquintum.

Celsi Lib. II. c. 8. p. 43. l. 5.

440. Hepar derepente circumcirca dolentibus, febris accedens dolorem solvit.

Celsi Lib. II. c. 8. p. 43. l. 33.

442. Quibus hepar ustis, velut amurca prodit, lethale est.

Celsi Lib. II. c. 8. p. 43. l. 3. p. 45. l 25.

457. Dysenteria non longa splenicis commoda est, longa vero mala: desinente enim, si hydropes, aut intestinorum laevitates fiunt, lethale est.

Celsi Lib. II. c. 8. p. 43. l. 16.

463. Quibus tuberculum est circa vesicam... hujus autem solutio fit, pure erumpente.

Celsi Lib. II. c. 8. p. 43. l. 7. p. 45. l. 27.

465. In urinae stillicidio volvulus accedens, septima die perimit, si non febre accedente urina acervatim prodeat.

Celsi Lib. V. c. 26. §. 14. p. 160. l. 39.

490. Quibus cerebrum vulneratur, febris, plerumque ac bilis vomitus accedit.

Celsi Lib. V. c. 26. §. 2. p. 159. l. 17.

493. Si intestinum quoddam ex gracilibus dissectum fuerit, non coalescit.

Celsi Lib. V. c. 26. §. 3. p. 159. l. 30.

494. Nervus dissectus, aut genae tenuis pars, aut praeputium, non coalescit. Quodcumque os in corpore resectum fuerit, aut cartilago non augescit.

Celsi Lib. V. c. 26. §. 2. p. 159. l. 15.

499. Moriuntur maxime ex vulneribus, si quis cerebrum sauciatus fuerit, aut spinalem medullam, aut hepar, aut septum transversum, aut cor, aut vesicam, aut venam crassam.

Celsi Lib. II. c. 5. p. 33. l. 9.

562. Frigidus sudor et circa caput et solum ac collum contingens, malus est: nam et temporis diuturnitatem, et periculum significat.

Celsi Lib. II. c. 4. p. 32. l. 24.

568. Alba et diffusa pellucida urina, mala est, maxime si in phreniticis compareat.

Celsi Lib II. c. 8. p. 46. l. 28.

596. Egestio alvi nigra velut sanguis, et cum febre, et sine febre, mala est.

Celsi Lib. II. c. 8. p 43. l. 15.

617. Biliosas egestiones surditas sedat, et surditatem sedat biliosa alvi egestio.

In Lib. Hippocraticis De aere, aquis et locis, De epidemicis, De humoribus, *aliisque*, *horum multa repetita inveniuntur.*

CHIRURGIA

DE CAPITIS VULNERIBUS.

Celsi Lib. VIII. c. 1. p. 270. l. 1.

§. 4. Omni vero capitis osse robustius est os verticis: et quod est retro aures robustius est quam totum quod in anteriore parte est.

Celsi Lib. VIII. c. 3, p. 280. l. 2.

§. 6. Poterit autem et os in sua ipsius natura contundi, ita ut nulla fissura ad contusionem ossi accedat.

Celsi Lib. VIII. c. 4. p. 282. l. 25.

§. 7. Intro etiam cedit os ex natura sua, una cum fissuris: alias enim non intro cesserit. Nam quod intro cedit, abrumpiturque ac frangitur, intro cedit ab alio osse, quod in sua ipsius natura manet, et sic sane fissura adest introcessioni.

Celsi Lib. VIII. c. 4 p. 281. l. 18.

§. 12. Rumpitur autem os et obscuris fissuris et manifestis.

Celsi Lib VIII. c. 4. p. 280. l. 29.

§. 16. Fallunt enim et mentem et visum medici suturae, fissurae speciem referentes, et reliquo osse asperiores existentes nisi vehementer dissectae fuerint.

Celsi Lib. VIII. c. 4. p 282. l. 4.

§. 18. Secare autem oportet ulceribus in capite ac fronte factis, etc. etc.

Celsi Lib. VIII. c. 4. p. 282. l. 2. ubi contra Hipp. docet.

§. 19. Verum tempora, et adhuc supra tempora venam, quae per tempora fertur, secare non oportet.

Celsi Lib. VIII. c. 4. p. 281. l. 15.

§. 20. 21. Si non cognoscas an os ruptum sit... super os aliquid maxime nigri coloris, nigro medicamento liquato subactum, imponere oportet... postridie vere exsoluto et

expurgato ulcere deradere... Si sanum non fuerit, reliquum quidem os rasum album erit, fissura vero et contusio, quae nigrum medicamentum eliquatum in seipsam suscepit, in reliquo osse albo nigra erit.

DE FISTULIS.

Celsi Lib. VII. c. 4 §. 4. p.224. l. 6-20.

§. 2. Crudum linum tenuissimum accipito, et ad palmi longitudinem quintuplicato, et pilum equinum circumdato; deinde facto specillo stanneo in summa parte perforato, et initio lini complicati in specillum immisso, specillum in fistulam demittito, et simul sinistrae manus digitum indicem in sedem indito: ubi vero specillum contigerit digitum, inflexa summa specilli parte, initium lini quod est in specillo per digitum adducito: et specillum quidem rursus extrahito, lini vero initia bis aut ter connectito, et reliquam lini partem intortam ad nexum deligato. Postea vero demissum negotia sua obire jubeto. Caeterum quantum putrescente fistula de lino laxatur, tantum intendere oportet, ac intorquere semper singulis diebus. Si vero linum crudum computrescat, priusquam fistula corrodatur, aliud linum ad pilum innecte, immitte ac connecte.

DE FRACTURIS.

Celsi Lib. VIII. c. 10. §. 1. p. 291. l. 23.

§. 5. Postquam vero tertius jam aderit dies, laxiora esse ipsi videantur deligamenta: deinde resolvere oportet, et rursus paulo magis comprimendo deligare, et hoc cum omnibus linteis quibus deligandus erat.

Celsi Lib. VIII. c. 10. §. 1. p. 291. l. 35.

§. 5. Et ossa fracta magis moventur, et facilius ad correctionem ducuntur. Et si haec hujusmodi fuerint, facta coaptatione velut ad ferulas adhibendas deligare oportet.

Celsi Lib. VIII. c. 10. §. 1. p. 291 l. 41.

§. 5. Postquam autem linteis deligaveris, ferulas circumponere oportet, et vinculis quam laxissimis circumdare, quietis saltem gratia.

Celsi Lib VIII. c. 10. § 1. p. 291. l. 42.

§. 6. At vero ubi tertio die laxas esse dixerit, tunc postea ferulas firmare oportet.

Celsi Lib. VIII. c. 10. §. 1. p. 291. l. 39.

§. 6. Crassissimam autem ferulam esse oportet, qua parte extat fractura.

Celsi Lib VIII. c. 10 p 291. l. 29.

§. 6. Postquam autem solveris aquam calidam affundere oportet.

Celsi Lib. VIII. c. 10. §. 3. p. 293. l. 17.

§. 9. Lata insuper fascia brachium circumcirca complecti oportet, et circum pectus deligari.

Celsi Lib. VIII. c. 1. p. 275. l. 28.

§ 14. At vero tibia duo ossa sunt, quorum alterum altero hac parte multo tenuius est, illa vero par te non multo tenuis.

Celsi Lib. VIII c. 7. p. 287. l. 5.

§. 9. Corroboratur autem maxime os brachii in XL diebus.

Celsi Lib. VIII. c. 20 p 301. l. 11.

§. 15. Aut rotae modiolum, aut aliud quid huic simile defodere oportet, et molle quoddam pedi circumdare, et postea latis bubulis loris pede deligato, principia lororum aut ad pistillum, aut ad aliud lignum alligare, atque ita ligno in summum modiolum indito refringere, ita ut

alii contra extendant humeris et poplite apprehensis

Celsi Lib VIII c.7 p. 287. l. 4. contra Hippoc. sententiam.

§. 22. At tibiae ossa corroborantur in quadraginta diebus si recte curentur.

Celsi Lib.V. c. 26. §. 24. p. 164. l. 28.

§. 29 Verum lintea et reliqua latiora, aliquantum fissa sint magis, quam si non ulcus haberent: et id quo primum deligamus, multo latius sit ipso ulcere.

Celsi Lib.VIII. c. 10. §. 7. p 295. l. 7.

§. 36. Quaecumque vero ossa repositionem effugerunt, ea discessura esse nosse oportet: itemque ea quae carnibus penitus nudata sunt.

§. 37. Ossa quae carnibus perfecte privantur, ac exarescunt, omnia penitus discedent.

Celsi Lib. VIII. c. 10. §. 7. p. 294. l. 34.

§. 37. Os extra eminens praesecare oportet, si reponi non possit.

DE ARTICULIS.

Celsi Lib. VIII. c. 15. p. 300. l. 12.

§ 3. Quin et per scalam alia quaedam hujusmodi repositio fieri potest.. Optima vero ex omnibus repositionibus talis est.

Celsi Lib. VIII c. 15. p. 299. l. 21.

§. 4. Lignum esse oportet latitudine quidem quinque aut quatuor in totum digitorum, crassitudine vero duorum digitorum, aut etiam tenuius, longitudine autem bicubitali, aut paulo brevius. Sit autem, etc. etc.

Celsi Lib. VIII. c. 15. p. 300. l. 8.

§. 5. Manum cum ligno super trabem transmittere, quo manus ab altera parte sit, corpus ab altera, trabs vero sub ala, et postea ad alteram partem manum deorsum cogere una cum ligno, circum trabem: ad alteram vero reliquum corpus. Hic modus repositionis humeri longe optimus est.

Celsi Lib. VIII c 11 p. 297. l. 21.

§. 6. His quibus bene se habet membrum et carnosis, et minus excidit, et difficilius incidit. Ubi vero ipsi seipsis tenuiores et magis excarnes fuerint, tunc et magis excidit et facilius incidit.

Celsi Lib. VIII. c. 15. p. 300 l. 21.

§. 9. Sub alam vero lanam mollem puram convolutam subjicere oportet ad cavitatem explendam, quo fulcimentum quidem sit deligationi, articulum vero sustentet.

Celsi Lib VIII c. 8. p. 287. l. 15.

§. 18. Clavicula plerumque frangitur, ita ut os quod a pectore est ad supernam partem emineat: quod vero a summo humero est, in infernam partem subsidat, etc.

Celsi Lib VIII c. 17. p. 301. l 30.

§. 23. Tota porro manus aut intro aut extra, aut hac, aut illac luxatur.

Celsi Lib VIII. c. 17 p 301. l. 31.

§. 23. Si intro luxatus est digitos inflectere non possunt: si extra extendere nequeunt.

Celsi Lib VIII. c. 17. p. 301. l. 33.

§. 23. Repositio fit digitis supra mensam positis, ut ab aliis atque aliis in diversum extensio fiat, et id quod eminet, aut vola aut calcaneo retrudatur, et in anteriorem partem deorsum protrudatur. Inferne vero juxta alterum os moles aliqua convoluta mollis supponatur, si supra eminet, manu prona locata: si infra supina.

Celsi Lib. VIII. c. 7. p. 286. l. 20.

§. 27. Et si distorti fuerint dentes juxta vulnus commoti, postquam os directum fuerit, dentes inter se conjugare oportet, non duos solum,

sed etiam plures, atque hoc maxime aureo,sin minus, lineo filo, donec os corroboretur.

Celsi Lib.VIII. c.14.p. 298.l.38.

§ 46. et 47. quos integre legere oportet.

Celsi Lib.VIII. c. 9. p.288. l. 26

§. 51. Quibus fracta fuerit costa una aut plures,ita ut ossa ad internam partem non vergant, neque denudata sint, ex his pauci jam febricitarunt : sed neque sanguinem multi jam expuerunt, neque suppurati multi fiunt.

Celsi Lib.VIII. c.9. p. 288. l.32.

§.51.Etiam vasa per inediam his vacua fieri deterius est, quam si non vacua fiant ..moderata enim ventris repletio, costarum fit directio : verum vacuatio pendentes costas facit, et haec dependentia dolorem inducit

Celsi Lib.VIII c.9. p 288 l. 30.

§. 51. Corroboratur autem costa diebus viginti.

Celsi Lib.VIII c.20. p. 302.l.19.

§. 55. Femoris articulus excidit juxta quatuor modos, intro quidem saepe, foras autem prae aliis saepe: verum in posteriorem ac anteriorem partem excidit quidem, sed raro.

Celsi Lib.VI.I. c. 20. p.302.l.22.

§. 55. Quibus intro excesserit, his longius apparet crus, si ad alterum comparetur... foras repit pes.

LOCA PARALLELA

INTER

CELSUM ET P. AEGINETAM

Celsi Lib. I. c. 4. p 21 l. 4.

Lib.I. c. 63. Pomorum fugacium repletio vitanda est, quoniam molestiam infert, non saturitate modo, sed quod vitiosum etiam succum flatusque generat.

Celsi Lib. II. c. 7. p. 38. l. 27.

Lib. III. c. 49. Sic affectis (liene) os grave olet, gengivaeque putrescunt seu exeduntur, in cruribus hulcera non persanantur.

Celsi Lib. IV. c 7. p. 114. l. 24.

Lib. III. c. 27. Inflammatio faucium interioribus musculis, ea oris affectio fit, quae Graecis συνάγχη, Romanis angina dicitur.

Celsi Lib. IV. c. 8. p. 115. l. 18.

Lib. III. c. 29. Eas qui sine febre crebra respiratione, tamquam a citatione cursu conflictantur, ab eo quod comitatur accidente asthmaticos, hoc est anhelosos nuncupant, eosdemque quod strangulari formidantes, ad respiration em recto pectore toto nituntur, orthopnoicos dicunt...Dyspnoea vero, hoc est, spiritus et animae difficultas, commune est accidens, cum haec, tum alia plurima mala comitans.

Celsi Lib.V.c.17. 2.p. 143 l.33.

Lib. VII. c. 18. Ex medicaminibus quae emolliendi vim habent, ob id malagmata dicuntur.

Celsi Lib.V. c.18. 6. p.144.l.33.

Lib.VII. c. 18. Malagma Apollophanis *(Differt. a formula Celsi)*.

Celsi Lib.V. c. 19. p 148. l. 21.

Lib. VII. c. 17. Emplastrorum porro quaedam sunt vulneraria, quae ἔναιμα, quod cruentis imponuntur, appellamus

Celsi Lib V. c. 26. I. p.159. l. 6.

Lib. VI. c. 88. Si porro pars aliqua princeps icta sit; si quae letales

notae extent, neque sine cruciatu, et magna vulsione queat fieri extractio, manum admoliri recusabimus, ne praeterquam quod nihil sumus profecturi, maledicendi et vituperandi occasionem idiotis exhibeamus.

Celsi Lib. V. c. 26. 8. p. 160. l. 12.

L. VI. c. 88. Si cordi impactum sit telum... pulsatilem interim motum cedit, sanguis niger, si exitum habuerit, offertur, extrema frigescunt, sudor promanat, animus deficit, et absque dilatione interitus subsequitur.

Celsi Lib. V. c. 26. 14. p. 160. l. 38.

Lib. VI. c. 88. Vulneratis enim cerebri membranis, dolor capitis validus, oculorum fervor rubor, quae linguae et mentis alienatio comitetur, si cerebrum quoque ictum sit, homo subito concidit, obmutescit, faciem pervertit, bilis vomitus, et sanguinis per nares, auresque eruptio sequitur.

Celsi Lib. V. c. 26. 21. p. 162. l. 27.

Lib. IV. c. 53. Filum quandoque magnis etiam venis circumdare cogimur, quemadmodum et dissecare interdum totas, nempe transversas.

Celsi Lib. V. c. 26. 33. p. 168. l. 3.

Lib IV. c. 21. Difficilior est erysipelas, quae caput invadit...Quamobrem ab initio confestim simul atque apparuerit venam in cubito aperi.

Celsi Lib. V. c. 26. 34. p. 168. l. 30.

Lib. IV. c. 19. Caeterum in gangraenae curatione sanguis ex male affecta parte, quam fieri potest, evacuandus est.

Celsi Lib. V. c. 27. 1. p. 170. l. 11. et 19.

Lib. V. c. 2. Quod si contingat ab animante quopiam percuti aliquem aut morderi...loco admittente cucurbitulam cum plurima flamma ad morsum adhibe... virus namque cum flatu ac sanguinis attractione iuxta educitur.

Celsi Lib. V. c. 27, 1. p. 170. l. 9.

Lib. V. c. 26. Longe perniciosiores caeteris ulceribus videntur, quicumque ab hominibus inferuntur morsus.

Celsi Lib. V. c. 27. §. 12. p. 173. l. 19.

Lib. V. c. 31. His qui cantharidas hauserint...succurrit ipsis... lactis potus.

Celsi Lib. V. c. 27. 12. p. 173. l. 20

Lib. V. c. 42. In cicutae potu...rutam cum vino... silphium itidem et laser cum vino exhibebimus.

Celsi Lib. VI. c. 2. p. 188. l. 10.

Lib. III. c. 3. Porrigo est tenuium furfuracearumque squamularum ex capitis ac reliqui corporis superficie, nulla relicta exulceratione, decidua resolutio.

Celsi Lib. VI. c 4 p. 189. l. 21.

Lib. III. c. 1. Areae, Alopecia videlicet et Ophiasis, deciduo capillitio, figura inter se dumtaxat dissidentes, consurgunt. Haec enim tortuosis spaciis locum capitis affectum ad instar anguis glabrum describit.

Celsi Lib. VI. c. 6. §. 5. et 6. p. 193. l. 6. et 18.

Lib. VII. c. 16. Collirium Cleonis. Theodotium.

Celsi Lib. VI. c. 6. §. 29. p. 199. l. 6.

Lib. III. c. 22. Morbus quidem oculi... durities quaedam et difficilis admodum palpebrarum est commotio, cum dolore ac rubedine, absque humore.

Celsi Lib. VI. c. 6. §. 35. p. 200. l. 19.

Lib. III. c. 22 Hypochymata humorum suffusionem, qui in medio corneae et crystallinae coacti speciem impediunt.

Celsi Lib. VI. c. 6. §. 37. p. 200. l. 35.

Lib. III. c. 22. Mydriasis oculorum vitium est, quo... pupilla multo naturali habitu latior apparet, et nonnumquam visoriam facultatem ex toto impedit, interdum vero magna ex parte species hebescit.

Celsi Lib. VI. c. 6. §. 38. p. 201. l. 7.

Lib. III. c. 22. Nuscitio... vulgo dici consuevit, quoties acciderit, ut interdiu quidem justa acie videat quis, occidente vero sole obtusius, noctu potremo nihil.

Celsi Lib. VI. c. 6. §. 39. p. 201. l. 19.

Lib. III. c. 22. In oculi suffusione ex ictu ..universum oculum sanguine columbino opplentes, occurremus.

Celsi Lib. VI. c. 7. §. 2. p. 203. l. 5.

Lib. III. c. 23. Ad aurium ulcera...lycium et meconium, pari quantitate cum melle trita, induntur.

Celsi Lib. V. c. 10. p. 208. l. 16. et 22.

Lib. III. c. 26. Si tonsillae et columella inflammantur, gargarissationes .. competuut... Malum punicum dulce cum corticibus incidantur, succique expressi partes sex cum mellis una confusae, donec mellis spissae crassitudinem habeant, decoquantur.

Celsi Lib. VI. c. 11. p. 209. l. 29.

Lib. I. c. 10. Ulcus quoque oris, cui ἄφθα apud Graecos cognomentum est, nuper natis oboritur.

Celsi Lib. VI. c. 13. p. 210. l. 19. et 25.

Lib. VI c 27. Parulis vero pusillus circa gingivas abscessus est... Tertio die nutherum, id est, floridum remedium, aridum vulneri, inducemus.

Celsi Lib. VI. c. 18. §. 6. p. 215. l. 35. 43.

Lib. III. c 54. Peculiariter quidem testium inflammationibus convenit sanguinis, secundum malleolos, detractio. Quod si malum in vetustatem inciderit cum duritie quadam, cucumeris sylvestris radicem in mulso elixato, contritaque. . adplicato.

Celsi Lib. VII. Prooem. p. 200. l. 12.

Lib. VI. c. 1. Sermonem super arte, quae manuum opera exercetur, bifariam dispescimus, in ea quae in carne, et ea quae in ossium cum fracturis tum luxationibus contemplantur: sumptoque in praesentiarum ab iis quae carnem infestare solent exordio.

Celsi Lib. VII. Cap. 2. p. 221. l. 38, et 40.

Lib. VI. c. 34. Minores quidem abscessus uua, maiores pluribus, juxta magnitudinis rationem, tenuioribus tamen, et effluxioni idoneis lineis incidemus.

Celsi Lib. VII. Cap 2. p. 222 l. 8.

Lib. VI c. 34. Plurimum fastigiati, crudi, tenues et emortui latius sunt excidendi, ut plaga in ... myrtacei folii... figuram evadat.

Celsi Lib. V. c. 28. §. 12. p. 181. l. 15.

Lib. VI. c. 77. Est igitur fistula sinus callosus, dolore aliquatenus carens, qui plerisque in particulis, plurima vero parte ex abscessibus parum dextrae curatis, exoritur.

Celsi Lib. V. c. 28. §. 12. p. 182. l. 27.

Lib. VI. c. 77. Callus vero compacta quaedam caro est, candida, humore privata, eoque indolens etiam.

Celsi Lib. VII. c. 5. 1. p. 225. l. 16.

Lib. VI c. 88. Duplex igitur extrahendorum telorum a carne differentia est, unus per evulsionem, alter per impulsionem.

Celsi Lib. VII. c. 5. 1. p. 225. l. 21.

Lib. VI. c. 88 Propulsato vero utimus quum et alte inhaesit telum, et parum admodum carnis ex objecta parte superest, neque praeterea nervus, neque os, aut tale quippiam divisionem impediat.

Celsi Lib. VII. c. 5. 1. p. 225. l. 30.

Lib. VI. c. 88. Ita ne vel nervus, vel vena, vel arteria, vel tale aliquid incidatur.

Celsi Lib. VII. c. 5. 2. p. 226. l. 15.

Lib. VI. c. 88. Nonnulli vero exigua arundine cuspidibus tectis, ne quid lacerent, ita telum evellunt.

Celsi Lib. VII. c. 5. 4. p. 227. l. 5.

Lib. VI. c. 88. Etiam lapides saepe et buccinae vel plumbeae glandes, vel similia quaedam, fundis ejaculata, corpori intruduntur... Extrahi, si fieri potest, etiam forcipe dentaria, aut radicibus dicata debent.

Celsi Lib. VII. c. 6. p. 228. l. 15.

Lib. IV. c. 34. Est autem earum (steatomata, atheromata et meliceriides) quaedam instar adipis, pinguedinisque, alia vero mellis specie, et alia pulti similis.

Celsi Lib. VII. c. 7. 1. p. 228. l. 37.

Lib. VI. c. 14. Hydatis pinguis quaedam est essentia, sub cute palpebrae naturaliter conflata. In nonnullis vero et praesertim in pueris increscens graviorum casuum causa evadit, dum oculus aggravat, eoquo fluxionibus exercet, palpebrae itaque iis aquosae infra supercilia apparent, neque, ut decorum est, sursum queunt attolli.... Nos sumto scalpello cam linea transversa secabimus, plaga tamen non majore... nec altiore quam ut vel totam cutem secat, vel hydatidem ipsam attingat... Et si vesicula oculis protinus sese objecerit ipsam illico evellemus.

Celsi Lib. VII. c. 7. 3. p. 229 l. 19.

Lib. VI. c. 16. Chalazium est segnis cujusdam humoris in palpebra concretio; quod si exteriori palpebrae subsidet, incisione transversim forinsecus scalpello facta, specillo deinde vel aliquo id genus instrumento tolletur...Si ab interiori parte sub cartilagine pellucet, inversam palpebram linea transversa interius incidentes, Chalazium extrahetur.

Celsi Lib. VII. c. 7. 4. p. 229. l. 25.

Lib. VI. c. 18. Membrana quaedam nervosa a majore angulo utplurimum orta, paulatim ulterius ad interiora procedit oculumque offendit, quia procedendo universam pupillam operit.

Celsi Lib. VII. c. 7. 4. p. 224. l. 36.

Lib. VI. c. 18. Diductis palpebris unguem hamulo paulnlum mucrone intus recurvato excipimus, sublatumque acu pilum equinum et linum validum ducente, paululum in summitate inflexa, per medium trajicimus, linoque vinctum sublimem suspendimus, seta equina partem pupillae vicinam quasi serrando discentes, ad finem usque excoriamus. Totum vero ipsius reliquum, quod angulo majori inhaeret, radicitus excidimus: ita ut naturalis anguli caruncula relinquatur, ne ea ablata rhyas sequatur.

Celsi Lib. VII. c. 7. 5. p. 230. l. 28.

Lib. VI. c. 17. Tubercula (Graece encanthides) vulsella comprehensas scalpello amputamus.

Celsi Lib. VII. c. 7. 7. p. 231. l. 27.

Lib. VI c. 22. Sin jam carie (in Aegilope) vexetur, candentibus ac

retusis ferramentis aduremus, spongia frigida aqua irrigua oculo imposita, sola adustione contenti sumus, eo usque ferramentis aegilope dicatis adurentes, ut squama abscederet.

Celsi Lib. VII. c. 7. §. 8. p. 232. l. 10.

Lib. VI. c. 13. Candente scalpelli mucrone olivari forma, aut specillo auriculari, aut ejusmodi aliquo tenui instrumento locum adurunt, unde pilus, pilive sint evulsi.

Celsi Lib. VII. c. 7. §. 8. p. 232. l. 18.

Lib. VI. c 13. Acu tenuissima accepta, per auriculam ejus capillum muliebrem, aut simplicissimum byssinum filum transmittimus, duobus simul capitibus commissis sic, ut filum duplicem habeat ansulam instar sinum, etc. etc.

Celsi Lib. VII. c. 7. §. 11. p. 234. l 5.

Lib. VI. c. 19. Oportet igitur acum ab inferiore parte sursum per radices staphylomatis trajicere, deinde alteram acum duplex filum trahentem, ab angulo qui ad manum spectat, ad alterum per radices uvationis transmittere, tum manente priori acu fini sinus amputari, atque ita uvae superiora, inferioraque filis deligare, mox acu extracta lanam albumine ovi insuccatam superaccomodare.

Celsi Lib. VII. c. 7. §. 14. p. 235. l. 12.

Lib. VI. c. 21. Collocato in sedili homine in lucido citra solem loco... in levo quidem lumine dextera, in dextro leva manu operantes. Mox teretem specilli mucronem inversum acriter notae designatae impingimus usquedum inani loco incidimus... Ex superiori igitur suffusionis parte acu adacta... humoris concretionem per ipsam ad inferiorem regionem deducimus. Et si statim deducta fuerit, persistemus quiescentes aliquantulum. Sin reversa fuerit, iterum derivanda est, post autem humoris colluviei deductionem, sensim circumvertendo stilus extrahendus est.

Celsi Lib. VII. c. 7. §. 15. p. 236. l. 15.

Lib. VI. c. 6. Utendum hypospatichismo in iis in quorum oculos defluxio multa et calida descendit.

Celsi Lib. VII. c. 8. p. 238. l. 1.

Lib. VI. c. 23. Hoc vitium a primo natali die accidit, membrana quadam auditorium meatum obstruente, nunc in summo tantum, nunc in alto. Postea facta prius secundum meatum exulceratione, caro enim super-excrescens ipsum cicatrice obturat. Si igitur in alto fuerit membrana auditum impediens, difficilis erit omnis conatus...Si in summo, aculeato cultello hanc divisam, si opus est, etiam detrahemus.

Celsi Lib. VI. c. 7. §. 9. p. 205. l. 27 et seq.

Lib. VI c 24. Oportet itaque specillo auriculario, vel hamulo, vel vulsella, haec (quae in auditorium meatum inciderunt) ejicere. Vel violenta capitis concussione... Corpuscula specillo lana involuto, resinaque terebinthina imbuto, vel glutinoso quodam oblito leniter in aurem demisso, extrahimus. Si vero non successerit, sternutamentum proliciente remedio naribus indito.

Celsi Lib. VII. c. 9. p. 238 l. 32.

Lib VI. c. 26. Curta vero in auribus aut labris hoc compendio sanantur. Principio sane cutem ab inferiore parte excoriamus, ac leviter detrahimus, postea commissis invice vulnerum oris, et eo quo in callum induruit ablato, mox fibulis consareinemus et conglutinemus.

Celsi Lib VII. c. 12. §. 1. p. 240. l. 37.

Lib VI. c. 28. Dentem qui eximendus est, usque ad radices circumscarificatum, forcipe, paululum concutientes, evellimus. Si dens erosus est, id foramen tenui linamento replendum est, ne strictus sub forcipe confringatur.

Celsi Lib. VII. c. 12. §. 3. p. 242 l. 6.

Lib. VI. c. 31. Contractas uvas.. cruentas vel lividas manu non attingamus. Tenues autem, oblongas, in summo muris caudae modo attenuatas, resolutas, non adeo sanguinolentas, sed albicantes manu curabimus... Uvaria forcipe aut vulsella, quod supervacuum est prehensum, et ad inferiorem partem tractum ferramento ad id facto, vel scalpello sutorio praecidimus.

Celsi Lib VII. c. 14. p 243 l. 20.

Lib. VI. c. 51. Umbilici prominentis vitium nunc abdominis membrana ea in parte rupta. vel omento, vel intestino prolapso provenit, nunc segni humore sub umbilico collecto, carne interdum succrescente. Interim sanguine ex venae et arteriae ruptura profuso... quandoque non sanguine, sed spiritu solum irrumpente.

Celsi Lib VII. c. 14 p. 244. l 11.

Lib. VI. c. 51. Erecto homini locato, spiritum continere ut venter distendatur praecipimus: deinde tota umbilico excrescentia atramento scriptorio circumlatim notata, resupinatoque homine, scalpello tumorem etc. etc.

Celsi Lib. VII. c. 15. p. 244 l. 36.

Lib. VI. c. 50. Nos scalpello sumto aculeato... sub umbilico... tribus digitis interpositis abdomen usque ad peritonaeum membranam incidemus... Mox aeneam fistulam ad scriptorii calami instar temperatam per peritonaei foramen conjiciemus, per quam humor pro cujusque virium ratione effundendus est.

Celsi L. VII. c. 16. p. 246. l. 14. et seq

Lib. VI. c. 52. (*Totum caput legendum*).

Celsi Lib. VII. c. 18. p. 247, c. 19. p. 24.

Lib. VI c. 65. (*Totum caput legendum*).

Celsi Lib. VII c. 26. §. 2. p. 257. l. 36.

Lib. VI. c. 60. Mox aegrotante, ceu rectus in sedili figurato, manibusque suis sub foemora porrectis, ut in angustum vesica compellatur. Si igitur attrectantibus nobis calculus in perinaeum hoc est, in spatium quod inter foemina est a testibus ad sedem procidat, quassatu illuc dejectus, ad scalpelli operam accingemur Si non sublabatur, levae manus digitum, si puer est laborans indicem: si provectioris aetatis, medium, oleo prius illitum, in anum demittemus, resupinisque digitis ipsum perquirentes, repertum paulatim traducentes ad cervicem vesicae deducemus, digitoque uno aut pluribus inibi constrictum, in exteriora propellemus. Deinde alteri famulo, ut manibus vesicam comprimat, jubebimus. Alteri ut dextera manu testiculos sursum trahat. Sinistra perinaeum extendat in alteram partem, qua sectionem tentabimus. Nos sumto ferramento, quod lithotomum appellant, inter anum et testiculos, non tamen in perinaei medio, sed versus sinisteriorem clunem obliqua linea super lapidem parti secundae subjectum incisionem moliemur, sic ut plaga foris latior sit, intus non amplius pateat, quam ut lapillus per eam queat ejici. Interdum enim digitorum, vel digiti in ano innixu una cum incisione citra evulsionem calculus commodissime exilit. Si non exilierit, unco huic functioni dicato (lithuncum nun-

cupant) injecto, eximendus est.

Celsi Lib. VII c. 26. 1. p. 256. l. 26.

Lib. VI. c. 60. At si lapillus parvulus in cervicem vesicae colemve inciderit, et mingendo excerni nequeat, praeputium valenter in anteriora retractum, supra glandis summitatem vinciendum est. Mox pudendi etiam coles, juxta finem ad vesicam spectantem vinculo iniecto, deligandus est. Deinde ab inferiore parte calculi incidemus super lapidem, qui parti secundae supponitur, flexoque insuper cole calculus ejiciendus est, solutis postea vinculis hulcus a grumis vacuabitur. Vinculum itaque posterius injectum est, ne calculus retrorsum remeat. Anterius, ne post calculi exemptionem, praeputii soluti, tergus in oppositum recurrens, incisionem operiat.

Celsi Lib. VII c. 28. p. 263. l. 39.

Lib. VI. c. 72. Genitalia mulierum compacta et imperforata, interim a natura, interim ex superveniente occasione, morbo aliquo praecedente fiunt, quandoque in imo, quandoque in ipsis alis, vel in medio etiam spatio, idque vel ex natura, vel ex obstructione. Obstructio autem vel carne vel membrana fit, etc.

Celsi Lib. VII. c. 29. p. 264. l. 14. et seq.

Lib. VI. c. 74. et 75. *(Capita legenda)*.

Celsi Lib. VII. c. 33. p. 268. l. 20.

Lib. VI. c. 84. (*Legendum est*).

Celsi Lib. VIII. c. 4. p. 201. l. 25.

Lib. VI. c. 90. Si autem fissio tenuis ac capillaris sensum fugiat, medicamento aliquo nigro, liquido, vel scriptorio etiam atramento superfuso, os rademus, ipsa namque fissio nigra ostenditur, rasuraeque tantisper insistendum est, quo ad vestigium fissurae evanescat.

Celsi Lib. VIII c. 3. p. 279. l. 20.

Lib. VI. c. 90. Lamina tamen quae membranae custos est subjecta, et ossiculis, si qui, ut par est, remanserint, aut spiculis diligenter collectis.

Celsi Lib. VIII. c. 5. p. 284. l. 25.

Lib. VI. c. 92. (*Legendum*)

Celsi Lib. VIII. c. 7. p. 286. l. 20.

Lib. VI. c. 93. Dentes qui in parte confracta diducti sunt, mutuo, ut Hippocrates quidem tradit, auro, hoc est, auro filato, seu aureo lino, Chrysolino vel Chrysonemate nuncupato, deligandi sunt. Quandoquidem autem non cuivis hujus copia datur, lino aliquo valido vel bisso, et seta equina, aut id genus aliquo invicem committantur.

Celsi Lib. VIII. c. 7. p. 287. l. 7.

Lib. VI. c. 93. Tenuibus cibis ac sorbitionibus aegrotantem uti praecipito, quoniam manducatio ipsi perniciosa est.

Celsi Lib. VIII. c. 8. p. 287. l. 28.

Lib. VI. c. 94. Si partem juguli aliquam abruptam, loco suo dimotam ac pungentem percipiamus, scalpello contra incidi debet, fragmentaque inde eximenda sunt.

Celsi Lib. VIII c. 15. p. 299. l.

Lib. VI. c. 115. *Ut in Hippoc. libro de Articulis, cujus multa transcribit. Ita etiam in aliis luxatis ossibus plura ex Hippocrate sumit, quae cum Celsi sententiis consentiunt.*

CAROLI GOTTLOB KÜHN

COMMENTATIO IN CELSI

LIB. VII. CAP. 26.

DE CALCULI SECTIONE.

I.

Vereor, ne sint, qui me noctuas portare Athenas existiment, cum viderint, me de Celsiana calculi secandi ratione exponere velle, de qua tot scriptores haud contemnendi egerint. Equidem non ignoro, iam ultimo seculi decimi sexti anno Val. Mavium *comment. in Celsi libr. VII. c. 26.*, quod de calculi sectione exponit, Vitebergae edidisse, qua non tam difficultates, quae in descriptione huius operationis chirurgicae, a Celso exhibita, omnino occurrunt, tollere, quam potius, quantum ex Halleri *bibl. chir. to. 1. p. 275.* coniicere licet, calculi vesicae, manu sola, sine uncorum aut forcipum auxilio, eximendi rationem commendare annisus est; porro Laur. Heisterum peculiari dissertatione *de lithotomiae Celsianae praestantia.* Helmst. 1744. eam fusius descripsisse, in qua non solum totum Celsi de calculi sectione locum, ab ignaris librariis vario modo corruptum, emendare, suamque de operatione perficienda sententiam proponere, sed et, ut eo melius intelligatur, icone illustrare studuit. Adiecit quoque historiam chirurgicae curationis, quam in iuvene undeviginti annorum felicissimo cum successu, Celsi praecepta secutus, suscepit, quae, cum aliis medendi methodis comparata, reliquis omnibus praeferenda esse ipsi videtur. Heisterum excepit Dujardin, qui in sua *Chirurgiae historia to. 1. p. 483.* ss., Celsi in chirurgiam meritis copiose enarratis, non poterat non ejus quoque calculi secandi methodum commemorare. Intactas autem reliquit difficultates, quibus commemoratus Celsi locus implicitus est.

Maiorem diligentiam huic argumento pertractando adhibuit Car. Fr. Clossius, qui Celso partim *Specim. observat. criticar.* Traiect. ad Rhen. 1768. 4., partim *Analectis quibusd. ad lithotomiae Celsianae methodum.* Tubing. 1792. 4. et medicinam et lucem adferre studuit. Quamquam autem varia melius Heistero intellexit, tamen non in omnibus, quae ad hunc locum illustrandum contulit, ipsi adsentiri possum. Nam quemadmodum Clossius verum vidisse mihi videtur, cum partim Bromfieldum reprehendit, qui plagae exterioris cornua, quae e Celsi mente versus coxas dirigenda sunt, versus tubera ossis ischii dirigit, partim fieri non posse demonstrat, ut calculus in cervicem vesicae per digitos, in anum immissos, propulsus dissecta cervice eximatur, ita mihi cum in loco plagae transversae adsignando, tum in explicandis Celsi verbis: *etiamnum sub cute* errasse, adeoque aliquam reprehendendi materiam reliquisse iis videtur, qui post illum in eodem Celsi loco explicando vires experirentur.

Bernh. Gottlob Schregerus in opere exquisitae eruditionis: *Grundris, d. chirurg. Operation.* Nürnb. 1819. 8. p. 428. sq., dum omnium, quae ad calculum secandum inventae sunt, methodorum enumerationem ingreditur, a Celsiana, uti antiquissima, ita quoque simplicissima, initium capit Breviter Vir Illustris curationem, a Celso propositam, minus tamen, sit pace Viri Eruditissimi dictum, accurate exhibet. Nam cornua plagae lunatae versus acetabulum s. coxam sinistram spectare debere, contendit; id quod Celsi verbis; *incidi cutis plaga lunata usque ad cervicem vesicae debet, cornibus ad coxas spectantibus paululum,* contrarium est. Dein illud quoque non omnino veritati respondere videtur, quod Celsiana sectio calculi *sine ulla immutatione* ab omnibus Graecis Arabibusque in usum vocata sit. Etenim Paulus Aegineta *de re medica* lib VI c. 60. p. m. 197. *αὐτοὶ δὲ λαβόντες τὸ καλούμενον λιθότομον. μεταξὺ μὲν τῆς ἕδρας καὶ τῶν διδύμων, μὴ κατὰ μέσον δὲ τοῦ περιναίου, ἀλλ' ἐπὶ θάτερα πρὸς τῷ ἀριστερῷ ποχαίῳ λοξὴν τὴν διαίρεσιν ἐμβαλοῦμεν κατ' ἐπικέπου τοῦ λίθου τέμνοντες.* Quae verba omnino aliam secandi calculi rationem praecipiunt, quam quae a Celso tradita est.

Nuper Jo. Bellius, satis celebris inter Anglos chirurgus, in parte prima voluminis II. operis praestantissimi illius quidem, sed ob additas centum et sexaginta tabulas aeneas pretiosissimi quoque: *The principles of surgery.* Lond. 1815. 4. p. 39—61. de Celsiana calculi sectione exposuit ita, ut intelligentem dissectorem et exercitatum chirurgum facile agnoscas. Quamquam autem commentatores hujus de calculi sectione loci de difficultatibus, quas in nonnullis Celsi verbis deprehendisse sibi visi sunt, et interpretes, quod, cum medici fuerint, in chirurgia facienda ignorantiam prodiderint, acriter increpat, tamen nec sibi ipse satis a reprehensione cavit. In adiecta enim tabula aenea plagae lunatae locum atque figuram exhibuit ita, ut cornua ejus versus inferiora seu versus tubera ossis ischii spectarent, transversa autem plaga apices cornuum invicem conjungeret. Quod haud dubie falsissimum est, uti paulo post pluribus ostendam.

Denique adducendi adhuc sunt, qui, quantum equidem novi, novissime idem argumentum tractandum sibi sumserunt, Jo. Bapt. Palletta *della litotomia Celsiana* in *Memorie dell'Istituto nazion. Italiano* To. I Pa. I. p. 86 —117. et Sebast. Ant. Turckius, *de l'incision pratiquée par Celse dans l'opérat. de la taille chez les hommes.* à Strasb. 1818. 8. de quorum virorum laboribus, quos videre nondum mihi licuit, iudicium ferre non possum. Praeter hos scriptores, qui de lithotomia Celsiana ex instituto egerunt, alii quoque eundem locum ὡς ἐν παρόδῳ tractarunt, ut Ca. Chr. Krausius in animadversione ad vernaculam versionem, Jo. Zach. Platneri *institut. chirurg.* §. 1396. et Vir, multis mihi nominibus venerabilis, Kapplus in additamentis ad Bim. Bellii *Lehrbegr. d. Wundarzneik.* II. p. 56. seq. praeterea J. C. Jaegerus in sua versione germanica librorum Celsi de medicina VII. atque VIII. Sed hi magis in textibus Celsi emendandis, quam in illustranda chirurgica hominum calculosorum curatione substiterunt.

Horum virorum laboribus cum, quantum equidem perspicio, nondum omnis difficultas loci Celsiani sit expedita, experiar et ego, qualem lucem ei adferre possim. Necessarium autem esse puto, aliquam illius loci partem, qua Celsus de calculi curandi chirurgia agit, apponere, ut partim lectores rerum periti statim diiudicare possint, feriamne scopum, an ab eo plus minus aberrem, partim ut hac ipsa occasione editionis Celsi novae imaginem

adumbrem, quam animo concepi meo, et quam ut Vir Exper. Lud. Choulantus inchoatam feliciter absolvat, opto Scilicet eam tantummodo Celsi editionem omnium fere votis responsuram esse existimo, quae primo maximam curam textorum habet, eaque pro critici apparatus, quo nunc fruimur, ratione quam purissima exhibet. Dein ad res, a Celso tractatas, animus quoque dirigendus erit, lectoribus, ubi recentioribus observationibus eaedem aut confirmatae, aut auctae, aut emendatae fuerint, breviter admonitis. Denique si forte locus ampliore expositione indigeat, eam coniecerim in excursus, quales Jo. Aug. Ernesti et Ch. G. Heynius, ille Svetonio, hic Homero aliisque consecraverunt. Et ut primum attingerem finem, exprimendam curavi Leon. Targae editionem alteram, quae accuratior prodiit Veronae CIↃIↃCCCX. 4. pagg. XXVIII. et 490 aucta lexico Celsiano paginarum 216 longe meliore, quam quod, a Geo. Matthiae confectum, in editione Lugd. Batava anni CIↃIↃCCLXXXV. publici juris factum est. Quae quidem editio, in Germania hucusque ignorata, longe praestantior est priore; nam codice usus est Targa Vaticano, nondum collato, et antiquiore Mediceis omnibus, cujus ope multa Celsi loca melius constituit, dein animadversiones alias emendavit, alias auxit, alias penitus refudit, denique lexicon Celsi adiecit, quod jam, cum priorem editionem evulgaret, inchoatum erat, sed ob valetudinem auctoris admodum adflictam, ad finem perduci posse non videbatur. Addenda igitur haec editio catalogo, quem prolusionibus duabus anno superiori et, quo vivimus, edidi.

(1) Quum iam eo (ad cervicem vesicae) venit (calculus), incidi super vesicae cervicem (2) juxta anum cutis plaga lunata usque ad cervicem ve-

(1) *Quum iam eo venit — debet.*) Codd. msti (que et cod. Cardin. de la Rovere pertinet) et editt. antiquae (Mediol. Flor. Par. Plant. Ruell.) habent: *Quum iam eo venit, ut incidi super vesicae cervicem juxta anum cutis plaga lunata usque ad cervicem vesicae debet*: sed editt. *debeat*, ex Palavicino. Constantinus animadvertit, non verbum *debet* in *debeat* mutandum, sed particulam *ut* tollendam esse. Constantino assentitur Morgagnus, ac praeterea docet, verba illa *super vesicae cervicem* supervacua esse, cum dictum sit, *Quum iam eo venit*, videlicet in cervicem vesicae, et statim dicatur, *incidi cut e . . . . usque ad cervicem vesicae debet.* Lindenius legit *Cum iam eo venit, ut super vesicae cervicem sit, juxta anum incidi cutis plaga lunata* etc Ego Morgaguum sequor *Targa.* — In tanto codd. et editt. antiq. consensu nollem Targam secutum esse Morgagnum Nam profecto ejecta verba mihi bene habere videntur. Etenim non supervacua sunt *super vesicae cervicem*, quoniam praecessit *eo* h. e. ad cervicem vesicae, quippe cum hoc *eo* indicet calculi situm. Nunc autem vulnus intligendum est, quod etiamsi calculus ad cervicem vesicae venerit, alio quoque loco incidi poterat. Itaque recte addidit Celsus, *incidi debet super cervicem ves.* h. e. eo abdominis loco, cui subiacet cervis vesicae. Non solum autem locus, quo plaga esterior facienda est, finiendus erat, sed et ejusdem profunditas indicanda: *usque ad cervicem vesicae.* Nihil igitur superflui in Celsi verbis deprehendo. Idem de hoc loco iudicium tulit Clossius *l. c.* §. VII.

(2) Heister *de lithotom. Celsiana* p. 37. not. a. petat Celsum sub *cervicis vesicae* nomine minime intelligere posse, quod hodie anatomici vulgo sic nuncupare solent, nimirum initio urethrae prope vesicam, quod glandula prostata et sphinctere vesicae cinctum est, quia in tam angustam partem calculus nullus magnus, multo minus spicosus, neque sponte delabi, neque digitis impelli possit; sed potius pars vesicae inferior. — Clossio post haec verba incuria librariorum quaedam excidisse videntur, quoniam, cum Celsus in operationibus describendis justum servet modum, non intelligatur, cui bono verba essent: *sup. ves. cerv.* quum paullo ante dixisset, compellendum esse calculum in *cervicem*, et paullo post, usque ad *cervicem* esse incidendum. Verba,

sicae debet, cornibus ad coxas spectantibus paulum : deinde ea parte (3), qua resima (i. e. concava, vid. libr. IV. c. 6. renum descriptionem) plaga est, etiamnum (4) sub cute altera transversa plaga facienda est, qua cervix aperiatur; donec urinae iter (5) pateat sic, ut plaga paulo major, quam calculus, sit. Nam qui (6) metu fistulae (7) quam illo loco ῥυάδα Graeci vocant, parum patefaciunt, cum (8) maiore periculo eodem revolvun-

ea parte, *qua resima plaga est*, plane supervacua forent, nisi alius cujusdam rei, ad quam referri possent, mentio antea facta fuerit, et solummodo de *altera* transversa plaga ad lunatam illam addenda, sermo esset. Quomodo autem restituendus locus sit, definire non audet. Quae quidem Clossii coniectura quam falsa sit, ex iis patebit, quae not. 1. ad defendendam vulgatam lectionem attuli.

(3) *qua resima plaga est*). Ita legendum esse e Cod. Medic. 1. docuit Cocchius in additamentis ad orationem de anatome editam ann. 1745. (Dell' anatomia discorso. Firenz. 4. p. 87.) Resima autem plaga est, *qua cornua plagae lunatae extant*, ut explicat Morgagnus. Cod. Vat. VIII. cum Medic. I. consentit. Alii (ut Cod. Lugd. et Bavar. *stragesima*) habent, *qua stragesima pl. e.*; libri vulgati, *qua strictior ima plaga est*, ex Palavicino. *Targa.* — Vid. et de hac lectionis varietate Clossius *anal. quaed. ad method. lithot.* Cels. p. 10.

(4) Cod. Lugd. *etiam non.*

(5) Cod. Lugd. et Bavar. *urinae et pat. et* paulo post verbo *maior* Cod. Bav. *minor* substituit, Cod. Lugd. autem omnia inde a verbis, *ut plaga* usque ad *sit*, omisit.

(6) *metu fistulae*) Caesarius margini adscripsit : «*alias meatum*;» atque ita legunt Pantinus et Constantinus (addo editionem Ruellii. Par. 1529. 4.); sed perperam. Celsus enim fistulam significat, quae ex vulnere oritur, ut apparet ex his verbis, quae postea sequuntur : *multo tamen patentiorem fistulam habiturus est rupta cervice, quam habuisset incisa.* Targa.

(7) *quam illo loco ῥυάδα Graec. voc.*) Med. I. aliique codd. atque editt. sex. primae habent *corhyada* pro *rhyada*; videlicet ex incauta geminatione antecedentis syllabae; quemadmodum et in eodem cod. Medic. et in Vat VIII. libri 8. c. 1. est *Graeci* χιζυηῶδες pro *Graeci* ζυηῶδες. Alii codd. (v. c. Lugd. et Bavar.) habent *choriada*; Editt. Manutianae χορυάδα Locus hic torsit Editorum ingenia Caesarius hanc vocem mutavit in οὐρήθραν; et in margine haec adnotavit: *nisi malis legere* corhyada, *ut hactenus in impressis exemplaribus. Verum quid id sibi velit, nondum usquam comperi apud idoneos auctores.* Caesarium secuti sunt Gryphius, Pantinus, Constantinus, Stephanus, Tornaesius et Rousseus; sed duo ultimi margini adscripserunt χορυάδα vel (uti quoque Vir Doctus Caesarii editionis 1528 margini adlevit) οὐριάδα. Lindenius demum edidit οὐρορυάδα, sed, ut opinor, ex ingenio: nam vox haec in nullo Graecorum scriptorum opere ex iis, quae supersunt, reperitur. Membrum hoc, ut alia non pauca, ex margine irrepsit. *Targa.* — Equidem in hac sententia Targae adsentiri non possum. Nam Celsus amat verba graeca addere, quorum versionem exhibuit. Sic. II. 18. *quod* αὐτόπυρον *Graeci vocant.* III. 26. ἀποπληξίαν *hanc Graeci vocant.* V. 5. *auripigmentum, quod* ἀρσενικὸν *Graeci nominant.* et c. 7. *quae Graecis* τιθύμαλλος *nominatur.* VI. 11. *quas* ἄφθας *Graeci appellant.* Οὐρορυάδα autem aeque falsum judico, ac simplicem vocem ῥυάδα, quam Targa in textu recepit. Alterutram vocem in Rufi Ephesii libri *de morbis vesicae et renum* frustra quaesivi. Puto autem recte legi οὐρορῥάκα. Choulant putat sufficere ῥ'ακα. Nam de lacrymarum per genas defluvio Graecos haud dicere δακρυορρυάδα, sed sufficere ῥυάδα. Alberti enim ad Hesych. to. II. p. 1124. adduxit glossam ῥύαξ. ῥεῦμα. ὑδρηρός, quae e Schol. Thucyd. IV. 96. hausta esse videtur: ῥύακες ῥεύματα. ὑδρηρά. Melius haec ad Celsi locum transferri possunt quam si legamus ῥυάδα, quo verbo illud oculorum vitium designatur, quo ob carunculae lacrymalis defectum lacrymae non ad saccum lacrymalem et interiorem nasum deducuntur, sed per genas defluunt. — Caeterum codex Cardin. de la Rovere et ed. Plantin. illud membrum, *quam — Gr. vocant*, non habent.

(8) *Cum majore*) Codd. Lugdun. et Bavar. non habent *cum*. Paullo post pro *premitur* legit Plant. *premitur*, quomodo quoque legendum esse existimavit Scaliger et Choulantus et pro *accipit* Rouill. *recipit*. Additur in mea editione : *Sic M. S.* Nescio, utrum illud ad *premitur*, an ad *accipit* sit referendum. Sigla autem, quae isti lectio-

tur: quia calculus iter, quum vi promitur, facit. nisi accipit, idque etiam perniciosius est, si figura quoque calculi, vel aspritudo aliquid eo contulit. Ex quo et sanguinis profusio, et distentio nervorum fieri potest: quae si quis evasit, multo tamen patentiorem fistulam habiturus est rupta cervice, quam habuisset incisa (9). Quum vero ea patefacta est, in conspectum calculus venit: (10) in cujus colore nullum discrimen est. Ipse, si exiguus est, digitis ab altera parte propelli, ab altera protrahi potest: si major (11) iniiciendus a superiore parte uncus (12) est, ejus rei caussa factus. Is est ad extremum tenuis, in semicirculi speciem retusae latitudinis, (13) ab exteriore parte laevis, qua corpori jungitur; ab interiore asper, qua calculum attingit. Isque longior potius esse debet: (14) nam brevis extrahendi vim non habet. Ubi injectus est, in utrumque latus inclinandus est, (15) ut appareat, an calculus teneatur; quia, si ap-

ni variae addita est, significantur variae lectiones, quae Rovillianae editioni e codice ignoto adscriptae erant.

(9) *Quum vero ea patefacta est*) Ita in Cod. Med. I. Vatic. VIII. habet: *Cum vero ex parte facta est*; alii, et editt. antiquae (quas et Krausiana secuta est): *Cum vero patefacta est*; Lindeniana, *Cum via patefacta est*; Almeloveeniana, *Cum via perfecta est Targa.*—Non me praeterit, Almeloveenium, quamvis omnibus, quos vidi, libris atque adeo ipsius etiam Lindenii repugnantibus, qui constantissime habent: *cum vero patefacta est*, scribere eo in loco maluisse: *cum via perfecta est*; tamen et ipse, idem locutionis genus in eadem re ante paucos versus in Celso servavit. *Morgagn.*

(10) *in cu us colore nullum discrimen est*) Ita in Cod. Med. I. et III. atque in Vaticanis I. VI. et VIII. Calculis alii aliique colores esse consuerunt: sed quod ad rationem extrahendi calculi pertinet, nihil interest, quo colore is sit; interest, quae sit ejus magnitudo. Nam *ipse si exiguus est, digitis ab altera parte propelli, ab altera protrahi potest. Si major* etc. Eadem dicendi forma usus est Celsus lib. 5. c. 2. sect. 28. *Si ex acuto telo plaga est, ea transversa commodior est; si ex retuso et gravi nullum in figuram discrimen est.* Alii codd. et editt. antiquae habent *in cujus corpore nullum discrimen est.* Constantinus margini adscripsit: « Hoc falsum, itaque legendum *colore*, (ut in Ms) aut *nonnullum discrimen est* ». Lindenius edidit, *in cujus corpore multum discrimen est* (*magnum*, puto, dicere voluit), et cum animadverterit, haec cum sequentibus apte non cohaerere, in proxima periodo *Ipse* in *Ideo* mutavit. *Targa.*—Choulant quidem non omnino probat *colore*, sed aliquid mutare veretur. Scaliger in meo libro, qui hujus viri animadversiones multo auctiores, quam in editionibus omnibus leguntur, continet, monuit, in vet. cod. legi *colore*.

(11) *iniiciendus a superiore parte uncus est*) Ita Cod. Med. I. et Vatic. VIII., alii, et omnes editt. *iniiciendus a superiore ei parte uncus est.* Cod. Ven. *iniiciendus a sup. parte ei uncus est. Targa.*

(12) Ejus formam depinxit Jac. Dalechampsius in *Chirurgie françoise* à Lyon 1573. 8. p. 238.

(13) *ab exteriore parte*) Edit. Linden. habet *ab interiore*; sed mendose. Almeloveenius legit: *ab exteriori parte*, ut est in plerisque libris; sed in Codd Med. I. et Vat. VIII. *ab exteriore parte*; ed infra *ab interiore*, non, ut in aliis, *ab interiori. Targa.*

(14) *nam brev s extrahendi vim non habet*) Ita Codd. mss et quidem recte. In editt. antiquis deest particula *non*. Constantinus putat, de duobus uncis intelligendum esse, altero longiore, quo calculus attrahitur; altero breviore, quo extrahitur, ideoque reponendum, *nam brevior extrahendi vim habet.* Lindenius legit, *nam brevior — non hab. Targa.*—Scaliger quoque *non habet* legendum esse recte censet. Nam quo longius a puncto, quod dicitur, oneris remotum est alterum, in quo vis trahens residet, eo minore cum vi onus quodcunque superatur, seu eo magis extrahendi vim habet.

(15) *ut appareat an calculus teneatur*) Cod. Med. I. et Vat VIII. habent, *ut appareat calculus teneatur.* Ego restitui particulam *an*. In aliis codd. et omnibus edd. legitur, *ut appareat calculus et teneatur*: sed perperam. Nam cervice iam patefacta, calculum in conspectum venire dictum est: uncus autem, in utramque partem inclina-

prehensus est, ille simul inclinatur. Idque eo nomine opus est, ne, quum adduci uncus coeperit, calculus intus effugiat, hic in oram vulneris incidat, eamque convulneret.

II.

Cum mihi nec opinanti subita morte Chr. Frid. Ludwigii, facultatis medicae Senioris et Decani, hujus prolusionis edendae necessitas imposita sit, nec tempus suppetat, diu de argumento pertractando cogitandi, Celsi de calculi sectione locum, de quo jam anno superiore egi (1), explicare pergam. Duplex autem animadversionum genus sese mihi offert, quorum alterum textorum Celsi, a nonnullis recentissimorum de lithotomia Celsiana scriptorum male intellectorum, accurationem expositionem attinet, alterum in enarrandis atque diiudicandis conatibus emendandae calculum secandi rationis, a Celso propositae, versatur.

Priusquam autem ad prius animadversionum genus procedam, quaedam praemittam, quae quamquam necque ad hoc, neque ad alterum pertinent, tamen aliqua observatione et emendatione digna videntur. Ac primum quidem Jo. Bellio adsentiri nequeo, quod obscuritatis, qua hic de calculi sectione locus laborare videtur, caussam inde repetit (p. 45.), quod incertum sit, utrum Celsus artem ipse fecerit, an omnia sua tantum e medicorum libris sumserit. Quam quidem priorem sententiam ea, quae optimus harum rerum arbiter, Morgagnus, ad varia Celsi loca monuit, quaeque artis salutaris esercitio a Celso operam datam fuisse, manifesto probant, infringere et penitus subvertere videntur. Ejusmodi locus valde insignis *Lib. III. c. 11. p. 83* (hujus edit.) occurrit. Ibi enim Celsus exponit, quae contra frigus febrile, molestissimum morbi genus, agenda sint. Nonnullos medicos in harum febrium remissionibus tres, quatuor sorbitionis cyathos, etiamnum manente febre, dare; deinde ea bene finita, stomachum reficere cibo frigido et levi monet, atque tanquam suo usu meliora edoctus subiicit, partim sibi tunc demum hoc tentandum esse videri, cum parum cibus, semel et post febrem datus, prosit, partim curiose prospiciendum, ne tempus remissionis decipiat. Quae quidem minime ab eo decerni posse videntur, qui neutiquam in arte facienda versatus est. Hoc enim judicium de iis, quae in morbis noceant prosintve, et de temporibus, quibus concedi aut denegari quid possit et debeat, usu tantum experientiaque acquiritur, acquisitumque acuitur. Idem autem viri, in arte facienda exercitati, judicium alio Celsi loco ejusdem libri c. 4. p. 71. confirmatur, quo contra Asclepiadis febrium curandarum rationem pugnat, qui *ulterioribus diebus cubantibus luxuriae subscripserit, primis vero tortoris vicem exhibuerit.* Hujus enim medici celeberrimi methodo suam ipsius opponit: *Ego autem medicamentorum dari potiones et alvum duci non nisi raro debere concedo.*

tus, facit, ut appareat, non an calculus in conspectu sit, sed an ab unco bene teneatur. *Targa.*—Clossius in *specim. observ. crit. in Celsum* p. 51. proposuit jam emendationem, a *Targa* in textu Celsi receptam, *an calc. ten.* Idem reiicit Krausii emendationem, pro *quia si* legentis *qui si*. Nec temere: nam his verbis omnino caussa adfertur, ob quam uncus in utrumque latus sit inclinandus.

(1) Prolusione, qua panegyrin medicam d. XXIV. Septbr. celebrandam indixi.

Et id non ideo tamen agendum, ut aegri vires convellantur, existimo, quoniam ex imbecillitate summum periculum est. Risui omnium sese exposuisset Celsus, si contra medici, suis curationibus maximam famam atque celebritatem nacti, sententiam de re, de qua sola experientia decernere potest, omni artis usu destitutus, et qui suam medicinae cognitionem tantummodo e libris medicorum hausisset, hoc modo in arenam descendere voluisset: *Ego autem — concedo.* Necessario hisce verbis experientia ususque proprius experientiae usuique Asclepiadis opponitur. Neque vero minus apte de rebus, ad chirurgiae exercitium pertinentibus, judicat Celsus. Paucis, ut hoc probem, defungar locis. Libro VIII. c. 20. p. 302. commemorat Celsus methodum femur luxatum extendendi: quam Kirklandus *(Med. surgic. observat. on P. Potts remarks)* laudavit. Et ejusdem libri c. 4. 282. de percussa calvaria agit, atque antiquiores medicos in omni fisso fractove osse protinus ad ferramenta, quibus id exciderint, venisse observat. Quam quidem agendi rationem reiicit, multo melius esse ratus, ante emplastra experiri, quae calvariae caussa componantur, eorumque aliquod, ex aceto emollitum, per se (i. e. solum) super fissum fracturnve os imponendum esse statuit. Hoc autem modo de re tam gravi, quam vulnera calvariae esse solent, Celsum statuere non potuisse, autumat Morgagnus, nisi ipse manu curasset. Etenim sic tantummodo efficere id poterat, ut accurate describeret operationes chirurgicas, etiam difficiliores, et quid in iis, ut aegrotis salutares sint, cavendum sit, diligenter et scite animadverteret. Id, quod inprimis tum in calculi e vesica per sectionem remotione, tum in variis oculorum morbis, manu curandis, locum habet. Quae cum ita sint, incertum, uti Jo. Bellius voluit, esse nequit, num Celsus artem salutarem, de qua optime scripsit, exercuerit, nec ne (2).

Liceat hac opportunitate uti, meam de notissimo Quinctiliani *(de inst. orat. XII. c. 11.)* loco, minus honorificum de Celso judicium continente, mentem libere aperiendi (3). Hujus enim viri auctoritate perterriti, multi libris Celsi, utpote *mediocri viri ingenio*, de medicina haud tantum statuerunt pretium, quantum ei, sive argumenti gravitatem, sive pertractati ordinem, sive denique sermonis elegantiam respexerimus, jure meritoque concedendum est. Poterat quidem hujus iniqui de Celso judicii et caussa, et excusatio in eo fortasse quaeri, quod uterque eloquentia docuerit. Invidiam igitur Quinctilianum eo impulisse, ut inique de Celso judicaret, cum aliqua probabilitatis specie contendi potuit. Quae tamen conjectura, ubi totum Quinctiliani locum attente perlegerimus, vana apparebit. Etenim hoc ultimo operis sui capite exemplis ostendit, oratoris doctrinam haud debere arctis earum rerum cancellis circumseptam esse, quae ad caussas in foro feliciter agendas maxime necessariae sint, sed latius diffundendam, uti ab Aristotele factum sit, qui non solum, quae ad philosophos et oratores pertinerent, complexus sit, sed animalium satorumque naturas omnes

(2) Vide praeterea Jos. Ant. del Chiappa, medicum Ticinensem, in libro: *Intorno alle opere e alla condizione personale di* A. Corn. Celso. Milano 1819. 8. p. 35—58. et Leon. *Targam* in praef. secundae Celsi editionis suae p. XI — XIII.

(3) Miror doctissimum auctorem disputationis, quae *Quaestionis de Cornelii Celsi vita* partem priorem continet, (Lips. 1824. 8.) adducto p. 31. Quinctiliani loco, ne verbulum quidem de controversa horum verborum lectione monuisse.

perquisiverit; et a M. Censorio Catone, qui idem orator, idem historiae conditor, idem juris, idem rerum rusticarum peritissimus, inter tot opera militiae, tantas domi contentiones, rudi seculo literas graecas declinata jam aetate didicerit. His aliisque exemplis jam subiicit : *Quid plura ? cum et Cornel. Celsus*, mediocri vir ingenio, *non solum de his omnibus, sed amplius rei militaris, et rusticae etiam, et medicinae praecepta reliquerit?* in hoc orationis nexu, quo Celsus cum Platone, Aristotele, Catone, Varrone et alii comparatur, quis quaeso ferat ineptum judicium, Celsi nomini additum, *mediocri vir ingenio* (1), quem Columella *de re rust.* lib. III. c 17. *celeberrimum suae aetatis auctorem nominavit ?* Quam ob rem loci manifesto corrupti emendatio circumspicienda est. Et Capperonnierium eam tentasse sic, ut *medic.*, *acri vir ingenio* legendum esse coniiceret, del Chiappa *l. c.* p. 51. auctor est. Quae quidem conjectura, quam tum in Capperonnierii editione Quinctiliani (Paris. 1725. f. p. 759.), tum in novissima, quam Geo. Lud. Spalding paravit, frustra quaesivi, etiamsi ab Exc. del Chiappa ob simplicitatem commendabilis, et ab Exper. Choulanto (2) omni assensione digna judicata fuerit, tamen mihi quaedam continere videtur, quae illam laudem magnopere imminuant, ne dicam, penitus exstinguant. Nam nominibus scriptorum, ante Celsum et Quinctiliano commemoratorum, cum nihil omnino, neque laudis, neque vituperii additum sit, mirum videri debet, quod in Celso solo acre viri ingenium laudatum, et tum maxime, quod ipsum medicum fuisse, monitum fuerit. Quam ob rem ego de hoc loco sic statuo, ut verba allata e margine libri, cui lector aliquis, qui verborum Celsi ipsius p. 3. meminerat : *et alii quoque non mediocres viri seculi*, alleverat : *medicus, haud mediocri vir ingenio*, suppressa negandi particula, in Quinctiliani contexta intrusa esse putem.

Quam quidem conjecturam Vir Illustr. (*Observat. histor. et crit.* II. Lips. 1823. p. 13. not. 34.) minus probabilem esse super statuit, his nixus argumentis. Primo enim, quamvis Celsus medicae et chirurgicae artis fuerit peritus, multosque scripserit libros, indeque nominis celebritatem invenerit, tamen inde non sequi, magno eum fuisse ingenio sive *acri*, imo contrarium fortassis inde concludi posse, quod de omnibus fere artibus scripserit, ut omnia eum scisse credamus; dein glossematis originem esse parum probabilem; denique si judicium de Celso, quem Nonius Marcell. (p. 594. Gothofr. auctt. L. L.) minoris esse auctoritatis censuit, vanum sit, potuisse quoque Quinctilianum errasse. Contra quae argumenta tunc, cum ea accurate perpendissem, quaedam haud temere moneri posse mihi nuper videbantur. Nam quod primo loco positum est, Celsum, quamvis medicae et chirurgicae artis fuerit peritus, multisque libris editis nomi-

(1) Mich. Chr. Just. Eschenbach (*ep. ad Ghelf. Leber. Wockaz de Celso non medico practico.* Lips. 1772. 4. p. VII.) aliam ingreditur viam, sinistrum hoc de Celsi ingenio judicium molliendi. Scilicet Quinctilianum non in universum de Celsi ingenio sententiam protulisse putat, sed ratione tantum habita et comparatione instituta cum ingenio plane divino Ciceronis aliorumque. Geo. Matthiae ante Eschenbachium jam haesit in hoc Quinctiliani loco, et rhetorem hunc propterea Celso tribuisse ingenium mediocre, quoniam in suis scriptis non sublimi dicendi genere, sed medio usus fuerit. Vid. ej. diss. *de A. Cornelii Celsi medicina.* Gott. 1766. 4. p. 7.

(2) Vid. *Allgem. medic. Annalen* 1823. p. 233., ubi et alia, multo minus ferenda, coniectura : *medicus, vir insignis*, allata est.

nis celebritatem invenerit, *acri* ingenio a natura donatum fuisse, inde minime sequi, non me, sed Capperonnierium tangit, qui *mediocri* in *acri* mutari voluit. Alterum argumentum, quod a parum probabili glossematis origine depromebatur, etiam Amicissimo Hermanno, quem, ut sententiam de hoc loco mihi aperiret, rogavi, pondere suo reliquis omnibus praestare visum est. Ego vero putaram, glossematis originem e Celsi loco, paulo ante allato, commode derivari et probari posse. — Minus honorificum Nonii Marcelli de Celso judicium, a Viro Illustri allatum, non moror, cum partim ipsi Columellae, Celsum *celeberrimum suae aetatis virum* nominantis (de re rust. III. 17.), auctoritas opponi possit, partim quotidiana comprobet experientia, posse virum doctum minime mediocris, quin potius acerrimi ingenii, in *grammaticis* esse non magnae auctoritatis. Sin hac via ab iniquo isto judicio Celsus liberari nequit, leniat saltem suum dolorem agitatione, aliis viris celebratissimis similem accidisse sortem. Lucretium quidem Carum, qui ab aliis nunc *sublimis*, nunc *ingenio et facundia praecellens* laudatus est, Q. Cicero (Cic. *ep. ad* Quintum *frat.* II. 11.) carmina fecisse auctor est, quae *non multis sint luminibus ingenii* distincta. — Unum supererat argumentum, quo meam sententiam, minus honorificum Quinctiliani de Celso judicium glossema redoiere, firmaveram, a Viro Illustri silentio penitus praetermissum. Illud scilicet, e contexta oratione depromtum, ad totam hanc contraversiam dirimendam mihi aptissimum videbatur. Sed hoc etiam minus firmum esse, adserit Hermannus, totumque locum sic intelligit, Quinctilianum, quod Cato, Varro, Plato et Aristoteles de longe diversissimis scripserint argumentis, rem non esse valde mirandam, statuere, cum Celsus adeo, vir mediocris ingenii, idem fecerit. Quae cum ita sint, nolo diutius sententiam propugnare meam, ne nimis pertinax videar. — Locum Quinctiliani allatum Just. Godofr. Guenzius (Δᾳδουχίας in sacr. Aescul. (Lips. 1736. lib. 7. 4. p. 68. expos. jam emendandum esse censuit sic: *Quid plura? cum etiam Cornelius Celsus medicus, acri vir ingenio, non solum de his omnibus conscripserit artibus, sed amplius rei militaris et rusticae etiam, et medicinae praecepta reliquerit? Dignus vel ipso proposito, ut eum scisse omnia illa credamus.* De Quinctiliani loco egit quoque Ca. Henr. Frotscher (Observ. crit. in quosd. locos M. Fab. Quinctiliani Lips. 1826. 8. p. 38 — 40.) eumque nulla emendatione egere putat. Nam Quinctilianum, qui Celsum cum summis viris Platone, Aristotele cet. comparet, vocare Celsum mediocri virum ingenio hoc sensu: Quum ipso etiam Corn. Celsus, licet mediocri vir esset ingenio, neque ad Ciceronem Varronem et caeteros, quos modo laudavi, summos viros comparandus, tantum opus perfecerit, non esse, cur quisquam, cui ingenium, valetudo, facultas, praeceptores non desint, egregiam se hisce studiis laudem fructumque meritum desperet. Monet denique Vir Doctiss. negligendum non esse, quod Fabius, licet plus quinque et viginti locis Celsum commemoraverit, plerumque tamen reprehendat et refutet, nec nisi leviter et quasi invitum laudare.

Neque minus Jo. Bellius propterea taxandus est, quod Celso, cui omnem chirurgiae usum eripere cupit, varia adfingit, de quibus is ne cogitavit quidem. Nam ut, quae de calculo secando ab ipso proposita sunt, minori constent pretio, adfirmat (p. 45), hanc curationem chirurgicam

ab illo descriptam esse eo tantum modo, quo qui attentus spectator e idem, a perito artifice institutae, interfuerit, eam describere possit: id ipsum quoque optime intellexisse Celsum, quippe qui, antequam peragendae hujus curationis rationem tradat, sese excuset, quod rem, ab operis sui forma et indole tantopere alienam pertractaverit. Quae quidem omnia, inprimis quae excusationem attinent, falsissima esse, quilibet, qui vel fugitivo oculo hunc Celsi locum perlustraverit, facillime inveniet. Expositus enim, quae de urinae reddendae difficultate, quam inter alias caussas etiam a calculis pendere noverat, monenda erant, statim pergit Celsus: *Quum vesicae vero calculique facta sit mentio, locus ipse exigere videtur, ut subiiciam, quae curatio calculosis, quum aliter succurri non potest, adhibeatur*, in quibus a Bellio ipso allatis verbis, quis unquam descriptae curationis excusationem quaesiverit, inprimis cum ipsam curationem, quae manu efficitur, nunc nec cunctanter, nec meticulose proponit, quemadmodum homines, qui de rebus, a quarum exercitio alieni sunt, sententiam ferre solent, sed summa cum fiducia, quae non nisi iis propria est, qui rem, de qua loquuntur, perfecte callent: *Curatio hoc modo ordinatur.* Et paullo post, ubi de findendo calculo maiore sermo, et Ammonii, ob id λιθοτόμος cognominati, mentio iniecta est, minime hujus viri rationem, calculum majorem comminuendi, historici scriptoris more adfert, sed ita, ut eam ipse exercuisse videatur; *Id hoc modo fit* (1).

Denique et hoc in Jo. Bellio reprehendo, quod in suo judicio de Celsi imperfecta ejus chirurgiae, quae calculum e vesica exsecat, cognitione haud sibi constet. Nunc enim Celsum nihil de hac curatione, nisi quod spectando percepisset, nosse; nunc ipsum omnium rerum, quae felicem curationis eventum munire possunt, accuratissimam habuisse notitiam pronuntiat, quod ab eo, qui quamvis attentus spectator operationi, haud omnino frequenter obviae, interest, exspectari vix poterit. Quam ob rem, hoc perpendens Bellius, Celsum non potuisse tanta cum diligentia etiam minutissimas res, in calculi sectione attendendas, describere, opinatur, nisi a peritissimis artis magistris fuisset edoctus.

III.

Monui nuper, locum Celsi de calculi sectione duplici animadversionum genere egere, quorum aliud in verbis melius explicandis, aliud in conatibus recentiorum de chirurgia scriptorum, Celsianam lithotomiam emendandi, versari debeat. Prius autem, quam ad hoc ipsum argumentum pertractandum propius accedere poteram, quaedam praemonenda erant, quae ad varios Jo. Bellii, qui de illo Celsi loco nuperrime egit, errores emendandos pertinere videbantur. Nunc autem rem ipsam aggrediar.

Et Bellius quidem caussam obscuritatis, quam multi interpretum Celsi in hoc ipso loco de calculo e vesica exscindendo invenisse sibi visi sunt, in eo

(1) Locus hic (p. m. 408.) a Lindenio temere immutatus est: *Uncus iniicitur calculo sic, ut facili eum concussum quoque teneat*, legendo *conclusum*. Sed vulgata lectio optime habet. Nam uncum ita calculo iniiciendum esse praecipit Celsus, ut, si ferramentum modicae crassitudinis, simul cum unco in vesicam illatum et calculo oppositum, ictu percussum fuerit, uncus calculum elabi haud patiatur.

ponendam esse putavit, quod ad hunc scriptorem explicandum praeter familiaritatem quandam cum sermone scriptorum, qui classici vocantur, nihil in promptu habuerint, adeoque in omnibus locis, quae sine accurata rerum pertractatarum cognitione recte intelligi nequeant, longe a veritatis scopo aberrare debuerint: medicos, si qui Celsum ediderint, chirurgiae usu imbutos non fuisse, ideoque de rebus chirurgicis, a Celso traditis, apte judicare haud potuisse. In quo quamvis veri quid lateat, tamen illud non totum obscuritatis fontem exhaurit, qua Celsus saepe laborat. Id optime ex hoc, quem tractamus, loco intelligitur. Quamquam enim Bellius chirurgiae cognitione inter concives suos maxime excellit, tamen, dum allos erroris arguit, ipse in gravissimum incidit errorem. Nam verba: *plaga transversa* (p. 405.), quamvis perspicua et intellectu facilia esse contendat, tamen ab ipso adeo male explicata sunt, ut mirari satis nequeamus.

Scilicet primam plagam, qua integumenta communia diffinduntur, medio perinaei loco ita infligendam esse, ut rhaphe eam in duas partes aeqnales dissecet, eamque *transversae* denominationem recte mereri statuit, sive ad vesicam, sive ad partes externas respexeris Quae quidem cum iis, quae in Celso legimus, haud conveniunt. Is enim plagam exteriorem *juxta* anum tantummodo fieri jubet, quae ad ani latera eodem jure infligi poterat, et ob majorem commoditatem debebat. Dein cornua lunatae plagae ad duo puncta fixa spectare debere ait Bellius, qnae sive coxas, sive femora statuerimus, parum intersit. In qno quantum a veritate recedat, perspiciet is, qui magnam lineae lunatae diversitatem perpendit, quae, si cornua plagae aut ad femora, aut ad coxas referuntur, locum habere debet. Dein quoque haec Bellil opiuio ipsis Celsi verbis repugnat, qnippe qui disertis verbis cornua versus coxas solas spectare debere praecipit. Quam ob rem equidem plane non intelligo, quid Bellius voluerit (p. 47.) plagam exteriorem, quam paullo ante, transversam esse, probare conatus erat, nunc nullo vocis sensu fuisse transversam, neque cornua ejus versus duas sibi invicem respondentes partes, sed versus pubem anumque directa esse contendens (*now had the incision not been, in every sense of te word, transverse, its horns could not have pointed to the two corresponding parts, but to the pubis and anus*). Lunatam antem plagam propterea transversam statuere, quod rhaphen hac fere directione dissecet, ld a Celsi mente longissime recedit. Is enim duas cum adsumit plagas, eas non a se invicem distinguit ita, ut ad partes, quibus infligi debent, respiciat, sed diversitatis signa a sola utriusque figura repetat: *Incidi*, ait, *juxta anum plaga lunata debet*, *dein* — *altera transversa facienda est*. Videtur autem Bellius voce *altera* in hanc opinionem seductus fuisse, ut priorem plagam quoque transversam statueret (1), quoniam alias a Celso dici haud potuisset, alteram transversam faciendam esse. Sed post *altera* videtur comma ponendum esse, ut pateat, vocem *transversa*, per appositionem, quam dicunt, additam, definire accuratius formam ac rationem alterius plagae.

Neque vero Bellii sententia inde fulciri potest, quod Celsus curationem

(1) *A second transverse wound, which expressly implies, that, this second wound is to be transverse wound, and those words are et the same time as definite and relative a description of the first and of the second wound.*

calculi in feminis illi, quae in masculis adhibetur, similem esse testatur, atque in mulieribus inter urinae iter atque os pubis iucidi jubet. Ex his verbis enim minime effici potest, in masculis quoque eodem loco, h. e. in media perinaei parte, plagam esse infligendam, sed hanc ego vulneris diversitatem, quam mulleres offerunt, potius, ad ea retulerim, de quibus proprie quaedam dicenda esse Celsus monuit. Et caussa mihi quidem non in obscuro posita esse videtur, ob quam locum incidendum in mulieribus alium, quam in masculis atque virginibus, esse voluit. Eam enim in digitis manus sinistrae chirurgi invenisse mihi videor, qui cum in muliere per ejus naturale subiicerentur, chirurgum quasi cogebant, ut loco descripto vesicam aperiret. Neque id impediebant partes, sub plaga exteriore reconditae, quemadmodum id in masculis esse solet. In virginibus contra ea aliter res habet. Nam digitis, indice et medio, non per earum naturale, sed uti in maribus, per anum introductis, plaga quoque eodem loco, quem in masculis vulnerandum esse, Celsus docuit, infligi poterat, h. e. in sinistro latere. Id scilicet manifesta docent verba (p. m. 409.): *virgini sub ima* sinisteriore *ora incidendum est.*

Denique et Celsi mentem in plagae transversae directione percepisse haud videtur Bellius, quae quamquam verbis disertis ab ipso non exposita, tamen ex icone exhibita patet. Integumenta enim communia, quemadmodum et Bromfieldius l. c. jusserat, lunata plaga ita dividit, ut convexa ejus ora, si profundius penetraverit vulnus, isthmus urethrae vulneratus fuisset: dein autem alteram transversam plagam ea parte, qua haec resima est, h. e. leviter versus superiora incurvata, ab uno lunae cornu extremo ad oppositum dirigit, atque sic glandulam prostatam transversam discindit. Qua calculum secandi ratione evitatur quidem vesicularum seminalium laesio, sed vulnus parti infligitur, quae ob insignem, quam offert, densitatem dilatationem aut penitus respuit, aut difficillime et cum summis aegroti doloribus, unde curationis hujus periculum, in se jam magnum, plurimum adhuc augetur, admittit.

Quae cum ita sint, satis probasse mihi videor, Jo. Bellium quamvis chirurgiae cognitione et usu conspicuum, tamen Celsi locum de calculi curatione, quae manu fit, falso intellexisse, atque sic difficultatem, qua ille laborat, auxisse potius, quam sustulisse.

Alterum, qui recentioribus temporibus de Celsi loco et omnino de secandi calculum ratione, ab ipso descripta, egit, Jo. Bapt. Pallettam nomino, magis tamen in emendanda hac methodo, quam in explicandis Celsi verbis occupatum. De figura scilicet plagae Morgagnii et Clossii sententias adfert, quorum posterioris explicationi verborum: *etiamnum sub cute*, subscribit, quoniam partim exacte illa respondeat iis, quae ab eo in cadaveribus observata fuerint, in quibus calculus secundum Celsi praecepta sectus erat, partim curatio in vivis pueris feliciter cesserat.

Praeter hos viros Seb. Ant. Turckius adhuc commemorandus est, cuius libello tum, cum ejus primam mentionem inlicerem (2), carui, nunc autem benivolentia Exper. Kuhlii uti licet. Labor autem hujus viri maxime continetur in eo, ut in significationem vocis *coxae* apud Celsum accuratius

(2) Prolus. ad inaugurat. Ca. Theoph. Schrammii, d. XXIV. Sept. anni praeterlapsi p. 194.

inquirat. Quod omnino necessarium erat. Etenim cum lunatae plagae cornua versus coxas dirigi Celsus jubeat, quid is sub coxis intellexerit, accurate finiendum est. Minime autem sibi constare Celsum in sensu, cum hac ipsa voce coniungendo, ostendit Turckius. Nunc enim acetabulum, quod caput ossis femoris recipit, nunc totam pelvim, nunc os ischii denotare, exemplis confirmare studuit, quae an, quod voluit Turckius, vere probent, nunc dispiciendum est. Et libr. IV. c. 29. (al. 22.) p. 134 l. 34. in verbis: *Superest, ut ad extremas partes corporis veniam, quae articulis inter se conseruntur. Initium a* coxis, *faciam*, propterea, quod isto loco malum ischiadicum describatur, quo interdum effici potest, ut caput ossis femoris e suo sinu expellatur, *coxam* per articulationem coxo-femoralem explicat, et eandem significationem voci huic in cap. 30. (al. 23.) ejusdem libri tribuit: *Coxis proxima genua sunt*, i. e. articulum, qui in extremitatibus inferioribus articulo femoris proximus est, genu offert. Idem et prius jam docuerat intelligens Celsi editor, Car. Chr. Krausius, in notis ad Platneri *instit chirurg.* § 1388. qui in eo tamen erravit, quod suae sententiae firmandae caussa ad libr. VIII. c. 1. p. 275. l. 8. provocabat. Nam utroque loco *coxa* os ilium denotat, *quod a lateribus, id est in ipsis coxis, sinus rotundos habet.* — Altera significatio, qua saepe apud Celsum occurrit, ea est, quam Forcellinus (*lexic. tot. latin.* Vol. I. p. 631.) his indicat verbis: *Os in imo ventre animalis situm ob utroque latere ossis sacri, in cujus sinus rotundos seu acetabula valde capacia hinc inde copita ossis femoris coniiciuntur.* Cujus significationis probandae caussa libr. VIII. c. 1. *Ima vero spina in coxarum osse desidit*, adfertur additurque, Celsum h. l. sacrum quoque os hac *coxae* appellatione complecti, in quo partim Turckium adstipulantem habet, totam adeo pelvim coxae nomine a Celso significatam fuisse, contendentem. — Latius interdum extenditur vis vocis *coxo*, ut totum indicet femur. Huc retulerim plurima Celsi loca, in quibus frictiones coxis adhiberi jubentur, aut coxae dolere dicuntur, v. c. II. 18. 35. *Coxa si sine torpore est, si leviter friget, — tamen facile sonatur*, in quo Geo. Matthiae in *Lexic. Celsiano* p. 105. coxam per dolorem coxae seu malum ischiadicum falsissime interpretatur, quoniam post *friget* additum est: *quamvis magnos dolores habet.* — Denique Celsum lib. IV. c. 1. *Ilia inter coxas et pubem imo ventre posita sunt*, ab enumeratis prorsus diversam tribuisse significationem voci coxae, auctor est Turckius p. 8. Hoc enim loco ossa ischii esse intelligenda. Quae quidem opinio inde imprimis suam sumsisse originem videtur, quoniam sententiae, cornua plagae lunatae versus tubera ossis ischii spectare debere, robur et fulcimentum addere studebat. Nam locus ille, qui inter coxam, h. e. femoris articulum, et pubem ab utroque ventris latere interiacet, etiamnum *ilium* nomine insignitur.

Postremo, quid Celsus per verba: *etiamnum sub cute*, innuerit, inquirit Turchius p. 10. Scilicet in medio perinaeo rhaphen plaga lunata, uti Jo. Bellius fecit, dissecat, et alterius transversae initium sumit ab uno cornu extremo, quoniam hoc loco vulnus sit maxime angustum, et, si aegrotus supinus jacuerit, infimo loco positum. Hanc plagam ad oppositum cornu usque ita prolongat, ut cultri apicem obliqua directione sub vulneris oram profundius ad vesicae corpus adigat. Id enim Celsum per verba laudata intellexisse putat.

IV.

Ad alterum nunc animadversionum genus accedo, quod in conatibus recentiorum chirurgorum, rationem lithotomiae Celsianam emendandi, recensendis occupabitur. Cum enim damna haud levia adferre aegrotis operationem istam, secundum Celsi mentem accurate institutam, usu atque experientia extra omnem dubitationem positum sit, quippe quae, Beni. Bellio, Calliseno aliisque id testantibus, vasa deferentia, vesiculas seminales earumque ductus excretorios, etiamsi maxima cum cautione instituatur, laedat, et praeterea hoc incommodi habeat, quod si ad vesicam, digitis in anum immissis protrusam, vulnus penetraverit, haec in eo situ aperiatur, qui vesicae, postea ab anterioribus partibus recedentis, vulnus ab externa plaga removeat, adeoque urinae in abdominis cavitatem effluxui locum concedat, operae pretium multi recentiorum artis chirurgicae magistrorum fecerunt, cum emendationem Celsianae lithotomiae, quae, Calliseno judice, in usum vocanda est, quando catheter adhiberi nequit, calculus autem, in vesicae collo aut urethrae initio haerens, rite exteriora versus premi potest, tentarent. Inter hos eminet Jo. Bapt. Palletta, de cujus ratione nunc breviter agam.

Et is quidem, cum nemo chirurgorum locum indicet, quo plaga transversa in vesicam penetrare debeat, quantum potuit, sese in cadaveribus exercuit, ut eum detegeret. Inveniebat autem, quando in ipso calculo, rite in vesica collocato, et duobus digitis, indice et medio, in anum immissis, verticali modo sine ulla directionis varietate firmato, sectio institueretur, plagam inferiori anteriorique vesicae parti, cervici ejus vicinae, infligi. Qua in re mutari nil posse sibi persuasum habebat, quoniam digiti, in anum introducti, contra faciem vesicae posteriorem et inferiorem (fundum infimum, *basso fondo*, vocant), calculumque premant, qui hanc ipsam ob caussam parieti vesicae anteriori apprimatur. Qua quidem pressione, diu continuata, hanc ipsam vesicae partem ita in longum extendi putabat, ut calculus prope cervicem vesicae quasi in sacco quodam conclusus contineretur, atque a digitis protrusus in perinaeo prominentiam, magis minusve conspicuam, et plus minus sub pubis arcu reconditam formaret. De industria, subiicit Palletta, dico, calculum *prope vesicae cervicem* quasi in sacco conclusum contineri, quoniam fieri non possit, ut in ipsam cervicem, dilatationi maxime resistentem, calculus adigatur (1). Hoc igitur modo calculus, secundum Celsi praecepta sectus, omnia producet incommoda, quae a Beni. Bellio (*Lehrbegr. der Wundarzn.* II. sect. 2.) aliisque commemorata esse, paulo ante monui.

Observavit autem recte Palletta, illam secandi calculi viam ac rationem non semper eosdem effectus sinistros producere. Etenim in multis cadaveribus juvenilibus, in quibus lithotomus veteranus hanc curationem, quam in vivis nunquam tentaverat, experiundi caussa instituerat, vidit bulbum urethrae incisum, hancque ipsam penitus apertam. Porro culter ultra ve-

(1) Hujus sententiae defensor admodum strenuus fuit Clossius l. c. eamque h. l. etiam Palletta amplectitur. In sequentibus tamen mentem mutavit.

sicae cervicem adactus, laeserat faciem ejusdem auteriorem supra cervicem, ita, ut in duobus cadaveribus, in quibus scilicet urethra cum vesica simul laesa erat, exigua pars integrae adhuc urethrae deprehenderetur, ut, peritonaeo a superiore ossium pubis margine separato statim vulnus vesicae in anteriore ejusdem superficie in conspectum veniret.

Dum caussam Palletta meditabatur, a qua haec successus varietas pendere posset, eam in positione digitorum, in anum immissorum invenisse sibi videbatur, qui exacte versus vesicae corpus *perpendiculari* modo plerumque dirigi soleant. Ne igitur urethram vulneraret Palletta, plagam lunatam non in media perinaei parte, sed ad sinistrum rhaphes latus inflixit, et, ut calculum rite firmaret, hac ratione usus est. Prehensum scilicet calculum cum duobus digitis, indice et medio, sinistrae manus, in anum introductis, versus ramum sinistrum ossis ischii deducere studet, eosque eodem temporis momento unci in modum inflectit, atque parallela cum horizonte directione premit calculum ita, ut is haud amplius ab arcu pubis retineatur, sed formet tuberculum eo in loco, qui cum apparatu laterali solet incidi, aut saltem, ubi calculus in curatione per integumenta communia digito indice dextrae manus sentiri poterit.

Quo facto plaga incipit non in ipso calculo, sed eo loco, qui in curatione calculi cum apparatu laterali eligi solet. Integumenta nempe dissecantur communia ita, ut vulneri paulum obliqua directio detur, quae, usque dum culter per musculos urethrae penetraverit, continuanda est. Nunc Palletta aliquam colli vesicae partem una cum glandula prostata sectione magis versus latus sinistrum directa discindit, et calculum, qui, quo profundis partes supra positae inciduntur, eo minus digitis prementibus resistere potest. Quapropter per vulnus vesicae exit.

Quando calculus maior est, quam ut digitorum, in anum immissorum, pressione aut vesicae parietes sacci in modum, uti in antecedentibus dictum est, expandi, aut colli vesicae initium a calculo distendi possit, evenit, ut plaga collum vesicae non offendat, sed tota in sinistro corporis vesicae latere, paululum supra prostatam, locum habeat.

Felix igitur exitus hujus curationis, quae calculi sectionem eodem, quo latheralis dicta methodus, modo perficere studet, e Pallettae sententia, quae variis ab eo in cadaveribus institutis experimentis confirmata est, a directione apicum digitorum, quibus calculus firmatus est, versus ramum ossis ischii sinistrum dependet. Nam si operatio hoc modo suscepta est, una tantum plaga vesicae infligitur, digitique in anum immissi difficilius obtorpescunt, cum contra ea versus pubis arcum directi vehementius intenduntur, atque sic vires subito perdunt. Quo fit, ut calculus sese iis subtrahat, et aut sectio eo ipso in loco instituatur, quem, qui calculum cum apparatu magno, nunc fere oblivioni tradito, secabant, eligere solebant, aut partes laedantur, quae maximopere vitari debent.

Calculi sectio, hac ratione instituta, satis feliciliter Pallettae successit in pueris trium annorum usque ad quindecim, dum regulas sequebatur sequentes Scilicet digitos, in anum introductos, transversim versus sinistrum latus sub arcu descendente ossis pubis et adscendente ischii dirigebat: plagam exteriorem regebat pollice sinistro, longioremque reddebat eodem modo, quo id in operatione laterali fieri solet: abdomen compri-

mebat manu dextra incurvata et ad latus musculorum rectorum posita, ita, ut haud multum altius, quam digiti in anum immissi, locum obtineat. Sic figebat calculum. Comprimere autem alvum sub musculis rectis, inutilem, et fortasse nocivam adeo, operam habet, quoniam in pueris, sub operatione multum plangentibus, musculi illi perpetuo tensi sint.

Cum tam levis res, qualis directio digitorum modo descripta est, naturam situmque plagae penitus immutare possit, profecto mirum videri debet, quod nullus antiquiorum artis magistrorum rationis meminerit, qua digiti, in anum immissi, collocandi aut dirigendi sint. Etenim Celsus paucis tantum verbis hac de re loquitur: *medicus deinde sinistrae manus duos digitos etc.* in quo loco, ut hoc obiter addam, Palletta Morgagnii emendationem sine addito judicio attulit.

Addam his, quae hoc ipso anno a Dupuytreno, Celeberrimo Parisiensium chirurgo, cum regia medicinae academia communicata est de hoc Celsi loco sententia. Is scilicet dum novam excogitasset calculi in maribus secandi rationem, quae magnam habet cum Celsiana similitudinem, explicat simul Celsi locum, eumque minus recte a recentioribus commentatoribus intellectum fuisse probat. Verba enim Celsi: *Juxta anum incidi cutis plaga lunata usque ad cervicem debet, cornibus ad coxas spectantibus paululum,* quae quomodo vulnus externum infligendum sit, doceant, male ab interpretibus sic intellecta esse, ut incisionis semilunaris convexam partem versus anum, concavam versus rhaphen atque scrotum dirigendam esse putarent. Sed huic praecepto adversari verba: *cornibus ad coxas spectantibus paululum.* Situm enim corporis, quem aegroto Celsus praescribit, efficere, ut coxae nonnisi a posteriore parte conspici possint, eoque paululum spectare debere plagae cornua. Quae quidem ultima verba indicare luculenter, ut curvatura vulneris semilunares haud accurate conveniat cum curvatura ani, h. e. ut ne hoc ipsum vulnus sit segmentum circuli, anum ambientis, et in hoc centrum invenientis suum, sed potius partem circuli describat, cujus centrum longius pone anum sit statuendum.

Verba sequentia: *Deinde ea parte, qua strictior ima plaga est, etiamnum sub cute, altera transversa plaga facienda est, qua cervix aperiatur,* majorem difficultatem offerunt, quam prius adducta. Omnia autem facile explicari posse, putat Dupuytrenus, modo sumamus, incisionem cutis paululum sinuatam, rhaphen transversum discindentem, et cum utroque cornu non nihil versus posteriora inclinatam, intelligendam esse. His positis, verba: *ea parte, qua strictior ima plaga est,* indicare mediam vulneris partem, quae sola usque ad vesicae collum penetrare possit. Eo enim loco punctum culminationis calculi, duobus in intestinum rectum immissis digitis in vesicae collum detrusi, optime animadverti: ibi calculum parti corporis trigoni vesicae, locoque, qui a fundo vesicae profundiore proprius distet, impositum, basin prostatae glandulae, vesiculas seminales et vasa deferentia versus superiora protrudere debere. Ibi vesicae collum admodum amplum esse atque, nisi laesio partium, generationi dicatarum, et a calculo versus superficiem protrusarum, pertimescenda sit, incisionem transversalem satis amplam ad calculum paulo maiorem educendum fieri posse. Quae cum ita sint, in media vulneris externi parte, quae profundior atque strictior est, alia eaque transversa plaga, ac usque dum urina pro-

fluxerit, infligenda est, quae cum calculi volumine paululum major esse debeat, *etiamnum sub cute* continuanda est. Vesiculas seminales vasaque deferentia hoc modo toties laedi, atque sic ad prolem procreandam ineptitudinem effici, fistulasque gigni, quoties partes illae a calculo versus exteriora elevabantur, facile est ad perspiciendum.

Si Celsus, pergit Dupuytrenus, alteri plagae eandem directionem dedisset, quam externa habebat, ea, quam nobis reliquit literis consignatam, calculum secandi ratio proxime ad eas methodos accessisset, quas recentissimis temporibus peritissimi chirurgi excogitarunt. Profundior enim plaga anterius dimidiam prostatam ejusque apicem et latera discidisset, et tutiore, quam calculi superficies, ut plurimum varia, esse potest, duce adhibito laesio vesicularum seminalium, vasorum deferentium et ductuum ejaculatoriorum vitari potuisset. Unum superfuisset, quod tunc Celsianae lithotomiae obiici potuisset: collum enim vesicae magis in externa, quam in interna parte, cujus praecipuam dignitatem recentior anatome cum normalis, tum pathologica docuerit, incisum foret. Infidi autem ducis, calculi scilicet, in locum si substitueretur magis fidus, i. e. catheter, atque scalpello, a Celso adhibito, lithotomus absconditus, talis, certe similis operatio chirurgica hodie adhuc ad extrahendos calculos vesicae majores adhiberi poterit (2).

Richerandus (*hist. des progrès récens de la chirurg.* Par. 1825. 8. §. 16.) ostendit, Chaussierium cum Ribesio 1805. in disputatione, quam Morlandus defendit, demonstrasse, si in Celso *coxae* non per lumbos, sed per pelvis ossa, imprimis ischia, vertantur, hunc operationis modum admodum bonum esse. Porro Beclardum narrat, his Chaussierii atque Ribesii disquisitionibus nixum, operationi huic quam non solum dissertatione peculiari magis commendavit, sed etiam feliciter exercuit, nomen *lithotomiae bilateralis* indidisse. Si verum est, quod Richerandus, Dupuytreni adversarius, haud omnino aequus, testatus est, hunc, cum ipsi praelecta in academiae regiae chirurgicae consessu sua de nova lithotomiae perficiendae methodo dissertatione objiceretur, eam minime novam esse, respondisse, ipsum omnino nihil de iis novisse, qui prius eandem cum ipso de operationis hujus instituendae ratione sententiam aluissent; equidem hanc Dupuytreni adfirmationem falsam esse contendo. Prius enim, quam suam de nova lithotomiae ratione commentationem in academiae consessu praelegebat, mittenda sibi curaverat mea de Celsi loco, qui calculi sectionem describit, programmata.

(2) E diario gallico *Revue médicale*, Août. 1828. p. 181. in Froriepii *Notizen* B. IX. no. 3. p. 41. ss. transumtum.

CAROLI GOTTLOB KÜHN

DE LOCO CELSI IN PRAEFATIONE

MALE INTELLECTO EXPONITUR.

I.

Observatum est saepius, inprimis in historia, ut res, quae per multa secula omni exceptione majora videbantur, omnibus curatius atque diligentius pensitatis, minus certa, imo haud raro falsissima adparerent. Cujusmodi exempla, quo quis in historia magis regnat, eo plura in promptu habebit. Equidem dum in A. Corn. Celsi locum (1) incido: *Iisdem (Herophili et Erasistrati) temporibus medicina in tres partes diducta est, ut una esset, quae victu; altera, quae medicamentis; tertia, quae manu mederetur. Primam διαιτητικὴν, secundam φαρμακευτικὴν, tertiam χειρουργικὴν Graeci nominarunt*, videor mihi simile exemplum invenisse. Illo enim loco Dan. Clericus usus est, ut divisionem totius medicinae in tres partes inde derivaret, quarum quaelibet a medicis ita tractata sit, ut ejus solius usus, posthabitis reliquis, ad morbos sanandos adhiberetur (2). In qua tamen sententia statuenda minime hoc voluit Clericus, ut tres artes ex una medicina tunc temporis factas putaret, quarum illa, quae διαιτητικὴ vocari solet, huic respondeat, quam hodie medicinam internam appellamus, eamque Chirurgiae seu Medicinae externae ponimus; secunda autem a pharmaceutis et pharmacopolis exerceatur. Nam utrum haec ipsa divisio Celsi tempore vere locum habuerit, an potius Celsus his verbis significare voluerit, quid arti nostrae faciendum sit, certo definire Clericus non audet, imo contendit, hos artifices suarum artium limites postea migrasse, atque qui non nisi διαιτητικός esset, simul aut chirurgiam, aut pharmaceuticen, aut utramque tractavisse (3).

Quae quidem verba satis probare videntur, Clericum de illa medicinae in tres partes divisione non persuasum fuisse, quoniam perfugium anxie circumspicit, quo se recipere possit, cum adversarii exempla medicorum, multis post Herophilum et Erasistratum annis viventium, produxerint, qui totum medicinae ambitum emetiebantur. Si enim verum fuisset quod Celsi male intellectum locum secutus adseruerat, post Ptolomaei Philadelphi tempora hunc inter medicos, Alexandriae eruditos, morem invaluisse, ut aut diaeta, aut medicamentis, aut manu sola, minime autem, prouti res

(1) Praefat. p. 3. ed. Targae noviss.

(2) *Histoire de la médecine* Pa II. livr. 1. ch. 9 334. *La médecine fut partagée en trois parties, dont chacune fit dans la suite l'occupation de trois personnes différentes*

(3) *L. c.* p. 338. Hanc autem medicinae divisionem, a Clerico statutam Celsi aetate locum non habuisse, e Scribonii Largi, qui Tiberii Claudiique aevo vixit, loco patere puto. Is enim c. 68. *implicitas medicinae partes inter se et ita connexas esse* adserit, *ut nullo modo diduci sine totius professionis detrimento possint. Ex eo intelligi, quod neque chirurgia sine diaetetica, neque haec sine chirurgia i. e. sine ea parte, quae medicamentorum utilium usum habet, perfici possint, sed aliae ab aliis adjuventur et quasi consumantur.*

ferret, omnibus simul adhibitis mederentur, haud addendum erat, plurimos nihilominus antiquam consuetudinem servasse, totumque medicinae campum aequali diligentia coluisse. Nam Clericus his ipsis verbis fatetur, divisionem illam artis medicae aut fuisse ab ipso male excogitatam, aut minimae ab omnibus medicis probatam, adeoque haud mereri, a qua novam historiae artis nostrae periodum ordiamur, aut quam tanquam memorabile factum in annales medicinae referamus.

Quae haud dubie Jo Henr. Schulzium, ut aliam viam verborum Celsi explicandorum ingrederetur, permoverunt. Scilicet cum videret, historia duce, probari non posse, Herophili et Erasistrati aetate totam medicinam in tres diversas partes distractam et quasi dissectam fuisse, de vi verbi *diducere* rectius finienda quaesivit. Medicinam autem in tres partes diductam esse, denotare h. l. nihil aliud adseruit, quam quod *ab hominibus, qui se medicinae seorsim colendae totos consecraverant, variis modis locupletata fuerit.* Quemadmodum enim flores sensim evoluti et aucti tempestive diducantur, aut compressa manus explicetur, ita quoque medicinam, virorum eruditorum studiis in dies magis excultam, quicquid ad perfectionem partium suarum requiri potuisset, hoc Erasistrati tempore esse consecutam(4). Quae explicatio Aug. Aenoth. Webero adeo placuit, ut eam veram esse pronunciaret (5). Anquirens autem argumenta, quibus hanc ipsam sententiam firmaret aliisque probabilem redderet, praeter ea, quibus ejus auctor, Schulzius, usus erat, nulla invenio: *diducere* nempe h. l. nihil aliud significare, quam *amplificare, explicare*, repetitis adeo verbotenus, quae Schulzius illustrationis caussa addidit, a flore, sese sensim aperiente, et manu, compressa et in pugnum convoluta, nunc explicata, exemplis. Quamquam autem scio, loca in Celso inveniri, in quibus verbo *diducere* amplificandi notio quodammodo tribui potest, v. c. Libr. VII. c. 7. *Palpebrae, tantum inter se cohaerentes, non difficulter diducuntur*; *c. 16. Tum minister oras vulneris leniter diducere manibus suis — debet*, et c. 27. extr. *Si orae se glutinarunt, — vulnus digitis vel averso specillo diducendum est*; tamen in his locis omnibus propria verbi notio, qua *in diversas ducere partes* significat, amplificandi notioni subest. Si enim aut palpebrae, aut vulneris orae a se invicem removentur, spatium, quod utramque palpebram aut vulneris oras intercedit, amplius quidem redditur, sed propterea, quod in diversas partes palpebrae etc. trahuntur. Sed inde minime efficitur, *diduci* de omnibus omnino rebus, quae volumine crescunt, atque amplificantur, adhiberi posse. Et quod Schulzius putat, commode verbum illud ad flores transferri, qui paullatim magis ad perfectionem tendentes tandem aperiantur, corollamque, quae hodie dicitur, libere explicent, id vereor, ne ullo scriptoris latini exemplo probari possit. Cui quidem argumento gravius tribuo pondus, quam illi, quod Schulzianae explicationi opposuit Mart. Jacobsenus (6), qui in eam omni ex parte probaverimus, hoc ipso modo veram medicinae divisionem statui opinatur.

(4) *Histor. medicinae*, p. 418. sqq.

(5) Vid. ej. *Specim. nov. edit.* A. Corn. Celsi Hal. 1788. 4. not. 6. et in *Vermischte Abhandl a d. Arzneyk Leipz.* 1788. 8 p. 6. ss.

(6) Diss. de antiqua medic. divisione in διαιτητικὴν, φαρμακευτικὴν et χειρουργικήν. Helmst. 1766. 4. p 9.

Neque vero hanc negari omnino posse contendit. Nam id luculenter probare Celsi verba: *diducta in tres partes*, putat. Etsi vero haud negat, *diduci* nude positum, pro dilatari, augeri, majus reddi adhiberi posse, tamen ubi *in partes* addatur, id semper divisionis, quin distractionis notionem involvere, adeoque *diducere in partes* atque *dividere* synonyma esse statuit. Hoc autem e Celso ipso patere, qui paullo post *in duas partes eam quoque, quae victu curat, medicinam divisam esse* narret (7). Nisi enim synonyma habuisset *diducere* et *dividere* Celsus, in his verbis haud addit urus fuisset *quoque*, quod lucuientissime indicet, in antecedentibus jam de divisione aliqua actum fuisse. *Diducere* autem pro solvere, quod junctum erat, et dividere, quod cohaerebat, adhiberi, satis frequens est apud scriptores probatos. Sic Svetonius *Othon*. c. 3 Quare *diducto* matrimonio sepositus est per caussam legationis in Lusitaniam. Livius lib. VI. c. 15. p. 324. ed. Drakenb. Quin eam turbam (circumfusam lateri meo) *diducitis* a me singuli vestris beneficiis. De qua notione conf. quae erudite disputata sunt ab editoribus Justini lib. XV. c. 4. et Lucani *Phars*. lib. II. vs. 294. et a Schwarzio ad Plinii *paneg*. 66, 1., ad quem nos ablegat. Detl. Ca. Gu. Baumgarten-Crusius in copiosissima auctorique honorifica *Clave Sveton*. s. v.

Jam si e Jacobseni sententia verbum *diducere* h. l. dividendi notionem habet, ac quae a Clerico statuitur, medicinae divisio, historia repugnante, defendi haud potest, jure quaerendum erit, quomodo tandem divisio illa sit accipienda Eam autem Jacobsenus ad rationem refert, qua Alexandriae, Erasistrati et Herophili temporibus, artis magistri in docenda medicina usi sint, et ad quam Galenus (8) respexerit, cum dicit: *Sunt quidam, quos possis audire secantes totam artem in pharmaceuticen, et chirurgicen, et diaeteticen*. In quibus verbis Jacobsenus τὸ *audire* urget, et exinde deducit, talem diductionem medicinae pertinere non nisi ad discentes docentesque, quorum hi totius artis salutaris ambitum in tres quasi regiones dividebant, in quibus singulis discipulos seorsim exercere studebant: hoc enim modo eos partim impedire voluisse, quominus artis tirones rerum discendarum multitudine obruerentur, partim efficere, ut institutio uberior esse, melioríque ordine procedere posset. Quae quamvis probabiliter disputata sint, tamen persuasionem mihi non omnino adferunt. Nam ille liber, qui inter Galenicos male relatus est, a quonam et quo tempore sit conscriptus, plane ignoratur. Nicolaus Rheginus eum e graeco in latinum sermonem transtulit: sed quo iste graecus codex pervenerit, nescimus. Neque id leve judicandum, unum tantum hujus libelli exemplum ad nostra tempora pervenisse, inque manus Nicolai incidisse, multorum Galenicorum librorum interpretis, inter quos tres reperiuntur, quorum exempla graeca in nulla bibliotheca Europae, ad quam aditus patet, et cujus codices accurate consignati sunt, reperiuntur. Cum autem illo, quo Nicolaus vivebat, tempore Galenus maxima apud Europae medicos auctoritate polleret, et typographi Papienses, Veneti et Basileenses in multiplicandis operum Galenicorum exemplis quodammodo certarent, suspicio facilis est, Venetos librarios precibus expugnasse Nicolaum, ut illos libros sub Galeni nomine conficeret, quo ipsorum editio operum Galeni haberet, quo reliquae omnes carere de-

(7) Praef p. 4. ed. laud.
(8) *De art. med. partit*. to II. ed. Paris. p. 181.

bebant. Oratio autem, qua ignotus libri, de quo quaestio incidit, auctor utitur, ita a scribendi ratione Galeni recedit, ut, modo hujus aliquam habeas notitiam, ne minimum quidem dubius haerere possit, spurium esse hunc ipsum librum.

II.

Nuper de Celsi loco male intellecto disputata cum ad finem perducere haud possem, nunc absolvam. Itaque sine ulterioribus ambagibus, orationis telam, cujus filum nuper abrumpendum erat, hac occasione oblata pertexere studebo.

Quae cum ita sint, nec fundamento satis firmo, ex mea quidem sententia, ea nitantur, quae Jacobsenus ex hoc Galeni loco comprobare studuit, alia Celsi locum explicandi ratio circumspicienda est. Memor eorum, quae Celsus alio loco (1) rectissime pronuntiat: *Illud ante omnia scire oportet, quod omnes medicinae partes ita innexae sunt, ut ex toto separari non possint*, haud possum divisionem et quasi distractionem medicinae in tres partes, quam Clericus temere statuit, omnesque historiae medicae scriptores, ne recentissimis quidem, inter quos Curt. Sprengelius (2) jure suo principatum tenet, Just. Fr. Ca. Heckero (3) et Lud. Choulanto (4) exceptis, (Jo. Gio. Bernsteinium *(Gesch. der Chir.* to. I. Leipz. 1822. 8. p. 36.) de industria tacere praestat) admiserunt, concedere nec Schulzio et Webero assentiri, qui verbo *diducere* notionem, nullo scriptoris latini exemplo comprobandam, tribuerunt. Equidem, ex quo de loci Celsiani vero sensu quaesivi, omnem difficultatem evanescere ratus sum, si *diducere* explicetur per *distinguere*. Hac enim notione verbo vindicata, neque historia medicinae illius falsitatem arguet, neque additae voces *in partes* impedient, quominus eam amplecti possimus. Hanc autem notionem verbi *diducere*, Celso valde adamati, huic scriptori non omnino peregrinam atque inauditam esse, multa ejusdem loca probant et confirmant. Libr. V. c. 26. s. 31. p. 167. l. 12 *Id genus* (cancrum intelligit) *a Graecis diductum in tres species est*, h. e. distinctum. Lib III. c. 21. p. 96. l. 3. *Hactenus communiter de omni specie* (hydropis) *praecipi potest: si vehementius malum est, diducenda curandi ratio est*, h. e. communis hydropem curandi methodus ab ea, quae graviori malo competit, distinguenda est. Libr. II. c. 8. p. 43. l. 23. *In pulmonis morbo, si sputum primis diebus non fuit, deinde a septimo coepit et ultra septimum mansit, periculosum est: quantoque magis mixtos, neque inter se diductos colores habet, tanto deterius.* Qui quidem locus non solum propterea a me adducitur, quoniam haud leve robur meae sententiae addit, sed etiam, quoniam de eo Ernesto Hebenstreitio, cujus integerrimi amici memoria non nisi cum vita animo meo excidet, cum Car. Darwino (5) quondam conten-

(1) Libr. V. exord p. 138. l 14.

(2) *Versuch ein. pragmat. Gesch der Arzneyk.* Dritte umgearb. Aufl. Halle 1821. 8. Th. I. p. 555.

(3) *Geschichte der Heilkunde. Nach d. Quellen bearbeitet.* Bd. 1. Berl. 1822. 8. p. 314. ss.

(4). *Tafeln zur Geschichte der Medicin.* Leipz. 1822 fol.

(5) *Versuche, wodurch d. Unterscheidungs-Zeichen zwischen Schleim und Eiter genau bestimmt werden*, in *Kleine medic. chirurg. Abhandl.* Aus versch. Sprachen. übersetzt (von *Hebenstreit*) Th. I. Leipz. 1781. 8. p. 12.

tio fuit. Hic enim Celsum ab Hippocratis sententia de puris boni signis prorsus recedere auctor erat, cum puri eo peiorem naturam tribueret, quo magis mixti nec indiscreti ejus colores essent. Hebenstreitius contra ea, qui Hippocratis verba (*Praenot.* Sect. II. 48.) πτύελον μὴ ἰσχυρῶς ξυμμεμιγμένον a Celso h. l. translata esse putat, pus diversimode coloratum, cujusque colores minime ab uno in alterum pedetentim transeant, sed a se invicem discreti seu distincti maneant, intelligit.

Ex his igitur, quae hactenus exposui, satis patere puto, diductionem totius medicinae in tres partes, διαιτητικὴν, φαρμακευτικὴν et χειρουργικὴν, aeque ac divisionem illius, quae victu curat, in duas, aliis rationalem artem, aliis usum tantum sibi vindicantibus, fuisse mere logicam, nec ita in usum traductam, ut medici, qui singulas has partes docendo distinxerant, peculiares familias constituerent, quarum illa, quae victu inprimis mederi solebat, huic adeo addicta, et quasi mancipata esset, ut, vel maxima necessitate urgente, tamen ad medicamenta ferrumque confugere nefas duceret.

Patet id inde quoque, quod iam Plato, teste Diogene Laertio III. sect. 85, in toto medicinae systemate plures distinxerit partes, quam in Celsus medicinam Herophili et Erasistrati temporibus diductam esse narrat. Hoc enim loco, postquam omnis scientiae tres formas (εἴδη) esse, quarum una in usu posita sit (πρακτικὸν), secunda ex operis effectu constet (ποιητικὸν), tertia denique speculationi studeat (θεωρητικὸν), demonstraverat, subiungit, inde omnes omnino doctrinas trifariam dividi posse, divisionis fundamento a triplici, quem modo tetigi, respectu petito. Exempla, quibus sententiam suam illustrare atque confirmare studet, desumit a medicina, legum scientia, dicendi facultate rel. Medicinae autem partibus a Celso commemoratis duas adhuc addit, νοσογνωμονικὴν et βοηθικὴν, quarum illa certa morbi agnitione et ab aliis discretione medeatur, haec strenuo auxilio a doloribus continuo liberet. Ex hoc ipso loco iucuienter efficitur, diductionem medicinae in diaeteticen, pharmaceuticen et chirurgicen partim non e Dav. Clerici opinione intelligendam, partim quinquaginta annis et quod excurrit, antiquiorem esse, quam Celsus eam *l.c.* finivit.

Quomodo autem sumenda sit medicinae distributio, a Platone (6) et post eum a Celso proposita, iucuienter patet e Galeni loco paulo ante laudato: Εἰ μὲν δή τις, ὥσπερ καὶ Πλάτων ἑκάστου τὸν τρόπον τε καὶ καθόλου σκοπὸν μίαν ἐπιστήσας τέχνην, εἶτ' εἰς εἴδη τε καὶ διαφορὰς τέμνων αὐτὴν, αὖθις ἐκείνων τῶν τμημάτων ἕκαστον ὀνομάζει τέχνην, οὕτως καὶ αὐτὸς ἐθελήσειε διαιτητικήν τινα, καὶ φαρμακευτικὴν, καὶ χειρουργικὴν ὀνομάζειν τέχνην, οὐκ ἂν ἔχοιμι τούτῳ γε ἐγκαλεῖν. Aptissimus hic erat locus, quo Galenus memorabilem illam medicinae divisionem, qualem Clericus voluit, si unquam locum habuisset, commemorare posset, imo deberet. Sed alto silentio premit rem, imo potius in proxime sequentibus, se nec illi litem moturum esse fatetur, qui diaeteticen pro assumtorum diversitate denuo diversimode dividere, atque medicamentorum artem, aut ciborum, aut potulentorum assumere, quin harum quamlibet pro cibi potusve diversitate iterum diversam atque pecu-

(6) Hanc Platonis distributionem medicinae adduxit Galen. utr. medic. an gymn. sit hygieine? To. 5., pag. 847. ed Lips.

liarem artem statuere velit: sed si has inter se artes, quemadmodum arithmeticam ab oratoria, aut hanc ab aedifitatoria aut fabrili differre quis autumet, hoc concedi non posse, quoniam supra enumeratis medicinae partibus commune propositum sit sanitas.

His, quae hucusque meae sententiae roborandae caussa protuli, cum sint ad persuadendum adeo apta atque idonea, ut vel pertinacissimum adversarium eandem amplecti cogant, plura addere vix opus esse videri poterat. Liceat tamen Dioscoridem adhuc producere, qui libr. VII. prooemio p. 334. a. ed. Paris. 1549. 8. narrat, medicinam, respectu habito triplicis corporis nostri constitutionis, dividi a recentioribus: εἴς τε τὸ ὑγιεινόν, ὃ δὴ τηρητικόν ἐστι τῆς ὑγίας· καὶ εἰς τὸ προφυλακτικόν, ὅπερ κωλυτικόν ἐστι τῆς εἰς τὰς νόσους ἐμπτώσεως καὶ εἰς τὸ (hoc enim addendum esse puto) θεραπευτικόν, δι' οὗ λύεται τὰ πάθη. Quae quidem medicinae partitio quemadmodum merae institutionis caussa inventa esse, nec continere quidquam intelligitur, quod nos jubeat assumere medicos, qui omne tempus operamque posuerint in conservanda bona valetudine, alios, qui omnes tantum nervos intenderint ad praecavendos morbos, alios denique, qui nihil egerint, nisi morbos, praesentes curare, ita quoque vana est distractio medicinae in tres artes, quarum una nonnisi victu, secunda medicamentis solis, tertia manu tantum medeatur.

Quemadmodum autem de loco Celsi recte intelligendo magna fuit inter viros eruditos dissensio, ita etiam non conveniunt in definiendis, quae a qualibet medicinae parte peragenda sint muneribus. Diaeteticen enim sunt, qui puteut, medicinam, quae hodie interna dicitur, esse, et cum in morbis internis sanandis occupetur tota, medicinae externae seu chirurgiae opponi; alteram autem, φαρμακευτικὴν, respondere arti parmaceuticae recentiorum temporum. Posteriorem sententiam iam Clericus(7) rejecit. Enumeratis enim, quae pharmaceuta perficiebat, muneribus, quo sanguinis effluxum per medicamenta coërcere, ulcera munda reddere atque ad sanationem perducere, carnis incrementum promovere, suppurationem juvare, atque abscessus aperire pertinet, ex his patere recte statuit, φαρμακευτικοὺς Herophili et Erasistrati aetate, qui omnes omnino morbos, exterius applicandis remediis curandos, tractabant, toto coelo a nostris pharmaceutis differre. Sprengelius autem *l. c.* φαρμακευτικὴν cum ῥιζοτομίᾳ unam eandemque fuisse statuit. In quo cum Viro Eruditissimo atque Amicissimo consentire haud possum. Equidem nulli conjecturae locum concesserim, sed potius Celsum sequi malim, qui in suo opere de re medica hanc medicinae in tres partes diductionem ita prosecutus est, ut quatuor primis libris de hisce malis corporis exponeret, quibus victus ratio maxime subveniat, quinto et sexto ad eam medicinae partem, quae magis medicamentis pugnet, transiret, septimo autem atque octavo libro morbos, qui manu curentur, absolveret. Addita diaeteticae et pharmaceuticae adverbia *maxime* et *magis* luculentissime probant, illas per victum et medicamenta morbis medendi methodos haud ita a se invicem sejunctas fuisse, ut neutra alterius ope uteretur, id quod disertius adhuc de chirurgia profitetur Celsus, quam non quidem medicamenta atque victus rationem omittere, sed manu tamen plurimum praestare auctor est.

(7) L. c p. 335.

JOANNIS RHODII

DE ACIA

DISSERTATIO AD

A. CORNELII CELSI

MENTEM; QUA SIMUL UNIVERSA FIBULAE RATIO EXPLICATUR.

CAP. I.

SCRIPTIONIS OCCASIO.

Vere ac prudenter Senex apud Comicum (1):

Nunquam ita quisquam bene subducta ratione ad vitam fuit,
Quin Res, Aetas, Usus, semper aliquid adportet novi,
Aliquid moneat: ut illa, quae te scire credas, nescias;
Et, quae tibi putaris prima, in experiundo repudies.

Etenim *nulla res magna non aliquod habuit ruinae suae spatium. Certis eunt cuncta temporibus, nasci debent, crescere, exstingui* (2). Nec tantum *corpora nostra rapiuntur fluminum more* (3): voces etiam cum rebus caducae; verborumque volantium non minùs quam hominum fata volvuntur. Experimur nempe qui inter peritura vivimus, quanta rerum caligine obtenebretur quotidie animus ad divina formatus, non tam sui imbecillitate, quam obscuritate rerum, in quas penetrare nititur. Nec sane alia de causa, quam quod vetustas obliteratis primis inventoribus eas hominum notitiae subduxerit. Quid mirum? (4)

Mors etiam saxis nominibusque venit.

Etsi vero, ut in Argumento lib. 5. Hippocratis de Fractur. erudite Galenus, aliud revera OBSCURUM sit; aliud ob id praecipue, quod multa sint Auditorum genera: nihil tamen natura etiam perspicaces ac eruditos magis fatigat, quam vocum ex affinitate Ambiguitas. *Communia enim Nomina*, ait idem, *auditorem confundunt* (5). *Fallunt etiam verba, vel regionibus quibusdam magis familiaria, vel artium propria* (6) Hinc nata nobilis inter viros in Hispania celeberrimos de ACIAE Materia quaestio Medicorum magni nominis ingenia aetate nostra varie exercuit. Et licet ea disputatio nondum in manus nostras pervenerat, dum tamen Latinorum Medicorum Principi Cornelio Celso, qua licuit industria, ad Bibliothecae Vaticanae, Venetae, Florentinae, Mediolanensis, Urbinatis, aliorumque melioris notae codicum calamo scriptorum fidem restituto, breves in abstrusiora ejus loca Notas per otium meditor, en meas quoquè cogitationes, non rei no-

(1) *Terent. Adelph. Act. 5. Sc 4.* (2) *Senec. Epist.* (3) *Ibid.* (4) *Auson. Epigr. 35.* (5) *Galen. De diffic. Respir. Lib. I. c. 2.* (6) *Quint. Inst. Orat. Lib. VIII. c. 2.*

vitas, nec dissentiendi libido, sed unum veritatis studium, in difficillimae hujus rei investigationem compulit. Verba Celsi ex Codicibus emendatioribus haec sunt: » In iis vero quae glutinantur, duplex curatio est. Nam si plaga in molli parte est, sui debet: maximeque, si discissa auris ima est, vel imus nasus, vel frons, vel bucca, vel palpebra, vel labrum, vel circa guttur cutis, vel venter. Si vero in carne vulnus est, hiatque, neque in unum orae facile attrahuntur, sutura quidem aliena est; imponendae vero fibulae sunt; ἀγκτῆρας Graeci nominant; quae oras, paulum tamen contrahant, quo minus lata postea cicatrix sit. Ex his autem colligi potest, id quoque quod alia parte dependens, alia inhaerebit, si alienatum adhuc non est, suturam, an fibulam postulet. Ex quibus neutra ante debet imponi, quam intus vulnus purgatum est; ne quid ibi concreti sanguinis relinquatur. Id enim et in pus vertitur, et inflammationem movet, et glutinari vulnus prohibet. Ne linamentum quidem, quod supprimendi sanguinis causa inditum est, ibi reliquendum est: nam id quoque inflammat. Comprehendi vero sutura, vel fibula, non cutem tantum, sed aliquid etiam ex carne, ubi suberit haec, oportebit; quo valentius haereat, neque cutem abrumpat. Utraque optima est ex acia molli, non nimis torta, quo mitius corpori insidat. Utraque neque nimis rara, neque nimis crebra injicienda. Si nimis rara est, non continet: si nimis crebra est, vehementer afficit: quia, quo saepius acus corpus transuit, quoque plura loca injectum vinculum mordet, eo majores inflammationes oriuntur; magisque aestate. Neutra etiam vim ullam desiderat; sed eatenus utilis est, qua cutis ducentem quasi sua sponte subsequitur. Fere tamen fibulae latius vulnus esse patiuntur: sutura oras jungit, quae ne ipsae quidem inter se contingere ex toto debent; ut si quid intus humoris concreverit, sit qua emanet (1) » At enim filo hic opus Ariadneo, cujus ductu de perplexis Labyrinthi flexibus sese feliciter sententiae incerti expediant. Quis vero ductor Galeno doctore (2) tutior, qui in usu Nominum claritatem quasi metam proponit: in qua praecipue doctrinae vis est (3). Quam quidem ab ipsis, qui ea imposuerunt, petendam rectissime praecepit idem (4). Hoc vero quanti sit usus ac judicii, declaravit Arrianus de Epicteti Disputationibus Lib. I. Cap. 22. *παιδευεσθαι ἐςὶ; μανθανειν τὰς φυσικὰς προλήψεις ἐφαρμόζειν ταῖς επι μέρους ουσίαις καταλλήλως τῇ φύσει Erudiri est, discere notiones naturae insitas rebus singulis accomodare naturae congruenter* (5). At quoniam officium interpretandorum Autorum Grammatici non est, sed sapientis, pro cujusque rei captu: non male censet Magister (6) » de nominum rectitudine disputare Dialectici esse; Rhetorum, et Grammaticorum inspicere, Nomen an in usu sit » — Compendio tamen quandoquidam « studendum Nominibus tantum, quantum ad illustriorem significationem eorum quae dicimus, ex illis juvari possis. De » Nominibus enim pugnare, neque ullum hic modum facere, et mul» tum laborare, solidosque implere libros maximos hisce praestigiis, nec » necesse est, nec par, nec venia dignum videtur » (7)— praesertim quo-

(1) *Cels. De Medic. Lib. V. c. 26. § 23. pag 163. l. 10.* (2) *Meth. Med. Lib. 2. c. 1.* (3) *Ibid. L. 1. c. 5.* (4) *Ad Thrasyb. c. 32.* (5) *Jul. Scalig. De Caus. Ling. Lat. Lib. 1. c. 1.* (6) *De dieb. decret. Lib. 1. c. 4. Comm 2. T. 39. Prog. Hipp.* (7) *De puls. diff L. 33. c. 1.*

niam » omnino ad rerum cognitionem nihil Nomina referunt, tantum ad » docendum conferunt (1) » —Igitur» justum est, ut obscura Nomina in » dubio relicta inutilia reputentur, perinde ac si nunquam scripta fuissent: » quae vero clara sunt, judicentur non RATIONE tantum, sed multo etiam » praecedente *experimento* » (2). Sermo enim ex Quintiliani decreto constat Ratione, Venustate, Auctoritate, Consuetudine (3). Hisce ego adductus non tam eorum sententiae adhaerebo, qui literaturae castigatiori, quam qui valetudini tuendae, praesunt (4). Siquidem non aliunde quam ex opinione par est nasci controversiam. Cujus scrupulum ut commodius eximam, summatim dolibata per singula capita aliorum sententia, Galeni consilio cujusque rei differentias, quot sint numero, qualesque specie, prot meis viribus rimabor. Neque aliter exigit vocum ratio, quae dubia primo conspectu Celsi orationi gravissimae liti, necdum literatis contestatae, opportunitatem suppeditarunt. Nolo tamen hic divinando liberius dubiis conjectationibus pondus addere. Medici plerumque mihi partes deposcam, Philologi saepius; nec quandoque pigebit Galeni exemplo Grammatici personam sumsisse; interdum Antiquitatis memoriam breviter colligam, non affectata sermonis diligentia, eo ordine, quem impetus dederit; ut firmato dissentionis statu, pro ea parte aequi rerum arbitri pronuncient, quae amissum verbi usum a fugientis aevi injuria nostro saeculo vindicaverit. Animo interim haereat aureum Philosophi monitum. τὸ ἀκριβὲς οὐχ ὁμοίως ἐν ἅπασι τοῖς λόγοις ἐπιζητητέον, οὐδὲ ἐν τοῖς δημιουργουμένοις (5) » Exacta tractatio non simili modo in uno quoque genere exquirenda est: quemadmodum neque in Artium opificiis ».

CAP. II.

TOTIUS INSTITUTI SUMMA.

Quae vero tantae de vocula contentionis necessitas? Satiusne esset, Nominibus neglectis Galeni (6) praecepto tempus supervacuum ad studium rerum meliorum conferre? Audi Stoicae Sapientiae inter Latinos Principem (7): «Hoc puta rerum naturam dicere. Ista, de quibus quaeris, omnibus eadem sunt. Nulli dari faciliora possunt, sed quisquis volet, sibi ipsi illa reddit faciliora ». Opus hercle arduum. Neque enim de re levi, sed de usu, maxima lis est. Etsi enim nihil filo exilius, quod secundum Varronem (8) minimum in vestimento hilum: eo tamen hic erit loco, ut non minimum mihi vindicet in sanandis vulneribus. Quorum Methodum licet tradendam potius censuerit Galenus (9), quam de nominibus anxie contendendum: id tamen sine exacta vocis notitia vix Medico integrum erit. De ACIA collato pede certatur, duce Romano primi ordinis CORNELIO CELSO, cui et hujus rei et seculi illius reliquiae debentur. Controversiae hujusce causam Materiae diversitati in Fibula potissimam recte adscripsit Hier. Fabricius ab Aquapendente (10), cujus item varia species est, plerisque

(1) *Ibid. L. 1. c. 1.* (2) *De Locis off. Lib. II. c. 7.* (3) *Inst Orat Lib I. c* 6. (4) *De diff. Puls. Lib. III. c. 1.* (5) *Ethic. Nicom. Lib. I. c. 3.* (6) *De Anat. Adm L. VI c. 13. Comm. 2. T. 39. Progn. Hipp.* (7) *Senec. Epist.* 91. (8) *De. ling. lat. L. 4.* (9) *Meth. Med. Lib. IV. c. 4.* (10) *Operat. Chir.*

non minus ignota ac Materia : solus autem , qui eruditis innotuit , usus, singulis cujuscunque generis communis , utramque hic descernit. Nimirum quaelibet sui generis separata constringere. Quoniam itaque propter raritatem de Fibula inter Autores parum constat, ac fere voce tenus ; nomen ejus , consilio verius quam casu, non unius sensus , jure primum disputationis locum occupat. *Quod enim*, ut alicubi Philoponus, *maxime rem causamque continet , illud est, ut Nominis communio , quam Aequivocationem dicimus , distinguatur ac explicetur.* Ideoque (1) « ne quidquam aliorsum ac dictum fuerit accipiatur, sed omnia in promptu sint definita atque explicata, maxime necessarium videtur esse, ut accurate singula nomina qua de re dicantur, in praesentia definiamus. Sed Medicorum arbitrio potius, quibuscum hic ratio est , quam Grammaticorum, quo Nominibus dum ludunt saepe Induuntur ipsi , nec tam ex usu, quam appellatione, de vocum convenientia judicium ferunt.

CAP. III.

FIBULAE NOTATIO, DESCRIPTIO, AC DIFFERENTIAE.

Ceterum, quoniam suae de *Acia* opinionis fundamentum ponunt omnes Fibulam , quam ipsa ex parte constituit ; quaenam haec fuerit , prius dispiciendum, quam Aciae notitiam prosequamur. FIBULA igitur vox origine Latina , Sabinis olim *Fifula*, teste clariss. Io. Meursio (2), ab antiquo *Fibo* , quemadmodum a Synonymo ejus *Figo* veteribus *Fixula* , apud Festum, et notante doctissimo Isaaco Casaubono (3) *Figula*, appellationem habet ; vel a findendo, ut derivatione satis longinqua refert Iul. Scaliger (4) *quasi findat illud , quod perforat* : quidquid de Graeco φίβλη a Ligando post Isidorum(5) commenti fuerint Hugutio, Papias, ejusdemque ordinis caeteri ; quod Aemilius Portus , eruditis ad Suidam Notis verius Latinum agnoscit. Ea universe quodvis notat instrumentum connexioni aptum; unde et Columellae (6) *Fibulari* idem quod jungi. At sigillatim quemadmodum ratione Usus Materia et Forma distinguitur, sic etiam Nomine. Altera Simplex est, altera Mixta. Simplex, Civilis, aut Medica. Civilis in Architectonicam , et Vestiariam dividitur ; Medica in Anatomicam et Chirurgicam. Mixta eximie Gymnastica sive Comica vocari potest.

CAP. IV. *Fibula Architectonica eique cognatae tanguntur.* — CAP. V. *Fibula vestiaria delineatur.* — CAP. VI. *Fibula gymnastica investigata* — ad Medicinam haud pertinentia omittuntur.

CAP. VII.

FIBULAE CHIRURGICAE RATIO COMMUNIS.

Superest quae glutinandis plagis manum postulat Fibula, constringendo

(1) *Galen. De Hipp Placit lib.* 4. *c.* 8. (2) *Exercit. Critic. Par. I. c.* 5. *et Part. II. c.* 3. (3) *Treb. Poll.* 207. *v.* 18. (4) *Exerc.* 329. (5) *Orig. lib.* 19. *c.* 33. (6) *De re rust. Lib. I, c.* 6.

A. C. Celsi V. I

nempe sive uniendo ulceris labia, ut est apud Galenum (1); praecipue, ubi inaequalis ipsorum situs, secus quam in ampla et prope plana superficie. Hujus insignis hodie obscuritas, quod ex iis forsitan sit, quae a veteribus recte tradita atque administrata, posteriorum inertia in desuetudinem venere, quaeque prorsus deperdita, ut in Chirurg. Curtor. censet Tagliacotius (2); seu potius, quemadmodum post doctiss. Eustachium Rudium suspicatur (3) cl. Daniel Sennertus (4) scriptor candidissimus, ob neglectam plerumque ab antiquis Materiae ac Formae descriptionem, quum modus uniendi per fibulas esset notissimus. Quod neque ceteris utensilibus novum, quorum vulgaris erat usus. Hoc modo Svetonius (5) Chlamydem, Fibulam, Bullas item aureas, Tiberio in Sicilia a Pompeja donatas Bajis durasse memorat: nec de earum ratione quidquam addit.

Atque his quidem rationibus, quoniam duae apud Varronem (6) sunt vocabulorum naturae, Etymologia, et Analogia, quarum utraque, in primis vero Analogia, Fabio (7) auctore, acris judicii ope sermoni rationem praestat; non injuria variis haec Fibula insignitur appellationibus. C. Celso Latinorum antesignano Fibulae nomen ubique placuit; Scribonio etiam Largo, (8) ejusdem aevi: quod Latinus Galeni interpres semper retinuit. Qui Artem Medicam ipsius explanarunt varie mutant Vallesius (9) vir subtilissimus Vinculum dixit; qualiter D. Hieronymus adversus Vigilantium: *quasi vinculis Hippocratis volui vinculis ligare furiosum*; Item: *Hippocratis volui vinculis alligandum*. Eademque significatione post Palladium de re Rust. L. 3. T. 13 cum Turisano Monacho Argenterius Philosophus et Medicus acutissimus *Ligaturam*; quam Scrib Largus (10) alia notione nominavit *Alligaturam*, vocabulo Columellae (11) communi; Hieron. Triverius (12) *Colligationem*, Petrus Ioannes Nunnesius (13) *obbligationem quae fit in plaga*; quae Phrynichio κατάδεσμος ac επιδεσμιου, non επιδέσμιος: Tacitus optime *Ligamentum*. Graecis etiam, Celsi judicio, Ἀγκτὴρ vocata fuit: quod nomen itidem Galeno (14) usurpatum, *Fibula* Jano Cornario (15) valet. Talis propriae videtur quae vinculi specie constringit, et continet, ut Phavorino (16) recte: Ἀγκτηρ, δεσμος; Ἀγχω enim constringo; unde Glossarium vetus MS. bibliothecae Vaticanae, *Angino Strangulo*; melius procul dubio *Ango*, quamvis et aliud glos. MS, ibidem *Angire*, *anxiare*; Item *suffocare*. Quemadmodum Περόνη, ea quae oblongioris formae ac teres clavi instar foret. De qua nobilis Homeri (17) interpres Eustathius: ὁ περόνη και τὸ περονιδιον και ὁ πορπαξ καὶ το πορπημα, καὶ ὅσα τοιαυτα. Chirurgorum autem fibula quaevis, praeter eam quae labiorum fissurae convenit, verius Ἀγκτηρ, quam Περόνη, deprehenditur. Cave tamen, ut Cornarius, Αγκτηρας aut Δεσμοὺς Hamulos putes. Etsi vero materiam ejus, ut omnibus notam, praeterierint veteres, non secus ac Dioscorides (18) Lactucae descriptionem, et Coriandri, pariterque Rubi,

(1) *De comp. Med. sec. Loc. lib II. C. 1. et Met. Med. Lib. III. c. 4.* (2) *Lib. I. c. 16.* (3) *De Vulner. L. I. c. 17.* (4) *Instit. Med. L. V. Par. 1. Setc. 2. cap. 16.* (5) *Tib. c. 6.* (6) *De ling. Lat. Lib. IV.* (7) *Instit. Orat. Lib. 1. c. 5.* (8) *Comp. 206.* (9) *L. 3. Epist.* (10) *Comp. 209.* (11) *Lib. de Arbor. Cap. 8* (12) *Not. Phryn.* (13) *Ecl. dict. Attic. Ann. L. 15.* (14) *De comp. med. S. L. Lib. 2. c. 1.* (15) *Lib. 5. c. 26.* (16) *Art. C. ad Glauc. Lib. 2. c. 8. L. d.* (17) *Odys. y.* (18) *Lib. 3. c. 71. Lib. 4. c. 37.*

quia notitiae vulgaris. Ea tamen vel hac ipsa de causa insignem eruditis litem movit. Hinc non iniqua, licet vix erudito viro digna, Fabii Pacii de Fibula querimonia (1). « Fibulae tanta est difficultas, ut animus obscura veterum traditione et varia Recentiorum expositione perculsus ac veluti infibulatus diu haeserit, nec dum satis in sua ipsius cogitatione et inventione requiescat» .Enimvero« (2) qui primi sermonem invenere agresti animo mortales, ut quaeq sese dabant, ita excepere. Sapientia verò vix tandem sero caelitus demissa est. Vel ad hanc usq. diem quanta latitavere ? quot adhuc latent, quae posteritas eruet adjuta ? » Plerique eam credidere Filum, sive ut proprius dicam Linum; quod solertis ingenii Medicum Hispalensem Franciscum Figueroam ex sententia Franc. Riojae publico Syntagmate ratum fecisse perspexi opera Viri Clarissimi Francisci Bernardini Ferrarii, qui pro eximia humanitate sua prostremam Figueroae disputationem ex Hispaniis curavit. Gignentia quoque sive Stirpes hujus observantur census. Apsyrtus enim Joanne Ruellio interprete de Armorum luxatione ait (3):*Fibulae myricae factae adversis ordinibus trajiciendae*. Alphonsus Nunnez contra magnae auctoritatis vir, Regis Catholici Archiater peritissimus, Metallum putat. Cujus opinionem viri quidam literatissimi suoque arbitrio diserti, Fibulae Materiam, Formam, Usumque diligenter esculientes, nec argumentis infirmiores,nec minori exemplorum copia, ingeniose propugnarunt. Aliis sententiae dubiis tutius visum fuit mediam sequi: quales medici olim Hebraeorum. Cuinam factioni adhaerendum ostendet Ratio,quam formavit usus magister optimus, cujus unico hic standum arbitrio. Is vero a bonorum scriptorum fide per aetates rependendus, quos communem secutos Mercurium in testimonia citare jubet causae gravitas. Mirum quidem hujus ne nomine tenus meminisse Hippocratem Professionis Medicae conditorem, quam tamen Cornel.Celsus (4) interpres ejus et sectator oculatissimus, non adeo negligenter descripsit alicubi quin capi possit, ut infra dicetur: quanquam is de usu magis sollicitus, quam de ipsius ratione, praecipue ostendere conatur, quale vulnus sutu ram, quale Fibulam postulet; quem primus inter Graecos Galenus (5) pari studio imitatus videtur. Credibile autem est, sapientissimum Senem cavere voluisse, ne discentes nominum varietate turbarentur, quum a Sutura quam Intercisam dicimus, Fibula re quidem vera nihil differet.Qui enim Scriptor sedulus alioqui rem praeteriisset, cujus usus ratioque per tot secula sese ad nos extendit, etiamsi nomen ubique non haesit, quum ei fortassis repugnatum esset. Interea silentio minime involvendum, posse dubitari num apud Celsum hoc loco *Abalienatum* satis apte a nonnullis *diductum* explicetur. Separationem namque eam intelligit Scriptor purissimus, in qua amplius Suturae aut Fibulae non sit locus: ut nihil dicam, *Alienum* non male derivari ab *Alio*. Hinc prudenter Tagliacotius (6): « non minimum interest, numquid, quae partes consuendae sunt, aliquo in loco connectantur, an sede penitus, et regione dissideant ». Et bene, licet parum venuste, Bertapalia (7): « si pars non fuerit totaliter ablata ejus curatio est cum Ductura, aut Sutura ».

(1) *Com. Gal. Meth. Me. L. 3. c. 4.* (2) *Jul. Scal de caus. Ling. Lat. L. V. c. 110.* (3) *Med. Veter. Lib. I. c. 25.* (4) *Lib. V. c. 26.* (5) *Meth. Me. Lib. 3. c. post.* (6) *Chirurg. Curt. L. II. cap. 12.* (7) *In 4. Fen. Avic. Tr. 2. C. 3. L. 5. c. 26.*

Unio enim non foret difficilis, si duntaxat esset Diductum, nempe, alia parte dependens alia inhaerens, parte etiamnum integra, et quae conjunctione corporis fovetur, ut est apud Celsum; qui hac etiam voce simplicem incisionem scalpello factam significat. Qua ratione apud Galenum (1) διῃρημένα exposuit Linacer, *quae diducta sunt*; Scribonius Largus (2) *Partem Divisam* appellavit. *Alienatum* itaque Alteratione (ut cum Scholis loquar) corruptiva potius intelligendum; indicat alibi Celsus (3) de Intestinorum vulnere; « Momento, *ait*, alienantur externo et in insueto spiritu circumdata ». Idque dignosci monet, « si non adhuc sui coloris sint, sed in lividum, aut pallidum, aut nigrum mutata, et sensu careant; ubi medicina omnis inanis ». Quas idem Gangraenae notas in ulceribus tradidit (4) Eodem dicendi modo *Scribonius Largus* (5) *Medicus Romanus* de Haemorrhoidibus verba faciens, quod vi erodentis medicamenti separatum est, *abalienatum* dixit; et *alienum*, quod in osse *putre vetustate vitii factum est*; (6) Marcellus (7) item Burdegalensis *ulcera abalienata in veretris*. Sed noster quoque de Fasciis verba faciens, *id quod adstrictum est*, inquit, *alienatur et cancro opportunum est.* (8) Ubi Rob. Constantinus plane ad Autoris mentem cum Magno Sene (9) *Alienatur* reddit: ἀλλοιοῦται καὶ σφακελίζεται, quod Æginetae (10) est νεκροῦται, Celso *nigrescere*; qui etiam reddidit Hippocratis μελασμοὺς, *nigritiem in ulceribus* (11); item, *in auribus, naribus, obscoenis partibus* (12), in cole: proprius ad vim Graeci sermonis forsan, quam recentiores, qui *Livores* dixerunt. Hinc Rod. Gualtherus (13) apud Julium Pollucem τῶν μέλων τὸ νεκρούμενον, μελαινόμενον, bene interpretatus, membrum emortuum, nigrescens. Nicolaus Leonicenus tamen (14) *Nigrores* convertit, et Hieronymus Mercurialis *Nigrefactiones*, itemque *Denigrationes*. Quod neque Aurelianus (15) ignoravit, qui notat à Graecis *Necroses* vocari, quum partes emoriuntur. Antonius Benivenius (16) itaque Gangraenam recte ulcus nigrum appellat. Cancrum vero in vetustioribus Glossis se hoc significatu deprehendisse Mercurialis (17) prodit; cui praeter Fallopium assentitur in Appendice Locorum Communium Valleriola. Atque in hanc sententiam accipiendus Autor noster, quando de Curat. adversus Vulnerum inflammationem monet Musculum laesum esse praecidendum (18). « Percussus enim, *ait idem*, mortiferus est: praecisus sanitatem recepit ». Ubi enim (19) « solent nihil omnia auxilia proficere, miserum, sed unicum, auxilium est, ut cetera pars corporis tuta sit, membrum quod paulatim emoritur, abscindere », et Galeni (20) consilio ad vivum usque recidere. Secus, ut vero Ennodius (21), « qui in putridis membris non utitur ferri medicina, serpentibus morbis praestat obsequia. Nam nisi secentur tabefacta contaminant ». Itaque (22) « remedii causa quibusdam amputantur membra, quae sine totius pernicie corporis haerere non poterunt ». Quod sane consilium

(1) *Meth. med. L. 3. c. 4.* (2) *Comp. 206.* (3) *Lib. 7. c. 16.* (4) *Lib. V. c. 26.* (5) *Comp. 227.* (6) *Comp. 201.* (7) *De Medic. c. 11.* (8) *Lib. VIII. c. 16.* (9) *L. de Artic. Lib. 4 c. 19.* (10) *Lib. 2. c. 1 et 7.* (11) *Lib. 5. c. 20.* (12) *L. 6. c. 18. Lib. 8. c. 2 et 3.* (13) *Lib. 4 c. 24.* (14) *Lib. V. Aph. 17 et 20.* (15) *Chron. L. 1. c. 4.* (16) *De abd. morb. caus. c 71.* (17) *Var. Lect. L. 3. c. 18.* (18) *L. 5. c. 26.* (19) *Ibid. § de cur. Gangr.* (20) *Art. Cur. ad Glauc. L. 2. c. 9.* (21) *Ort. 15.* (22) *Sen. de Provid. c 3.*

ut optimum. ita venuste ad morum medelam traduxit sapiens Poeta (1):

immedicabile vulnus

Ense rescindendum est, ne pars sincera trahatur.

Sed haec tanquam in transcursu. Mirari magis subit, Galenum Hippocraticae doctrinae vindicem unicum, neque a Celsi aetate adeo remotum, ita hic parcum, ut non pari diligentia ejus rationem literis consignarit, qua Suturae, aut saltem ipsam a Celsi aequaevis non transcripserit, quod passim in Pharmaceuticis observatum; nisi propter usum promiscuum id operae superfluum censuerit. Si quid tamen hic dicendum, crediderim cum aliis operationibus Chirurgicis inde usque ad nostra tempora, hanc quoque continuo usu servatam; nec novum forsan esse glutinationis adjumentum. Unde et Galeni interpretes hic vel nulli, vel admodum parci, aut Celso non satis intellecto ambigentes. Inter hos Italiae Scholis a multis annis peculiariter commendatus Jacobus Foroliviensis, clarissimus sui temporis Medicus, in Commentario Artis Med. Cap. 90 secundum Thomam a Vega; vel Lib. 3. T. 47. seu T. 109 apud vetustiores interpretes, quid Galeno Fibula, prorsus siluit. Nec mirum, siquidem interpretis anonymi versio antiquissima hanc vocem non habet: non quidem quod in Graeco non extiterit, sed quod in ea Latini sermonis inopia, et Graeci ignoratione vox Latina par Graecae non occurreret. Neque huic absimilis Turisani Monachi interpretatio, quae sic habet: « Ut vero ea (*Adductio*) fiat permanens, superligatio conducens distantia, et Consuturae utiles sunt ». Hinc fortassis sua translatione eruditissimus Vallesius Galenum ita disserentem introducit: « ut autem ipsa firma fiat alligatio adducens ea quae distant, et Vincula et Suturae prosunt ». Etsi vero bina tantum videntur tangi praesidia, veluti Alligaturae adminicula: quum tamen Fibula etiam unioni confert, plenior mihi cum Doctoribus Italis Galeno addictissimis ubique retinenda videtur haec Leoniceni interpretatio: « Ut autem haec ipsa (*partium applicatio*) firma ac stabilis fiat, et Alligatio cogens in unum quae distant, et Fibulae, et Suturae utiles sunt ». Quam etiam sententiam in Commentariis expressit Vallesius, eo solum a reliquis diversus, quod Fibulae loco Vinculum maluerit, caeterisque junxerit Cataplasma agglutinans. Communi huic expositioni favet Galenus ipse Ligaturam expresse a Sutura, et Fibula secernens, quando inquit; (2) « Vulnera per longitudinem Musculorum facta si a duplici initio diliges, nec Suturis, nec Fibulis egebis ». Quod vero idem Deligaturam, et Suturam duntaxat videatur enumerasse, id non sine Hippocratis exemplo factum, vel ob infrequentiorem Fibulae usum, vel certe quod eam Ligaturae nomine fuerit complexus, veluti medium duobus extremis auxilium: quod Fabio Pacio placuisse video. Quid si vero cum Vallesio Ligaturae nomine acceperis Vinculum, quod cum Fibula parum dissidet? Ea ferme videtur Turisani mens, qui in artem medicam Galeni Celso consentiens ait Ligaturam, et Suturam debere fieri, quando vulnus simplex in carne, sed quando nihil ex substantia membri deperditum. Silentii veniam mereatur Hugo Senensis, qui non ultra L. 3. Cap. 91. ex veteri distinctione in Comm. Artis Med. Gal progressus pariter Joannes Manardus: ingrassias etiam qui substitit in Lib. 2. T. 100 et cum eo Math. Curtius, qui more laudabili, ed ingeniorum varietatem in Gymnasiis Italiae recepto,

(1) *Ovid. Met.* 1. (2) *Meth. Med. l.* 3. *c. ult. L.* 4. *c.* 3.

dum omnia plenius dicere conatur, ultra signorum doctrinam nihil movit prae temporis angustia, ut patet ex ipsius Commentariis, magna insignis Philosophi Gasparis Gabriellii cura olim exscriptis, quae apud nepotem Marcum Antonium Gabriellium Patricium Patavinum D. Marci Equitem cum aliis servantur: de quibus in Bibliothecis Patavinis Codicum MSS. uberius Jacobus Philippus Thomasinus Æmoniae Praesul, pio labore laudandus in primis quod condendae Historiae patriae videatur omnem operam deputasse. Thaddeus autem Florentinus (1), et Antonius Cittadinus meris Quaestionibus cogitationes occuparunt. Inter Medicos rudioris aevi Nicolaus Florentinus, majoris experientiae quam cultus, scribit vulneri in lecerti longitudine facto, si Ligamentum incipiat ab utroque capite non apponi Anactiron: quod ipse interpretatur pannum triplicatum reductum in modum plumaceoli 'Αγκτῆρα fortassis dixisset, nisi flexu Latino ignotam sibi istius seculi vitio Graecam dictionem ex Galeno vitiare maluisset, quam gravissimi Autoris sententiam mutilare, cui hic presse adhaesit. Akakias simplex Galeni Paraphrastes vim vocis non attigit penitus. Crato etiam, felicissimus trium Imperatorum Medicus, Artis Med. Gal. breviarium pertexens de suo nihil addidit. Cujus Collega Julius Alexandrinus, in aliis sat prolixus, hic etiam tacet. Alphonsus Lopez item exquisita doctrinae brevitate interpretum nemine inferior. Nec Hieronymus Rubeus, postremus qui ad nos pervenit Celsi commentator, interdum satis diffusus, hic quidem verbum. Sed neque ex sua mente quidquam de Fibula Caesar Magatus de rara Vulnerum deligatione (2). Verum ex aliena sententia Suturam describit quam, Siccam chirurgis appellatam, veterum Fibulae successisse docet Lud. Mercatus (3). Neque ab his longe abest Vid. Vidius (4) dum precise dicit, Fibulam Vulnerariam fieri per acum ducentem filum sericum, aut ex lino. Cui subscribit Peccetius (5), quando Acum et Filum ponit Suturae ac Fibulae instrumenta. Imo nulla Fibulae apud nostri temporis homines mentio est, nisi ad Celsi imitationem; quem plerique parum feliciter assecuti, quod ipsum negligentius inspexerint, vel ex sua sententia sint interpretati; idque tanta varietate, ut vix sibi constent viri etiam maximi. Quid enim incognitantius, pace tanti viri, hisce Argenterii verbis in Artem Galeni? « Fibularum et Antiquiores et Recentiores Medici mentionem faciunt: sed nullus, quod meminerim, docet illarum compositionem, nec utendi modum: nec hactenus aliquem Chirurgum vidi, qui Fibulis uteretur, quod fere Suturae et Fasciae felicius hoc opus perficere videntur. Si quis tamen Fibulis uti velit, poterit id commode facere ad imitationem Fibularum, quibus utimur ad Zonas ex corio confectas; quomodo etiam equos duplici fibula ventri eorum circumducta constringimus. Sed haec facilius fieri possint, quam verbis exprimi. Nam antiquorum instrumenta id ignoramus, quia usus illorum periit, ac consequi non possumus, quod verbis ab illis fuit expressum ». Nec satis exquisite ad sui ingenii acumen Thomas a Vega huic parum discors Galenum intelligit de Fibulis, quarum in cincturis usus frequens est: nisi fortassis Analogia, quam tamen scindit usus. Siquidem quaecunque usus causa ad vitam sunt assumpta, in his utilitatem quaerimus,

(1) *Sermon. 7. Tra. 4. Sum. 1. c. 48.* (2) *Lib. I. c. 59.* (3) *Inst Chirurg. L. I. Tr. 2.* (4) *Inst. 2. Chirurg. L. 4. c. 1.* (5) *Chirurg. L. 2. c. 10.*

non similitudinem (1). Argenterium vero Oddus de Oddis ibidem, quemadmodum et Sanctorius, non injuria notat; cujus sententiam ob eximium pondus non pigebit huc transferre: « De Fibulis non est multa dicamus, quum earum usus ferme exstinctus sit, et licet hac ab Antiquis non describantur, non ob id tamen quomodo his uti possumus tradere non disistunt, ut falso Argenterius arbitratur. Erat enim nota non tantum apud Medicos earum Forma, sed et apud quosdam veteres, quandoquidem in vulneribus Fibulae ex Acia molli non minis torta, ut et Suturae conficiebantur, ut Cornel. Celsus conscripsit. Siquidem Chirurgi illi ab uno latere vulneris semicirculum quendam ex Acia, quem vulgo *Asola*, hi vero Fibulam nuncupabant: pariter et ab altero opposito alterum conformabant: deinde utrumque Acia alligabant, tum ut labia illa attracta ob vulneris latitudinem, magnitudinemque fortius alligarentur, tum ut sanies liberius percolari posset ». Huic autem ad vulneris latera Semicircula totam inter Fibulam ac Suturam discriminis rationem adsignat ingeniosissimus Sanctorius (2): cujus nexum uterque suppressit. Eam tamen sine glutine fieri non potuisse persuadet ratio, qua innixi potiores Galeni interpretes.

CAP. VIII.

HEBREORUM EX MENTE ARABUM DE FIBULA CHIRURGICA JUDICIUM.

Unum hic subdo, nec fortassis ἀπροσδιόνυσον vel audacter nimis, quod etiam ex hisce colligi potest quae jam retuli, Fibulae Formam ac Materiam non eandem utique omnibus fuisse Chirurgis, sed pro diverso artificum conceptu variam; quorum unusquisque commoditatis aut necessitatis causa priorum inventioni aliquid addidit vel detraxit. Nec sine gravissima Hippocratis autoritate, cujus monitum est τὰ ὄργανα πάντα εὐήρη πρὸς τὴν χρείαν ὑπάρχειν δεῖ (3). *Instrumenta omnia ad usum apte comparata esse oportet.* Argumento sint Ferulae, quae ad jucundiorem medicationis operam, vel ad jocorum ingenium materiam nactae fuerunt diversam: ut vel hinc suspicari animus sit, non solum desuetudine, sed structura quoque, dubiam adeo nobis veterum Fibulam. Arabes vero Graecorum ingeniis nihil magis concessisse ea Medicinae parte excolenda quae manu curat, quam quae medicamentis, praeter Medicos e prisca barbarie ipsorum assecias, abunde testantur Hebraei communi cum iis in hunc diem institutione usi. Quorum etsi non sine causa in dubium vocari posset fides, quum non modo divinam, sed humanam quoque sapientiam, variis interpolarint cogitatis: meliora tamen suadet etiam Principibus et incorruptioris judicii Archiatris, imo universo propemodum orbi, nota plurimorum hujus factionis, qua scribendo, qua medendo solertia, et integritas. Ex horum numero binos mihi haec meditanti produxit eximiae vetustatis codices in membranis vetustioribus scriptos, quos eminentissimi Principis ac Ducis de Richelieu auspiciis eruditissimus vir Jacobus Gaffarellus Sigonciae apud Gallos Abbas cum aliis earum literarum plurimis ex Pici Ducis Mirandulani reliquiis Mantuae pridem, et Buda ex inferiore Pannonia non exiguo aere

(1) *Varro De Ling. Lat. Lib.* 7. (2) *Comment. Art. Med. Cap.* 90. *Par.* 2. *Tex.* 47. (3) *De Medico.*

conquisiverat. Horum vero antiquior alter nullum praeferebat nomen. *De Veterum Instrumentis Chirurgicis* inscripsit Gaffarellus, Librorum MSS. Hebraicorum et Syro-Chaldaeorum Indice proditurus brevi, quis fuerit alterius voluminis Autor SCHEM TOU, quod ipsi sonat *Bona fama*, aliis *Bonum nomen*, appellatione caeteris gentibus Christi cultum professis etiamnum recepta. Cui operi nisi vetustas initium invidisset, multis haut dubiè praesens argumentum locupletasset. Ea tamen quae in Fragmentis inventa candide referam. In Partis Trigesimae Porta (id est, capite) XII separatim tres Arabum more rudiores conspiciuntur figurae nomine Fibulae; quam ille vocat *Pibul*, consuetudine ad Latinam accedente, ob Hebraeae vocis defectum Primum vero schema hujus figurae appellatur *Galil bappibul*, puta, *Delineatio fibulae*, Circulum repraesentat; quem monet Autor fieri ex ferro, vel argento, non ex Nechosset, idest, aere, quod vulneri eximie noxium pronunciat.

Alterum, nominatur *Pethil*, Filum retortum ex lana, sive lino, Gaffarelli nostri versione: quam e peritioribus Hebraeorum Magistris primi nominis Leoni Mutinensi laudatam memini.

Postremum simpliciter dicitur Pibul *Meelsim schenaim*, quod significat ex duobus lignis; quae Autoris ad verbum praecepto hinc inde alligantur; cavendo, ne super vulnus nimium constringantur: quia non possent ejus orae pus emittere, Concors ei Incertus ille vetustior eundem exhibet typum.

Hujus Libri priores, quos de materia et usu fibulae peculialiter scriptos advocat, nisi temporum injuria periissent, minus fortassis mentis aciem rudis penicillus obscuraret. Quae omnia etsi parum ad rem, non tamen praeter rem. Plures equidem figurae miras fateor tenebras offundunt, sed quas dissipabit animus perspicacior, cujus operâ ex hac difficultate non penitus deplorata emergendum. Salva igitur aliorum sententia, si quid addivinandum, diversae non videntur hic delineari Fibulae, quamvis species districtae; sed in unum coire omnes credo apparatum. Circulum nempe junctis plagae oris recte injectum binae stringunt hinc inde utriusque lateris, quae aequales pinguntur, regulae Diametrales ligneolae, intervallo laterum in circulo eadem longitudine, iisque superdanda sunt fila, sive, quod magis placet, vincula duplici figura quae uncis alteri sui extremitate ad caput, ut videtur, ansatae inuexa, non aliter quam infonticulis hodie, Fibulam optime continebunt: et quidem tutius, ac jucundius, quam circulus ille Hieronymi a Ponte Chirurgi Vicentini certis rationibus eruditissimo Pacio in suis ad Galenum Commentariis (1) parum probatus Zonulae sane hujusmodi tantum tribuit instrumentorum inventione felix admodum Hieron. ab Aquapendente, ut sententia non multum ab Argenterio diversa hanc aliquando veterum Fibulam fuerit opinatus, quemadmodum summi ingenii judiciique Vir Clarissimus Joannes Dominicus Sala in Gymnasio Patavino eruditus in primis Galeni Interpres rogatus ha de re pridem retulit. Nec ligna haec, in quibus nihil eminet, dum pro vitiosae partis habitu fuerint flexilia utrinque apposita vulnerum labris, infensiora putarim, quam pinnas tereti figura longe molestiores; quas nihilominus nulla doloris injuria diuturnior usus admisit. Ceterum, diversas si quis hasce opinetur forma Fibulas, Cir-

(1) *Meth. Med. L. 3. c. 4.*

culus certe absque fascia quomodo haerebit, quomodo etiam ligna, ostendat necesse est. Ea vero sine horum alterutro vulneri glutinando vix suffecerit. Neque enim aliud videtur, quam Ligatura simplex, ex Galeno (1) haut dubie ut alia pleraque Avicennae nota (2); quae nunc aliquamdiu desiit. Illud memorabile, nulla ex his necessitate confici, cutem Fibula semper fuisse perforatam, sed adstricta solum vulneris labia; ut vel eo Fibulae finis non male censeri possit constrictio; quum ea cutem sine transitu ad suturae stabilitatem contineat. Inde Joannes Costaeus Avicennae Ligaturam non ab re quidem exponit conservationem conjunctorum ulceris labiorum: ampliori tamen usu addit, sive per facias, fibulasve, sive per Suturas, seu etiam per panni alicujus supra ulcus agglutinationem fiat. Suturae autem Fibulam modo hic proposito quandoque junctam fuisse non parvam mihi suspicionem faciunt haec P. Vegetii verba (3). «Non longe à pilis ab interiore parte scalpello plagam dabis in cute palpebrae, post forficibus per longum ad mensuram oculi fasciolam praecides, et impositis Fibulis consues palpebram foris versus, ut oculus sine deformitate recipiat visum, et gratiam naturalem». Quin etiam societas haec ab ipso amplius asseritur in hunc modum: « si jumento lingua fuerit incisa, statim cum Fibulis consuito ». Et mox (4): « Alii postquam fibulas acceperint, linguaque, vino fuerit elota, mel imponendum esse duxerunt ». Quae postrema licet M. S. Viri Cl. Joan. Sambuci defuerint, si retinenda censuerint Critici; Fibulam non suturae instrumentum, sed proprium quid, et Causam ut vulgo sine qua-non, ab altera distincte positam declarant». Neque enim est, » inquit princeps eruditionis Anneus Seneca (5), « cur aliquid putes ejus adjutorio fieri, sine quo non potest fieri, sine cibo ad virtutem non pervenitur, cibus tamen ad virtutem non pertinet ». Vegetii simul loco ea lucem dabunt: quem si quis per sextum casum intellexerit, non minus elegantiae sermoni accedet, quam veritatis; quum vix probabile fuerit, eos qui pecoribus ac jumentis medeatur remedium malo gravius elegisse: ut frustra Vir doctus hic putaverit Fibulas fuisse circellorum specie, quae certi linguae molestiores longe simplici sutura: quam Autor innuit. Aliam vero Infibulationis rationem jam satis patefeci. Glutinum profecto Suturae ad robur semper injiciendum praecipit Felix Vurtzius (6) Chirurgus inter Germanos olim exercitatissimus; Plinius item Valerianus (7) longe prius: «Si parvum vulnus est, linteum illitum impones, et colligit: quod si Scissura est, prius consue, et sic impone ». Fibulam tamen et a Glutino et a Sutura modo quodam diversam certis suo loco rationibus confeci. Ratio interim judicet, quod peritis aequum videbitur, quos hic admisturos confido Galeni (8) virissimum: « Species accomodatur, et vitiatae partis formae, et vitio quo detinetur. Si vero in profundum vulnus protendatur, et Suturis et Fibulis solemus in unum cogere ». Mihi si quid liberius exciderit, quam rei difficultas postulat, excusationem merebitur. In ulteriores cogitationes excedere vetat sapientissimum Menandri Monostichum.

Τὰ πολλὰ τολμᾷν, πολλ' ἁμαρτάνειν ποιεῖ.
Audere multa, multa nos labi facit.

(1) *Meth. Med. L. 4. c. 6.* (2) *Lib 4. Fen 4. Tr. 1. et 3.* (3) *Art. Veter. L. 2. c. 13.* (4) *Cap. 31.* (5) *Epist 85.* (6) *Chir. Vul. Part. 2 c. 14.* (7) *L. 3. c. 20.* (8) *Comm. T. 2. Hip de Offic. Med. Art. Cur. ad Glauc.*

CAP. IX.

BARBARORUM, QUIQUE HOS SECUTI, DE FIBULA CHIRURGICA OPINIO EXPENDITUR.

Occupata vero ab ingeniis Arabum postquam a Graecis priscisque Latinis ad Barbarorum familiam transiisset Medicinae possessio, sincerioris jam cultus exsors; inter hos primus Guido Cauliacus (1) in Chirurgia sua, quam Magnam inscripsit, Suturam Incarnativam ex Galeno instituit cum « Hamis, qui debent esse parvi secundum membrum ab utraque parte curvati, et infigendo in uno labio ducatur labium ad alterum labium, et in illo etiam figatur, ut faciunt retonditores pannorum ». Lanarios intellige. Huic adstipulatur Chirurgus doctissimus Joan. Tagaultius (2); quem ut Galeno contrarium juxta Petrum Martyrem Oddus de Oddis taxavit meliori jure, quam Joan. Ammonium Agricolam, quem Guidonis asseclam fecit. Hic enim Fibulam non describit, sed ad Galeni (3) illustrationem solum Infibulandi modum e Celso recenset. Quod si fibulae etiam mentionem fecisset, nullam certe meruisset inde notam, quum de Vulneraria tantummodo omnis hic sit controversia. Cauliaco etiam subscribit Janus Cornarius (4) qui 'Αγκτηριασμὸν, credit fibulis seu hamulis fieri. Fibulas vero Andreas a Cruce (5), magis opinione quam usu, describit instrumenta ferrea ab utraque parte recurvata, hami effigiem repraesentantia, quae disjunctas partes committunt. Ab eodem fonte effluxit Rob. Constantini Galli observatio, quam curiose adscripsit margini Cornelii Celsi (6), ubi Fibulas explicavit, vulgo *Happes, Attaches*. Affinem huic Suturae rationem; quam loco nuper adducto Suturam Incarnativam cum Acu vocat Guido de Cauliaco, Vessalius et alii Suturam Agglutinatoriam acu, vel pinna cum acu introducta; in Puerorum labiis maxime laudatam, quantumvis sui saeculi culpa impolite, in haec tamen verba accurate exhibet Bertapalea (7): *Talis Sutura fit dimittendo Acus et circum circa volvendo filum, et annodando, ut non possit disgregari, nec possit acus removeri usque; ad perfectam consolidationem, et puncta acus incidatur cum tenalea, ne puncta figatur in carne: et si vis, potes facere acus argenteas, si vis dimittere in carne, quod erit bonum pro nobilibus et delicatis.* Vereor autem ne modus hic facilius verbis, quam opere exprimatur: quamvis renovato forsan, quod obsoleverat, Albucasis (8) dogmate, eam quoque non una acu, sed pluribus, pro vulneris spatio, cum filo forma ovali revolutis circumscripserint Tagliacotius (9), et Tagaultius (10). Haec vero probatior quidem Stephano Gourmelino, sed valida minus est ea, quae filo decussatim injecto paratur. Peccetio (11) hic ipse 'Αγκτὴρ est, non Hamus, nec solum Fibula perforans, sed cum fili circumductione ex acu et Filo: cujus etiam ex aliena opinione meminit Vidus Vidius (12). Atque hanc cum Fabio Pacio Hyppolytus a Parma (13) medicus et chirurgus Patavinus verissimam Celsi Fibulam putat,

(1) *Tr.* 3. *Doct. I. cap.* 1. (2) *De Ulcerib.* (3) *De Loc. aff. L.* 6. *c.* 6. (4) *Com. in Gal. L.* 2. *c.* 2. *de com. med. sec. loc.* (5) *Praef. Chir.* (6) *L.* 7. *c.* 4. (7) *In Avic. F.* 4. *Tr.* 2. *c.* 8. (8) *Chirurg. P.* 2. *cap.* 87. (9) *Chir. Artic L. I. cap. de Sutura* (10) *Chir. curt. L. I.* 1. *c.* 16. (11) *Inst. Chir. Lib.* 2. *c.* 4. (12) *Chir. L.* 4. *cap.* 1. (13) *Comm. Meth. Me. L.* 3. *c.* 4.

quod perinde ac sutura acu et acia , seu filo perficiatur. Iisque M. Aurelius Severinus (1) eximio rerum usu Neapoli Doctor celeberrimus plane concedit. Quae tametsi in hoc a Sutura nonnullis videatur discrepare , qua nihil proprie consuit ; Celsi tamen verbis obniti nolo , qui ait utramque imponi (2) , et Fibulam oras perforatas filo tenere (3): quorum vis postea evidentior fiet. Istam in Typographo graviter vulnerato , quamvis ex voto quandoque tentaverit Pacius; nec absimiliem in magnis ac profundis vulneribus ex aliorum mente proponat Vidus Vidius (4), suaque observatione cum dolore factam tradat Platerus (5);itemque in labiis leporinis describat exercitatissimus Ambrosius Paraeus: audienda tamen omnino Fabricii ab Aquapendente cantela, qui addit,carnem non parum affici,et filum stringendo labia prorsus irritare, et agglutinationem impedire, ita dubio procul longo usu edoctus. Junior enim, ut ex Pentateucho Chirurgico (6), et operationibus chirurgicis deprehendere licet,Fibulam quoque Metallicam opinabatur; Acum nempe ferream, vel aeneam, Ignis beneficio praeterquam in acie ipsa flexibilem ac mollem non tamen duram, ut Guido, sed molliorem. Diversis itaque acubus ferreis, quae cuspide solum duriore flexiles, vulnerum labia junxit, quarum extremitates sinistra ad dextras,et vice versa retorquendo aptabat supra vulnus,vel recte et plane,vel post nodumFallopii more factum, easque sic conservabat, donec vulnus fere glutinatum esset. Quam sententiam, licet paradoxam,secundi quorundam eventus confirmabant.Nimirum, experientia Veterinariorum, quos venam in equo apertam viderat clavo flexibili claudere:commodior deinde harum acuum usus, quae aculeorum expertes omnisque erosionis , quae laevigatae et rotundae , secus ac Guidonis Fibula ; tum majus etiam acus metallicae robur, dummodo ea mollis; postea nec metallum aeque laxari ac filum ; nec a sanie putrescere ; quin refrigerare atque adstringere. Verum senior tandem re melius pensitata in Fallopii sententiam concedere maluit. Fibulam nempe ex filo instituendam ratus ; quod haec opinio ut verissima Celsi verbis et menti ad amussim conveniat, qui solus et accurate inter veteres Fibulam descripsit. Nec sine causa. Utraque enim et Sutura et Fibula, teste Celso, fit ex Acia molli. Haec Acum vero qua ratione denotabit , si Sutura non fiat ex Acu sola, sed ex Acu et filo, discrete ? Sin universe Acia fili nomen occupat , ut fatentur omnes cujuscunque partis asseclae, utique non erit acus, quae in Sutura et Fibula transit. Multis autem relinquatur Chirurgia isto digna tergore. Nec vero diffitetur Ipse Fabricius ab Aquapendente in Haemorrhagia a vulnere fieri vinculum, quoties vas volsella aliove instrumento adunco apprehensum, et filo nonnihil intorto undiquaque obvolutum stringitur. Fibula igitur , qua Vinculum est , materiam veluti sutura mollem habet. Addit idem, Fibulae materiam ratione usus posse filum esse vulneribus aptissimum, modo cera candida obductum , ne punctum laxetur quo firmius haereat , neve prompte perrodat. Sed forma peculiari : quam tamen non prodidit. Hinc Oddus de Oddis (7) recte statuit, quod ea , quae Hamis conficitur, Fibulae antiquorum plane renuat. Sanctorius etiam ipsi adhaerens merito hamos damnat, quod fluxiones, inflammationes, et affe-

1) *Chir. effic Par.* 2. *c.* 125. (2) *L* 5. *c.* 26. (3) *L.* 7. *c.* 22. (4) *Chir. L.* 4. *cap.* 1. (5) *Parax. Tr.* 2 *cap.* 17. (6) *L.* 2. *c.* 5. (7) *Comm. Art. med. c.* 90.

ctus vulneribus saeviores excitent; vix tamen Oribasii (1) verbis probaturus Fibulas ex aere, ferro, et auro, formam habuisse circuli. Neque enim Fibulae Materiam, aut Formam adfert autor Graecus: sed Organa duntaxat scribit fieri ex ilice, fraxino, aere, et ferro sine ulla Fibulae mentione, nisi quis forsan velit eam hisce verbis includi : *omnia quaecunque exigua sunt*. Haec tamen verius Machinas videntur indicare, quam Chirurgorum ferramenta quae Hippocrates (2) distincte recensuit : etiamsi Instrumenta ejusdem sint generis cum machinamentis. Sed enim Fabricii ab Aquapendente (3) lapsu huc inductus fuit vir magnus, ex quo totidem pene verbis hanc divulgavit sententiam ; quam Rudius (4) etiam fuit amplexus. Quanquam enim Fibulae materia tenuis in transversis vulneribus labia rumpit, et ipsa rumpitur, crassa etiam inepta est, nunquidne mollioris materiae textura sine metalli necessitate hisce incommodis occurrere licebit ? Esto autem, quod Fibulae oras paulum contrahant ; alio tamen, ipso etiam teste, id assequi contingit ingenio, quam circulo, isto nempe Suturae modo, quem ipse a Fibula materiae tenuitate nihil discrepare fatetur. Imo timidis laesisque eximii sensus partibus Fibularum loco puncta concedit. At neque apud Oribasium (5) Fibulae alia occurrit consideratio, quam Mechanica, eaque clavo similis est : neque uspiam Auri in ullo codice M. S. aut edito fit mentio. Nec quidquam ad rem adductus a multis Virgilii (6) locus :

Laterum juncturas Fibula mordet.

Hunc enim nemo non de Fibula Vestiaria accipiendum perspicit. Tympanum quidem rotundam machinationem affirmat Oribasius, de Fibulae vero Figura ne verbum quidem. Nec tamen, quod censet ibidem Fabricius, doloris molestia evitatur si cuspides sursum spectarent. Vulnus enim, quod improbat ipse, nihilominus relinquitur laxius; utcunque Fibula, quod monet Rudius (lib. d.) labia contrahat : et Hami cujuscunque figurae cutem transeuntes semper sunt dolorifici; quandoquidem, autore Celso, *Acus toties trajecta magnam inflammationem movet et auget* : (pag. 232, l. 26) minus tamen, quam si continuo pungerent. Haec incommoda quum nuper eximio inter Doctores Patavinos Petro de Marchettis chirurgiae Professori manu ac mente promto perfamiliare colloquium oggererem, ingeniose ille suspicatus fuit, plagulis glutine oblitis fibulas sive ansulas aeneas fuisse insertas, quae ad stabiliorem partium unionem constringebantur ; nec unquam ob dolorem exquisitissimum Hamos carni injectos. Quae sane conjectura eo mihi probatior, quod Franciscum Joelem (7) consummati usus Medicum in eandem ferme de uncis opinionem communi Mercurio incidisse videam. Hamos vero si quispiam alias voluerit interpretari Ansulas e filo contextas, parum peccabit; quum et Fabricius ab Aquapendente (8) linteis tales e duplicato filo contorto ceraque obducto affigendas glutine consulat ; nec aliter Chirurgi Laqueatione vulnera contineant. Hamos etiam Lucius Apulejus (9) mensae deliciis annumerat, sine ulla Materiae, vel Usus convenientia, a sola fortassis figura. Cujus generis apud Varronem (10) vi-

(1) *De Mach.* c. 4. (2) *De dec. ornat. Gal. in L. Hip. De Offic Med. Com.* 1. *T.* 6. (3) *Pent Chir. lib.* 2. c. 5. (4) *De Vulner. lib.* 1. c. 9. (5) *De Mac.* c. 4. (6) *Aen.* 12. (7) *Op med. T.*6. (8) *Pent. Chir lib.* 2. c. 5. (9) *Metam.* 10. (10) *De ling. lat.* c. 4.

detur Circulus, qui mixta farina, caseo, et aqua circuitum aequabiliter fundebat. Qualia in Commentariis ad hunc locum Turnebus Arculata veterum sacris accenset. Ideoque nulla sub Hami nomine Metalli necessitas. Sed ex diverticulo in viam. Oratio quippe utilitatis causa facta est, ut vestimenta. Porro Fibulae, tum antiquae, tum nostrates, quum omni non vacent suspicione, quod perpetuo dolore, inflammatione, et sanie copiosa ex multiplici perforatione adglutinationem impediant, aut saltem protrahant, et cicatricem quoque deformem relinquant; quo etiam nomine Stephanus Gourmelenus (1) vere monet earum usum nunc esse rarissimum; Glutinis usum, ad labiorum conjunctionem, semper tutum, ac necessarium monet diligentissimus per omnia Hieronymus Fabricius, ipsumque vinculi seu fili perrosionem prohibere : imo Cl. Sanctorius (2) hunc ipsum Suturae praefert. Etsi vero cum Thoma de Vega, et Fabio Pacio in gravioribus plagis majorem solutae unitatis coagmentationem firmioremque Suturam huic auxilio libens concedam : nolo tamen cum Petro Martyre (3) putes Fibulam Galeni fieri ex pittaciis lineis medicamento fuse varieque a diversis descripto infectis : quamvis hanc quoque opinionem fovisse videam eruditissimos Galeni interpretes Joan Bapt. Montanum, et Salvum Sclanum, a quibus neque aversior Vallesius: quos Clarissimus Gaspar Hofmannus (4) ostendit se non invitum sequi. Hi quippe cum excusatione potius audiendi, quam veluti apud Argenterium aliosque Montanus, irrisui sint. Quanquam enim Sutura vel Fibula non cutem tantum, sed aliquid etiam ex carne comprehendi oportere dum jubet Celsus (p. 173. l. 13) testis sit ipse locupletissimus non solum satis esse glutinum : idem tamen existimarunt fortassis viri insignes, quod Vessalius (5), et Tagliacotius (6), qui tradunt Fibulae jam penitus obsoletae Suturam Siccam, quae Vessalio simpliciter Adglutinatoria, successisse. Ejusdem animi est Joannes Fragosus (7) celebris olim inter Hispanos Chirurgus, qui recte addit, Guidonis Hamum magis curiosum, quam utilem. Quod neque, publico apud Patavinos Galeni Interpreti Dominico Salae Viro ingeniosissimo displicere video. Ea nempe apud Vessalium (8) fit pittaciis sive pannis figurae triangularis, vel, quod Francisco Arceo (9) placet, quadratae, ad plagae longitudinem glutino adstringente, seu ovi albo, et cataplasmate illitis, et partis vulneri ad latera utrinque labiorum admotis, quae vel filis sericis validioribus ab utroque capite impositis nodo, vel suitione, copulantur. Sic enim, dum adducuntur vulneris orae, nec committuntur, lata cicatrix inducitur. Idem Galeni (10) temporibus receptum fuisse erit diserta ipsius verba expendenti perspicuum, Jano Cornario interprete : In mediocribus capitis vulneribus, aut quae omnino legitimo Medico non habent « opus, in quibus quando nuditas per se non adest, pilos rademus, » fibulisque impositis *constringemus*, ac glutinantibus experimento co- » gnitis utemur, Et mox: In quibus vero os denudatum est, divisa mem- » brana calvariam ambiente, os ipsum scalpemus, et per *suturae adduc-* » *tionem*, tanquam non sit denudatum curabimus». Vides ut fibulae genus

(1) *Chir. Art. L. 1. cap de Fibula.* (2) *Comm. Art. Med. c. 90.* (3) *Tr. de Vulner.* (4) *Post. cur. lib cap.* (5) *Chir. Mag. lib. 3. c. 4.* (6) *Chir, curt. lib. 1. c. 16.* (7) *Chir. lib 3. c. 2.* (8) *l. cit. c. 8.* (9) *De cur. vuln. lib. 1. c. 7.* (10) *De comp. med. s. loc. lib. 2. c. 2.*

istud a Sutura diversum ? Similitudine igitur ejusmodi Adglutinantia Fibulas appellari vere monet Bapt. Montanus, qua partes divulsas earum in modum continent : minori quidem incommodo quam Sutura, sine dolore, inflammatione insigni; sed minori etiam efficacia. Tutius tamen hoc sine ansulis praesidium, et expeditius, quod simplici pannorum firmiter haerentium per acum et filum connexione sive sutura non solum distantes unit partes, sed puris effluvio minus intricatur. Hippocratis oraculum est (1) : Τὰ δὲ προσφερόμενα ἅπαντα μὲν χρὴ σανορῆν, ἕσως συνοίσῃ, μάλιςα δὲ, πλεῖςον ἐς ὁμιλεῖν μέλλει τῷ νοσοῦντι μέρει. *Cuncta vero quae admoventur, utilia ut sint, studendum est, maxime si aegrae parti diu inhaerere debeant.*

CAP. X.

FIBULA VULNERARIA SUTURAE SPECIES.

Animum minus fatigat Sutura Fibulae loco diu Medicis recepta, quae planior est, quam ut insignem dubitandi ansam dederit. Nam, missa notione alia, qua Galeno (2) autore ea in Fasciarum seriem conjicitur ; vulnerum oris conveniens vel simplex est sive una, quae apud Celsum (p.243. l. 10.) una perforatione peragitur in cute, et proprie Sutura nominatur ; vel Multiplex ; eaque modo continua, quae unico ductu a principio ad finem perficitur ; modo Discreta, de puncto in punctum, quae Sutura per puncta et Punctatio appellatur. Atque ex his quamlibet filo perfici concedunt omnes, dummodo fuerit Adglutinatoria, quae Barbaris Incarnativa mollioris partis vulneribus proprie facit. Proinde Marianus Sanctus in Examine Medico-Chirur. non inepte SUTURAM ponit « Labia vulneris separata Acu et Filo idonee unire, ut unius lateris pars alteri parti apte cohaereat, ut cicatrix pulcra consolidatione remaneat ». Inde Statius (3).

efflantes libet internectere plagas.

In quem locum Lutatius: « *Insuere. Metaphoram traxit a Medicis, qui solent lethalia vulnera annectere.* Plinius Valerianus (4) optime: *Si parvum vulnus est, linteum illitum impones, et colligit: quod si scissura est, prius consue , et sic impones :* Omnium perspicacissime Paulus Ægineta (5) : *si magnum fuerit ulcus, ut disparata omnino contrahi per deligationem non possint, suturis primum ipsa contrahere oportet.* Eam licet molli parti destinatam tradat Hollerius (6), et quidem vulneri extremae cutis, quemadmodum post Lanfrancum suggessit Mich Blondus (7), praecipueque Capitis, attestante Rogerio (8), secundum latera, non in vertice, Chalmetaei praecepto; ob inflammationis metum, ut suspicatur Felix Vurtzius (9) ; studiose cavendo risum, ne rumpantur Fibulae, monente Anonymo quodam Chirurgo Animadversionibus foecundo, quem e relictis V. Cl Roderici Fonsecae libris cum Celso M. S. Venetiis habui : attamen *iis non simplicibus tantum, sed multis aliis non parvis, hoc est, magnis, et transversis*, addocente Galeno (10), *qua partes unit, et alterationem ab aere multum nocivam prohibet, utilem* Guido (11)

(1) *lib. De Medic.* (2) *L. de Fasc.* (3) *Theb.* 8. (4) *De re med. lib.* 3. c. 20. (5) *L.* 4. c. 36. (6) *Instit. Chir. lib.* 6. c. 10. (7) *Tr.* 3. c. 2. 10. *et* 12. (8) *Enchir. Chir. lib.* 2. c. 14. (9) *Chir. Vul. P.* 2. c. 6.. (10) *Meth. med, lib.* 6. c. *ult et art.* (11) *Med.* c. 90

judicat. Hanc vero Acu filum ducente administrandam, periforum instituto probavit usus: qui, ut refert ipse, ad evitandam aeruginis asperitatem, chalybem ferro, et ad sustinendum oneris robur, argento atque auro longe commodiorem deprehendit. Sed filum etiam lineum sive sericum hic postulant fere omnes; idque crassius, vulnere profundo labiisve plusculum dissitis: alias subtilius. Quod enim in Chirurgicis Æneum depinxerit Celeberrimus Andreas a Cruce, suis id usibus reservatum abunde patet ex iis, quae ex Hippocrate alibi dicta. Lineum sane, tanquam usitatissimum ad majorem conservationem, commode praefert ille serico: hoc tamen neque minus laudatum, quin potiori loco habitum viris multo rerum usu exercitatissimis, Nicolo Florentino, Rolando, Michaeli Angelo Blondo (1), et Joanni Riolano Patri; atque in primis cocco tinctum quidem Joannes Fragosus adstringendo credit parti robur addere: cui Franciscus Joel suffragari videtur. Primus hic Guido Cauliacus inter Latinos a reliquis diversus, Suturam Incarnativam ex Galeno, ut putat, cum Hamis describit, quam et incarnativam cum Acu appellat; Tagaultius transcriptor ejus paulo cultior, quique hunc ad verbum fere expressit magna famae celebritate Vessalius (2), Adglutinatoriam Acu: quomodo et Tagliacotius (3): Felix Vurtzius (4) inter Germanos sui seculi celebris Chirurgus *Heft mit der nadel*, ac si diceret *Suturam cum Acu*. Haec autem nihil habet a Fibula Celsi alienum: ut vere asseveret Eustachius Rudius (5), Guidonem Fibulas cum Sutura confundere. Quin ea horum Praesidiorum est affinitas, ut multis summi ingenii viris haec Suturae species a Fibula vix reapse discrepet. Hinc laudatus modo Crucius (6): SUTURA *oras jungit, nec quidem ex toto: et haec est vera fibulandi ratio*. Idemque alibi de Sutura utitur verbo *Fibulare*. Petrus Ruellius (7) etiam *Fibulas* exponit *Suturas*, quae vulneris oras paulum contrahant et jungunt, quo minus lata postea cicatrix sit. Quid vero Hesychio planius? Ῥαφὶς περόνη, *Sutura Fibula*. Cui similis Phavorinus, nisi quod jungat σχόδημα Ῥαφὴ forsan scripserat ille primitus. Ῥαφὶς quippe Acus: quam a Fibula separasse ipsum quis dubitat, nisi plane insipidus? Praetereo antiquissimis Graecis sermonis autoribus Homero ac Herodoto non alia similitudine in medicationis partem assumtum esse verbum Ἀκέομαι, quod Latinis *Sarcire*: unde non ineptius Aciam forsan nonnulli, quam alii Acum derivarunt. Qua etiam ratione Acia a Graeco Ἀκια derivatur sententia Cl. Salmasii (8) ad Jacobum Fabricium Peireschium. Acus vero, Ἀκέστρα rectius Luciano (9), quam vulgo apud Erotianum Ἀκέστρια; quanquam Eustathio receptum sit Ἀκέστριον, et Hesychio Ἀκεστρίαι. Ἀκέστρια quippe in Veteri Lexico Graeco-Latino ἡ χαμαιπέστρια *Sarcinatrix*; et Ἀκέστρα *Acus, Acumcula*, in Onomastico Latino-Graeco apud Bonav. Vulcanium; itemque Phavorino Ἀκέστρα βελόνη. Eleganter in hanc rem Cous noster (10): Σκύτεες τὰ ὅλα κατὰ μέρεα διαιρέοντες, τάμνοντες διὰ καὶ κεντέοντες, τὰ σαθρὰ ὑγιέα ποιέουσιν, καὶ ὥνθρωπος διὰ τὸ αὐτὸ πάσχει. *Sutores totis in partes divisis, secando et pungendo, corrupta integra reddunt. Idem etiam in homine contingit.* Senis effatum proverbio cessisse ostendit eorundem ferme temporum

(1) *L. cit. c.* 28. *et* 60 (2) *Chir. Mag. Tr.* 3. *Doct.* 1. *c.* 2. (3) L. 1. *c.* 17. (4) *De Vuln. lib.* 1. *c.* 9. (5) *Vulner. lib.* 1. *c* 9. (6) *Praef. Chir. lib.* 5. *S.* 1. *c.* 16. (7) *Nomencl. r. i veterin.* (8) *Epist.* 45. (9) *Dial. Mer. et Char.* (10) *De Vict. rat. lib.* 1.

illustris morum magister Xenophon (1), quando ait: *ὥσπερ ἱματίων εἰσί τινες ἀκεσταί, οὕτω καὶ ἰατροί. Quemadmodum amictuum fractorum sunt resarcinatores, sic etiam Medici:* Francisco Philelpho interprete. Neque Galenus (2) certe veritus fuit nobilissimam ceteroquin artem medicam interpolatrici et Sartoriae arti comparare. Ita Zeno (3) Romani porticus: « cur in numero viventium me positum esse gauderem? an ut cibos et potiones percolarem? ut hoc corpus caussarium ac fluidum periturumque sarcirem, et viverem aegri minister?» Sic enim malo, autoritate libri Britannici, non quod vulgo, *casurum*, nec ut alii *farcirem*. Bene Celsus: (p. 238. l. 22.) *Tertium est, si quid ibi curti est, sarcire.* qui Cap. sequenti Suturam indicat. Hac ratione Dalechampius Acestrian Antiphanis comoediam apud Atheneum (4) concinne Sartricem seu Medicatricem vertit. Ejus generis antiquus lapis, quem in ruderibus aedium hac inscriptione Ateste repertum prodit Hippolitus Angelerius in libello de Antiquitate urbis Atestinae, cujus autographum vidimus apud Amicum nostrum Illustrissimum Credatii Comitem Jacobum Zabarellam Patavinum magni Philosophi ex filio nepotem.

SAC. DIS. MAN. LUCRE
TIAE. M. L. PLACIDAE
SARCINATRICI.

Neque ab hac sententia multum se abhorrere suis ad Clarissimum Gabrielem Naudaeum declaravit, et doctrina et medendi peritia celeberrimus Renatus Moraeus, Regius Chirurgiae Professor Parisiis Fibulam veterum scribens non fuisse ex Metallo, sed ex Filo, neque contrariam Suturae, quae Gallis vulgo *Entre-coupée* vocatur, Latinis mea sententia *Intercisa* sive *Divisa*: quam Celsus noster a Simplici omnino separavit. Postquam enim dixisset: *orae vulneris inter se simplici sutura committendae.* (p. 233. l. 13.) Subjungit: (p. 233. l. 16.) *aliae Suturae adjiciendae, quae supra tres esse non debent.* Ecce, quomodo Suturae, quae alibi simpliciter Plurium numero dicuntur *oras vulneris comprehendere, et Injiciendae*, hic numero discreto varietatis indice determinantur: uti multiplicem divisam hic indicaverit omnino scriptor politissimus. Quam Suturam si Fibulam voluerit Fallopius (5), quando ait Fibulam apud Medicos filum collectum nodo ad labia vulnerum conjungenda, nihil sane absurdi cogitavit; quum Galenus (6) eadem sententia qua Celsus per Suturas puncta ipsa intelligat, etiam fatente idipsum Eustachio Rudio (7), viro alioquin perspicacissimo, sed qui Fallopium tamen diligentissimum hic erroris arguit. Ea ratione Apsyrtus (8) in equo jubet pectoris cutem, membranasque rescindere, utrique vulneris orae canabinas lineasve fibulas infigere. Hujus igitur cum Fibula ut evidentior sit comunio, intuere, Lector, utramque intimius. Materia, Forma, et Fine convenientes, solo nomine diversae, speciem utique non mutant. Eaedem plane utriusque propterea apud Celsum Proprietates, Cautiones eaedem. Utrobique scilicet *Acus corpus transuit*: In Sutu-

(1) *Cyropaed.* 1. (2) *Ad Thrasyb.* c. 16. 26. 30. (3) *Praef. L.* 1. *Qu. Nat.* (4) *Deipn. lib.* 9. (5) *De Vuln. T.* 2. *Tr.* 3. c. 12. (6) *Meth. Med.* c. *ult.* (7) *De Vuln. lib.* 1. c. 9. (8) *Med. Veter. lib. I.* c. 2. et 47.

ra , *Filum in nodum finitur*, autore Galeno (1); *Vinculum ex duobus linis acu trajectis conficitur* apud Celsum. Hoc autem sine nodo minime factum: quum subdat ipse tempus solvendi Fibulas. Modnm vero, sic tradit Nicolaus Florentinus (2): « cum dissolvendi pnncta tempns advenerit , tunc forficibus incide filum juxta nodum factum ; deinde labia vulneris teneantur ». Vessalius (3) aliquanto clarius : » Sutnra fiebat ex filo, qnod consolidato vulnere subjecta specilli cauda abscindendum, inflammatione finita, et purgato vulnere, ut oras ejus cicatrix devinciat». Jam vero Fibulas quoque incidendas et solvendas pari sensu praecipit Celsus ; apud quem fere septimo die Suturae eximi debent, quae etiam quarto tollendae. Prudenter : ne, quod advertit Vurzius (4), a serici corrodentis mora praeter consolidationis difficultatem cicatrix foeditate ipso vulnere gravior evadat. Quod ipsum ne in facie contingat secundo etiam die Sutnrae demi poterunt. Ut in pauca conferam, rei momentum in varia vulneris glutinatione consistit. Suturam praeterea oris cutis injiciendam ait Celsus ; Fibulam pariter , quae oras vulneris comprehendit, quemadmodum Sutura Imo vero satis uno eodemque loco semel explicuit ipse ; quando inguine inciso ait , *ipsi plagae injiciendae duae Fibulae sunt*. Scroto pariter ; *orae Scroti suturis inter se committendae*. Ut non male ad vocem Fibulae, hic annotarit Rob. Constantinus Ἀγκτῆρες, *Nodi fili trajecti!* quanquam universim malim Suturae apparatum. Sic enim Scribonius Largus (5) de Emplastro viridi Glliconis , quod vocatur Isis : « jungit omnem partem divisam , et Fibulis arctatam ; praecipue cnm Intestina prolapsa, et reposita sunt atque sartum vulnus, quod a Graecis dicitur, γαστρορραφία », nimirnm ῥαφὴ γαστρὸς τετρωμένης, vulnerati ventris connexio. Haec tamen Sutura penitus a Fibula non videtur aliena ; etiamsi praecepto Celsi iisdem filis iisdemque acubus fuerit continua. Fibula nempe si laxiore nominis usu, ob communem uniendi rationem , apud Largum cujuscunque partis divisioni, quidni ventris etiam, convenit ? Si tamen proprie consideretur Fibula, Suturae Intercisae forma aequali pnnctorum distantia ejus cum Fibula Vestiaria similitudinem non parnm illustrat. Qood enim fibula longa serie vestem commisit , omnis vetustatis certissimus autor Homerus indicat *(Odys. 6.)*

Αντινόῳ μὲν ενεικε μέγαν περικαλλέα πεπλον
Ποικίλον· ἐνδ᾽ ἄρ ἔσαν περοναι δυοκαίδεκα, πᾶσαι
Χρύσειαι, κληῖσιν ευγνάμπτοις αραρυῖαι

Antinoo quidem portavit magnam perpulcram vestem
Variam, intus autem erant fibulae duodecim, omnes
Aureae , juncturis bene flexibilibus congruentes (a).

Quod Phavorinus de peplo notavit. Graecum vero ευγναμπτοις privatim Juncturas videtur aduncas sive nncinatas inferre. Proinde Jeremias Hoeltzlin (6) recte vertit Apollonium Rhodium :

δῦνε δὲ πεπλον
Καλον , ευγναμπτοισιν ἀρηρεμενον περονησιν

(1) *Com.* 2. *T.* 8. *Hip. Offic. Med.* (2) *Serm I. Tr.* 4. *Sum.* 1. *c.* 48. (3) *Chir. Mag. L.* 3. *c.* 8. (4) *Chir. Vuln P.* 2. *c.* 6. *et* 9. (5) *Comp.* 206. (6) *Argon.* 3. *v.* 832.

tum peplum innuit
Pulcrum, affabre inflexis aptum fibulis.

Quod venuste Corippus expressit:

Aurea juncturas morsu praestrinxit adunco
Fibula

Mantissae loco accedit, quod pene praeterieram: quod apud Celsum *utraque* (Sutura et Fibula) *eatenus utilis, qua cutis ducentem quasi sua sponte subsequitur*: idemque Fabrit. ab Aquapendente (1) de Puncturis etiam pronunciat. De Sutura Chirurgorum cum Falloppio intelligit Cl. Sanctorius (2). Ab hac mente Vidus Vidius (3): « Fibula Suturae similis est, quum acu filum ducente admoveatur ad conjungenda ea, quae conjunximus. Differt antem quod non accipitur Filum perpetuum, veluti in Sutura; sed ubi trajectum est per utrumque labrum, praeciditur, ac nodo alligatur: quanquam latius patet Fibnla, quam Sutura, quum clavis tam ligneis, quam metallicis distineat inter se conjuncta, quae alioquin separata ». Et mox: « Fibula fit per acum ducentem filum sericum, aut ex lino, non secus quam Sutura, easdemqne animadversiones requirit ». Recte ac erudite; modo simplicem suturam non accipiat. Cetera qnae de Fibula Mechanica addit, ex iis quae supra dixi plana sunt. Sed reciprocum etiam Suturae ac Fibulae usum ingerit Galenus (4), apud quem ex veteri Codice legitur: ἢ αγκτηρες αρκεσουσιν, η ελαχισαι πανυ ραφαι: *aut Fibulae satis erunt, aut minimae admodum Suturae*. Quin latinis etiam scriptoribus *Sutum* esse Fibulatum, et *Resutum* refibulatum Svetonii autoritate Salmasius probavit. Adde, quod apud Jul. Pollucem de Sartore et Acu dispntantem Ραφὴ pariterque Ραφὶς *Fibula* sit Gualtero, quae aliter Glossario Veteri Acus Luciano etiam satis probati sermonis autori συῤῥάπτειν περόναις, apud Salmasium est, *Fibulis chlamydem connectere*. Sed, qnod hic palmarium censeri potest, apud Galenum (5) communem Artis Medicae magistrum ἡ ραφὴ fit κατα θῆξιν; Janus Cornarius vertit, *per Suturae adductionem*; acutissimus Galeni assertor Gaspar Hofmannus rectius, *per acum Suturam* Hesychio nempe Θῆξις, ςημή; quod Puncturam interpretari licebit. Ac ne illud omittam apud Celsum, *acus transuit*: *injectum vinculum mordet*: de utraque Sutura nempe, et Fibula effertur. Quum itaque similium eadem sit ratio; Fibulae aeque proprium, quam Suturae, Linum colligo. Unde nec immerito Vessalius (6) Fibulam Snturae speciem, seu verius instrumentum, censuit. Suturam tamen Simplicem, et Multiplicem Continuam, Celso distinctam a Fibula scopi diversitate, quam suppeditat Vulneris conditio, certum est: nec alia ei quam diversi modi cum Fibula discrepantia intercedit. At ne longius abeam, Galeni (7) verba suut. « In trasversis vulneribus (sub quibus Fabricius ab Aquapendente etiam Obliqua comprehendit) quod labra ipsorum magis dissidentia conjungi diligentius postulent, tum Suturis, tum Fibulis, utendum. Qnae vero per longitudinem musculorum facta, si a duplici initio diligcs, nec Suturis, nec Fibulis egebis». Quam sententiam ad Glau. (8) brevius, sed apertius repetit: « Si in profundum vulnus protendatur, et Suturis et Fibulis solemus in unum co-

(1) *Pent. Chir. Lib.* 2. *c* 5. (2) *Loc. cit.* (3) *Chirurg. l* 4. *c.* 1. (4) *Meth. Med. Lib.* 8. *c.* 10 (5) *Lib.* 2. *de med. sec. loc. c.* 2. (6) *Chirurg. Mag. L.* 4. *c.* 8. (7) *Meth. Med. L.* 3. *c. post.* (8) *L.* 2. *c.* 8.

gere. Suturae vero quicquid deest, Fibula facile supplebit » : Quorsum vero tot punctis vulneratum cruciare aut deturpare juvat, ubi praesto est compendii gratia? Ea propter Suturamne intellexerit Magister Siccam, decernant periti. Idemne voluit ille fortassis quod Celsus, qui etiam in palpebris Suturae simplici alias Suturas adjiciendas consulit; quas omnino discretas paulo ante ostendi, adeoque nihil a Fibula diversas? Glutino Suturam quidem firmari notum est. Solum tamen ne faciei quidem vulneribus sufficere observat Incertus scriptor ante laudatus, quod superficie tenus duntaxat sanet. Ideoque Fibulam is postulat, quam acu et filo conficit. Sola pariter Fibula contentus fuit Celsus, quando exiso ex toto Fistulae callo suadet Fibulas superdandas, et medicamentum quo glutinetur. Sed etiam in sinu recto exciso fibulam oris cutis injiciendam postulat. Fibula igitur cuti summae imposita fuit, etiam in alto vulnere: quale extra dubium fistulae transversae. Sed in vulnere Musculi quoque transversi Suturam prorsus damnat Avicenna. Et vero Fibulas suturis junctas nimis vincire Fabricius ab Aquapendente loco pridem nominato animadvertit. Quis demum, mi Guido, Hamulis in capite locus? Celsus exemta quidem tota Steatomatis tunica jubet committi oras, fibulamque his injici. Galenus etiam in mediocribus capitis vulneribus fibulas usurpat; potissimum, ubi non licet uti Fasciis, monente Vessalio (1). Nimirum, « ubi cutis fere sola, et cum pauca carne subjecta est vulnerata, ut in fronte, et etiam ubi ligatura fieri non potest, et evitatur Sutura, ne ex punctis sequatur non minor quam ex reliqua cicatrice deformitas, ut in vulneribus faciei »; quemadmodum erudite Salvus Sclanus in Comment. Art. Medic. (2) annotat: sed ex sua opinione, quam supra expendi. Galenum tamen Fibulae nomine glutinum noluisse verum Suturam ex mente Celsi, quando sic de Capitis Vulnere scribit (3) *δεῖ χρῆσθαι τοῖς κολλητικοῖς καὶ ἀφλεγμάντοις φαρμάκοις προαγκτηριασαντας ταχείλητααλκους* « convenit uti glutinantibus et inflammationem arcentibus medicamentis, oris ulceris fibula prius commissis »; persuadet Æginetа cum Aetio (4), quorum uterque addictissimus doctrinae Galeni, quam ipse hac in parte Apollonio ingenue reddidit, Suturam in Steatomate imperavit. Horum sententiam cum Fabricio ab Aquapendente probavit accuratus juxta et ingeniosus vir M. Aurel. Severinus (5) Neapoli primarius Anat. et Chirurgiae Professor. Et quomodo maxima fili mollities, pro fibula post Celsum a Galeno (6) desiderata, cum Hamis subsistet? Suturam igitur eam a Veterum Chirurgorum Fibula Vulneraria parum distare, tum demum abunde planum erit, simulatque licuerit aliorum de Fibula nodum expedire.

CAP. XI.

RECENTIORUM QUORUNDAM DE FIBULA CHIRURGICA FUNDAMENTUM EXCUTITUR.

Herculeo quidem ille nexu difficilior non est, quamvis primo aspectu

(1) *Chir. Mag. L. 3. c. 5.* (2) *L. 3. T. 47.* (3) *Lib. 2. De Comp. Med. sec. Loc. C. 1.* (4) *Tetrab. 4. Serm. 3. c. 8. L. c. 36.* (5) *De Absc. an. c. 26. L. 5. c. 26.* (6) *Meth. Med. L. 6. c. 4.*

satis implicitus. FIBULA quippe priscis indifferenter Vinculum erat Metallicum. Fateor. Sed quae Machinis continendis inventa. Neque haec tamen semper talis: verum et lignea, et cannabina, ut non minori similitudinis efficacia, Vulneraria pariter ligneam aut lineam obtinuerim, a Metallica toto caelo differentem. Figurae quoque vis exigua est. Eam arbitror enim vario usui fuisse aptatam, omnique aetate Chirurgis, quae caeteris Artificibus concessam variationis libertatem. Vestiariam, et Militarem dum urgent alii curiose ex erudita Antiquitate depromtam, suis semet conficiunt armis. Quantum enim a Vulneraria discrepent, ipsae satis produnt. Tales vero quae in Antiquariorum scriniis omnes. Neque a Comica sive Theatrali sine ambiguitatis fuco plus subsidii. Praeterquam enim quod adhuc in dubio est hujus Materia, quam nemo ad nos plane trasmisit; communi quidem cohibendi usu reliquis congruens peculiari scopo prorsus dissidet. Cornelianam vero seu Vulnerariam Vinculum etiam fuisset Metallicum; non magis quispiam eliciet, quam cetera fila Chirurgis necessaria unius aerei exemplo metallica esse. Similitudo etiam quam plerumque claudicet Scholis notum, quae μετάβασιν εἰς ἄλλο γένος, non minus quam Sophismatum spinas declinant. Vulgatissimum Aristotelis (1) est: ἀνάλογον οὐχ ὅμοιον. Quod vero Fabricium ab Aquapendente inter principia ubique torsit, argumentum mitius est, quam ut ingeniosis crucem figat. Filo namque exemto Fibulam indi scribit Celsus; sed Comicam. Nec ulla ratio, cur Fibula Chirurgica non sit ex filo. Materiam enim Fibulae variam, pro finis diversitate, usus indicavit. Quamobrem Oribasii et Guidonis autoritate cum aliis frustra Rudius aes aut ferrum Fibulae vulnerariae materiam statuit. At enim, ut vel talem demus fuisse illam, nemo tamen spero ingenii ita erit duri, qui non infibulationem, de qua peculiariter Celsus, a Vulnerum glutinatione diversam agnoscat. Sed neque, ut putat Vir ille doctissimus, adeo usque absonum videtur, materiam hanc esse mollem quod talis etiam Suturae; quandoquidem plerique eam communem agnoscunt. Artificis vero imperiti esset, aut negligentioris, non recte filum indidisse vulneris; quo minus, quod a mollitie metuit ipse, labia longe distantia non dilaceret, ipsumve rumpatur, aut difficulter trajiciatur ob crassitiem. CELSUS igitur in auxilium vocandus, ut litem amoveat, quam ipse nullo studio invexit. Is uempe affirmat, *quo saepius Acus corpus transuit, quoque plura loca injectum vinculum mordet, eo majores inflammationes oriri.* Quibus certe nihil planius. *Acus corpus transuit.* At Galenus (2); *Acu non sola, sed sequente filo trojiciuntur, quae suuntur, et nodo inter se adstringuntur.* Postrema haec apud Celsum scite: *inter se nodo deligantur* Obscurae brevitati ex ipsa Barbarie lucem dat Nicolus Florentinus (3), qui modum expressius tradit: « Prius utramque suas extremitatem cum filo, nodum in eis faciens: postea ex utraque extremitate dimisso unius digiti spatio sue, et nodos fac; deinde in medio sue, et nodum fac». Solitarium autem Celsi pronunciatum Hippocraticae breviloquentiae imitationi concedendum, quum Aciae pridem meminisset. Neque ei hoc uni peculiare. Jubet inter Barbaros etiam Brunus Vulnera sui, sine ulla adjectione, Vinculum innuens lineum omnibus notum, quum ex-

(1) *Hist. Ani. L.* 2. *c.* 1. (2) *Comm.* 2. *T.* 8. *Hipp de Offic. med. L.* 6. *c.* 13.
(3) *Serm.* 7. *T.* 4 *Sum.* 1. *c.* 48.

presse subjungat : *fac no lum in quolibet puncto per se.* Rolandus (1) pariter, et Lanfrancus (2), quibus conformis Rogerius (3). Eumque esse verum ejusmodi locutionis sensum monstrat aperte Celsus, quando ex duobus linis acu trajectis Vinculum adfert. Quod ipsum purissimi sermonis Autori vere *injectum*, alibi satis superque probatum fuit. Linum autem *Mordere* non usque absurdum; quamvis non fuerit acutum atque ex metallo conflatum: siquidem Columella (4) etiam cavendum praecipit, ne vinculum incidat, et truncum strangulet: quod tamen vimineum erat. Vimen autem, quum inaruit, penetrat , et insecat corticem. Inde Palladius Rutilius (5) optime. « Ligatura in vitibus locum debet mutare , ne unum semper assiduitas conterat vinculorum». Et clarius: «novellam mollibus vinculis alligemus. Quia eam teneram vincula duriora praecidunt». Item. «Palmites ad arborem non duro vimine ligentur , ne eos vinculum recidat , aut atterrat» Inde Celsus vere scribit, lini capita paulatim secando excidere. Nec etiam Poetis Fibulam Vestiariam , a nostro sensu longissime remotam , describentibus aliud sane hac voce quam complexum arctiorem Translatione paulo remotiori elegantius et signatius demonstrare libuit. Mordere quippe Fibulam cum Divino Poeta finxit Naso (6) horumque exemplo Symmachus :

At mihi castrensem quod mordet fibula vestem.

Et Corippus (7) :

Aurea juncturas morsu praestrinxit adunco
Fibula.

Cui persimile Calphornii (8) :

. . . . *mihi sordes* ,
Pullaque , paupertas , et adunco Fibula morsu
Obfuerant.

Quo modo magnus Tertullianus de Pallio : *in Fibulae morsu humerus acquiescebat* ; et D. Hieronymo fibula *chlamydis mordebat oras*. Similiter Matthaeus Parisius ad annum CIↃ CCI. *Archiepiscopus firmaculum , quod vulgariter morsus dicitur* , *avulsit.* Quod Gerardus Vossius (9) recte de fibula intelligit. Mordentem quoque eodem sensu posuit Statius.(10), non quod ea laceret; sed dentis instar infixa cum tempore forsan atterrat , ac mordere videatur : quemadmodum Guidus Pancirolus recte Ovidium interpretatur. Neque enim insolens orationis sublimitas , qua rebus sensu carentibus actum damus. Ac licet id ipsum vere contingeret ; non tamen solius id metalli aut corporis cujusque durioris , sed etiam asperioris est. Sic Angelus Monosinius Accademiae Florentinae nomine magni Vocabularii autor *Mordere* non male reddit *Stringere co' denti.* Pulchre Symmachus (11): *Praeconia virtutum presso dente perstringere.* Verum et apud Celsum *telo inter duo ossa demerso* , *locus ipse mucronem mordere* dicitur , hoc est, arcte adeo stringere, ut telum nisi aliquo ferramento ictum aut terebra foratum non possit excutit. Hunc in modum ad insitionem scite alludens Felix Ennodius (12): «Novelli dentibus virgulti fructum surculi me-

(1) *Chir. L.* 1. *c.* 10. (2) *Doctr.* 3. *Tr.* 3. *c.* 2. (3) *Chirurg c.* 13. (4) *Lib* 4. *c.* 26. (5) *De re rust. L.* 1. *Tit.* 6. *L.* 4. *Tit.* 7. *lib.* 3. *Tit.* 3. (6) *Meth.* 8. *L.* 1. *Epist.* 1. (7) *L.* 2. *Num.* 2. (8) *Eclog* 7. (9) *De vit. Serm. Lib.* 3. *C.* 12. *Ep.* 49. (10) *Theb.* 7. (11) *L.* 10 *Ep.* 1. (12) *Dict.* 8.

lioris accommoda: veniat pomorum successus; dum ore tenero sublimior ab illo te docente planta mordetur». Inanimatis etiam hoc admodum eleganter tribuunt Poetae, in quorum numero Lyricorum Princeps Horatius (1) nequicquam postremus:

. . . . Lyris quieta
Mordet aqua, taciturnus amnis.

Quin et apud Martialem eodem quo Germanis significatu verbum hoc Frigori tribuitur, cui per se nihil cum duritie, ne dicam cum Metallo, commune. Locus est obvius (L. 8. Ep. 14.).

Pallida ne Cilicum timeant pomaria brumam,
Mordeat et tenerum fortior aura nemus.

Itemque apud Horatium (2)

Matutina parum cautos jam frigora mordent.

Quando nimirum (3)

. . . . Boreae penetrabile frigus adurit,

postquam gelu ex mente Philosophi calorem universum coegit. In hunc modum Minutius Felix (4): *jam providentiae quantae ne hiems sola glacie ureret.* Plinius Valerianus (L. 3. c. 15) identidem. « Articuli ut frigora et pruinas sustineant, nec adurantur, malo terrae contuso, adjecta axungia veteri, perungatur ». Sic enim locus hic vere legitur. *Ad ignis et frigoris adustionem Rutae folia* laudat idem. Affine his illud Symmachi (5) in Epistola ad Ausonium: *Aemuli venena Lectoris vereri ne libellus admorsu duri dentis uratur.* Optime Lyricus (6)

Jam dente minus mordeor invido

Sed et curae notio huic verbo subest. Unde *mordaces sollicitudines* (7), Et, *morsus animi*, apud Senecam (8). Item, *tacitus morsus* (9). Nec minus eleganter corporis dolorem indicat. Qua ratione de Cepis Aemilius Macer in membranis MS. Jacobi Zabarellae:

Intingens oleo coctas qui sumserit illas
Sedat quos intus dat dysenteria morsus.

Paulo significantius quae in vulgatis *morbos*. Ceterum, ne a Celsi verbis recedam, neve ultra disserentis scopum similitudo extendatur, en ejus mentem, ubi de Ani Fistulis: (p. 222. l. 16.). « Recens linum alligandum, eductoque vetere, id in fistula cum simili nodo relinquendum Sic enim id paulatim cutem supra fistulam incidit». Et mox»: id quod ab eo mordetur, inciditur ». Paucisque Interpositis: *Qui festinat, adstringere cutem lino debet, quo celerius secet.* Cui simile, de Staphylomate Oculi: *Lini dua capita adstringere inter se, quae paulatim secando id excidunt* (234, 6.). Idem simplici filu serico rubro, propter tincturam chalcanthi magis penetrabili, adscribit Fabricii ab Aquapendente. Heque. aliud sane ab Acia exspectandum; nisi cera candida oblinatur. Forma etiam parum dissimili Hippocraticum 'Αδαζέσαι Galenus in Glossis Hippocrateis vertit *cum pruritu morderi*, sive *lancinari*. Hesychio Α'διάζα, κνήσομαι: ubi legendum procul dubio Αδαζω; veluti apud Phavorinum post Suidam Αδαζῆσαι, κνῆσαι, λυπῆσαι, prurire, dolere; et fortassis Κνήτομαι, id est, *Prurio*: quo verbo

(1) *Cas. L. 1. Od.* 31. (2) *Serm. L. 2. Sat.* 6. (3) *Georg.* 1. *v.* 93. (4) *Ar. L. 3. Probi* 26 (5) *L.* 1. *Epist.* 31. (6) *Hor. L.* 4. *Od.* 3. (7) *Id. L.* 1. *Od.* 18. (8) *De pror. c.* 4. (9) *De Tranq. an. c.* 1.

Gentium Doctor delectatus (1). Sed priusquam hinc discedam notabile illud Plinii (2) hoc loco non omiserim : *Cumanae plagae conciidunt apros, et hae cassesve ferri aciem vincunt.* Utcunque enim haec verba cum aliis vetustioris Codicis diversi sensus permutentur , nihil dotibus lini discedit. Quid enim efficacius , si ad Cumanas plagas concidunt apri , et si casses ferri aciem convincunt? MORDERE itaque rei duriori proprium qua ratione Latini omnes suturae ac Fibulae censuerint, nemini alterius dubium credo. Inexplicabilis longe animo laqueus videtur , quod 'Ἀγκτὴρ eodem sensu et usu apud Galenum (3) sit metallicus , quo apud Celsum (229 , 36.),qui de malis[Oculorum]scribit, «quod Medicus Hamulum acutum paulum mucrone intus recurvato subjicere extremo ungui debeat , eumque infigere » : nulla hic facta Retusi mentione, sed ferramentorum , quibus tenuibus et retusis venae adurendae Ejusmodi Hamulum Galenus appellat "Ἀγκιστρον διακείρων, id est, *Hamum trajicientem*: non quod venas perforare expediat, sed partes vicinas, ut eis commodius subjiciatur, quemadmodum, in hunc locum egregie Fabius Pacius. Retusi quoque usum esse, aliquid excipere , ac protrahere , ubi fuerit paulum recurvatus , docuit Celsus. Talem Hamum bene Galenus (4) , *nec acutum* , *nec hebetem* appellavit. Quod vero Celsus monuit, (p. 252. l. 16.) «mediam tunicam duobus hamulis juxta ipsas oras vulneris in inguine apprehendi debere»:dixit ipse «Hamulo excipi (p. 230. l. 29.) , et Hamis excipi » : licet vulgati Codices omnes legant *exoidi* ; Vetustior etiam Florentinus M S. Verum Constantini emendationem tuetur mens Autoris , ceteraeque dicendi formulae huic similes. Haec enim ipsius verba sunt (p. 252. l. 25.) : « ea tunica eodem modo duobus hamis excipitur , sic ut a ministro testiculus eatenus contineatur, ne per vulnus exeat, etc. »: Planius sub Nilei Collyrio (p. 195 l. 15.). « Si induruit et sic emortuus est (oculus) ne in pus vertatur , quatenus foede prominebit , excidendus erit , sic ut Hamo summa tunica apprehendatur : infra id deinde scalpellus incidat ». Et de Condylomatum curatione: « Si id (capitulum Condylomatis) majus est, et basis latior, Hamulo uno aut altero excipiendum est , paulumque supra basin incidendum , neque relinquendum quidquam ex eo ». Quando etiam Celsus proxime junxit *Hamulo excipere* , *et circumcidi* , vel *excidi* , mox distinctius ait *Hamulo excipere* , *et scalpello excidere*. Sed neque ullam Scriptori Romano dicam impingit, quod Galeno placuerit 'Ἀγκτηριασμὸς; ἀγκτηριάζειν et ἀγκτῆρας ἐπιτιθέναι. Jam enim satis monstratum, hujus generis dictionem ei consuetam , ubi ne minus metalli usus. Taceo , quod 'Ἀγκτὴρ. Latinis *Hamus*, communi apud Germanos appellatione *Hafte*, sed materia ad usum distincta , modo de vestibus, modo de Vulnerum unione usurpetur (5) ; eodemque idiomate *Fibulare* quod Germaniae Chirurgis , et *Haften* ; e quibus nemo alia voce aptius exposuerit illud Celsi (p. 239. l 24.): *Suere inter se junctas oras*. Ideoque nec abs re Rob. Constantinus 'Ἀγκτηριασμὸν ad Celsum *Fili trojecti nodum* interpetratur. Populus enim universus (ut recte Varro (6)) qui rationi obtemperabit , in omnibus verbis uti debet analogia ex recta consuetudine nata. Quae cum non sit na-

(1) 2. *Tim.* 4. (2) *Nat. Hist. L.* 19. *c.* 1, (3) 2. *ad Glau.* (4) *Admi. an. L.* 8 *c.* 4. (5) *Fel. Vurtz. Chir. Vul. P.* 1, *c.* 3. (6) *De Ling. Lat. L.* 8.

turalis, nec demissa a Coelo, sed voluntaria (1); quid mirum, de iisdem rebus alia verba habere Graecos, alia Latinos? Eorum autem significatio unde petenda optime docuit Galenus (2): « Si Assyriorum lunguae vocabulum sit, ab ipsis res discenda est, qui nomen illud indiderunt; sive sit Persarum lingua, aut Indorum, aut Arabum, aut Æthiopum, aut omnino aliorum quorundam, illos percunctari oportet ». Neque huic sententiae moram innectit Oribasii (3) Hamus. Hoc enim Autore Uncis Fibulae continentur in Nilei Plintheo. Unde etiam Hamus, a Galeno Machinis accensetur. Sed et Hamus Celsi; quem ipse Ferramentum uncum vocat, Chirurgorum vulgus *il Rampino*; a Fibula longe diversus est. Neque enim ejus, ut Fibulae, munus erat, partes diductas continere; sed quod modo ostendi, excipere, subjici, extrahere, plagae oras diducere, quandoque tunicam; ut quae manum desiderabant ante oculos essent, et Linamenta oris insererentur; interdum etiam, docente Ægineta (Lib. 6. c. 62.) tunicam attollere. Cujus contrarium quamvis ex aperto Celsi loco erui posse videatur, quandoquidem *reperti, qui inductis per retusos hamos oris, insererent linamenta*; ut non frustra quidam exinde forsan opinari possent, oras per ejusmodi hamos fuisse junctas: quandoquidem et ipsi *inductae vulneribus cicatrices sunt*, ubi orae plagarum commissae. Hoc tamen autoris verbis adversatur, et rationi. Id nempe factum refert ipse, « ut neque inter se cutis antiqui fines committerentur, ut in medio caro cresceret, quae venas, ex quibus humor ad oculos transiret, adstringeret ». Quod a Fibulae officio alienum, suo loco satis ostendi. Taceo quam foret difficile, imo, sine effectus spe, oris per hamos inductis sive arctatis, id tentare. Proinde non sine aliqua providae diligentiae laude Rob. Constantinus ope veteris Cod. in margine Editionis Rovillianae Anni 1566 pro *inductis* suffecit *diductis*. Quam vocem quum in ullo Antiquorum Codicum Italiae hactenus observarim, nihil meo more in communem lectione nuquam mutandum censui, praeter levem incisi rejectionem, ut continuato sermone ad sententiae veritatem legatur, *inductis per retusos hamos oris insererent linamenta*. Cui eo faciliorem spero locum, quod conjecturae huic meae favere nunc videam reliquos omnes libros et calamo et typis exscriptos, praeter unicum Viri Nobilissimi Vincentii Pinelli, quem eruditissimi Pauli Aicardi familiaris ipsius, et domestici manu diligenter emendatum habeo. Quidni igitur hic receptae lectionis sensus erit? Divisa cute, oris scalpello inductis, non ortis naturae vitio, et per hamos retusos apprehensis inserenda esse linamenta. Quem ne audacius videar ex ingenio commentus, ecce pro me Plinium Juniorem (4), qui sermonem inductum patrio velut alienum opponit. « Omnes qui placendi causa scribunt, qualia placere viderint, scribent: at mihi quidem confido in hoc genere materiae laetioris styli constare rationem, quum ea potius quae pressius et adstrictius, quum illa quae hilarius et quae exultantius scripsi, possint videri accersita et inducta ». Sed eundem alibi animum distinctius idem significavit (5): « Invideo Graecis quod illorum lingua scribere maluisti. Neque enim conjectura eget, quid sermone patrio exprimere possis, quum hoc insititio et inducto tam praeclara opera perfeceris ». Addo, expressis Celsi verbis.

(1) *Quintil. Inst. Orat. L. 1. c. 6.* (2) *L. ad Thr. An. Ars tu san ad Med. spect. C 32.* (3) *De Mach. c. 8.* (4) *L. 3. Ep. 18.* (5) *L. 4. Ep. 3.*

Utrinque oras hamulis excipiendas. Jubetur etiam *minister oras vulneris leviter deducere manibus suis, vel etiam duobus hamis membranae interiori injectis*. Hamum praeterea Guidonis non tantum a Fibula, sed a Celsi Hamo, differentem plane evincit figura literae S productioris: ut sileam, ex ejus usu apud Celsum proposito manifestum esse, Hamulo suum fuisse manubriolum, aut stylum saltem longiusculum; nec (quod Fibulae proprium) in cute et carne ipsum unquam relictum. Fibulam insuper ex Acia factam aperte tradit Celsus, Acia vero, si vel maxime filum esset ex metallo diductum, talis Hame officio nihilominus impar foret. Secus si existimasset ille, quorsum *Ferramenta* nominasset *tenuia*: quae ipsi nihil aliud, quam instrumenta Chirurgo necessaria? Parum etiam adversus nos facit Guidonis de Hamulis opinio, cui alibi obviam itum. Hoc saltem dissimulare nequeo, Celso nostro eum adscribi Fibulae usum, quem ipse nunquam in literas retulit, qnique ex ipsius verbis nulla ratione potest colligi. De Fibula enim haec prescripta ejus verba sunt: « Si vero in carne vulnus est, hiatque neque in unum orae facile attrahuntur. Sutura quidem aliena est. « Imponendae vero Fibulae sunt (Ἀγκτῆρας Graeci nominant) quae oras (paululum tamen) contrahant, quo minus lata postea cicatrix sit ». Et rursus; « Comprehendi vero Sutura vel Fibula non cutem tantum, sed aliquid ex carne, ubi suberit haec, oportebit, quo valentius haereat, neque cutem abrumpat. » Ut nihil dicam, ad Celsi mentem et antiquorum frustra usum provocari. Ingeniose quidem Paraphrastes, parum tamen ad Celsi mentem; nec sine difficultate a mora satis operosa: « Haec fuit Fibularum, sive Hamulorum impositio apud Celsum: ubi in carne vulnus erat, hiatque, neque in unum orae facile attrahebantur, unde Sutura aliena erat, Fibulae vulneri imponebantur hoc modo: Altero Fibulae unco (geminis enim constabat, incurvo altero, in formam literae S productioris, et utrinque aduncae) labrum alterum vulneris cum carne et cute prehendebatur ab intus a carne incipiendo. Reducta deinde Fibula labrum oppositum altero unco corripiebatur ab extra, cutem prius quam carnem mordendo. Sicque plagae hiantis orae, quae propter distantiam consui non poterant, revocatae continebantur». Sincerius Guido in hanc arenam productus, cujus verba ex dictis repetenda veniunt. Neque is multum alienus ab ea specie, quae hami extremum refert. Ad hanc propius efficta erat, quam non ita multis abhinc annis in Theatrum Patavinum doctrinae causa proferebat V. Cl. Franciscus Plazzonus Adriani Spigelii Collega, immaturo fato summae exspectationi ereptus, postquam nostri et prioris aevi operationes Chirurgicas frequenti corona παραλλήλως instituisset. Cujusmodi et Magistrorum Parisiis Hamuli, ipsorum lingua *Happes* Quos ut facilius excidere concedo cum Felice Platero subacti judicii Medico, nisi extrema fuerint in se probe adducta et obliquata: sic minori dolore labia vulneris stringere ostendit plane figura simplicior altera, minusque laboriosa. Nec tamen alii his aptiores videntur, qui non dissimiles S Latinorum longiori, quanquam uncis in diversum utrinque recurvis duplici semicirculo possint firmius haerere. Longiuscoli enim, quales omnino sunt ad semicirculatorum formam, dum majorem occupant sedem, oras vulneris vel maximi nunquam contrahent, nisi longius nec juxta fines iis inuncata cutis integra: quod recenti exulceratione molestum, et dolore incre-

scente ex inflammatione noxium; quem eiusmodi Fibulis a Ligatura compressis omnino augeri certum est. Omitto, sic parum glutinari oras, atque in longum duci sanationem. Quae incommoda licet tantopere a brevioribus exspectari non possint; ii tamen, quantulumcunque demum fuerint introrsum flexi, ne suo quidem vacant incommodo. Enimvero labra vulneris quomodocunque committant, nunquam non id faciunt inaequaliter ut reliqui, dum parte sui inclinata, modice intumescente seu leviter incurva, carnem comprimendo oppositam plagae oram sinu exceptam cum deformi cicatricis inaequalitate relaxabunt, contra Hippocratis decretum, *(De Med.)* qui jubet τὴν οὔλωσιν ὁμαλῶς διὰ παντὸς ποιῆσαι, *concretionem aequabilem per totum reddere*. Neque huic vitio medicamentum, quo plaga glutinetur, injectum ita remedio erit, ut ligatura tergus linamento tectum varie non impellat, et cicatricem inducat deformem: siquidem filum id metallicum non convenit adeo subtile sive ita mollitum, ut quaqua versum cedat, modo munere suo dextre perfungi debeat. Commodiorem itaque figuram Hamulis praebere vetustum Sigma Graecorum ad similitudinem literae C ab utroque latere lunatum, conjectura fortassis haut usque inanis erit: licet Viri Antiquitatis notitia clarissimi se tales rarius vidisse referant. Quibus etiam libens assentior: quandoquidem isti non de alia, quam Vestiaria, intelligi debent Fibula; circa quam omnis ferme Philologorum cura versatur. Ejus vero characteris frequentia insignis adhuc Ravennae ad D. Vitalis Ædem loculus e marmore candidissimo Isaci Exarchi elogiis Jamblco trimetro illustratus conspicitur. Quem primae apud Graecos aetatis etsi non dixerim, quum diversam ejusdem literae speciem, praeter varias statuas atque tabulas, praebeat Numus argenteus ΛΥΣΙΜΑΧΟΥ ΒΑΣΙΛΕΩΣ titulo celebris: illius tamen vetustatem non ignobilis notae attestatur alter aeneus in Pinacotheca Viri Consultissimi Joannis Galvani Professoris Patavini, quem paucis hactenus notum aliquoties inspicere licuit.— In tessera pariter vitrea ludis ni fallor dicata, quam Equiti Puteano libens debeo, talis exstat figura. Et quidem Constantini Imp. aetate hanc innotuisse locupletissimum praebet argumentum Publius Optatianus Porphyrius, qui ejus ad C. Latinum similitudinem apertissime declaravit Verum, et intra Romani Imperii translationem in Orientales plagas ejusmodi schema σιγμοειδὲς et semicirculare usurpatum indicat Poeta ingeniosa allusione in Apophoretis (1):

Lunata scriptum testudine sigma
Octo capit: veniat quisquis amicus erit.

Nec minori lepore Graecam ejus appellationem rei convenientissimae aptavit idem (2).

Septem Sigma capit. Sex sumus, adde Lupum

Pro facultatum quippe magnitudine conjectura Josephi Scaligeri (3) id majus et minus fiebat; ut modo septem, aliquando octo, nonunquam plures caperet. Eamque Sigmatis sive semicircularis lecti antiquitus fuisse effigiem mensis rotundis accomodatam, etiamnum Romae in monumentis veterum passim conspicuum est. Qualis etiam in antiquissimo Bibliothecae Vaticanae Virgilio picta hodie videtur. Antiquitatem hujus tamen shema-

(1) *L.* 14. *Ep.* 87. (2) *L.* 10. *Epist.* 48. (3) *L.* 3. *Epist.* 281.

tis vix ausim cum eruditissimo Fulvio Ursino (1) ex remota satis Athenaei (2) memoria repetere. Quamvis enim apud Agathonem Tragicum in Telepho ibidem illiteratus quidam Thesei Inscriptionem declaraturus dicat,

Σκυθικῷ τε τόξῳ τρίτον ἦν προσεμφερὲς
Schytico arcui elementum tertium simile ;

dubium nihilominus est, quae fuerit ejusmodi arcus figura. Nec sine causa, quum Theodoctes Phaselites ibidem rusticum literas nescientem Thesei quoque nomen sic designantem inducat:

Τρίτον δὲ ἑλικτῷ βοστρύχῳ προσεμφερὲς
Tertium capillo in cirrum retorto simile

Pastor etiam literarum imperitus in Theseo Euripides hoc modo:

Τρίτον δὲ βόστρυχός τις ὡς εἱλιγμένος
Tertium capilli cirrus tanquam advolutus

Et post.

Τὸ λοίσθιον δὲ τῷ τρίτῳ προσεμφερὲς.
Ultimum est omnino tertio simile.

Cujus ratio quanquam nobis obscurior, Casaubonus tamen summi vir judicii nec ulli Graecanicarum literarum peritia secundus priorem Σ figuram ad Libri oram retinuit: quam ab arcu diversam nemo non agnoscit, quidquid summis viris Justo Lipsio (3) et Josepho Scaligero (4) placuerit; nisi angulis obtusioribus velimus, aut in longum extensam: qualem refert apud Joa Galvanum Numus Argenteus clava spoliisque Herculis nobilitatus. Neutra tamen ad rem nostram. Quanquam vero libenter largior magno Lipsio, sigma flexile obtinuisse primum, et post iterum evicisse; semiorbiculatum medii duntaxat; ratio tamen nulla est cur Scythicum arcum Σ schemate credam, etiamsi in uno crinium anulo sive statione concinnus Poetae εἱλιγμένος, hoc est, flexilis ac tortuosus, seu per gradus multiplex, ut in vitium capreolo, qui Varroni (5) est intortus, ut cincinnus. Qui namque in capite elegantissimae statuae marmoreo apud Hieronymum Gualdum veluti fluctuantes conspiciuntur sinus, Martiali non inepte (6) *comarum anulus*, ab arcu Schytico nihil habent alienum, si Ammiano Marcellino (L. 22.) scriptori diligenti credendum: « Quum arcus omnium gentium flexis curventur hastilibus, Scythici soli vel Parthici, circumductis utrinque introrsus pandis et patulis cornibus, effigiem lunae decrescentis ostendunt, medietatem recta et rotunda regula dividente ». Figuram ejus eleganter insinuavit Poeta (*Aen*).

Portus ab Eoo fluctu curvatur in arcum

Et apertius de Ponto Sallustius: *speciem efficit Scythici arcus*. Agathonem etiam de *C* litera in pererudita Virgilii cum Graecis collatione inter Antiquitatum investigatores primus ferme Fulvius Ursinus intellexit. Quidquid sit, tantum abest, alterutram sive Latinae sive Graecae formatam admittant Chirurgiae Professores, quin maxime damnent. Jam enim ipsorum cautela constitutum est, evitandi doloris causa Suturam unica labii utriusque perforatione expediendam; quandoquidem, Hippocratis (*De Med.*) consilio, *id quod dolorem facit quamminimo tempore adesse debet*: quod neutro modo fieri posse, vel solius oculi arbitriu clarum est. Etsi vero per Acus iu-

(1) *App Tricl Ciac.* (2) *De pnosop L.* 10. *c.* 20. (3) *De Pron.* (4) *Ling. al. c.* iv. (5) *De re rust. L.* 1. *c.* 31. (6) *L.* 2. *Epist.* 66.

ter subtiles crassasque medio loco positas, quibus filum utrinqne intortum, id facilius videatur; earum tamen cum Albucasi (*Chir. P. 2 c. 86.*) extremitates praecidere non minus fuerit operosum, quam Fabricii ab Aquapendente more easdem intorquere; quandoquidem illae quoque ipsius praecepto pulvillis suffulciendae, donec unita fuerint vnlneris labia: ad quorum coalitionem satis esset alias acus filo duplo a duabus partibus in circuitn simnl stringi. Ingenium etiam nonnulli incassum fatigarunt excogitandis brevioribus hamulis minusque curvatis summam cutem sine perforatione mordentibus levluscule, ut noxae obvlarent, quae ab aliis hamis accidere consuevit. Jam enim Celsi praecepto aliquoties monui, quod comprehendi oporteat non cutem tantum, sed aliquid etiam ex carne, ubi suberit. Nec ea tamen vis est consuetudinis ut ab hac veritate quenquam removeat Celsi aevum, cujus in glutinandis vnlneribus rationem ipse protulit. Is enim quamvis multa quandoque, nt in Oculorum vitiis, tradat manu difficilia, imo crudelia; ea tamen obsoleta, atque ex aliena interdum sententia, proponuntur, quam scriptor diligens praeterire noluit: sua vero dum tradit, circa plagas praecipue magni Hippocratis vestigia studiose premit. Hujus veluti omnis Medicinae parentis industria magis, quam a prioribus exculta, et florente Republica Romana postmodum a bonis ingeniis aucta satis, atque ab aliis Medicinae partibus separata, quum in mitiora Celsi tempora circa annum Christi 29 incidisset Chirurgia, imperante Tiberio, qui Augusti judicio (1) ταῖς μούσαις κρατηςῶν claros utique scientiae fama Professores, diligentissimum Philoxenum, Gorgiam, Sostratum, Hieronem, utrumque Apollonium, Ammonium Alexandrinum, Tryhonem, Euelpistum, eruditissimumque Megetem, emendandis augendisque Artis institutis frustra desudasse absonum foret. Quanquam vero ea initio rudis, suis tamen primordiis vicina non minus erat sufficiens, quam simplex, depromta ex iis, qnae maxime occurrebant. Linum vero tortum inventione ac usu familiarius fuisse filo ex metallis laboriose tenuato, loquitur res ipsa, suadetque aetas illa simplicior et fortuitis contenta,

quum frigida parvas

Praeberet spelunca domos

Adjicitur his, quod genus mortalium inter initia non facile se ferro committebat, ut eleganter in sui ad Julium Callistum operis Proloquio Scribonius Largus. Quod si vero asperiora interdum occurrant veterum auxilia; ea plerunque servis adhibebantur, quorum valitudini quaevis tormenti genera, nt hodie jumentis, tentata novimus. Et quid omnuim, quos habemus, Medicorum post Hippocratem antiqnissimus sine Magistri autoritate novam sibi rationem excogitasset? Quid in eam studio peccasset medendi legem, quam ab Asclepiade acceptam divulgavit ipse, omnisque post Medicorum Sectae in hnnc usque diem propagarunt unanimes: *Officium Medici esse, ut tuto, ut celeriter, ut jucunde curet.* Simplicissimas quidem operationes, ut maxime artificiosas et certiores, laudant Chymici: Anatomicum inter cetera commendant ferramentorum compendia: quidni manu medentem expedita et tuta facilitas? Quam si popularem nimis cogitet quispiam, nec medica satis elegantia comitatam, quaeso advertat, quod Medicus hic Artem non tantum ducat a ratione; sed a sensibus etiam, quo-

(1) *Sveton. Tib. c. 11*

rum indicio, quid juvet, quid noceat, certior erit. Chirurgos autem a carnificibus a poeta Christiano (1) comparatos nihil Professionis existimationi detrahit. Neque, enim exerceri ea potest, nisi Medicus pro rei necessitate sit immisericors, et perinde faciat omnia, ac si nullus ex vagitibus alterius affectus oriatur. Verum, neque ille ex sui tantum seculi consuetudine, sed artificiosa Romani martyris Prosopopoeia, gravissimi etiam doloris tolerantiam expressurus, per Extenuationem tortoris immanitatem medentium manu quocunque tempore nihilo saeviorem fingit. Totus autem inventionis labor in eo est, ut clara oratione Martyris constantiam παθητικῶς figuret, addita exaggeratione graphica per allusionem ad prisci aevi Lanienam; quam Hippocraticam dicere libuit, ut scienter non tam Artis Medicae maximeque ejus quae manu perficitur, excellentiam, quam originem tangeret. Idque siue Antichronismi vitio, licentia styli isti scriptorum generi concessa; quibus non secus ac pictoribus aliquid venustatis conciliat rituum vetustas. Unde et ipse hac Prolepsi Narrationem orditur: *ut refert antiquitas*. Affectum itaque, dum movere nititur, quid hisce acrius, aut animosius:

Hoc omne, quidquid lancinamur, non dolet.

Et post:

Membra parvi pendo quo pacto cadunt,
Casura certe lege naturae suae.
Instat ruina, quod resolvendum est ruat.

Quid pio animo firmius?

Hoc perdo solum, quod peribit omnibus.

Nec tamen Chirurgorum hic asperitatem magis insectatur, quam aliam quemvis ex morbo corporis dolorem, cui carnificum ministeria postponit. Sic enim pergit.

Nec distat, ignis, et fidiculae saeviant,
An corpus aegrum langor asper torqueat,
Quum saepe morbos major armet saevitia

Atque hac occasione enumeratis ad Amplificationem diversis AEgritudinum speciebus, tandem ad eas proxime transiens, quae manum postulant haec subdit:

Horretis omnes hasce carnificum manus.
Num mitiores sunt manus Medentium,
Laniena quando saevit Hippocratica?
Vivum secatur viscus, et recens cruor
Scalpella tingit, dum putredo obraditur.

Suam vero magni protinus judicii mentem Correctione explicat, quo simul ad Martyrii fructum sibi gradum faciat

Putatur ferrum triste Chirurgus meis
Inferre costis, quod secat salubriter.
Non est amarum, quo reformatur salus.

Moxque Causam reddit.

Quis nescit autem quanta corruptela sic
Contaminatae carnis ac salubilis?

Lictorem itaque ad praeconium, non ad criminationem, a salutari effectu

(1) *Prud. Pr. Hymn.* 10.

Poetarum Christianorum prudentissimus hac Apostrophe confert cum chirurgo, quum Plinius Valerianus (1) *Carnificem Medicum* appellat.

Medere quaeso carnifex tantis malis,
Concide, carpe fomitem peccaminum
Fac ut reseclo debilis carnis situ
Dolore ab omni mens supersit libera.

Sic *homo* ut scite Julius Firmicus (2), « recepta sanitate et salute sibi reddita, quidquid aegrotantis corporis vitio invitus passus est, hoc totum pro utilitate sua factum esse stantis animi judicio confitetur »: adeoque « horrorem operis fructus excusat, et martyria desaeviunt in salutem », verissima Tertulliani (3) sententia. Nec vero soli apud antiquos male audiebant Chirurgi, quos a Medicis Romae separatos aperte tradidit Galenus (4). Asclepiadem memorat Celsus etiam primis diebus luce, vigilia, siti ingenti convellendo aegri vires tortoris vicem exhibuisse. At tamen hunc ipsum *multarum rerum*, *quas idem secutus*, *Autorem bonum* fatetur; et Scribonius Largus in nuncupatione sui Operis ad Jul. Callistum appellat maximum Medicinae autorem; H. Mercurialis (5) testatur commendatum ab omnibus, quamvis novorum dogmatum fuerit inventor. Quin primum crudelitatem veterum Medicorum mitigasse perhibet nobilis ille Patavinorum Alexicacos Hercules Saxonia (6): summamque ei fuisse famam relato e funere homine et servato Plinius (7) scribit. « Certe quidem jacenti homini ac prope deposito vitam attulit: confestimque, animam in corporis latibulis delitescentem quibusdam medicamentis provocavit ». Sed Apoplexia fortassis infestato: quem, ut ait Celsus, vivere intellexit, et a mortuo dignoverat Artis peritia, veluti recte eruditissimus Mercurialis (8) suspicatur. Cetera prudens mitto, quae prolixe atque eleganter Apulejus (9) recenset. Nihil igitur ex Poeta colligere licet praeter declarationem; quam non esse probationem jam inter eruditos convenit.

CAP. XII.

VERA DE FIBULA CHIRURGORUM SENTENTIA EX CORN. CELSO PROFERTUR.

Sed quid singula consector? Nolo hic refellere diutius, aut in re manifesta haerere. Censeamus ita esse, quemadmodum sentimus ad fidem optimorum codicum Celsum de Ramicis curatione exprimere mentem suam apertissime (p. 254. l. 4.): « FIBULÆ oris sic injiciendae, ut simul eas quoque venas comprehendant. Id hoc modo fit: Acus ab exteriore parte oram vulneris perforat. Tum non per ipsam venam, sed per membranam ejus immittitur, per eamque in alteram oram compellitur. Venae vulnerari non debent, ne sanguinem fundant. Membrana semper inter has venas est, ac neque periculum adfert, et filo comprehensas illas abunde tenet. Itaque etiam satis est duas fibulas esse ». Videns, ut Filum acu per oras trajectum, intercedente membrana abunde illas tenendo, nominatim Fibulae manus expleat? Filum vero, quod apud Celsum, quemadmodum

(1) *De re med. L.* 1. *c.* 56. (2) *De err. prof. Relig.* (3) *Scorp. c.* 5. (4) *Meth. Med. Lib.* 6. *c. post.* (5) *Pract. L.* 3. *C.* 2. *et* 8. (6) *De Phoen. Praef. L.* 1. (7) *Nat. Hist. L.* 7. *c.* 37. (8) *Pract. L.* 1. *c.* 19. (9) *Flor. L.* 3.

Acia, Fibulae Materia est, ipsi eadem ratione ubique Linum esse, ex dictis notius est, quam ut hic probem. Hoc tantum adjicio, quae *Lina* dixit, mox, idque iterato, *Fila* vocari. Sic enim de Sutura. *Et quidem duobus linis vincienda est spissior.* Et paucis intermissis. *Igitur in duabus acubus fila trajicienda.* Deinde sub finem: *Post haec eadem fila eademque acus ad cutem transferendae.* Ex praecepto nempe di Vinculi materia conclusio aequivalentibus vocabulis continuata infertur. Itemque *fili capita inter se deligantur.* Id certnm est; *Perforare* idem hic significare, quod Celso alibi, *acu corpus transuere:* quo transitus seu integra notatur penetratio, quum Acus et Fili utrobique, fiat mentio. Idquo Galeno (1) κατα δῆξιν jure diximus, quum non desint, quibus δήγω est *acum transigo.* Verbum hoc elegantissimum in suam sententiam scite traxit Ovidius (2): *verubus transsuta salignis.* Unde in Pinelii etiam Codice manu Pauli Aicardi vulgatae lectionis loco fuit repositum, *transit.* Qua ratione cum membranis Mediolanensibus et MS Societatis Tolentinorum Venetiis legit quoque Vesalius, *transivit;* ac incertus quidam reposuit ad meum Codicem Mediolanensem Anni 1481. Quod pari modo retinuit Editio Veneta Anni 1493, post primam Anni 1478 Florentinam, quae calamo exaratis vicinior; nec Joannes Cajus quidquam hic immutare ausus fuit, quum prius nescio quid huic verbo attentasset; quemadmodum detersa, quam priori lectioni induxerat, litura etiamnum patet in autographis ipsius emendationibus, quas Illustrissimo Cristiano Frisio, primo literarum fautori, gratus debeo. Nulla tamen hinc metuenda confusionis suspicio. Jam enim distinctus a Fibula simplicis Suturae usus suo loco abunde monstratus fuit. Veruntamen perspicacissimis etiam Celsi verbis, ad uberiorem veritatis investigationem, aliquantisper insistere juvat. *Fibulae oris sic injiciendae, ut simul eas quoque venas comprehendant.* Perdifficile hoc quidem futurum, si Fibula Hamus sit ferreus: quanquam nec apud Celsum ulla mentio Hami, ubi Suturae ac Fibulae materia tractatur. Venae scilicet istae Vasa sunt spermatica, ut *Venae albae* Autori nostro Ureteres, Aristotelí (1) ποροι ἄναιμοι colore ipso a *Nervo*, id est, Cremastere distinctae. Quas profunde sitas neque pertingent ejusmodi Unci, etiam id providente Celso, dum ait, *in sinu excisa Fibulam oris cutis injiciendam.* Quin, ut monet ibidem, « si Fistula abdominis intus patuit, excisa necesse est latius foramen relinquat, quod nisi magna vi utique, ab interiore parte sui non potest. Sed ubi aliquis ingredi ac moveri cepit, rumpitur Sutura, atque intestina solvuntur. Neutra vero (Fibula et Sutura teste eodem) vim nimiam desiderat: sed eatenus utilis est, qua cutis ducentem quasi sua sponte subsequitur ». Quod ipsum Curtorum Chirurgia exempli loco manifestius ostendit: « non vi cogendum est, sed ita adducendum, ut ex facili subsequatur, et dimissum non multum recedat ». Eademque de causa nec ii, ad ipsius praescriptum, venas cum plagae oris commode unient sine labore ac dolore penetrando earum membranam: quam idem scribit tenuem, nervosam, sine sanguine albam, contegere binas venas et arterias cum cremasteribus descendentes. Alteram vero, quae inter venas est, quum fulcri loco ponat, ductae etiam fibulae sufficient: qualiter ipse affirmat, *plagae injiciendas duas fibulas.* Neque

(1) *Jan. Cornar. in Gal. de comp. med. sec. loca. L. 2. c. 2.* (2) *Fast. L. 2.*
(3) *De Part. Anim L. 3. c. 9.*

ullo hic opus est metallo, siquidem membrana fili adminiculo vasa abunde tenet. Idem igitur de Fibula hoc loco statuendum videtur, quod de Sutura alteriori in declinandis tendinibus monet Galenus (1), quodque in venis cum carne uniendis post Galenum (2), Guido (3), ac in Nervis itidem Tugaultius (4) praecipit: ne, hiante admodum vulnere, quae in imo sunt, non glutinata dehiscant. At nimis evidens reclamat apud Celsum Fibulae nomenclatio. Agedum, esto Fibula. Sed ex Acu et Filo composita. Cujusmodi si quis negaverit Celso fuisse omnem; quin prorsus Metallicam velit: ubi talem apud eumdem scriptorem semper offenderit, libens manum dabo, nec mihi turpe erit cum re mutasse consilium. Nec me multum movet doctissimi cujusdam Viri sententia « quod Acus in parte vulnerata relictae eam graviter afficiant, non facere, quo minus illa usi sint veteres aut uti nos possimus, quum multa Remedia sint, quae simpliciter incommoda et toleratu gravia sunt, quae ad finem collata et fructum, qui ex iis ducitur, grata sunt et optabilia ». Etsi enim quidvis sanitatis causa subeundum, cujus pars est velle sanari: semper tamen cogitandum Lyrici illud (5):


χρὴ μαλακὰν χεῖρα προς
βάλλοντα τρώμαν ἕλκεος ἀμφιπολεῖν

Oportet mollem manum adhibentem os ulceris tractare


Frustra quippe excarnificatur aeger, quando mitiori ingenio aliquid exsequi licet. Egregie Vindicianus (6) Archiatrorum Comes et Octavii Horatiani Magister in sua ad Valentinianum Imperatorum Epistola: « Fidem nostris Autoribus adhibentes, non credamus quibuscunque Medicinis, nec vulnus vulneri superponendum putemus: sed aegris remedium porrigendum esse credamus, ut neque gravibus tormentis, neque intolerabili Medicinae curatione crucientur. Et quomodo ista conveniunt cum Galeno, qui loco supra memorato Fibulam usu comparat cum Sutura admodum minima: quam valde dolorificam esse nulla admittit ratio? Imo Vid. Vidius (7) autor est, Fibulam minori deformitatis metu faciei vulneribus injici, quam Suturam. Sed quod magis est, declinante cum imperio sermone Romano, extra Medicum quoque usum Fibula Suturam significat. Sic enim apud Caelium Apicium (8), quisquis fuerit, adulatricis Medicinae artificem, *Lumbuli consuuntur*. Idemque apertius praecipit: *Farcies glires, et sutos in tegulam* (edit. Figur. Humelberg. *tegola*) *positos mittes in furnum*. Quo sensu alibi dixit (9): « Porcellum praeduratum implebis, fibulabis in sportella, ferventi ollae submittes, cocto fibulas tolles ». His vero quid manifestius? Coquinarii identidem nostri quotidianis exemplis abunde satis ostendunt, merum fuisse linum acu tractum, quo fartum stringebatur. Sed quid Latinos aut Graecos, quibus humanae valetudinis cura incumbit, ultra testor? Duris etiam assueti remediis, qui jumentis manu auxiliantur, hic sese mitiores praebent. Sic enim Absyrtus Constantini temporibus, ut autor Suidas (10), Medicinae Veterinariae scriptor, ubi de

(1) *L. 3. De Com. med. sec. gen.* (2) *Meth. Med. L. 6. c. 5.* (3) *Tr. 3. Doct. 1. c. 3.* (4) *Chir. Inst. L. 2. c. 13.* (5) *Pind. Pyth.* (6) *Rel Med. L. 4. ad Euseb. fil.* (7) *Chir. L. 4. c. 1.* (8) *De re culin. L. 7. c. 8.* (9) *Lib. 8. c. 9 et 1.* (10) *L. 2. c. 98.*

Castratione Equorum: ἐπιδήσεις πορπάκας λινᾶς, ἢ καναβίνας παρὰ ἑκάτερον δύο: *Impones duas utrinque Fibulas lineas, aut cannabinas.* Idemque de humana castratione sentire videtur Brunus (1), dum jubet *Sui vulnus.* Rogerius (2) in herniae carnosae curatione clarius : *Oscheum suatur* : ὄσχεον *Graeci*, ait Celsus, *Scrotum nostri vocant.* Harum vero formam ac vetustatem declaravit Albucasis (3) de Cur. Ramicis cum vite: « Fige in vasis acum, in qua sit filum duplum etc. » Deinde « Accipe acum, in qua sit filum grossum, factum licinium ex decem filis ». Tum de Mollificat. cutis testicul. (cap. 68). *Aggrega duo labia cum Sutura.* Et mox : *sue tribus suturis, aut quatuor.* Rationem optime attulit Celsus : « neque paucis, ne parum glutinentur, et longior fiat curatio : ne inflammationem augeant. Nec ab his discedit ÆGineta de Leonide in scroti laxatione : ῥαφαῖς ἐζεύγνυε τὰ χείλη, *vulneris oras suturis committebat.* Et Celsus ipse : *orae scroti suturis inter se committendae.* Has autem eidem fuisse fibulas patet, quando addit : *ubi fibulae sunt, hae incidendae.* Cui opinioni adest Eros, vulgo Trotula (4), Andreae Tiraquillo (5) Salernitana, sine dubio corrupte pro Erojulia, ut cum Morillono (6) suspicatur H. Junius ; vel Eros Juliae, sicut in veteri monumento (7) EROS AUGUSTAE MEDICUS SPOSIANUS. *Rupturam inter anum et vulvam tribus locis vel quatuor suimus.* Quod Celsus autem Scroto suturam fibulae titulo prescripserit, id cuivis vulneri optime convenit, Hippocratis imitatione ; qui brevitatis studio uno exemplo quid agendum in memoriam revocat *(a).*



(*a*) 1. 2. 3. 4. Fibulae Vestiariae selectae ex Opere Rhodii 1. Fibula Vestiaria Pignorii ; 2. Fibula Vest. Menetrii ; 3. 4. Fib. Vest. Angeloni.



5. Sutura dicta sicca ex iconibus Chir. Heisteri.
6. Sutura intercisa a Gallis *entrecoupée*, ab Italis *a nodi staccati* nuncupata.

(1) *Chir Mag L.* 2. *c.* 12. (2) *Chir. c.* 50. (3) *Chir. Par.* 2. *c.* 64.
(4) *De pass. mul c.* 20. (5) *De nob. c.* 31. *n.* 352. (6) *Animad. L.* 6. *c.* 1.
(7) *Gruter.* 381. 4.

CAP. XIII.

CELSI DOCTRINA RATIONIBUS STABILITUR : ACIAE MATERIA INNOTESCIT.

Quandoquidem igitur meliorum omnis aetatis Scriptorum hic denso agmine a nobis stat consensus unanimis , quorum suffragiis tota lis dirimenda; si quis unius sequitur sententiam , nonne iniuriam infert ceteris? Tantine adversa unius Guid. Cauliaci sententia, ut animum abducat a veritate, quae in omnem partem sui semper eadem est ? Absit credam eruditorum quemquam tam imbecillis ingenii, ut serio ei aures praebuerit; sed quod ingenue profiteptur quidam , amici et animi gratia ingenio lusisse. Hi tamen affectui nunquam sic indulserunt , ut non veritatem in pectore foverint , quae remoto verborum involucro facile in lucem producetur. Enimvero, si sutura, ejusque, pars ipsa Acia , ex aliorum sententia veteribus fuit metallica , quod Fibula talis esset ; eae profecto ejusdem cum fibula ordinis erunt: Fibulae vero Chirurgicae nullam esse cum metallo affinitatem , satis superque monstratum hactenus. Deinde , si ipsorum etiam confessione eadem Suturae Fibulaeque Materia, quae est aciae, unde utraque composita; jamque aciam olim fuisse Linum seu Filum intortum cum Celso plures omnesque fere doctores una mente sanciunt , rationi utrique, consonum erit , non magis Fibulam Chirurgorum, quam Suturam fuisse Metallicam : quum oppositorum uno posito reliqua tollantur. Aciam vero omnem non fuisse ex metallo vel hinc liquet , quod necdum ab ullo sine principii petitione ex acia probatum fuerit , Celsi temporibus Suturam filo metallico confectam , sed lino saepe , imo semper. Praeterea , quum Fibula suturae sit materia consimilis , nec ulla apud priscos melioris notae Graecos aut Latinos Medicos Sutura ex filo metallico imperetur ; utraque a metalli consortio aeque abest ; neque Fibula vulneraria et Sutura cum acia erit metallica; sed acia ratione usus, quem Celsus patefecit, de lino intelligenda erit. Suturam enim, quae acu et lino , seu filo circumscribitur, ex acia molli optimam pronunciavit Autor sagacissimus. Neque tamen in transversum agit iteratus toties Fibulae morsus. Siquidem et linum mordere fassus ipse. Ut neque absurdum inde fuerit Linum Fibulae partem confecisse Quam si ex metallo concinnandam is putasset , citius cutem ruptum iri , quam illam nimis raram non continere , veritus fuisset. Imo ne Infibulatio quidem peracta sine praevia fili ope : quod metallicum non fuisse indicat distincta Fibulae Comicae mentio , cujus materiam hic repetere supervacuum est. Celsus igitur, ut suspicantur eruditissimi viri , Ludovicus Septalius (1) , et Gaspar Hofmannus (2) Fibulae nomine nequaquam glutinum intellexit. Hoc enim (quod in glutinatione vulnerum exigit ille) nihil ex carne comprehendit , minusque venas , quod in ramicis curatione necessarium ; quum extrema tautum id cute haereat , corporique mitius insidat. Neque cutem hic transit acus : quum Glutinari , et acu trajici apud diligentissimum scriptorem diversa sint disertissimis ipsius verbis: « Si Cartilago eo quod

(1) *Anim. L. 8. Obs. 35.* (2) *Post cur. l. c.*

incisum est eminet, excidenda est. Neque enim aut glutinatur, aut acu trajicitur ». Glutinari itaque nihil aliud est, quam coire ac uniri. Hoc autem glutinantium medicamentorum beneficio, atque in primis emplastri specie, efficitur: a quibus distinctum omnino glutinis usum Celsus tradidit. Isque in vulneribus musculorum praecipue observandus in delicatioribus; quandoquidem glutinum nimis adstringit, eventilationem impedit, adeoque calorem adfert. Laxiori tamen significatu idem glutinare vulnus, tum suturae, tum fibulae tribuit. Sed nec vinculum glutino adhibitum, quemadmodum in sutura et fibula unquam mordet, quandoquidem interjacent pittacia: eandemque ob causam parum refert, sitne acia nimis torta; qualem in sutura et fibula unice vitandam monet. Nec qui Celsi metus (vehementer officit, aut cutem abrumpit: quoniam acus corpus non transit. Sed nec alia inter fibulam, et glutinum proportio magis conspicua est, quam haec potissimum, quod glutinum vulnus patiatur esse latius. Quae tamen proprietas admodum communis. Nec sane id contingit, quod laxatis filis totum vulnus aperiatur, sed ob punctorum distantiam. Secus enim, quum suturae ad majorem vulneris unionem quotidie non solvantur, sed per aliquot dierum intervalla, a congesta tantisper conclusi puris copia et acrimonia per moram contracta, glutinatio tardior foret. Glutino quidem, ob communem uniendi rationem, fibulae similitudinem non denego. Celsi nihilominus aliam fuisse mentem, ex iis quae passim dixi exploratissimum est: fatentibus id ipsum etiam novae opinioni autoribus, dum suae rationi ex acia ubique fidem praestruunt. Quid plura? (1)

εὐώνυμον ἐς δίκαν
τρια ἔπεα διαρκέσει

Honestam ad causam
tria verba sufficient

CAP. XIV.

DE ACIA COMMUNIS DOCTORUM SENTENTIA RECENSETUR.

Acriori potius examine pensitanda nunc venit opinio, quam eruditorum judicio suppressam e Guidonis cineribus excitavit nuper Alphonsus Nunnez summae peritiae Archiater, qui acum, vel aliquod metallicum, *Aciae* nomine intelligit. Eam initio quamvis non viderim, clariss. tamen Gabrielis Naudaei judicio ab eruditis nostri seculi viris satis speciose propugnatam accepi hoc potissimum fundamento, quod aciam universae disquisitionis argumentum ex consequenti Metallicum efficiant. Etenim quoniam hujus sententiae autores Fibulam cujuscunque generis etiam vulneribus dicatam, aetate Celsi ex metallo fabrefactam statuunt; suturam atque adeo aciam ejusdem naturae fuisse arbitrantur, quod utraque non minus, quam fibula, sit ex metallo. Cujus rationis momentum etsi minime ignotum ex iis, quae de priscorum fibula maximaque de Vulneraria, ita perspicua dicta sunt, ut ipsa etiam acia nullo negotio inde satis innotescat: ad verita-

(1) *Pind Nem. Od.* 7.

tis tamen notitiam, haud minori diligentia, quam hactenus fibula, pervestiganda porro erit acia. De hac quidem nihil cogitasse accuratius medicos polyhistores, Mercurialem, Cagnatum, Talentonium, ceterosque hujus literaturae viros; imo nec ejus, praeter R. Stephanum ac Turnebum, posteriores Etymographos distincte meminisse, nulla mihi alia videtur causa, nisi quod ipsam ut artificibus notam, et appellatione Celso quidem cum paucis peculiarem, usu vero communem reliquis, ad disputationem vocare noluerint, Galenum (1) imitati; qui judicat « de Nominibus neque contendere honestum, neque curiosum esse, sed praestare diversitatibus rerum insistere; in quibus si quid peccatur, ingens aegrotis damnum malumque provenire ». Quod vero Fabricius ab Aquapendente praeter Tornaesii editionem cum Caesareo, Ronsseo, et Hieronymo Rubeo, post Pantinum, apud Celsum pro Acia legendum putaret Acu, quemadmodum sua quoque manu editioni adjecerat Rovillii; quae penes me est; id potius ab ingenio profectum, quam ullius libri antiquioris vel calamo vel formis scripti adminiculo. Id quod cum Tragaultio Vesalium (2) quoque servata communi lectione animadvertisse credo. Verisimile namque fuit librarium linguae imperitia vocem sibi ignotam in faciliorem magisque familiarem mutasse. Nullum tamen emendationis in vetustis Codicibus MSS. exstat vestigium: cujusmodi in vetustiori Florentino crasis prioribus literis non raro deprehendi. Nihil ergo favet ei corrupta Celsi lectio, quam pristino sermonis vigori asserunt meliora volumina, in primis magni Ducis Hetruriae, in D. Laurentii Bibliotheca Medicea Florentinae repositum: in quo ut in reliquis omnibus *acia* legitur. Laurembergio tamen *Asia* quoque apud veteres occurrit. *Aciam* vero apud P. Vegentium, quam in ora libri Joannes Sambucus retinuit, meo judicio recte mutaverit Lector in *Acaciam*. Nec fortassis multum a vero alienum erit, vocem hanc veteribus Romanis popularem ab elegantiori sermone distinctam, vel si mavis plane italicam, confluentibus ex diversis locis in Urbem multis inquinate loquentibus per servos primitus medentes irrepsisse, ac postmodum neglecta ad Latinae majestatem lingua volsca, sabina, hetrusca, ob singularem usum permansisse. Quo modo, quae Apulejo (3) Itala, nobis penitus latina sunt stirpium synonyma: quod, ipse cum Quintiliano (4) forsan pleraque italica, sive vulgaria, pro Romanis habuerit: inter quae tamen idem Romana quaedam nominatim recenset, quae hodie pro Latinis non agnoscunt. Sic Varronis (5) aetate Mediolanenses vitium in arboribus traduces vocabant *Opulos*: Jugum vero in vineis, diversis nominibus omnibusque Latinis appellabatur: *Pertica* scilicet in Falerno; *Arundo* in Arpino; *Restes* in Brundisino; *Vites* in Mediolanensi. Imo, quae olim Gallica, nobis plane Latina, ex Dioscoride (6) perspicuum est. Annitendum quidem ut vox plane Romana videatur, non civitate donata; hujus tamen generis etiam hodie apud castigatiores Latini sermonis scriptores non paucae sunt; maxime vero in eorum numero, quos postremae inter antiquos aetatis deprehendimus. Ita Caelius Apicius (7): *Quum cocta fuerit, savano calido involves gruem.* Haec autem veteribus in delitiis erat. Marcellus (8):

(1) *De simpl. facul.* 5. c. 5. (2) *Chir. Mag. L.* 3. c. 8. (3) *De Herb vir. C.* 2. 3. 5. 7. 18. (4) *Instit. Or. L.* 1. c. 5. (5) *Rei Rust. L.* c. 8 et 77. (6) *L. I.* c. 93. (7) *De re cul. L.* 6. c. 2. et 5. (8) *De Medic.* c 8.

Radices betae maxime nigras ex aqua tepida lavabis, et expressas savano siccabis. Item: *Anserem elixum ferventem savano mundo exiccabis.* Cujus mentem nemo assequetur, nisi Hispanicae linguae peritus, qua *Savana* linteum, aut mappam, seu pannum ex G. Humelbergii (1) sententia asperum abstergentem, quem crassum interpretatur Janus Cornarius ad Cap. 5. Marcelli, denotat. Hispanorum vero est V pro B nec raro B in V mutatum in Pandectis Florentinis. De quarum literarum affinitate libellum Adamantii Martyris MS. Lipsio (2) visum desideramus. Alii namque Latinorum sequioris aevi *Sabanum* protulerunt; pariter Graeci posteriores, atque inter eos Nic. Myrepsus (3): nisi cum Hesychio et Phavorino legendum fuerit *σάγανον*. Sic in veteri saxo Romae reperto *Donum Placavile*, pro *placabile*: Pisis etiam, *Baleas* pro *valeas*: Sabina Pl. Valer. (4) *Savina*. *Bibus* etiam pro *vivus* in prisco monumento. In alio Regii Brutiorum *Pelbis* pro *Pelvis*. Et in argenteo Trajani numo *Danuvius*; qui posteris *Danubius*. Qua ratione Theodorus Priscianus (5) de dolore colico, et iliaco: « Si adhuc doloris molestia perseveraverit, phlebotomum adhibeo, perseverando tamen fricationibus, vel sabanis calidis ». Ita Plinius Valerianus (6): *Cataplasmati sabanum calidum impones*. Item (7): *tundes omnia in veteri sabateno calefacto*. Ubi dubio procul rescribendum *sabaneto* formam diminutivi: qua idem ait: *teres in linteolo*. Palladius etiam Rutilius (8): *Mella conficimus congestis in mundissimum sabanum favis*. Item P. Vegetius (9): *Sabanis validioribus abstergetur*. Inde Caroli Avantii (10) viri pariter ingeniosi atque eruditi non levis mihi visa est conjectura, illius Caelii, qui libro forsan Apicii nomen praescripsit, patriam fuisse Hispaniam; unde facile transvehi potuit in Megalonam insulam, ubi principio repertum ferunt. Apicio tamen illi nepotum omnium altissimo gurgiti, qui Augusti aevo floruit, vix adscribendum Indicatoratio. Quis enim ignorat, sequioris aevi opera saepe veterum loco habita? Hoc vero nomen recentioribus Graecis aliquando usurpatum fuit ex alieno fonte, quemadmodum Romanae civitatis alia, quorum mox quaedam exempla producentur. Adeo invaluit porro in nationibus vocabulorum commutatio, ut apud Medicos Italos lingua calamoque latiali non prorsus incultos nihil voce *Petia* hodie vulgarius. Celsus tamen *Panniculum*, et cum Plinio *Lintrolum*, dixit; ut Moschion (11) Medicus *πάνιον*. Sic Marianus Sanctus (12) Barolitanus Italici sermonis indole *bindam* vocavit, quam latini *fasciam*. Qualiter apud Riolanum (13) sermonis gallici idiotismo sutura pelatariorum, quae Guidoni Cauliacensi, et Gerardo Cremonensi Albucasis interpreti pelliperiorum est, quos Plautus (14) pelliones nominavit. Quin etiam plebejos elegantiori Romanorum sermoni latino (15) vulgarem olim permiscuisse, e Ciceronis Bruto liquidum est. « Qui si nonnunquam offendunt, non est mirum: Etenim illi qui primi nomina imposuerunt rebus, forsitan in quibusdam sunt lapsi ». Absit itaque laesae latinitatis reus agatur hoc nomine Celsus; quandoquidem nec alienis abstinuit ipse Hippocrates (16), cui libuit cum remedio Scythis familiari af-

(1) *De re cul. L. 6. c. 5.* (2) *Var. Lect. L. 2. c. 28.* (3) *De Ant. Sect. 1. c. 190.* (4) *L. 3. c. 90.* (5) *L. 2. c. 9.* (6) *L. 2. c. 25 et 27.* (7) *L. 3. c. 1.* (8) *De Re Rust. L. 1. Tit. 7.* (9) *Art. veter. L. 3.* (10) *C. 4750.* (11) *L. 22. c. 22.* (12) *De calc. ves. extr. c. 18.* (13) *Met. Par. Sect. 4. c. 10.* (14) *Menaec. Act. 2. Sc. 3.* (15) *Var. de ling. Lat. L. 7.* (16) *L. 1. de Morb.*

fectionis quoque nomenclaturam Graeca urbanitate insignire, quando diuturnam in articulos fluxionem Κέδμα nominat, quemadmodum bene ad Hollerii Praxin notavit Duretus (1): etiamsi Hippocratis (2) autoritate Hesychio νόσος περὶ γεννητικὰ μόρια, et cum Galeno interprete Hippocratis (3) optimo diuturna huic ipsi circa articulos affectio. Qua potestate Phavorinus notat, Psello Κέδματα χρόνια ἀλγήματα nimirum, Hippocrates nomina quaedam aliquo modo propria sibi fecit, vel transferens a consuetudine, vel figuram accomodans aliam; ut in Expositione obsoletarum Hippocratis vocum monuit Galenus (4), Praeceptorem in hoc imitatus non sine sectatorum exemplo, quando vere Latina in Graeciam intulit, ut dum mala armeniaca πραικόκκια vocat; quae clarius Dioscorides (5) Ῥωμαῖοι πραικόκια, *Latine praecocia* dixit, vel quod Saraceno cum Martiale (6) ac Palladio Rutilio (7) placuit *praecoqua*. Ita Paulo Æginetae (8) φοῦσκα *Posca*, seu *Pusca* Octavii Horatiani, sive Theodori Prisciani, ut cum eruditioribus putat Gregorius Gyraldus (9), itemque P. Vegetii (10) scriptione; ῥούτη, *Ruta*: ne plura memorem. At sine notabili sermonis prodigio, ob literarum mutarum ac liquidarum permutationem orationis harmoniae familiarem. Sed Romana etiam seu mere Latina a Graecis assumta, imo a peregrinis Quo more Idus apud Macrobium (11) vox Tusca. Unde acia Titinnii Comici apud Non. Marcellum in voce *Phrygia vestis*, Angeli Monosinii sententia iis nec injuria jungitur nominibus, quae veteribus Hetruscis debentur. Vocem hanc Italis adhuc Latinisque antiquioribus communem in Dictionariis Italicis Venutus exponit *Filo*; Josephus Laurentius in Amalthea Onomastica *filum acicular*; Joan. Castronus in vetere M S. il *Refe*; et post ipsum Petrus Galesinius, aliique nomenclatores *Refe dell' accia o dell' aggugia*, item *filo dell' aco*; nostra aetate in Flaminia valet *Filo torto*. Nec Venetis ignota est *azza*, quam vicini agrestes nominant *Reve*, voce non multum dissona Danicae *Reeb*, quae restim notat. Angelus Monosinius *Lino*, *Stoppo*, *Capecchio*, *o canape filata* reddit: dissyllabum ait Pergaminus idemque esse quod *matassa*: quae vulgo in Gallia Cisalpina *Bisto* nominatur, insubribus *accia*, Verum Boccatio (12) haec potius est fili congeries, quam filum ipsum; *una matassa di accia*; quemadmodum Justiniano Imperatori, cui melior Jurisconsultorum pars adhaeret, *Malaxa* (seu ut maluerunt praeter Achmetis Arabis interpretem Graecum (13), inter posteriores Graecos Actuarius, Aetius, et Myrepsus Μέταξα, Joanni Leunclaio *metaxa*) linee seu lini, cum Lucilio apud Festum; quam Theodori Prisciani Scholiastes sericum exponit. Metaxa quippe, veluti post Adr. Turnebum (14) notavit ad Festum Josephus Scaliger, est σειρὰ, linea serici; non tamen cujusvis, sed rudis, nondum in fila torti et experti cortinam, veluti Pandulpho Pratejo et Philandro ad Vitruvium (15) itemque Brodaeo placuit. Turnebus (36) tamen bolidis funiculum intelligit apud Lucilium. Sed ista populo relinquenda; qui, ut probe Varro (17), in sua potestate,

(1) *In Enor. L.* 1. *c.* 63. (2) *De morb. int. Sect.* 5. (3) *Aph.* 21. (4) *De Alim. fac. L.* 2. *c.* 20. (5) *L.* 1. *c.* 165. (6) *Lib.* 13. *Ep* 46. (7) *De re rust L.* 2. *Tit.* 16. (8) *Lib.* 1. *c.* 35. (9) *Histor. Poet Dial.* 7. (10) *Art. veterin. L.* 1. *c.* 56. *L.* 2. *c.* 13. (11) *Satur. L.* I. 17. (12) *Labyrinth.* (13) *Oneirocr. C.* 222, *et* 232. (14) *Adv. L.* 20. *c.* 3. (15) *Archit. L.* 7. *c.* 3. (16) *Miscel. L.* 10 *c.* 20. (17) *De ling. lat. L.* 8.

-singuli in illius. Eruditiores si consulis: Brasavolus in Galeni indice Aciae vocabulo innuit 'Ῥάμμα, quod ipsi filum est. Neque aliter in definitionibus medicis Joannes Gorraeus (1), aut in Oeconomia Hippocratica Foesius (2). Quod Peccetio similiter placuit. De quo suo loco aptius. At quoniam *velus nomen investigandum per magnum otium*, cujus hic non licet esse prodigis: cum Galeno (3) « de nominibus omnibus illud in universum pronuncio, nihil eruditum in medium adduci posse. Sed ab aliis res discenda est, cui nomen illud indiderunt ». Quod summa ingenii ope dum nititur doctissimus Ad. Turebus (4), Ῥάμμα, e Lexico veteri Latino Graeco *Aciam* exponens verbum hoc a Celso usurpatum notat. Quis vero ejus fuerit repertor, nolo multum esse solicitus. Nec valde ad rem. Celsum non fuisse verisimile est, qui, Fabio (5) teste, ab oratore verba fingi vetuit: jamque longe ante ipsum eo usum fuisse Titinnium palam est. Quod non inconsulto retinuit ille, dignus quem scisse omnia credamus. « Propriis enim verbis, *ut bene Fabius* (6), dignitatem dat antiquitas. Namque et sanctiorem et magis admirabilem faciunt orationem, quibus non quilibet fuerat usurus ». Imo etiamsi « totus prope mutatus est sermo: quaedam tamen adhuc vetera vetustate ipsa gratius nitent, quaedam etiam necessario interim sumuntur. Sed ita demum, si non appareat affectatio ». Quandoquidem igitur, ex Quintiliani (7) mente, verba frequenter ab Autoribus jus sumunt, praecipue Medicis hic fides adhibenda; e quorum numero Bartholomaeus Castelius (8), Joannis Bernardi Feliciani versionem secutus, in Lexico Medico ait: « acia Hippocrati filum per foramen acus trajectum quo vel partes corporis dissectas inter se committere, vel caput fasciae subjectis partibus assuere consuevimus ». Etsi vero mirandus Senex non aciam, sed Ῥάμμα appellat; Ῥάμμα tamen aciae vocabulo in veteri Glossario Graeco-Latino explicatur. Distinctius in Hippocratem, interprete Feliciano (9), Galenus ῥάμμα, id est, aciam nominat illud, *quod una cum acu trajicitur, sive linum id sit, sive lana, sive quippiam aliud*. Id vero filum proprie est, quod ex lino lanave trahendo ducitur. Unde filum quoque Varroni (10), Columellae (11), ac Martiali (12) itemque M. Vitruvio (13) funiculus, *Linea* vocatur. Staminis nomine proposuit Scribonius Largus (14), quando glomum staminis albi commendat. Nec diversum sentire videtur Varro (15), dum *Stamen* deducit a *Stando: quod eo stat omne in tela velamentum*: ut vere improbarit Joannes Passeratius vulgarem Lexicographorum glossam, qui illud fili materiam putarunt. Fallopius (16) magni judicii Medicus et Chirurgus dum ab his disciscere noluit *Materia*, inquit, *qua conficimus fibulas, vel Suturas, est filum. Acia vocatur a Celso*. Eademque potestate Peccetius (17) fibulae instrumentis filum annumerat. Ex acia serica porro vincula fieri tradit Vesalius (18). Aciam quoque procul dubio filum Fabius (19) Pacius affirmat. Neque ullus in medio etiam populo cujus hic

(1) *Chir. L.* 2. *c.* 1. (2) *De Alim. facult. L.* 2. *c.* 19. (3) *De Sanit. ad Thras. c.* 32. (4) *Adv. L.* 17 *c.* 21 *et L.* 27. *c.* 20. (5) *Inst Ora. L.* 8. *c.* 3. (6) *Id. L.* 12. *c.* 11. (7) *Inst. Orat. Lib.* 8. *c.* 3. (8) *Comm.* 2. *Tom.* 7. *de Off. Med.* (9) *L. d. T.* 10. (10) *De re rust. L.* 1. *c.* 23. (11) *Lib. de art. c.* 14. (12) *L.* 10. *Ep.* 30. (13) *Archit. L.* 6. *c.* 9. *et L.* 7. *c.* 3. (14) *Com.* 142. (15) *De ling. lat. L.* 4. (16) *De Vuln. Simp. c.* 7. (17) *Chir. L.* 2. *c.* 10. (18) *Chir. Mag. L.* 3. *c.* 8. (19) *Comment. Meth. med. L.* 3. *c.* 4.

insignis autoritas, quacunque etiam interpretatione putarit scio aciam Italis filum quodvis notare metallicum. Hi enim ipsi ut Latini circumscriptione dicunt, *filo di rame*, *di ferro*, *d' argento*, *d' oro*; quemadmodum monente Salmasio (1). Eustathius Σύρμα ex suorum temporum consuetudine ἀργύρεον μίτον interpretatur; et Fortunatus ejusdem indicio *Catactisti*, *ea fila* intellexit, Martiali aurea: quae apud Julium Capitolinum (2) de subtemine aureo prolata recte judicat Salmasius. Cuiusmodi etiam D. Hieronymo *aurum in fila lentescens*. Discriminis evidentiam sermonis italici usu vere ostendit Martinus Bonomius Medicus Venet. Lib. de Diaeta; cap. 4; ubi ad urinae difficultatem instrumentum proponit factum ex filo argenteo, quod aciam crassitie adaequat. Aciam itaque ex re molli filum omnes ferme statuerunt alicujus nominis Chirurgiae Professores, ceterique primae classis Medici: a quibus paucissimi, Guidonis Cauliaci (3) exemplo, non tam naturae ratione quam rei novitate inducti, metalli delectu in peculiarem sententiam abierunt: licet ipse in periculis communiorem, et probabiliorem viam sequi jubeat.

CAP. XV.

ALPHONSI NUNNEZ, ET NOVA ALIORUM DE ACIA OPINIO EXAMINATUR.

Cauliaci opinionem post Clarissimum Nunnezium tutatus vir insigni doctrina et eloquentia eximius, fibulae materiam et figuram plene satis exposuit, quod eam lucis plurimum Aciae allaturam existimaret. Ac fibulam quidem tradit priscis vinculum fuisse metallicum, quo sejunctae res nectebantur et stringebantur, eamque formae multiplicis. Talem vero Mechanicam esse, jam satis constare arbitror: quae nulla certitudinis evidentia ejus generis vulnerariam infert; quum convenientia non in materia, sed in usu, consistat. Quod si vestiarius forte usus metallum volet, an idcirco idem vulnerarius? Quae enim carnis ferro diductae ad chlamydis laxatae, aut balthei soluti gravitatem proportio? Et quid ad rem quod *vinculum injectum*, quum idem sit Galeni (4) sermo de Fascia? Neque enim lino quidquam aptius devincit sive deligat, aut adstringit, ut aequivalentibus Celsi verbis utar: qui loco aliquoties adducto, veluti Galenus (5) breviter *Vinculum ex duobus initiis circumdatum*, sic etiam constituit « Vinculum ex duobus linis acu trajectis, quorum singulorum capitibus diversae partes adstringuntur». Vincturam vocat idem non juncturam, ut habet post M.S. Ambrosianum textus vulgaris, quem praeter Joannis Caji et Pauli Aicardi animadversiones veteris codicis Florentini autoritate sic emendari jubet sermo de ligatura institutus: quod variis Celsi lectionibus, Deo favente, opportunius me aliquando declaraturum spero. Confirmat Varro (6), qui ait, *quod corona vinculum capitis, et ipsa a victura dicitur.* Hinc Tacitus (7): *Silius hedera vinctus*: Item: *diademate caput Tiridatis evinxit.* Et venuste Tibullus (8):

(1) *Not. in Fl. Vop. Aur. et Tert. de Pall. L. 6. Ep. 3.* (2) *Not. Tert. L. 2. Ep. 15.* (3) *Chir. Mag. Tr. 5. Doct. 2. c. 1.* (4) *Comm. 2. T. 1. Hipp. de Offic. Med. L. 7. c. 214 212.* (5) *Met. Med. L. 3. c. 4.* (6) *De ling. lat. L. 4.* (7) *Ann. XV. c. 2.* (8) *L. 1. Eleg. 5.*

e veste sacris tendent umbracula sertis
Vincla, coronatus stabit et ipse calix.

Et Claudianus (1):

roseis evincta coronis.

In quem modum scite Nicolaus Reusnerus:

Vincta caput sertis, et ver amplexa maritum,
Nuda per herbosos FLORA jocatur agros.

Eadem vi satis apte in membranis Q. Sereni apud Thomam Bartholinum, civem meum paternae virtutis aemulum:

Aut cerasi vinctum longo jam tempore pomum.

Ubi in vulgatis omnibus *victum*. Cerasa enim serti modo ad siccitatem aeri exposita verisimile videtur. Sed nec vincula semper ex metallo facta, significavit Maro (2), quando *linea* dixit. Unde nec abs re Tortellius linum denominatum scribit ab antiquo Graeco *Lineo*, quod est detineo: quanquam verius fortassis a λινόω, *lino vincio*; quemadmodum Jul. Scaligeri (3) judicio ligando *Licium*. Columellae (4) quoque *Salix et genista palmitibus idonea praebent vincula*. Quomodo de vite Varro (5), *discat pendere in palmam, aut funiculo, aut vinctu: quod antiqui vocabant Cestum*. Qua veritate adducti veteres quoque Etymologici, quantumvis Barbari, vinculum exponunt Ligamen. Quod etiam probavit Passeratius harum literarum peritus apprime: ut non male apud Galenum de Administrat. Anatomica *Laquei* voce usus fuerit Andernacus. Porro, utramque (Suturam et Fibulam) optimam ex Acia quando statuit Celsus, quomodo Acia inde probetur metallica, judicent periti. Etsi enim, tacentibus hoc ipsum, quotquot inspexi, Lexicographis, post Georgium Agricolam (6), virum P. Ciacconii judicio doctum et diligentem, cum Josepho Scaligero in Festum, et Cornelii Severi Ætnam, post Senecae ac Pomponii Laeti indicia Autori suo a Fulvio Ursino digne restitutam, cum Jano Cornario in Aetii (7) versione, cum Andrea Caesalpino, Julio Caesare Claudino in appendice de Ingressu ad Infirmos, et Claudio Salmasio, Viris clarissimis, ultro fatear, quod priscis Latinis, atque inprimis Plinio (8), *acies* sit idem quod Julio Polluci Στόμωμα, hoc est, Chalybs a Chalybibus primis ejus inventoribus, seu ferrum igne fusionis vehementissimo depuratum, ad argenti albedinem maxime accedens; quod in Excerptis ex veteri Lexico Graeco-Latino *Ferrum durum* explicatur, veluti apud Papiam *Aciare* ferrum durissimum; ut vere Gualtherus στόμωμα Pollucis reddiderit *Acies*; quod Lexico Graeco-Latino veteri *Ferramen* est; non *Ferrumen*, ut J. Mellerus Palmerius (9) notavit; παρά τό στομῶσαι, quod Vet. Gloss. est *aciem indurare*, ut στομοῦν apud Pollucem Gualthero *aciem inducere*, quamvis Onomastes diserte χαλύβδιον στόμωμα nominet, quod interpres *Chalybeum Aciale* dixit; vel quae, Magio (10) judice, ob nominis proprii indigentiam. Plinii verba, *e nucleo ferri excocto indurata acies*, quae ab invicta duritie Hesiodo Ἀδάμας dicitur: nulla tamen lege inde acia derivatur. Nec vocibus a Latina detortis hanc de acia conjecturam Galli, Itali, et Hispani suo sermone multum stabiliunt.

(1) *De laud. Stil. l. 1. v. 87.* (2) *Aen. 5. v. 102.* (3) *De Caus. ling. lat. L. 1. c. 71.* (4) *Lib. de Arb. c. 29.* (5) *Rei rust. L. 1. c. 8.* (6) *De Fos. L. 8. Ep 79.* (7) *Tetr. 1. Ser. 2. c. 59. sect. 2.* (8) *Nat. Hist. L. 34. c. 14.* (9) *Specileg.* (10) *Miscellan. L. 2. c. 8.*

Quid enim ad metallicam aciae fabricam ultra confert Itala vox *Aciaio*, quae Latinis Chalybs, utut Bonaventura Vulcanus in Glossario Latino-Graeco Æs interpretetur, quam τὸ ῥάμμα: cujus denominatione tamen filum nemo aeneum velit inferre, quod *Rame* Italis Æs denotet? Filum sane mollis materiae indicat lepidissimus Aristophanes (1), quando ἐῤῥαμμένους πώγωνας sequiori sexui adsignat; quas Andreas Divus Justinopolitanus *Sutas barbas* exponit: cujus operae capillamenta hodie Gallis consueta, velut olim Medis apud Xenophontem (2) κόμαι πρόσθετοι, Francisco Philadelpho interpreti *Comae appositiliae*, Luciano (3) πηνίκαι, D. Hieronymo *alieni capilli*: quae galericuli vere sutiles formam annosque impune mentientes; quod ejusmodi barbitio in alienam plerunque perniciem excogitato vix concessum. Quidni pari, ne dicam, potiori jure, acia ab Thuscorum *Accia*? Verum ne testimonio de trivio cumulare videar: quando res vere cum animis reputanda, si vox haec Latinae ceu vetustiori et reliquarum linguarum exoticarum matrici, non aliter quam acus, originem debebit, quidni *acia* apud priscos Latinos sine Romanae angustiae nota eodem sensu fuerit usurpata, quo Italis hodie *Accia*, non secus quam *Cyma*, apud Catonem (4), Celsum, Apulejum rei herbariae scriptorem, et hujus apud alios familiae innumera: cujusmodi plurima suis nominibus in vulgo sunt? Quam denominationis affinitatem ratione formae et communis usus sicut filo intorto nullus probe doctus negaverit; ita eam credo ipsi concedet materiam, quae et laborantis valetudini et operantis Medici dexteritati fuerit convenientissima: linum puta, lanam; ex qua filum validius Galeni (5) monitu vel sericum. Ceterum, et rarior ea aciei conditio, quod soli ferro subjiciatur. Frequentius enim cujuscunque rei acumen significat, quod pungat, aut secet: ut recte Agricola in rerum metallicarum interpretatione aciem sua lingua verterit *Scherf*. Ita Celsus de unco, *quo partus emortuus extrahitur: in interiorem partem per totam aciem exacuitur*. *Acies ferramenti* de Modiolo: Columellae quam eleganti Metonymia acies falcem denotat. Caelio Aureliano (6) scalpellum, apud quem *vana caro acie circumcisa*. Acies etiam acumen acus exponitur in vocabulario Servii M. S. apud Canonicos Regulares S. Joannis in Viridiario Patavii. Hinc venusta traductione Plinio (7) *Unguium acies*, et Ammiano Marcellino « Gallus distincta dentium acie stridens », id est, serie sive ordine qui Graecis Στοῖχος; qualiter etiam Crocodilus ordine dentium pectinato: unde Scyllae Homericae τρίστοιχοι ὀδόντες: et apud Aristotilem (8) atque Ælianum (9), ἐν Ἰνδοῖς τὸ θήριον, ᾧ ὄνομα εἶναι μαντίχωρας, τοῦτ', ἔχειν ἐπ' ἀμφότερα φησὶ τριστοίχους τοὺς ὀδόντας. « Apud Indos bellua gignitur, cui nomen Manticorae, quod habere dentes triplici utrinque dicunt ordine ». Plinius (10) eadem sententia, quanquam ad Philosophi verba paulo liberius Ctesiae autoritate prodit *Manticoram triplici dentium ordine pectinatim coeuntium*. Tantundem erit, si de acumine intelligi malis: quemadmodum is ipse de Crocuta, sive Corocotta, ut in melioribus libris; quam Porphyrius (11) putat Hyaenam esse Indicam: « acies ei perpetua in utraque parte oris, nullis gingivis dente continuo ».

(1) *Concion.* (2) *Paed. Cyri. L.* 1. (3) *Dial. Merct. L.* 2. *Epist.* 18. (4) *De re rus. c.* 156. (5) *De Adm. An. L.* 8. *c.* 4. (6) *Chron. L.* 5. *c.* 12. (7) *Nat. Hist. L.* 8. *c.* 16. (8) *Hist. An. l.* 2 *c.* 1. (9) *De Animal. L.* 4. *c.* 21. (10) *Nat. Hist. L.* 8. *c.* 21. (11) *De Abst. Carn. L.* 3.

Utroque enim modo sensus erit integer. Acies quippe Vegetio exercitus est cuneiformis binario cujuslibet ordinis auctiori in speciem acuminatam excurrens, vel acumine ferri armatus : translato ab ipsis rebus vocabulo, quae ita proprie nominatur 'Αχία pariter Mauritio (1) aciem significat : quod in Glossis Graeco Barbaris et Phavorino (2) etiam "Αχα legitur. Isidorus in Glossis ei adscriptis alam dixit : alii manipulum, sive decuriam. Ita Anonymus Leoni (3) concors: *Λόχος, καὶ ςίχος, καὶ ἀχία, καὶ κοντουβέρνιον, ταυτὸν ἐςι*. Rhetorum colores transeo, quibus nihil frequentius, quam ingenii, mentis, oculi, linguae, orationis, acies. Quam neque post M. Tullium foro adjicere veritus est in Panegyri pro Scolarum restauratione Eumenius. Franciscus Petrarcha (4) etiam pro suo genio in Poesin proniore, conviviarum, et morborum aciem dixit. Virgilio (5) *acies vulcania* est ignis efficacia, veluti vulcani exercitus. Ita Caelio Aureliano (6) per quam eleganter *appetitionis acies temporis obtunditur dilatione*. 'Αχρὸ χειρ. Hippocratis Celso etiam venustate non inferiori *manus acies*; consentientibus libris calamo typisque scriptis, quos viderim, omnibus, praeter unum Pinelli, in quo Aicardi emendatione *macies*: quae Fallopio (7) probatior. Acie pariter videtur Maro (8) oculos notasse:

Huc atque huc acies circumtulit.

Claudianus (9) itidem :

Sitne color proprius rerum, lucisque repulsa
Eludant aciem.

Hinc *Acies* merito apud Cledonium ac Diomedem Grammaticos antiquos, magno rei literariae bono aliis ab eruditissimo Helia Putschio simul in lucem productos, inter Hymonyma reponitur, ut oculorum, et exercitus. Utrumque vocis modum venuste comicorum festivissimus (10) sic usurpavit, quando clypei splendorem postulat : *oculorum praestringat aciem in acie hostibus*. Celsus tamen *aciem* oculi usurpavit pro ipsa videndi potentia : quam Ciceronis more separatim *acrem*, *et hebetem* ponit. Lactantius (11) membranam oculi perlucentem interpretatur. Apulejus (12) etiam ad oculorum aciem extenuatam hoc remedium adfert : « herbae Centauriae minoris » succus oculis inunctus aciem extenuatam sanat: adjecto etiam melle, eo» dem modo proficit, caligantibus quoque oculis claritas restituitur ». Plinius Valerianus (13) idem clarius tradidit: «Centauriae minoris succum » adjecto melle aequo pondere permisces, et inunges, aciem extenuat : et » ipsa herba in aqua cocta oculi foventur, ut caligantibus oculis claritas » restituatur, et ne facile hoc periculum incidat ». Sic enim levi distinctione autori sensus redditur. Eleganter Seneca (14): «obit coelum acies no» stra, *et distinctius* (15): Paulum titubat acies: facilius adversus illam ani» mum quam oculos attollo ». Qua locutionis ratione τὰς ὄψεις apud Hippocratem (16) affectatius, quam ad autoris mentem, Foesius *videndi aciem* reddidit, quum et Athenaeo ὄψις Oculus, quem a venis stringi compertum est, et Ruffo Ephesio (17) monente, *aliis id quo videmus*. T. Lucret. (18)

(1) *Agell. L.* 10. *c.* 9. (2) *Strat.* 8. (3) *Const.* 3. § 33, 35, 73. (4) *Var. Ep.* 43. (5) *Aen.* 10. (6) *Chron. L* 5. *c.* 12. (7) *De luxat et fract. c.* 5. (8) *Aen.* 21. (9) *Pan in Mal. Th. cos. v.* 105. (10) *Plaut. Mil. Sc.* 1. *Act.* 1. (11) *De opif Dei. c* 6. (12) *De re herb. c.* 35. (13) *L.* 1. *c.* 18. (14) *Ep.* 89. (15) *De Tranqu an. c.* 1. (16) *De loc. in hom.* (17) *De corp. hum. part. appellat. L.* 1. § 2. *c.* 5. (18) *Lib.* 4.

oculorum aciem : P. Vegetius (1) *aciem visus* appellavit ; cum Lucretio et Celso Cicero (2) sine adjectione *aciem*. Et si vel maxime libeat aciae appellationem ab acie deducere : ea nihilominus Notatio largior Notato nihil affirmate concludit. Recte namque dixeris : aciam non esse ferream , si acies non est ferrum : versa vice, nequicquam ; quandoquidem acies non est aequalis aciae sed latius sese diffundit. Hec valido satis fundamento , quod putant quidam, ex Festo et Isidori glossis aciae vis metallica efficitur; ubi *acieres* vel *aceries* , sive *acieres* Papiae, veluti post Turnebum adnotavit ad Festum Josephus Scaliger (3), Ἀξίνη ἱεροφάντε Lexico veteri, *Sacerdotum securis aenea in sacrificiis* , interprete Lubino in Antiquario , quae Hesychio et Phavorino δίστομος πέλεκυς, *anceps securis*. Utrumque enim mendosum opinatur nobilissimus Barthius, qui substituit *Aire* , *Aires*. Nec infeliciter, Ἀιρὰ namque ἀξίνη apud Hesychium (4): qualiter etiam clarissimus Balthasar Bonifacius sua in Martialem ad eruditissimum Carolum Avantium dissertatione indicat, quod AEra Graecis fuerit Bipennis aut Securis: ut nihil dicam, etiamsi vera forent, nimis tamen haec esse accersita, et nimis coacta. Parum etiam huc facit , quod *aciarum* glossis σφῶμα ; quum et glossario veteri Ῥαφιδοθήκη hoc nomine intelligatur, ubi acus reponuntur ; jamque vir optimus Nicolaus Peirescius nomenclatori probato esse *acuum thecam* per literas monuerit. Adde posterioribus tantum Latinis aciarium significare ferrum durissimum. Prisci vero sermonis usus nobis controversus est. Nec sane Turnebus (5) criticorum nemini secundus aciae materiam expressit ferrum : sed cum Gloss. in phrygionis instrumento *filum* docet *aciculae* ; quae non aciae diminutivum , verum ex communi grammaticorum sententia, non quidem significatione , sed formatione, ab acu προσκοριστικῶς appellationem traxit, *accela* pariter priscis glossis; et *acuciator*, idem quod Graecis Ἀκονητής, *Cotiarius*, observatione clarissimi Joannis Laurembergii : Qua forsan ratione legendum in veteri glossa MS. Bibliothecae Vaticanae ubi , est *acus* , *acutor*. Ita et acus nomen ab attico verbo Ἀκέσασθαι *sarcire* non adeo forsan inepte , quam longinque petitum censebitur a Festo ; aut si malis cum Nicolao Perotto ab acumine , vel quod Hugotioni placuit ab Acuo; quum tota sit veluti acumen. *Acuere* vero Festus derivari prodidit ab ἀκόνη, quam Latine dicimus *Cotem* , utut in Onomastico Latino-Graeco apud Bonaventuram Vulcanium *aciem* denotat. Mihi potius videtur descendere ab Ἀκὶς Poetico, quod Latinis est *Acies* sive *acumen* quandoquidem e pluribus notationibus ea logicis potior habetur, quae servatis principalioribus literis rei naturae proprior est. Is vero linguarum consensus omnium optimus, in quo formae materia, nimirum literae syllabaeque significationi , respondet. At parum firma argumenti vis a notatione verbi , quod cum re ipsa dictionis mensura non reciprocatur. Recte Apulejus (6): *An quicquam stultius , quam ex nominum proprietate vim similem rerum conjectari?* Francisco Sanctio (7) viro doctissimo libens etiam assentior quando ait, nihil magis ridiculum, ubi Graecis vocibus etymum redditur Latinum. aut contra. Neque aliud ex Turnebo colligitur, quam filum acumine seu acu munitum , utcunque acia ab acie nomen habeat: qua ratione a Celso *in acu filum et acus lina ducens* ad meden-

(1) *Art. Vet. L.* 1. *c.* 56. (2) *Tusc. qu.* 1. *L.* 6. *c.* 6. (3) *Adv. L.* 27. *c.* 10.
(4) *Adv. L.* 8. *c.* 3. (5) *Adv. Lib.* 17. *c.* 21. (6) *Apolog* 31. (7) *Minerv. L.* 4.

dum exigitur. At non omnium verborum posse dici causas praemonuit Varro. Addo, quod Vectius Titinnius nobilis togatorum scriptor apud Non. Marcell. *in voce Phrygia Vestis* acus aciasque separatim recenseat, haut aliter quam apud Jul. Pollucem distincta reperiuntur, ῥάμμα, ῥαφίς, λίνον : *Licium acus filum*. Mirum autem quid his velit Phrynichus Sophista in Ecloga dictionum Atticarum ἡ ῥαφὶς τί ἐςὶν, οὐκ ἄν τις γνοίη. *Ραφὶς quid sit, nemo intelliget* : nisi forte ad Atticismum respexerit. Enimvero Ῥαφὶς et ῥαπὶς item ῥαφεῖον, a ῥάπτω glossa vertit *Rapium*, id est, acus, qua sultur ; ut vere pro *Rapilum* Salmasius emendavit. Acus nempe Phrygionum trahebat filum ex serico et auro: quod etiam hodie usu venit. Ac quantumvis phrygionum operis filum ex auro subtilissimum duceretur, ferrei tamen usus quum iis nec elegantiae nec pretii gratiam adderet, nulla vel admodum obscura ejus apud veteres nobis indicia sunt, nisi quatenus aliis forsan rebus mechanicis adhibitum fuit. Alterutrum certe subtile admodum continendis vulnerum oris sine evidenti doloris molestia vix conferre potuit. Imo, etiamsi quodvis metallum facili negotio in fila ducatur, nunquid inde certiori privilegio aciae nomen sibi adsciscet, quam sericum, quod Phrygiones non minori mole, sed majori saepius, intexunt ? Qui si auro quondam mero in stamina diducto saepius usi, quando libra auri, ut est apud Flavium Vopiscum (1), libra serici fuit; ut jure Tiberius (2) Imperator edixerit, ne quis vir veste serica uteretur, quum sericum esset textura barbaricae luxuriae, ab iisque ad luxum mulierum nobilium invecta: id certe magis ad textrinam, quam Chirurgiam spectat. Nec aliud hinc statuere licebit, quam ejusmodi filum iis fuisse commodum, qui Phrygum inventione vestes acu, non pectine, pingebant, sive ex auro variis rerum figuris elaborabant. Quod Στήμον nominatim Graecis dictum H. Steph. ex Eustathio diversum ostendit ab eo, quod Hippocrati Ῥάμμα est. Si quis vero aciam propriissime ferream esse, solaque similitudine auream, contenderit pertinacius : talem quoque fatebor dari posse aciam, non minus quam filum lineum, etiamsi commoditas populis Orientalibus xylinum ostenderit. Nemo tamen eadem ratione aciam mihi negabit sericam, qui vel leviter inspexit stupendas ejusmodi artificum operas, et

picturatas auri subtemine vestes

Quum enim aciae vocabulum hic non fuerit propriissime acceptum, sed aequivocum ; qualia ad omnes differentias se habent aequaliter : non minori praerogativa ex lino acia fiet, quam ex acie, vel aere ; quandoquidem filum indidem perficitur ; nec minori licentia Medicus sibi arrogabit sericam aut lineam suo instituto aptam, quam alius opifex auream vel ferream. Materia namque discernitur usu et fine, qui cuivis artifici peculiaris. Quidni igitur acia quoque ex quavis materie filum erit ? Rem ita sese habere, clare monstrat, quisquis ille fuerit, qui postrema Bonaventurae Vulcanii cura Philoxenii, ut nonnulli putant, Glossario Graeco-Latino, et Benedicto Floriacensi additus. *Aciam, Licium, Stamen*, sub titulo περὶ ἱρέων locavit. Vidit idipsum Josephus Scaliger, qui ad hoc in Moreto Virgilii, aut quicunque ejus fuerit autor :

producit acu stupas humore carentes.

(1) *Aurelian.* (2) *Dio. Hist. Ro. L.* 57 *et* 43.

« acus nomine , vel , ut apud C. Celsum legitur , et in veteri Glossario , aciae nomine intelligitur , quicquid ex lino, aut lana , aut stupa , similibusve carpebatur , ut linamenta, *κὰς μοτάρια κὰι τιλτὰ Chirurgorum* ». Viro tamen magno assentiri nequeo, dum acum putat aciam esse. Verba enim Poetae ita sunt clara, ut vix in hunc sensum detorqueri valeant. Quid enim vulgarius , quam demto lucernae fungo ellychnium humore defectum , ut protinus ardeat , in rostro acu seu volsella produci ? Et quis vel mediocriter in Celso versatus non advertit aciam seu filum prorsus esse diversum a *Linamento* sive lemnisco ipsiusmet, quod nec multum a lucernae funiculo, aut Catonis(1) turunda discrepat. Accedit his omnibus, quod *Nomina nonnunquam non ab ipsa rei Substantia, sed ab accidentibus quibusdam imponantur* (2). Consuetudo autem certissima loquendi magistra *quae cum omnium domina rerum , tum maxime verborum est* (3) , utendumque plane sermone ut numo , cui publica forma est. Quod vero Nonio Marcello (4) *filum sit ducta res quaeque ad tenuitatem* ; adeoque genus , ut referunt alii , ad lineum, laneum, sericum, xylinum, aureum, argenteum, ferreum, plumbeum, nulla sane subest ratio, cur acia sit magis metallica, quam linea ; quum genus sit indifferens ad suas species singulari differentia limitatas. An vulgari, ut ajunt, filo propterea dissimilis acia quod linum belle filum est Celso, qui seorsum usus aciae vocabulo ? Profecto , si res omnino ad judicii lamam redigenda ; Celso extra artis praecepta nunquam loquenti duo sunt fili discrimina, scopo quidem et forma exteriore distincta, materia neutiquam ; adeoque rectius diversa , quam opposita ; videlicet linum, et acia. Prius vulgo est simplex ac tenue, Graecis λίνον, quod Grammatici α λὶς, *laevis*, ducunt, sive id e contusis maceratisque herbis fuerit, sive e carpta fruticum lanugine , quemadmodum Plinio (5) visum: unde, ni fallor , emendatus a Salmasio Criticorum nostrorum coryphaeo Tertullianus (6) ; *et arbusta vestiunt, et lini herbidae.* Alterum ex lino duplicato moderate contortum Tagliacotio (7) *funiculus* appellatur. Acia itaque a filo lineo quoad materiam nihil est diversa. Forsan nec interdum forma , si penitius considerentur loco jam indicato verba Plinii, quo autore in thorace Amasis AEgyptii quondam Regis in Rhodiorum insula ostendebatur in templo Minervae CCCLXV filis singula fila constare. Cui non dissimilis apud Sil. Italicum (L. 9.).

thorax

Multiplicis lini

Quem inter alia donaria Cyrenas a Rege missum Herodotus (L. 2.) jure appellat θώρακα λίνεον ἀξιοθέητον, *thoracem lineum spectaculo dignum* Stamina nominavit C. Plinius ejusmodi fila in Lini historia, ubi de plagis mentionem habet . *singula earum stamina centeno quinquageno filo constare vidimus.* Filum igitur e plurimis hic filis contortum ab aciae forma parum discrepat; etiamsi hanc alii a lino differentiam adsignent. Nec tamen ignoro linum alicubi M. Tullio , non secus atque Celso passim , Plinio , Columellae, C. Aureliano (8) , Apulejo (9), itemque medico , Pub. Vege-

(1) *De re rust. c.* 157. (2) *Gal. de usu part. L.* 8 *c.* 4. (3) *Quintil. Inst. Orat. L.* 1. *c.* 6. (4) *Gell. Lib.* 12. *c.* 13. (5) *Nat. Hist. L.* 19. *c.* 1. (6) *De Pall.* (7) *Chir. curt. Icon.* 7. (8) *Chron.* 2. 4. (9) *De vir. herb. c.* 10. 66.

tio (1), et Marcello Burdegalensi (2), imo a Graecis Discoridi, filum esse tortum, quando linum incidere vulgata phrasi est solvere tabellas ; quae nequicqnam lino simplici arctabantur. Quod clarissime demonstrat Q. Curtius ubi Parmenio (3) vinculum epistolae solvit. Hinc magnus reconditae vetustatis investigator Lipsius (4) hoc sensu commode linum definit Vinculum, quo epistola obligata, et cui signum ipsum impositum impressumque. Linum adhuc clarius apud Svetonium , et Quintilianum (5) interpretatur juris et antiquitatum scientissimus Barnabas Brissonius *Funiculum lineum, quo trajici circumducique et ligari tabulae Testamenti solebant.* Talem in Bibliothecae quondam Palatinae volumine cum umbilico circa medium osseo mihi ostendit Janus Gruterus (6) sua aetate veterum eruditione apprime celebris. Aliis praeterea rebus etiam aptatum fuisse a veteribus, qui sua studiose sigillabant, ex Apulejo (7) certum est; apud quem *linteum in mensa positum', sine ullo sigillo , sine vinculo.* Piscationibus itipem tradit Hesychius : *Λίνον, σημάνει δὲ καὶ τὸ ἁλιευτικὸν δίκτυον, καὶ τὴν ὁρμιάν.* Rete nimirum, et lineam significat. Quo modo *lina* Latinorum Poetarum Principi (8) Retia ex lino contexta. Et qui *Vinculum* Celso alia specie *Linum*dum praecipit tunicas, antequam excidantur, vinciri lino: quod aotoa posuerat clarissime, *duplex trip'exve, sic tortum ut unitas facta sit ?* Ligaturam sane profert e lino AEgineta (9). Plinius (10) etiam lino pro quovis filo usus videtur, qui sic de strumis: « Aliqui vero circumligant eas lino, quo praeligata infra caput vipera pependerit, donec exanimaretur». Quod ipsum praesidium post Galenum (11) tradit AEgineta, Pliniusque Valerianus; nostra memoria Adrianus Spigelius Patavii praedicavit. Levius autem est , quam ut veritati quicquam officiat, quod Celsus potius aciae vocabulo , quam Lini usus fuerit : quandoquidem Synonymorum delectus cuicunque scriptori semper fuit arbitrarius ; nec species differentiis ejusdem generi aequalibus dividitur. Sed neque Autor idem accuratissimus Lib. 7. Cap. 25. magis indistincte , quam C. 14 et 21 filum accepit. Ibi enim de infibulatione sermo , quae propriam aeque separatamque considerationem requirit, ac reliqua umbilici et omenti vitia ; imo quod satis perspicue significat Vidus Vidius (12), a fibula vulneraria est omnino aliena ; ut praeter sermonis consuetudinem antiquis receptam vir eruditus cum Marcello Donato (13) voluerit vulnerum unionem apud Medicos infibulationem appellari. Neque Æginetam in Γαςροραφία de filo indifferenter, vernm de fili , si ita loqni licet, consistentia, sive ratione, qnao ipsi ῥάμματος σύςασις, audiendum suadet ipsiusmet verba ex Galeno (14) plene transcripta. Sic enim ipse ; *τὸ μὲν γὰρ σκληρότερον ἐκρήσσει τὸ δέρμα , τὸ δὲ μαλακώτερον αὐτὸ φθάνει ῥηγνύμενον.* Vidius cum Andernaco vertit. *Quod enim durius est , cutem rumpet ; quod mollius, confestim ipsum rumpitur.* Qui vero mollius rumpetur prius , si metallicum: qunm eo durabilius, quo mollius metallum magisque ductile: ant si rumpatur maxime, quomodo non rumpet una cutem, confestim incidendo ? Nihil ergo Scriptor ille Graecus de

(1) *De Medic.* c. 10. 14. 15. (2) *Art. veterin.* L. 1. c. 26. (3) *Inst. ep.* c. 6. (4 *Ner.* c. 17. (5) *Inst. orat.* L. 12. c. 8. (6 *De Verb. sign.* L. 10. (7) *Apolog* (8) *Georg.* (9) L. 6. c. 71. (10) *Hist. Nat.* L. 30. c. 5. (11) *De simpl. fac.* L. 6. (12) *Chirurg.* L. 4. c. 1. (13) *Dilu. Lir.* L. 39. (14) *Met Med.* L. 6 c. 4.

acia ad Neotericorum opinionem; nec ejus verba quidquam ad metalli substantiam : sed de lino modice torto, quo omnium aetatum chirurgi in ventris sutura usi, praecipueque Celsus, ne quis putet ullum ab aevo me subterfugium quaerere. Quae vero Fabricius ab Aquapendente contra Fallopium deprompsit juvenis, vix cordatos movent. Quid enim refert, quod acia apud nullum linguae latinae autorem reperiatur praeterquam apud Celsum ; nunquid propterea fili significationem non merebitur ? Glossographos veteres parum tunc perviderat vir bonus, qui non dum per ea tempora Cl. Virorum Henr. Stephani, et Bonaventurae Vulcanii cura junctim in lucem venerant : nec per labores Anatomicos, et Chirurgicas occupationes ejusmodi minutiis apud recentiores vacare licebat. Et quae ratio est, ut rem, quia nihil de ea perscriptum, propterea non esse arbitremur ? Dubium sane nullum est, quin praeter Titinnium, et Celsum aliis, quorum memoriam obscuravit vetustas, eodem sensu vox ea innotuerit. Marcelli Empirici (1) occurrit locus insignis: «herba vel hedera in capite Statuae cujus libet nesci solet. Ea si in panno rufo acia rufa vel lino rufo ligata capite vel temporibus alligetur, mirum remedium hemicraniae vel heterocraniae praestabit». Nec aliter legi potest, aut debet, quidquid alii de *Ascia* ; quum diligentissimi Medici vulgatae lectioni patrocinentur libri quotquot in Germania, Gallia ac Italia editi; et Ascia, quae Hippocrati σκέπαρνος, a similitudine securis, vel asciae, certum sit deligationis genus. Unde Hesychius: Σκέπαρνον ἐπιδέσμου ἰατρικοῦ ὄνομα ; et σκέπαρνον ἀμφίστομος πέλεκυς quanquam illustris Empiricus mentem ipse suam abunde aperiat, quam Plinius etiam Valerianus (2) expressit: « Hedera, quae in capite statuae nascitur, collecta et in alicujus vestis panno lino rufo illigata, confestim dolorem sedat ». Sic enim locus hic in vulgatis libris restituendus, etiamsi apud Plinium Secundum (3) laudatur *herba*, quandoquidem Hedera Discoridis (L. 2. c. 210.) autoritate ad inveteratum capitis dolorem confert. In Vaticano tamen MS. est : *yberis adalligata capiti*: dissentientibus, quos videre licuit, ceteris omnibus. Utrique similis Apulejus (4). « Herba Batration si lunatico in cervice ligetur lino rubeo Luna descrescente, quum erit in signo Tauri, et Scorpionis parte prima, mox sanabitur». Legendum omnino *Batrachion*; quia cum aceto cicatrices nigras exedit. Batrachium sana etiam corpora exulcerat apud Scribonium Largum (5). Sileo, multa Latiaris eloquii moneta subinde nasci nova ad pleniorem significatum : imo suam culvis, maximeque Celso, sermonis rationem esse. Adeo verissimum Poetae (6) scitum illud :

Ut silvae foliis pronos mutantur in annos ,
Prima cadunt : ita verborum vetus interit aetas ,
Et juvenum ritu florent modo nata, vigentque.

« Nam et quae vetera nunc sunt, fuerunt olim nova et quaedam in usu perquam recentia » (7). Quintiliani aetate inventum erat a Cicerone *fabulatum* nove: quod nobis jam satis tritum. Ejusdem ponderis est, quod Hippocraticum (8) Ἄμμα δὲ καὶ ῥάμμα μαλθακὸν, οὐ μέγα. Anutius Foesius cum Trincavellio vertit: *Nodus vero, et filum molle sit, non magnum.* Idem

(1) *De Med. c. 2.* (2) *De re med. L. 1. c. 10.* (3) *Nat. Histor. L. 24. 19.* (4) *De vir. herb. c. 10.* (5) *Com. 174.* (6) *Horn. in Ar.* (7) *Quint. In. Or. L. 8. c. 3.* (8) *De offic. Med.*

tamen, quod supra monui, in Oecon. Hipp. habet, *nodus et acia* : ῥάμμα vero in Galeni Comm. dixit *filum*. Janus Cornarius, quem sequitur Mercurialis, transtulit : *Nexus et filum mollia, non magna*. Fab. Calvus (1) parum Latine, nec sine Soloecismi crimine : *Sutura vero Rhammave mollis, nec magna sit*. Et paulo ante. « Colligamentum vinculumve seu Hamma, Suturamque Rhammamve, non infra, sed supra distribuito ». Germanam horum mentem omnium judicio optime in Commento assecutus est Galenus Hippocratis Genius, qui aperto pronunciat, non de fasciis, sed de filo hoc in loco Hippocratem agere. Omnis tamen sermo hic fasciae causa instituitur; cujus pars necessaria est filum, cui nodus apponitur. Quod neque obscure significavit Vidus Vidius, qui haec fasciae iconi ad Galeni (2) textum adscripsit : Nodus aciae in fasciis. Hinc Gorraeus in definitionibus medicis nodum fasciarum interpretatur, quum ambo capita inter se vinciuntur. Imo seni Coo (3) "Αμμα *nexus est, qui ex habenis aut fasciarum cruribus implexis efficitur*. Unde Galenus « "Αμμα, quod fit fasciis inter se connexis et complicatis, vel quum duo extrema, vel quum alterum tantum scinditur, vel quum tertium extrinsecus injicitur, quod Κατάληψμα, velut comprehensamentum vocant». Hippocrates tamen Κατάβλημα dixit. Hinc Phavorinus : Κατάβλημα, περίβλημα, ἐξ ἐπιμελήσεως ἕνεκα τοῦ συνέχειν τὰ ὑποκείμενα παρὰ τῷ Ἱπποκράτει. Quod Marcello forsan est Praeligamen : ad continendam sive adstringendam deligationem. Viderunt hoc ipsum Interpretum Graeci sermonis plurimi. "Αμμα nempe ab ἅπτεμαι, *Nector*, sive ἅμμα dialecto jonica Hippocrati familiari Joannes Maciochus voce, ut Festo visum, Graecae vicina reddit *Amentum, et copulam*; Jacobus Tusanus, cum quo Budaeus ad verbum sentit, *Copulam*, *Nexum*, *Nodum* exponit; *Colligamentum* Calvus, et *Vinculum*, etiam autoritate Eustathii, et Phavorini, qui cum Hesychio et Glossis τὸ Ἅμμα explicant Δεσμὸς ; quorum sententiae recte favit Joannes Castrouus in dictionario magno, quod Patavii apud Canonicos Lateranenses Divi Joannis in Viridario MS. typis vulgato auctius extat. Addit Tusanus "Αμμα notare *villam*, *fasciam*, sive *illaqueamentum* ex Dionisio Alexandrino de Apolline : quod Scribonio Largo (4) est *Laqueus*, *instita*, *et fascia*. Est et Graecis Σχοινίον, hoc est *Amentum*, quod in veteri glossa MS. Bibliothecae Vaticanae *ligamentum missile*, id est, quod in medio lanceae ligatur ; rectius, *missili*. Item, funis, Restis; Dionysio de Orbis situ, Zona; et metaphorice in Epigram. ἅμματα παρθενίης. Catullus (5) *Zonam* dixit ; in Epithalamio *Zonulam*, in Elegia ad januam diserte Homeri exemplo *Zonam virginitatis*. Zonae vero nomine Hymenem intellexisse Poetam, (Od. 11.) notant elegantissimi ipsius Hendecasyllabi.

Tam gratum mihi, quam ferunt puellae
Pernici aureolum fuisse malum ;
Quod Zonam solvit diu ligatam.

Porro autem Celso etiam vinculum duobus lini capitibus constat : qui loco nodi quamvis extremas fasciae partes assuere maluerit, ne ulcus laederet : nihilominus variandae labiorum unioni nodus commodior, dum sine difficultate sic aputetur nihil pariat, doloris. Modum docuit idem alibi :

(1) *Comm.* 2. *T.* 3 (2) *Comm de Offic. Med.* (3) *De art. Com.* 2. *de Off.*
(4) *Comp.* 84, 133, 131. (5) *Carm.* 2.

Nodus vulnus laedit, nisi tamen longe abest. Apertius Hippocrates (1): Ἀρχὰς βαλλέσθαι μὴ ἐπὶ τὸ ἕλκος, ἀλλ' εὖθεν ἢ ἔνθεν τὸ ἅμμα. *Principia non ea parte qua vulcus est injicienda, sed hinc vel inde nodus faciendus.* Oribasio (2) autem quaedam laquei species etiam *Simplex nodus* appellatur. Verum et latius extenditur hujus nominis usus. Sic enim glossa. Ἅμμα ἐν δεσμῷ, ἐν παλαίστρα. Seneca *Luctatoris*, Sidonio Apollinari Palaestritae nexus: quem doctissimus Salmasius brachiorum circa collum implicationem intelligit. Imo Eilhardus Lubinus (3) Ἅμμα vertit *filum*. Magis ad rem nostram Ῥάμμα, quod et Graeco-Barbaris Ῥαμμάτον vocari Joannes Meursius in glossario curiose notavit. H. Stephanus in voce Ἀγαθὶς ex Eustathio ῥάμμα statuit filum, quo aliquid suitur. Hinc σπάρτα νεῶν apud Homerum Salmasius vere intelligit ῥάμματα, fila nempe ex cannabe, lino, stupa, quibus naves consuebantur. Ideoque Bacchum femori suo insutum mox editurus lepide ingeminavit Juppiter, Λῦσι ῥάμμα, *Solve filum* ut vel hinc Grammatici liberum Διθύραμβον quasi Λυθίραμβον commiscantur. Ῥάπτω enim, *suo, sarcio.* Quo spectant haec Etymologici Magni Ῥάπτω σημαίνει δύω τό τε πλήττω, καὶ τὰ διεσφῶτα Graphice Julius Pollux (4) ex Archippo: Ῥαφίδα καὶ λίνον λάβον τὸ διὰ ῥῆγμα σύρραφον Rudolphus Gualtherus Latine dixit: Acum filumque arripiens rupturam hanc consue. Bene Phavorinus Ῥάπτω μέν τοι καὶ ῥάμμα, αὐτὸ τὸ ἐρράφθαι ἐν χρήσει. Vidius Vidius apud Galenum reddidit filum, quod teste Galeno (5) in *acum conjiciuntur, seu* (ut clarius idem Comment. T.10) *quod una cum acu trajicitur, vel ut incisae corporis partes inter se conjungantur, vel ut extrema pars fasciae inferioribus assuatur. Cujus materia linum est, sive lana, sive quid aliud ejus generis* Quae multiscii Autoris verba quum in suas definitiones medicas candide traduxisset Gorraeus, nullam certe incurrit Inscitiae censuram. Neque enim aliud Ipse a filo vulgari aciam Celsi opinatus, quid rei esset assequi non potuit, quum Ῥάμμα dicat, sive linum, sive lanam, sive quippiam aliud hujusmodi; eodem plane sensu, quo Vidus Vidius Galeni illud τι τοιοῦτον, *ejus generis.* Idque ita palam est, ut nullam imaginari liceat cavillationem, qua quod ejus generis est diversum quidpiam connotet; quum posito contradicentium uno removeatur alterum. Molle nem[p]e innuit ille, quodque plagis uniendis convenientissimum. Quod neque subticuit Galenus libro de fasciis proprio. *Materia*, inquit, *inter se dissident. Quoniam nonnullae ex lana, alia ex membranulis.* Quo fortassis nomine, quidam, ut refert Salvus Sclanus, ex charta pergamena bitumine illita fibulas effinxere. Quid vero absurdi, sive aciam ipse a filo vulgari diversam putasset forma, quam Celsus duplicato filo torto circumscribit? At quando νομὴν γίνεσθαι explicate jube Senex noster, Galenus (6) quidem hanc dictionem, quae deligationis distributionem, seu progressionem significat, fasciis saepius aptari docet; filo tamen etiam acccomodat, sed qua fasciam firmat, ut ibidem polixius patet. Hac ratione, a Celso parum diversa, Tusanus Ῥάμμα Suturam ac deligaturam a Ῥάπτω derivat; et Budaeus e Josephi Antiquitat. vocem hanc exponit fibulam sive taeniam, quae per anulos excurrit vestis scissuras committens Maciochus pariter atque ex Hesychio. Lexicographis quibusdam hic suspecto, Budaeus filum explicat, et licium. Quod postremum interpres Gual-

(1) *De Off.* (2) *De Laqu. c. 6.* (3) *L. 6. c. 3. Ep. 3.* (4) *L. 10. c. 31.*
(5) *De offic. T. 7.* (6) *Comm. 2. in Hipp. De Offic.*

therus in Pollucis loco nupero, retiuuit ubi: Ῥάμμ' ἐπιλώσας traduxit *licium involuisti*. Conditionem ipsius non segnius persequitur Hipp. quam nodi. Totum fasciae gratia. *Molle* enim exigit, ne comprimat; *non magnum*, seu (quod Galeno itidem est) non parvum, hoc est, modicum, ad celeritatem in agendo laudatam, quam longitudo saepius moratur. Quod sane praeceptum magna sui parte nec postremum in sutura locum habet apud Æginetam. Eandemque fuisse Hippocratis mentem diserte satis indicat ipse noster, cujus consilio maxillae fractae curationi fascia aut mollis habena convenit. *Molle* vero et *mollitum* inter se dissident. « Mollis quippe vocabulum, autore Galeno (1), ut duri, de quadam corporis affectione proprie dicitur, quam nec iuterpretari quidem, qualis sit, pluribus est opus, nemine vel ex voce ipsa non ad rei notitiam perducto ». Hoc tamen materiae potius indolem redolet, quam formae. Siquidem *molle* Etymologicis quasi mobile a movendo appellationem trahit, quidquid in quamcunque partem moveri possit, ut apud Lucretium (Lib. 4.) *Mollia membra, et mollia brachia*. Quomodo Junius etiam Philargyrius Grammaticus antiquus id apud Virgilium (Aen. 8.) accipit, et nonuulli ὑγρὸς apud Theocritum Metaphorice *Flexibilis* redduut. Inde Servius apud Virgilium (Aen. 8.) *pilenta mollia* exponit *pensilia*. Molle etiam, quod in se cedit, ut apud Galenum (2), nec durum est; quemadmodum Poetae mollis lana, annotante Nonio Marcello (3), et apud Cornelium Celsum *praecordia mollia*, duris contraria: quodve aliis corporibus facile cedit; sicut *locus mollior* Celso percussa calvaria. Ita Virgilius (Aen. 10.) molles undas protulit exemplo Lucretii, cui etiam *mollis aqua*. Neque aliud Hippocrati significare potest Μαλθακὸν sive Μαλακὸν, quam delicatum; qualiter Celsus Hippocrati (4) sententiam declaraturus addidit de suo, *maxime in mollibus corporibus*, quae et ipse *teneriora* nominat, et praecipue mulieribus tribuit; quibus ipse paulo post *duriora* opponit, seu *valentia* nimirum quae viribus polleut; ut durari corpus nihil ei sit aliud, quam *firmari*; quanquam *durare et mollire* etiam de cute protulit. Unde iu leucophlegmatia pro frictione commode praecepit manus aut pueriles aut muliebres adhiberi, quo mollior earum tactus esset. Pindari (5) etiam scitum est

> *Χρὴ μαλακὰν χεῖρα προσ—*
> *Βάλλοντα τρώμαν ἕλκεος ἀμφιπολεῖν*

Oportet mollem manum admoventem os vulneris tractare. Hippocrates vere dixit εὐρυθμίην τῶν χειρέων *concinnitatem manuum*. Nec Latinos Graecis eloquio inferiores ostendit ubertim Varro (6) Quintiliani sententia linguae Latinae peritissimus: « Ita pascere pecus oportet, ut adverso sole agat. Caput enim ovis molle maxime est ». Rectius *averso*. Similiter apud Columellam haud dubie legendum: « Plurimum refert, ut pascentium capita sint aversa soli, qui plerumque nocet animalibus ». Non *obversa*, ut in vulgatis omnibus. Ait enim: « Observandum est sidus aestatis per emersum caniculae, ut ante meridiem grex in occidentem spectans agatur, et in eam partem progrediatur, post meridiem in orientem ». De ansere Varro (L.

(1) *De Sanit. tuenda. L.* 2. *c.* 5. (2) *De simpl. Facult. L.* 5. *c.* 5. (3) *Georg.* 2. (4) *Lib.* 3. *Aph.* 11. (5) *Pyth Od.* 4. (6) *De re rust. L.* 2. *c.* 2.

3. c. 10.) pariter : *Collum perimbecille, ut caput molle.* Μαλακὸν vero molle, seu maturum, ac dulce interpretatur etiam elegatioris doctrinae vir Turnebus (1); cui apud Galenum (2) Σκληρὸν durum ac retinens proprie opponitur : quorum utrunque vino commune est. Qualiter Maro (3) *mollissima vina* dixit: et Lyricorum Princeps(Georg. 1.) *molle merum*. Graecorum forsan exemplo: inter quos Aristoteli μαλακὸς οἶνος pariterque Theophrasto (4), quod Theodorus Gaza sine Danielis Heinsii viri clarissimi censura *vinum molle* vertit; quemadmodum et doctissimus Joannes Saracenus οἶνος ἀπαλὸς, interpreti vulgari *Vinum novum* in Dioscoride; uterque Palladium (5) sequutus, qui et *levius* appellat : nisi, quod omnino suspicor, legendum fuerit *lenius*. Quo modo Plinius Valerianus (6) *molli igne coquere : mollique igniculo incalescere : et super carbones molles imponere*, hoc est, *lento igne* : vel, super lentos carbones. Immo Celsus *Vinum lene* ad malagma sumit. Parum vero interest, sive cum Levino Torrentio viro praeclaro *Maturum* hic intelligas, seu cum Celso *Lene ac defaecatum*, ex mente Servii; qua notione apud Hippocratem (7) οἶνος μαλθακὸς *vinum molle, mo l ad aquam proxime accedit*, idem quod Erotiano post Dioscoridem ἀπαλὸς, cui in Athenaeo ac Theophrasto (8) σκληρὸς, opponitur. Columella *Vinum durius* forte Palladio *et solidius*. Simile huic est Ἀπαλὸν, *Tenerum* seu *molle*. Quod Celsus ovis adsignavit : quanquam clarissimus vir Petrus Victorius Pinelli (9) consilio vocem hanc expungendam moneat. Recentia sine dubio is voluit, sicut Castaneas Virgilio molles e Nonio Marcello (10) notavit Joannes Pierius Valerianus, et utroque prior Macrobius. Qua sermonis forma Celsus cibis acribus molles, nempe mites, ac lenes opponit; hiems Columella *molles* dicit, ut Varro (11) tempestatem. Senectutem quoque Romanae eloquentiae parens (12) eleganter ait mollem et jucundam; Martialis (13) *Nomen nobile, molle, delicatum*. Vocem, quae exilis est, Hippocrates (14) mollem pronunciat, ut asperam, quae dura. Absit vere Celsum autorem gravissimum credamus unquam idem repetere, aut verba innovare; quum apalis mox addat mollia; eademque voce usi fuerint Scribonius Largus (15), Plinius Valerianus (16), Caelius Aurelianus (17), Marcellus Empiricus (18), Apicius, Octavius Horatianus, atque inter recentiores Gariopontus. Sed proprius ad rem. Ferrum equidem molle plumboque vicinum rotarum usibus aptum ex Isidoro (19) didici. Hoc tamen quantumvis ductile ex facili in fila attenuetur nunquam metallicae substantiae cum lentore duritiem exuit; sed tale censetur comparate, non aliter quam Celso *aqua dura*, imitatione Hippocratis (20), *quae tarde putrescit*, et *Muria dura*, quae aliter eidem asperrima dicitur, etiamsi ea satis liquida, quum nempe maturae caseus dulcis innatet. Columellae experimento, nec ut doctissimo Mercuriali (21) visum ad solem induruerit; quaeque Scribonio Largo (22) recens exigitur, et manifeste

(1) *Adv. L.* 12. *c.* 8. (2) *De us. part L.* 12. *c* 2. (3) *Georg.* 1. (4) *De caus plant. L.* 6 *c.* 24. *L.* 5. *c.* 9. (5) *De re rust. L.* 11. *T.* 14. (6) *L.* 1. *c.* 88. *L.* 4. *c.* 44. *L.* 2. *c.* 30. 31. 34. (7) *De inter. affect.* (8) *De caus. plant.* (9) *Var. Lect. L.* 29. *c.* 9. (10) *Var. Lect. in Virg. L.* 3. *c.* 16. (11) *De re rust. L.* 3. 9. (12) *Cat. Mai.* (13) *L* 9 *Ep.* 12. (14) *Epid* 2. (15) *Comp.* 104 (16) *L.* 5. *c.* 12. (17) *Chron L* 2. *c.* 7. (18) *De Med* *c.* 20. (19) *Orig. L.* 16. *c.* 20. (20) *De aer. aqu. et loc. com* 23. (21) *Var. Lect. c.* 66. (22) *Comp.* 60. 185.

potabilis indicatur. Quocirca irrito conatu *acia* filum elicitur metallicum; quia metallum, vel propter formam, vel ab igne, vel sua natura molle, seu regolare est; quod Claudius Salmasius (1) erudite post Isidorum e Plinio in regulas aut clavos *ductile*, id est, lentum ac flebile exponit. Enimvero quamvis id arte mollitum censeatur verius, quemadmodum Poetae (Aen. 3.):

mollitum in fila metallum:

Celsus tamen scripsit *suturam calvariae caruncula molliri, cartilagine os pectorale*, quo sternum intelligit. Oleum quoque eidem *nervos mollit*: et Scribonius Largus (2) edocet quae Alvum molliunt sive laxant: pariterque ante ipsum Celsus. Imo, hic ipse *Febres per decessiones molliri* tradidit. Lino autem quis molle propius inficiebitur, nisi plane fungus? Hinc Isidoro (3) Λινάριον proprie, quod molle ac lene. Hujus vero census esse, quod non nimis tortum, post Celsum fateutur omnes cum Galeno (4); quo mitius corpori insidat, et cum minori inflammationis periculo carni adhaereat, non tamen arcte stringendo, ad vitandum cancri periculum. Harum tamen cautionum circa aciam prima duntaxat in Celso reperitur; altera de fascia tantummodo prolata fuit, Molle autem torto, ut duro, hic opponitur. Neque enim verborum adeo inops censendus Autor disertissimus, ut non potuisset metallum insignire nomine magis proprio, quale est ductile, flexile, aut simile quidpiam. Sed molle ipsi est quod taugenti cedit, non quod subtile. Atque ejusmodi ait ille *linum esse erudum*; puta nondum lixivio maceratum, *duplex triplexve, sit tortum, ut unitas facta sit.* Qua locutione postrema usus etiam de simplicium mixtioue Scribonius Largus (5), et Columella (6). Tale etiam Galenus approbat, quod sit molle, veluti Pelignum a Plinio laudatum. Filum vero contortum, et per ceram deductum ad Suturam exigit Marianus Sanctus (7) in Compend. Chirurg. quod Lanfrancus inceratum appellat. Quapropter multi Tortum ad metallorum classem detorquentes frustra se hic torquent. Quamvis enim non abnuam, *Torquere* non solum idem esse quod *Rotare* ac *Trahere* juxta Virgilianum (Aen. 12.)

Ferrum alii torquent, et obumbrant aethera telis.

Unde apud Ammianum Marcellinum (Lib. 19). *Ballistarum tortores*, *et Tormentum*. Sed et inflectere atque curvare; velut in eo Virgilii (Georg. 2.):

. Taxi torquentur in artus.

Ex quo Tortilis *ac* Tortuosus *Lucio Apulejo* Flexilis. Id tamen verbum vorticibus proprium innuit Poetarum doctissimus (Aen. I).

illam ter fluctus ibidem.

Torquet agens circum, et rapidus vorat aequore vortex.

Nec peculiarem in Chirurgia locum, sed communem aliis, obtinere hanc vocem, abunde patefacit Statius de Parthenopaeo, qui se ad cursum praeparat (Theb. 6.).

torto chlamydem diffibulat auro,

(1) *In Solin. c.* 52. (2) *Comp.* 135. (3) *Or. L.* 19. *c.* 27. (4) *Met. Med. L.* 6. *c.* 4. (5) *Comp.* 75. *et* 88. (6) *De re rust. L.* 11. *c.* 3. *Lib. De arb. c* 9. (7) *Loc. cit. Item, L.* 3. *c ult.*

hoc est, flexo ad reserandi commoditam auro fibulae, chlamydem enodat et exsuit. Cui conformis Sidonii Apollinaris

torto fibula dente

Dens autem clavus est, et quidquid tenet aut nectit, notante ad Cirin eruditissimo interprete Friderico Taubmanno. Qua vi Tibullus per Synecdochen partis pro toto clavem innuens (L. 1. El. 2.):

reserat fixo dente puella fores.

Aurum vero *tortum* quid Statio, non usque clarum. Numquid, et apud Graecorum Poetarum Principem. (Il. 18. v. 401.).

τῇσι παρ' εἰνάετες χάλκευον δαίδαλα πολλά,
πόρπας τε, γναμπτάς θ' ἕλικας, κάλυκάς τε, καὶ ὅρμους.

Ubi Spondanus

Apud istas per novennium fabricavi artificiosa multa
Fibulasque tortilesque armillas, fistulasque et torques.

Homeri verba licentius transtulit Eoban. Hessus:

quas apud arte mea fabrilibus armis
Plurima confeci flabella, monilia, bullas.

Camerarius ἕλικας *Torques* convertit. Quid etiam hoc loco ἕλικες valde obscurum. Neque enim diligens caeteroquin interpres Eustathius de his aliud, quam quod ἕλιξ, ἀπὸ τοῦ ἑλίσσω, *volvo*, vitium sit annulus seu capreolus: τὸ λεπτότατον διά τι νῆμα, ᾧ δράττεται ὅσα καὶ χειρί, τῶν παραπεφυκότων, quibus non dissimile quidpiam in quadam Fibula apparet. Ecquid enim helici in ipsa alioqui simile? Ac licet vox ista Graecis nativa, Columellae (1) tamen scriptori satis Latino *Elices* idem sunt quod colliquiae et *Colliciae* Plinio, sive sulci aquarii, per quos aqua collecta e liris ducitur; unde Palladio *deductoria* vocantur; Catoni (2) *Inciles*, *et Incilia*, pariter Festo, cui et Incillae, quod Hermolao Barbaro in Glossemat. Plinian. (3) jure suspectum, Columellae *Inciliae*: qua etiam ratione legendum puto in Glossarii M.S. fragmento apud G. Barthium Advers. lib. 28 cap. 19 ubi scriptum *Incilla*, etiamsi Passeratius, contra omnia exemplaria conjectura satis probabili, *Inlices* sive *Illices* scribendum putet. Nec aliter censuisse credo hujus Glossarii autorem, in quo perperam librarii vitio *fulices*, *runales*. Rectius Inlices, canales. Columellam vero loco primum laudato tuetur etiam Homeri Scholiastes: ἕλιξ ἁπλῶς συστροφή, ἐπὶ ὁδιοῦ τόγχους ἢ ὕδατος ἢ καμπτῆρος. Verum Poetam optime explicare videtur Hesychius apud quem Ἕλικες, ἢ ἐνώτια, ἢ ψέλλια, ἢ δακτύλιοι *vel inaures*, *vel armillae*, *vel anuli.* Effugium itaque non usque tutum aciae Celsi quaeritur, quando *non nimis torta* putatur non nimis implexa et in gyrum rotata. Etsi enim haec significatio vera; certum tamen est, accidens commune distinctam non inferre materiam, veluti partem rei essentialem. Audiatur, si libet, in contrarium mirabilis mutationum autor: (4)

cava buccina sumitur illi
Tortilis in latum, quae turbine crescit ab imo:

Neque enim Chirurgi peritiae a vetustate sive usu decorum fuerit, aut vulnerati patientiae tolerandum, aciae extrema in summo juncta digito-

(1) *L.* 1. 2. *T.* 7. (2) *De re rust. c.* 155. (3) *L.* 5. *c.* 49. (4) *Ov. Met.* 1.

rum tortu in opere ipso implicari Fabricii ab Aquapendente juvenile hoc erat inventum, quod maturiori aetate damnavit. De quo vere Metrodorus (1) : τὸ νέον ἄπαν θρασύ. Ast ea de re ne verbum Celsus, qui jubet capita fili deligare; torquere, quod viderim, nunquam. Neque is acum, sed aciam, postulat mollem. Minus, quod ei quidam imputant talem in fibula voluit, ubi acia crassior, quam in sutura. Utrobique nimirum eam simpliciter requirit, etiamsi fibula vulneri magis hianti conveniat. Sententiae ipsius magis adversatur, quod opinantur quidam, aciam non nimis tortam esse, quae non penitius in cuticulam inseritur. Quasi vero sui parum memor artifex jam prohibuisset, quod in vulnerum glutinatione paulo ante praeceperat: debere aliquid ex carne comprehendi. Tortuosas autem fistulas flexasque si quando Celsus ob curvaturam rectis opposuerit; qui acia inflexa et metallica inde conficitur, ut non tortam potius implexam dixerim, quo pacto Virgilius (2) funes tortos, vel Scribonius Largus (3) *linteum intortum*, et Celsus ipse *Papyrum intortam*? Eam sane significationem de filo ubique retinuere etiam incultiores Chirurgiae Doctores, inprimis Leonardus Bertapalea (4), qui jubet chirurgum ipsum, ne sit nimis tortum, filum destorquere; quod Plinio est *retorquere*. Ejusmodi vero filum Nicolaus Florentinus (5) barbare quidem, significanter tamen, *Cordonum vocat*; nempe, restis instar ex diversis filis ita contortum, ut capreolum repraesentet. Hinc Peccetius Celsi illud, *acia non nimis torta*, explicat, *duplicata*; et Fabricius ab Aquapendente aciam intelligit filum ex duplicato lino intortum. Appositissime de venefica Petronius: «Illa de sinu licium protulit varii coloris filis intortum, cervicemque vinxit meam». Atque hoc mobo Vitruvii (6) intelliguntur *Nervi torti*, *et funis nervinis* Vegetii (7); quem alter ille manifestius dixit e nervo tortum, Ammianus Marcelliuus (8) *multiplicem chordam nervorum tortilium* appellavit. Verum, et Celsus ipse in ramice, quam Graeci κιρσοκήλην appellant, venas scroti conglomeratas dixit intortas: quando scilicet, ut ipsius utar verbis, plures inter se involvuntur: Albucasis (9) eleganti Metaphora vocavit *ramicem cum vite*, quam ipse venam involutam, grossam, plenam superfluitatibus melancholicis definit. Ceterum, filo aureo vel plumbeo peritonaei processum intercipiente herniam nostro seculo apte curari, adhuc dubium est. Aureo id a nonnullis tentatum scio: num plumbeo, ambigere licet, quod nimis molle longo temporis tractu vix oneri resistit. At siue dubio parum etiam feliciter aureo; quod membranae istius productione fili duritie attrita, seu, quod Pareus advertit, ob virgulam male complicatam, dum rupta sutura solvuntur intestina, non raro recidiva cum vitae discrimine attrahatur. Hiuc lithotomi tandem ad linum tortum recurrere fido usu tutissimum deprehenderunt. At solidorum corporum longe alia ratio est. Quo nomine Hippocrates Cous interprete Vidio (10) praecipit «deutes inter se ligandos auro potissimum, vel certe lino, donec ossa maxillae conformentur». Apertius noster ille Romanns: «si ex ictu vel alio casu aliqui labant deutes, auro cum his qui bene haerent vinciendi sunt». Vetustissimam consuetudinem indicat Lex Regia: «Quo

(1) *Strab. Serm.* (2) *Aen.* 4. (3) *Comp.* 43. (4) *Tract.* 2. *c.* 8. *in* 4. (5) *Fin. Av. Ser.* 7. *Tr.* 1. *Sum.* 1. *c.* 55. (6) *Arch L.* 10. *c.* 15. (7) *De re mil. L.* 4. *c.* 9. (8) *Lib.* 23. (9) *Chir. P.* 2. *c.* 64. (10) *De Art. Com.* 2. *T.* 25.

auro dentes vinctiesunt, ast im cum illo sepelire, et urere, se fraude esto». Mihi etiam submonere liceat, ob virus cavendum ab aere, caeterisque deficientibus, ὅτι ἄσεπτος ἐςὶν, quod, maximi Senis judicio, *minime putrescat* tutiorem fore setam equinam ab Ægineta (1) propositam. De cujus usu ad Vet. M. S. Florentini fidem ita Celsus: « Si transversa maxilla fracta est, sub qua casu fere dens super proximum dentem excidit: ubi ea in suam sedem collocata est, duo proximi dentes, aut si hi labent, ulteriores inter se seta deligandi sunt ». Speciatim Hippocrates ἱππείῃ τριχὶ appellavit, id est, *setam equinam*, ut elegantius veterum Latinorum exemplo Foesius, quam Cornarius, qui *pilum equinum* reddidit; quamvis et Gualthero (2) τρίχες ἵππειος apud Jul. Pollucem sint *pili equini*. Tullius (3) naturae providentiam prolixiori sermone expositurus. *Oculos natura nobis, ut equo et leoni setas dedit.* Et de Dionisio Tyranno verba faciens (4): « fulgentem gladium e lacunari seta equina appensum demitti jussit ». Sidon Apollinaris (5) expressius: « mucro districtus filo equinae setae ligatus, et ita pondere minax ut acumine, gulam formidolosi Tantaleo frenabat exemplo ». Lis autem omnis de aciae circa vulnus usu inter doctos vertitur. Quandoquidem igitur majus, imo certius, quam a lino, vulneratis partibus detrimentum instat; quo jure ferrum molle suturae conferet, ut tolerabilius minusque crudele fibula seu ferreis hamulis: quum neque hoc unquam committendum, quod in ejusmodi sutura vitari nequit, ut aegrum medicus laceret, aut torqueat (6); quin potius, quantum fieri potest, sine dolore ad sanitatem perducat? quomodo, lite de fibula necdum certo judice diremta, dubium quod est a magis incerto confirmatur? Celsus autem suturae nomine quid potuerit intellexisse; num solam acum ex molli ferri filo ad curvaturam facili, non ducentem filum; jam non disputabo alterius: siquidem ab existere ejus, ut loqui solemus, quod esse possit ad actum nihil cogitur. Neque hic quaerendum censeo, quid fieri potuit, sed quid factum. Quod certe ex ipsis Celsi verbis perspicuum adeo est, ut de eo amplius dubitare verear ne pertinacioris fuerit animi. Aliorum quoque conjecturam parum roborare poterit Paraei sutura (7); quae neutiquam filo aureo, sed virga aurea perficitur, nec quibusvis vulneribus, sed uni rupturae vitio excogitata; Guidonis minus, quam cum Felice Platero (8) Fabricius ab Aquapendente magis doctrinae quam usus, gratia descripsit, imo, crescente cum annis judicio, voce et calamo ex arte proscripsit, quamque Platerus nunquam adhibuit, quin vulneris glutinationi non sufficere fatetur. Et si eam vel maxime admisissent isti, ejusdem nihilominus animi fuisse Celsum adhuc in ancipiti est. Praeterea, quum priscos semper arbitros postulent alii, quid primi inter Latinos medici sententiae a nostrorum temporum viris accedet, quod non ex ipsomet derivarint, si ut vere Scribon Largus (9), *per antiquos Autores consummatur professio?* Parum etiam huc facit, quod filum non patiatur vulnus esse latius. Contrarium enim probat usus artificum solertia confirmatus. Idque Celsum etiam animadvertisse video, dum ait: « Fere tamen fibulae latius vulnus esse patiuntur. Sutura oras jungit, quae ne ip-

(1) *L. 6. c. 92.* (2) *L. 1. c. 9. v. 6.* (3) *De or. 3.* (4) *Tuscul. 5.* (5) *L. 2. Ep. 13.* (6) *Gal. Meth. med. L. 14. c. 23.* (7) *Chir. L. 7. c. 16.* (8) *Prax. Tr. 2. c. 7.* (9 *Praef ad C. Jul. Callistum.*

sne quidem inter se contingere ex toto debent, ut si quid intus humoris concreverit, sit qua emanet ». Quod nullus quoque scriptor eruditis receptus filum voluerit fibulae materiam, sed aes, ferrum, aurum, qui intelligendum, jam satis superque monstratum fuit. Nec magis metallum inferunt verba *imponere, injicere, superdare*, quam linum. Siquidem autor noster eadem indiscriminatim non aliter medicamentis externis, et distinctius ceratis, emplastris, linamentis, ac spongiis, quam suturae, fibulae, et ferramentis, passim adsignat. Imo, prolixus adeo horum verborum est usus, ut Salmasius (1) ad Tertullianum observet togam vel pallium proprie imponi, dum supra ceteras vestes injicitur. Frustra etiam desiderantur a nonnullis veteres mechanicarum artium libri, qui aciam filum quodvis metallicum, propriissime autem ferreum, sint prodituri. Antiquiores enim Grammatici vix id tacuissent, aut omisissent; nostrae nec minus memoriae literatores, qui minima quaeque, alicujus usus, potissimum circa nominum rationes, diligenter enuclearunt. Horum profecto diligentiae Bitonis, Heronis, Pappi, aliorumque istarum literarum indicium debemus, inter quos Athenaeum quondam a Grutero, et nuper Meursii promissum ab heredibus efflagitamus. *Votivum* exspectatum vero hujus cum Bitone ac Herone conspectum praebuit Illustrissimi Antonii Grimanni liberalitas, qui hisce libris olim sumtibus Dominici Grimanni Cardinalis elegantissime scriptis cruditissimum virum Thomam Bartholinum eo munere dignum Venetiis ornavit, haec ad curas secundas quum revocarem. Nihil tamen pro ea sententia in vetustissimis Vaticanae aut Mediolanensis Bibliothecae libris hactenus visum. Si quid autem eruditorum labori hic relictum, id a Cl. Salmasio procul dubio expectandum, cui jam plenus cruditorum senatus raro nostri aevi exemplo ambiguam ingenii judiciique palmam decrevit.

CAP. XVI.

EPILOGUS.

His positis, quum Celsi praecepto acia seu filo non nimis torto sutura plagas in molli parte, fibula vero in vulnere carnis hiante, oras in unum attrahat; ei subscripsisse, a quo nata certaminis occasio, non minus aequum erit, quam tutum. Antiquatam quippe, ac pene obscuratam, opinione potius, ac vulgi sensu, quam natura, aciam suis ille natalibus restituit, summae autoritatis medicus, maximusque doctrinae Hippocraticae imitator, vel potius Hippocrates Romanus, ὃς πάντα ἐφορᾷ. Quo autore quum medicina coeperit latine loqui, optimus suorum jure verborum interpres erit; nec magis fidendum hic Poetarum vel Oratorum lenociniis, quam nativae sermonis pulcritudini, quae in hoc latinorum medicorum principe ubique enitet. Aliam sibi aciam ad libitum imaginentur alii. Non moror, non sum invidus. Ea enim est ingenii libertas: Quam sibi quisquis permiserit, mihi etiam in rebus dubiis indulgeat, fas est. Suum interea cuique, pulcrum esto: mihi sine gratiae pretio veritas, sapientiae initium. Quam si hic fortassis attigerim, Æternae veritatis munus agnosco, qui non omnia

(1) *De Pall.* 370.

me novi assecutnrum : quum alius alio plura invenire possit, nemo omnia Nec quidquam tueor mordicus. Aliud namque est pugnare, aliud velitari. Sed nec ulla gloriolae aviditate ea nunc mihi passus sum excidere, quae Musis et Amicis tenni filo ducta, vel plane obliteranda forsan, vel certe premenda aliquamdiu censueram ; verum voluntate eorum, quibus me praebere debui, quique damnosam consilio procrastinationem judicarunt, quamvis et necessaria festinatio honestas forsitan moras impetrasset. Noveram equidem, quam arduum, et laudem diligentiae simul, et gratiam celeritatis meruisse. Sed enim nnum me solatur, quod ferme rebus difficillimis venia sit prolixior apud prudentes viros, quibus non ignotum, quam sit arduum, vetustis novitatem, novis autoritatem, obscuris lucem, dubiis fidem adferre. Probent itaque damnent quidquid libet singuli, ut ipsorum mentem experiar. Sed ingenuitate Philosophi ingenio digna, nunquam ad monendum futuri tam promti, quam ego ad mutandum. Judices interea exspecto viros probe et candide literatos, ac peritos rerum ; quos per utilitatem publicam obsecro, aulaeo remoto, qua decet animi integritate, ut res est, sententiam ferre velint. Verus laboris fructus est placere melioribus. Ex quorum primis subselliis virum incomparabilem Claudium Salmasium appello, candoris et scientiae fama clarissimum,

Omnis Doctrinae ratio cui cognita, quantum
Sexcentis condit Varro voluminibus

Symbolam si pro sua benignitate, et publicae commoditatis gratia, ex varia reconditae eruditionis penu contulerint Galliae ornamenta Joannes Riolanus, et Renatus Moraeus, in Urbe Regia praecellentes Chirurgorum Ephori, dum vocabuli situm ad nostri aevi usum temperaverint, praeclaris in artem meritis aetas omnis plurimum accessisse fatebitur. *Celso* autem veritatis assertae patrocinium, me interprete, si Medicorum adjudicaverit chorus, bono eventu in hanc arenam descendisse ratus, verissima scriptoris non omnino mali sententia operi manum impono. *(Vinuic. Ep. ad Val.)* *Magna laus Veterum instituta scrutari, major vero gloria inventa servare.*

EDUARDI MILLIGAN

DE MENSURIS PODERIBUSQUE ANTIQUORUM;

ET QUOMODO AD NOSTRA RELATA SINT.

Vanum esset, in libro hujusmodi satis modico, nisi de ponderibus mensurisque aetatis scriptorumque ipsius Celsi, inquirere. Sed cum in toto fere supplemeoto nostro consilium fuerit perpetuum, uti ex ipso veritatem omnium illustrationum lectori comprobare sibi liceret, quantitates rerum absolutae, vel rationes ad modulos Britannicos (1), qui fixissima iterum ratione ad pendulum nostrae latitudinis, ideoque ad axem orbis terrarum, aquamque stillatitiam his mensuratam se habent, non omittendae erant.

Atque lo hac re difficultates longe tenuiores obstant quam vulgo critico repraesentare placuit. Ioter enim aurei et argentei, quod vocant, seculi scriptores, omnino de his mensuris convenit; et si postea, declinante jam imperio, omnia, uti nuper apud oos in Britannia, nec nisi novo senatus consulto (5 Geo IV. cap. 75.) reparanda, vidimus, incuria et lapsu aetatis in pejus immutata sint, id ad rem nostram nihii attinet. Eo quoque lector referre debet, siquando bonos aliàs scriptores a nostris numeris aliquantum deflectere videat; hi enim aut ab auctoribus deterioris aevl seducti sunt, ut octo denarios unciae tribuerint, aut jejunis aliorum computationibus innisi sunt; aut, denique, ipsi grana Trojaoa cum chalcis et siiicuiis, vel grana Italica cum Britannicis imperite confunderunt. Hoc numero stant Petrus Matthioius, Carolus Arbuthnotus, Hieronymus Gaubius, mille minorum: nec nos valde censura vexari speremus si qua numerorum signa ca-

(1) Ad intelligentiam Dissertationis Milligan opus est intueri relationem mensurarum ponderumquo Romanorum el Aoglorum ad mensuras et pondora Gallies el Neapolitaoa, a me oxecrptam a *Nouveau traité des monnaies el des poids et mesures, etc. par M. Guérin de Thionville* addito editione Galliea Compendii Geographiao Dom. *Hadriani Balbi.*

I. Libra Romana antiqua, seu As (mensura ponderis) = 12 unciis, respondet Chilogrammis gallieis 0,327187.

II. Uncia Romana antiqua (mens pond.), respondel Chil. gal. 0,027266.

III. Amphora Romana antiqua, seu quadrantal (mens eapaeitatis) = 2 urnis = 8 congiis = 48 sextertiis = 96 heminis = 192 quartariis = 348 acetabulis = 572 cyathis = 2304 ligulis, respondet Litris gallieis 25,895410.

IV. Pes Romanus antiquus (mens. longitudinis) = 4 palmis = 12 unciis = 16 digitis, respondel metris gallicis 0,295860.

V. Pes Anglicus (mens. long.) = 12 pollieis, seu *inches*, respondel metris gallicis 0,304794.

VI. Libra (*troy*) Anglica (mens pond) = 12 unciis = 24 pennyweight = 5760 granis, respondet chilog. gall. 0,373095.

VII. *Gallon imperial* Anglieus (mens. eapae.) respondel litris gallicis 4,543457.

VIII. Libra Neapolitaoa (meos. pond.) = 12 unciis, respondel Chil. gall. 0,320773.

IX. Palmus antiquus Neapol. (mens. long.) = 12 unciis = 60 minutis, respondet metris gall. 0,263670.

X. Uncia Neapol. (mens. pond) respondol Chil. gall. 0,026731.

XI. Drachma Neapol (mens. pond.) respondet Chil. gall. 0,002673.

XII. Granum Neapol (mens. pond.) respondet Chil. gall. 0,000045.

lamus male posuerit ; humanum enim errare est , et insuper effeci mus , ut penes crudissimum quemque tironem esset, singulorum veritatem sibi expendere.

Mensurae Romanae ex monumentis confirmatae

Ad ipsam demonstrationem nunc properandum, ubi ostendimus ,

1. Denarium Romanum grana Trojana Brittannica 62 $\frac{4}{7}$ + pependisse.

2. Pedem Romanum pollicum Britannicorum 11.604 eorundem valuisse.

3. Ceteras omnes mensuras ponderaque inde certissime deduci posse.

Ab his sequitur , pedem Romanum , ad pendulum latitudinis Londinii per spatium inane, ad 62° Fahrenheiti thermometri calefactum, oscillans, rationem habere quam 11 604 ad 39 1393. Porro congium Romanum ad congium (Gallon) Britannicum imperialem, ut 189 64 ad 274, esse.

Tabulam F composuimus, ut mos computandi pure Romanus semperque nostratibus durus, melius innotesceret : gens enim Romulea, ad rapinas et spolia nata , rationem eam partiendi militarem quidem , sed nec medicis nec legatoribus incommodam, per numeros relationis, sermoni suo addidit.

Quae autem infra de mensuris Celsi fusius tradenda sunt, lectoribus magis distincta fient, si partium argumenti naturaliter inter se conne xarum brevis quasi adumbratio hic prius exhibeatur. Sciant, igitur, fontes unde vera pondera mensuraeque illius aevi, utcunque remoti, hauriuntur.

I. Denarius Romanus , pondus aeque ac moneta, hodieque in cimeliis publicis abundans , scrupulosissime contra grana Trojana Britanniae nostrae perpensus est.

II. Pedis Romani longitudo sex modis saltem diversis aestimatus est.

1. Pondere denarii invento, numeroque denariorum in LXXX libris amphoram constituentibus , pondus amphorae mensurae cubicae , cui latus erat pes Romanus , facile patebit ; hujusque radix cubica (= 11,845 si aquam, et 11.64 si vinum salsum, ut Aminaeum, inesse putemus,) longitudinem pedis Romani indicabit. At procul dubio mensura vinaria fuit amphora.

2. Simili ratione ex congio Vespasiani, vase adhuc exstaute, pes eruitur = 11.49 pollicum nostrum.

3. Multa monumenta, etiamque mensurae adhuc extantes, pedem Romanum 11.604 pollices Anglicos habuisse docent.

4. Exstant et mensurae Graecae quas veteres $\frac{1}{25}$ Romanis longiores fuisse tradunt. Hinc pes fit = 11.64.

5. Cassinus mensuras quas veteres dederant scriptores itinerum per viam Emilianam aliasque adhuc integras remetitus, pedem Romanum 11.7 pollices Anglicos non excedere invenit. (Mem Acad. Sc. t. i. p 375.)

6. Templorum aediumque grandiorum mensuras in numeris pedum rotundis exacte designatas fuisse eleganter, nec sine veri specie, proponit De la Hire: pedem itaque non supra 11.52 pollices Anglicos statuit (ibid. p 74.)

III. Tabulae ex Celso et Plinio, locaque ex Dioscoride, Galeno, aliisque scriptoribus Graecis, Romana Celsi ad se invicem et ad Britannica pondera nos referre sinunt. Haec autem cum massula aquae gravi comparata certas nunc ad cubum pedis penduli Londinensis rationes habere, senatus

consulto cautum est. Sic cum denarius 62 ¾ grana Trojana, 248 pollicis aquae cubicl. Anglorum comprehendat, simplice reductione pes Romanus evadit 11 601, tabula Celsi valorem unciae, scrupuli, oboli, sextantisque figit. Tabula vero Plinii chalcum, drachmam Atticam, cyathum, acetabulum, heminam, mnam adjicit. Denique praeter loca Graeca jam citanda, Latina illa quae subnectimus per se satis demonstrant pondus assis et librae omnino idem fuisse, utrumque demum uncias duodecim continuisse.

« As erat librae pondus. — Reliqua obscuriora quod a diminutione: et ea quae diminuuntur ita sunt ut extremas syllabas habeant; ut a duodecim una dempta uncia, *deunx*, etc. » Varro, L. L. V. 35.

« Numerus xxliii. scrupulorum duodecies computatus libram efficit, quae duodecim unciis perficitur », Isid. Origin. lib. xvi. cap. xxiiii.

« Graeci medici pondera medicamentorum ad drachmas redigunt; quae quia ad denarium conveniunt, (octoginta enim quatuor in libram incurrunt) pro nota Graecae drachmae notam denarii posui, et ad ejus pondus drachmas redegi ». Celsus ad Natalem apud Marcell. Emp.

« Erit nota denarii unius pro Graeca drachma : aeque enim in libra denarii LXXXIV. apud nos, quot drachmae apud Graecos incurrunt ». SCRIBONIUS Largus ad Callistum.

> At cotyle cyathos bis ternos una receptat.
> Sed de abaco nobis id pondus saepe notatur:
> Bis quinae hunc faciunt drachmae: si appendere velles,
> Oxybaphum fiet, si quinque addandur ad istas.
>
> RHEM. FANN.

Testimonia ex scriptoribus Graecis. Πρόδηλον, ὅτι δραχμὴν λέγομεν νῦν ἐν τοῖς τοιούτοις ἅπασιν ὥσπερ Ῥωμαῖοι δηνάριον ὀνομάζουσιν Gal. lib. 8, κατὰ τοπους, cap. 3.

Dioscorides apud Galenum, l. c. ῾Η δὲ δραχμὴ, ἡ καὶ ὁλκὴ λεγομένη, ἔχει γραμματα τρια, τουτ᾽ εστιν ὀβόλους ς᾽·

Cleopatra, l. c. ῾Ο κύαθος ἔχει δραχμὰς ι᾽.

῾Ως ξ᾽ δραχμὰς ἑλκούσης τῆς κοτυλῆς· καὶ γὰρ λέγει ἦγε ᾽Αττικὴ, θ᾽ ουγγιων ουτα των ᾽Ιταλικῶν Heras apud Gal. l. v. Nimirum hic 7½ drachmas unciae attribuit. Sed ipse Galenus luculenter exponit, l. c ᾽Αλλὰ τῶν εἰς δραχμὰς ἀναγόντων τὴν μνᾶν, εἰσὶν οἱ φασιν ἑκατὸν εἶναι δραχμῶν τὴν μνᾶν. ἔνιοι πλειόνων. ἐπειδὰν καὶ τὴν οὐγγίαν οἱ πλεῖστοι μὲν ἑπτὰ καὶ ἡμίσεως δραχμῶν εἶναί φασιν ἔνιοι δὲ ζ᾽ μόνον· ἕτεροι δὲ η᾽.

Investigatio.

Tabulam, pondera, mensurasque Celsi aeque ac Romanorum exhibentem, tradit Plinius xxi. 34. « Drachma Attica, fere enim Attica observatione medici utuntur, Denarii argentei habet pondus. Eademque sex Obolos pondere efficit. Obolus x Chalcos. Cyathus pendet drachmas x. Cum Acetabuli mensura dicitur, significat Heminae quartam partem; id est, drachmas xv. Mna, quam nostri minam vocant, pendet drachmas Atticas centum ». Idem xxix. 3, chalcos « sexagesimos denariorum » appellat.

Hinc conficitur.

A. Tabula Pliniana

				1 obolus	=	10 chalci*
1 denarius argenteus	=	1 drachma Attica	=	6 oboli	=	60 chalci
1 cyathus	=	10 drachmae	=	60 oboli	=	600 chalci
1 acetabulum	=	15 drachmae	=	90 oboli	=	900 chalci
1 hemina	=	60 drachmae	=	360 oboli	=	3600 chalci
1 mna*	=	100 drachmae	=	600 oboli	=	6000 chalci

Celsus autem V. 17. p. 143. l. 13 « Sed et ante sciri volo, in uncia denariorum septem esse: unius deinde denarii pondus dividi a me in sex partes, id est, sextantes: ut idem in sextante denarii habeam, quod Graeci habent in eo, quem ὀβολὸν appellant. Id ad nostra pondera relatum paulo plus dimidio scripulo facit ». Hinc

B. Tabula Celsiana

				1 sextans	=	1	obolus
			1 scrupulus	= 2 + sextantes	=	2 +	oboli
	1 denarius	=	3 scrupuli	= 6 sextantes	=	6	oboli
1 uncia	= 7 denarii	=	21 scrupuli	= 42 sextantes	=	42	oboli

Sed, ut ostendemus, 1 denarius = $62\frac{4}{7}$ grana, (Crop Weight) hinc 62 grana = 1 denarius = 6 sextantes = 6 oboli: dividendo $10\frac{1}{3}$ grana = 1 sextans = obolus. Denique ex hoc oboli valore, et Pliniano superiore, habemus tabulam insequentem, C.

C. Tabula, pondera trojanâ, tam mensurarum capacitatis, tam gravitatis, Romanorum sistens.

	Urna.	Libr.	Uncia.	Denarius.	Scrupulus.	Sextans.	Chalcus.	Grana.
Amphora	= 2	= 80	= 960	= 6720	= 20160	= 40320	= 403200	= 420480
Urna*	1	= 40	= 480	= 3360	= 10080	= 20160	= 201600	= 210240
Congius*	¼	= 10	= 120	= 840	= 2520	= 5040	= 50400	= 52920
Sextarius	.	. 1⅔	= 20	= 140	= 420	= 840	= 8400	= 8760
Libra	.	. 1	= 12	= 84	= 252	= 504	= 5040	= 5256
Hemina	.	.	. $8\frac{4}{7}$	= 60	= 180	= 360	= 3600	= 3759
Acetabulum	.	.	. $2\frac{1}{7}$	= 15	= 45	= 90	= 900	= 939
Sesqui-cyathus	.	.	. $2\frac{1}{7}$	= 15	= 45	= 90	= 900	= 939
Cyathus	.	.	. $1\frac{3}{7}$	= 10	= 30	= 60	= 600	= 626
Sescuncia	.	.	. 1½	= 10½	= 31½	= 63	= 630	= 657
Uncia	.	.	. 1	= 7	= 21	= 42	= 420	= 438
Cochleare	.	.	.	. 2½	= 7½	= 15	= 150	= $156\frac{4}{7}$
Drachma	.	.	.	. 1	= 3	= 6	= 60	= $62\frac{4}{7}$
Denarius (1)	.	.	.	. 1	= 3	= 6	= 60	= $62\frac{4}{7}$
Scrupulus	.	.	.	.	1	= 2	= 20	= $20\frac{6}{7}$
Scrupulus dimidiatus	.	.	.	.	½	. 1	= 10	= $10\frac{3}{7}$
Obolus	.	.	.	.	.	. 1	= 10	= $10\frac{3}{7}$
Sextans	.	.	.	.	.	. 1	= 10	= $10\frac{3}{7}$
Chalcus*	.	.	.	.	.	.	1	= $1\frac{1}{35}$

(1) *Denario infra hanc lineam 62 grana, compendii numerique rotundandi gratia tribuimus. Qui accuratiora volunt, $\frac{4}{7}$ illud* Greavesii *in valorem per denariorum columnam ducant, et nostris superaddant.*

Sed post tot annorum lapsum, quomodo ista pondera ad nostra Trojana referamus ? Diligentia antiquariorum illud perfacile effecit Inclytus enim J. Greavesius, (1) Angliae decus, pondus denarii, per plurima exemplarium centena, in Italicis aliisque cimeliis conservata, ipsa statera trutinavit: et pondus omnium meliorum denariorum, ad grana Trojana $62\frac{4}{7}$ librare reperit. Sed cognito denarii, qui veteribus non tantum nummus fuit, sed ponderis rerum arbiter, pondere; ceterarum denominationum valore calculo simplicissimo, in granis Trojanis habebis. Vide, hac de re, ipsum Greavesium in libello suo classico, de denario Romano; necnon de origine ponderum, p. 36; Arbuthnotum in tabulis, p. 15; Smith de re nummaria, p. 167: quae opera omnia Anglice scripta.

Praeterea, idem Greavesius ex multis Atticis drachmis quadruplis, vel tetradrachmis, non eandem, ut diversae, licet affini, genti convenit, sed valde proximam gravitatem invenit; quae singulis quidem denariis grana 67 tribuat. Vulgus enim hominum tantulam in pondere differentiam vix deprehendisset.

Postremo, in Vaticano Romae extat adhuc, si modo Galli relinquerint, mensura congii, quam optimus princeps Vespasianus ibi deposuit, rarum vetustatis monumentum, et antiquo nominis decore percelebre. Hujus capacitatem ad aquam olim Villalpandus pependit, et 52560 grana Trojana recentis Italiae vel libras fere 10 aquae pluviatilis, continuisse invenit. Puta aquam primo distillatam; tum 480 : 438 (grana Trojana Anglica in uncia Italica hodie, Gre. p. 348.) :: 52560 : 49671.375 gr. Angl. et 43710.4946 (pondus pedis Anglici solidi aquae in granis; Thoms. Chem. ii. 12); 1728 :: 47971 375 : 189.64 unc. Angl. quod congii capacitas est: non 207.473 ut perperam Arbuthnotus p. 81; sed pluviatilis aquae (Thomsonus, l. c.) 189.41. Porro $\sqrt[3]{189.64 \times 8} = 11.49$ = latus amphorae cubicae = pes Romanus secundum Villalpandum: et clarissimus mathematicus Gassendus eandem mensurationem postea repentens, tam parum mutavit ut Villalpandus $62\frac{4}{7}$; ille $62\frac{56}{43}\frac{3}{8}$ grana Trojana denario, id est, $\frac{1}{240}$ congii parti attribuerit. Congio 189.64 unciae pedis solidi inerant.

Nihil igitur in rebus antiquis certius esse potest, quam ut denarius Romanus circa $62\frac{4}{7}$ grana valuerit. Conservavit demum Sextus Pompeius Festus, in carioso suo libro de verborum significatione, p. 385, (editio Gothofredi in Romanae linguae scriptoribus extat), plebiscitum duorum Siliorum P. et M. tribunorum plebis, quod et congium 10 libras habuisse, et ceterarum ad congium mensurarum rationem, docet.

Ex. PONDEBIBUS. PUBLICIS. QOIBOS. HAC. TEMPESTATE. POPOLUS. UTIER. QUI. SOLET. UTI. COAEQUATUR. SEDULOM. UTI. QUADRANTAL. VINI. OCTOGINTA. PONDO. SIET. CONGIUS. VINI. DECEM. IS. SIET. SEX. SEXTARII. CONGIUS. SIET. VINI. DUO. DE. QUINQUAGINTA. SEXTARII. QUADRANTAL. SIENT. VINI. SEXTARIUS. AEQUUS. AEQOO. CUM. LIBRARIO. SIET. SEX. DE QOINQUAGINTA. LIBSAE. IN. MODIO. SIENT. SIQUIS. MAGISTRATUS. ADVERSUS. HAEC. D. (ECRETA) M. (ODO) PONDERA. MODIOSQUE. VASAQUE. PUBLICA. MODICA. MINORA. MAJORAVE. FAXIT. IUSSITVE. RE. FIERI DOLOMVE. AD-

(1) Ipse, in Sarcophagaeo pyramidis Aegyptiae, aliasque, Latinius subscripsit, Joannes Gravius. Wood, Ath. ii. col. 157.

DUIT. QUOD. EA. FIANT. EUM. QUIS. VOLET. MAGISTRATUS. MULTARETUR. DUM. MINORE. PATRIS. FAMILIAS. TAXAT. LICETO. SIVE. QUIS. IN. SACRUM. INDICARE. VOLUERIT. LICETO.

Sed, « *Quadrantal* vocabant antiqui, quam ex Graeco amphoram dicunt; quod vas, pedis quadrati, octo et xl. capit sextarios ». Fest. p. 160. Vide et Rhemnii Fannii versus infra citatos. Gell lib. I. cap. xx; ubi de figura sic appellari docet; Varr. R. R. lib. I. cap. 57; Plin. lib. xviii cap. xxx.

Postremo, congius Vespasiani, qui adhuc extat, notatur sic; P. X; id est, pondo decem. Vide delineationem ejus nostram aere incisam, p. 64. Arbuthnotum, p. 82. Greaves *on the Denarius, passim*: *On the Origin of Weighs and Mensures*, p. 55, 56. Adam's *Antiq.* p. 476.

Ex eodem hoc congio, divina providentia, ut bono Greavesio visum, (Den. p. 297), doctis reservato, pes Romanus, ceterarum longitudinis mensurarum omnium modulus, ad normam Britannici constituitur. Constat enim, ex Rhemnii Fannii *de ponderibus et mensuris versiculis*, (a) aliisqu e auctoribus, cubum ex hoc pede amphoram continere. Nunc, Arb. p. 82, congius $= 207.0676$ unciarum Italicarum solidarum, $\times 8, = 1656.5408$ unciae in amphora; et $\sqrt[3]{1656.5408}, = 11.83$, vel prope modum 12 unciae lineares Italiae hodiernae $= 11.45$ unciae Anglicae, (Greaves, p. 233,) quae sic latus amphorae cubicae, vel pedem antiquum metiuntur.

Sed difficile est accurate satis vasis cujusvis capacitatem sic aestimare. Philander in librum iii. cap. 3. 117, Vitruvii mensuram semipedis ex antiquo lapide in hortis Angeli Coloti Romae hanc sculptam habente ad unguem descripsit. Eandem cum Statilii Vol. Apri mensuris aedificiorum mensura pedis in epitaphio marmoreo inscripta; commensus est, auxiliante Pontificis Pauli III. architecto Jacobo Meleghino; sed non mensuram hanc Statilianam in margine apposuit, ut cl. Greavesio (p. 208) excidit. Hic ad uncias Britannicas relatus uncias 5.80; ideoque pedem Romanum 5.800 $\times 2, = 11.60$ uncias, efficit.

Eo tempore, A. D. 1522, extabant Romae duae columnae, quorum altera ΠΟΔ. Θ, altera ΠΟΔ. ΙΒ, insignitae, mensuras pedum ix. et xii. Graecum exhibebant; et cum notum sit ex Herodoto ii. Plinio, Columella R. R, v. easdem per $\frac{1}{25}$ partem, Romanis longiores esse, hunc excessum Philander in iis monumentis congruum reperit.

Adhuc ibidem extant duo monumenta marmorea sepulcralia; T. Statilii Vol. Apri, quod $\frac{1944}{2060}, = .972$; et Cossutii, quod $\frac{1934}{2000}, = .967$ pedis Anglici, secundum illustrem Greavesium pedi Romano tribuunt. Posteriori autem mensurae, utpote accuratissimae, vir doctissimus maxime adhaerescit: Cossutium enim aut sculptorem, aut agri mensorem, aut lapicidam fuisse, libella, et circinus, et norma, aliaque ejusmodi artis instrumenta in coenotaphio satis demonstrant: neque minus elegans et summa diligentia qua haec mensura ex marmoris superficie elevata est. (p. 223.) Sed pes hujus 11.604 uncias Anglici pedis facit; qui numerus ab aliis multis aeneis, ferreis, marmoreisque apud rudera Romae deprehensis mensuris, mediocri tantum discrimine differt. Ex toto, 11.604 unciae Anglicae

certissima, 11.45 angustior pedis Romani mensura. Vide Greavesium de Pede Romano, p. 222-3, et passim: de Denario Romano, 277, et passim: Lucam Paetum de antiq. Rom. et Graec, mensur. Villalpand. de Appar. urb. et temp. ii. 3. c. 25. Sext. Pomp. de Verb. sign. l. c. (a)

D. Tabula mensurarum capacitatis,
E Tabulis Medici Arbuthnoti de veterum monetis, ponderibus, et mensuris.

										Angl. Gall.	Pints.	Inches.
Ligula										0	1/48	0.117
4	Cyathus.									0	1/12	0.469
6	1½	Acetabulum.								0	⅛	0.704
12	3	2	Quartarius*							0	¼	1.409
24	6	4	2	Hemina.						0	½	2.818
48	12	8	4	2	Sextarius					0	1	5.636
288	72	48	24	12	6	Congius*				0	7	4.942
1152	288	192	96	48	24	4	Urna*			3	4½	5.33
2304	576	384	192	96	48	8	2	Amphora		7	1	10.66
46080	11520	7680	3840	1920	960	160	40	20	Culeus*	143	3	11.095

(a) Versicula excerpta ex poem. Q. Rh. F. Palaemonis:

Semioboli duplum est obolus, quem pondere duplo
Gramma vocant, scrupulum nostri dixere priores.
Semina sex aliis siliquis latitantia curvis,
Attribuunt scrupolo, lentis veraciter octo,
Aut totidem speltas numerant, tristesve lupinos
Bis duo. . . . . . .
In scrupulis ternis drachmam, quo pondere doctis
Argenti facilis signatur nummos Athenis.
Drachmam si gemines, aderit quem dicier audis,
Siciliquus: drachmae scrupuli si adjectio fiet,
Sextula quae fertur; nam sex his uncia constat.
Sextula enim dupla est, veteres dixere duellam.
Uncia fit drachmis bis quatuor: unde putandum
Grammata dicta, quod haec vigintiquatuor in se
Uncia habet: tot enim formis vox Graeca notatur,
Horis quot mundus peragit noctemque diemque.

E. Tabula mensurarum longitudinis, ex eodem.

										Angl. Paces	Feet	Inches.
Digitus transversus.										0	0	0.725¾
$1\frac{1}{3}$	Uncia vel Pollex [a].									0	0	0.967
4	3	Palmus Minor*.								0	0	2.901
16	12	4	Pes.							0	0	11.604
20	15	5	$1\frac{1}{4}$	Palmides*.						0	1	2.505
24	18	6	$1\frac{1}{2}$	$1\frac{1}{5}$	Cubitus.					0	1	5.406
40	30	10	$2\frac{1}{2}$	2	$1\frac{2}{3}$	Gradus				0	2	5.01
80	60	20	5	4	$3\frac{1}{3}$	2	Passus*			0	4	10.20
1000	7500	2500	625	500	$416\frac{2}{3}$	250	125	Stadium*		.120	4	4.5
80000	60000	20000	5000	4000	$3333\frac{1}{3}$	2000	1000	8	Milliare*	967	0	0

Unciaque in Libra pars est quae mensis in anno.

. . . .

Uncia nam librae si deest, dixere Deuncem:
At si sextantem retrahas, erit illo decuncis;
Sed nullum reliquo nomen Semuncia certum
Dempta dabit: neque enim est hujus Sescuncia triplex.
Dodrantem reliquum vocitant quadrante retracto:
Cumque triens desit, Bessem dixere priores.
Iidem Septuncem dempto quincunce vocarunt.
Post haec Semissis solidi pars maxima fertur.
Nam quae dimidium superat, pars esse negatur,
Ut docuit tenui scribens in pulvere Musa.
Caetera dicta prius quibus est semuncia major.

. . . .

Pes longo spatio latoque notetur in anglo,
Angulus ut par sit, quem claudit linea triplex;
Quatuor ax quadris medium cingatur inane.
Amphora fit cubus; quam, ne violare liceret,
Sacravere Jovi Tarpeio in monte Quirites.

a « Eas uncias nostri cum viderent pollicibus aequari, non amplius uncias, sed pollices nominarunt. » Phil. ad Vitruv. iii. 3. p. 117.

F. Tabula ponderum ac mensurarum relationis, quas passim Celsus usurpavit.

Unc.	Sextans.	Quadrans.	Triens.	Quincunx.	Semis.	Septunx.	Bes.	Dodrans.	Dextans.	Deunx.	Quaevis unitas.	Characteres.
1 Uncia	1 = ½	= ⅓	= ¼	= $\frac{1}{5}$	= $\frac{1}{6}$	= $\frac{1}{7}$	= $\frac{1}{8}$	= $\frac{1}{9}$	= $\frac{1}{10}$	= $\frac{1}{11}$	= $\frac{1}{12}$	⥾
2 Sextans	1	= ⅔	= $\frac{2}{4}$	= $\frac{2}{5}$	= $\frac{2}{6}$	= $\frac{2}{7}$	= $\frac{2}{8}$	= $\frac{2}{9}$	= $\frac{2}{10}$	= $\frac{2}{11}$	= $\frac{1}{6}$	=, Z.
3 Quadrans	.	1	= ¾	= $\frac{3}{5}$	= $\frac{3}{6}$	= $\frac{3}{7}$	= $\frac{3}{8}$	= $\frac{3}{9}$	= $\frac{3}{10}$	= $\frac{3}{11}$	= ¼	= —
4 Triens	.	.	1	= ⅘	= $\frac{4}{6}$	= $\frac{4}{7}$	= $\frac{4}{8}$	= $\frac{4}{9}$	= $\frac{4}{10}$	= $\frac{4}{11}$	= ⅓	= =
5 Quincunx	.	.	.	1	= $\frac{5}{6}$	= $\frac{5}{7}$	= $\frac{5}{8}$	= $\frac{5}{9}$	= ½	= $\frac{5}{11}$	= $\frac{5}{12}$	= — =
6 Semis	.	.	.	.	1	= $\frac{6}{7}$	= ¾	= ⅔	= $\frac{3}{5}$	= $\frac{6}{11}$	= ½	S. S."
7 Septunx	.	.	.	.	.	1	= $\frac{7}{8}$	= $\frac{7}{9}$	= $\frac{7}{10}$	= $\frac{7}{11}$	= $\frac{7}{12}$	V.
8 Bes	.	.	.	.	.	.	1	= $\frac{8}{9}$	= ⅘	= $\frac{8}{11}$	= ⅔	— S. —
9 Octunx	.	.	.	.	.	.	.	1	= $\frac{9}{10}$	= $\frac{9}{11}$	= ¾	— S —
10 Dodrans	.	.	.	.	.	.	.	.	1	= $\frac{10}{11}$	= $\frac{5}{6}$	S = —
11 Dextans	.	.	.	.	.	.	.	.	.	1	= $\frac{11}{12}$	S = =
12 Deunx	.	.	.	.	.	.	.	.	.	.	1 = $\frac{12}{12}$	S = — =

His cujusvis unitatis, librae, unciae, denarii, congii, partes duodecimas, hoc est, unciae, distributae erant.

G. Characterum in Celso obvenientium tabula.

P. . . . = Pondo: cum aliis notis junctum qua pondere, Anglice, *by weight*, significat.
P., per se . = 1 libra.
)-(. . . . = 1 denarius
= non per se = 1 sextantem denominationis antecedentis signat.
= per se . = fere unius drachmae sextantem.
= = . . = 2 sextantes.
⥾ . . . = 1 sextantem.
— . . . = ½ sextantis.
Z . . . = 1 sextantem.
Ȝ. . . = 1 sextantem.

Porro P. =, P. ⥾, P. Z, P. Ȝ, characteres compositi sunt, qui, omnino secundum tabulam superiorem, librae sextantem singuli significant. Pari quoque ratione. P.)-(. =, P.)-(⥾, P.)-(Z P.)-(Ȝ., denarii sextantem, vel unciae quadragesimam secundam partem, designant. Lege, de nota P., Arbuthnotum, p. 24; 'Varios Auct. de Notis' apud Ling. Rom. Auct.

B. Tabula Mensurarum apud Celsum trivialium.

Illae quidem vix ad certa pondera redigi possunt : quippe quia cum gravitate specifica materiae vel massae descriptae necessario variant. Ex absurdis tamen auctorum quaestionibus et controversiis de pondere, in granis Trojanis, molis fabae Aegyptiae, fabae communis, lupini, similiumque : seminum nimirum densissimorum, hancce tabellam composuimus; cum observatis quoque nostris adjunctis, ne legendi usquam defuisse videremur. Si quis mollia panis fermentati in rerum memoratarum figuram molemque premendo fingeret, tum ponderet ; pondera demum erueret, forsan, a gravitate ejusdem aquae molis haud nimis aliena.

Mensurae triviales.	*Grana.*		
Manipulus (ut flor anth. nob.)	120 Gaub sect. 58.		120 Dunc. 681.
Pugillus (« iii. digitis comprehenditur »)	30 ibid. . .		...
Amygdala decorticata. . .	80 . . .		23
Amygdala decorticata . .	$10^8/_3$ nostr esp.	20	ibid.
Lupinum	?		
Faba Aegyptia . . .	20 . .	80	
Faba communis Italica . .	10 Esp 12 ad 15.	40	
Lens, Lenticula . . .	$\frac{85}{112}$ Arbuth. tab. 7.		
Ervum	1 ?		
Piperis semen	2 ?		
Piperis granum . . .	2 ?		
Juglandis nux	120 Esp nostr.		
Spica (allii) / Surculus / Gleba / Habena / Lapsos — portione medio cres: intelligibiles, et manu commode parandae,	sed incerti ponderis.		
Polio, (ut anthelminthica p. 181.)	8760 = ℥ xviii. aquae.		
Ovum			960 = ℥ ii. Dunc.

Confitemur tamen aliquem saltem dubitantibus locum esse an Greavesius recte omnino tetigerit pondus Trojanum, quale per Britanulas usitatum, denarii Romani ; saltem ejus quo usi sunt medici. Si enim 62 grana pendebat, quomodo potuit Dioscorides drachmas tres aloes extracti, unum sulphatis cupri, obolum unum elaterii singulis vicibus exhibere ? Dura majorum ilia ! utique exclamare licet, si hos medicamentorum acrium veneficorumque tantos modos ingerere impune medici potuissent. Re inusitata permoti in unam tabulam conjecimus doses medicaminum paucorum vehementiorum quas praecepit Dioscorides ; media dose, quantum expiscari possemus, simul subnexa. Subnexa quoque media dosis hodierna, ex laudatissimo dispensatario illustris rei medicamentariae professoris, Andreae Duncani filii, desumpta. Ex hac comparatione instituta, facile apparet, aut drachmam (ideoque denarium) antiquorum *medicam*, vix quartam nostrae partem attigisse ; vel antiquos ipsos, quod vix credibile est, corpora quater nostris robustiora possedisse ; vel demum, libros eorum ad nos', corruptissimos descendisse.

I. Comparatio dosium veterum cum hodiernis.

Aloë, ad haemoptoën cochl. ii = 310. gr. ad ict. ob. iii = 31; vel ʒi = 62. ad purgationem liberam ʒiii.
i.e. 310 gr ʒi. . 62 186 media 62 med. hodiern. 15; sed $\frac{62}{15}$ = 4.133
Sulp. cupr. ad lumbricos ʒi
i.e. 62 . 0 . 0 . 0 —— 20 —— 5 — $\frac{20}{5}$ = 4.000
Castoreum. ad menstrua provocanda ʒii
i.e. 124 . 0 . 0 . 0 —— 62 —— 15 — $\frac{62}{15}$ = 4.133
Elaterium, vulgo ob. i. minima dosis ⅓ ob. infantulis chalci ii.
i.e. $10\frac{2}{3}$. $5\frac{1}{3}$. 2 . 0 —— $10\frac{1}{3}$ —— 3 — $\frac{10\frac{1}{3}}{3}$ = 3.334
Oxyd. cupr. ad crassa extenuanda ob. iii.
i.e. 31 . 0 . 0 . 0 —— 20 —— 5 — $\frac{20}{5}$ = 4.000
Scammonia, ad alvum purgandam ʒi. vel ob. iiii. ad alvum solvendam ob. ii.
i.e. 62 . $41\frac{1}{3}$. $20\frac{2}{3}$. 0 —— 30 —— 8 — $\frac{30}{8}$ = 3.750
Scilla, ad biliosa expurganda ob. iii.
i.e. 31 . 0 . 0 . 0 —— 10 —— 2 — $\frac{10}{2}$ = 5.000
Helleborus niger, ad bilem et pituitam expurgandas ʒi. vel ob. iii.
i.e. 62 . 31 . 0 . 0 —— 42 —— 15 — $\frac{42}{15}$ = 2.800

8)31.104

3.893

Hinc duci potest, doses antiquas fere quadruplo ampliores esse.

Porro, fabam Latinam quae Celsi familiaris est mensura, Isagog. Sorani Eph. cap. 24, docet scrupulum dimidium, seu obolum continere; sed Mercurialis, ut refellat, conatur. Rhodius ostendit fabae solidae magnitudinem ℈ii. vel ʒi. ad summam continere. Ad Scribon. 13. Idem, ad Comp. Larg. 95, fabam Aegyptiam ponderi victoriati, sive binis scrupulis, aequalem docet. Sed Dioscorides, de faba Aegyptia, hanc communi Graeca grandiorem esse, docet. Quum vero his distinctis mensuris saepenumero utatur Celsus in bolis exhibendis, verisimile est, duplicem magnitudinem, minutiores enim differentias negligunt medici, habuisse. Ponatur igitur faba Italica ad scrupulum, faba Aegyptia ad scrupolos duos, vel, ad summum, ad drachmam; atque per has utpote maxime conjecturas, doses Celsi scrutamur.

1. Antidotum Mithridatis ex rebus 35 variis, fere aromaticis amarisque cum opio. sic ut gr. 10743 habeat 258⅔ opii vel $\frac{1}{40}$. Hoc medicamentum praebuit Celsus ad fabae Aegyptiae magnitudinem, ut anodynum; atque $\frac{62}{41}$ = 1½ gr modica quidem opii dosis est. Pag. 155. l. 9.

2. Ad tussim Athenionis, myrrham, piper, castoreum, cum opio copulata, 248 ad 62 vel $\frac{1}{4}$. Praebita erant tamen duo catapotia ad magnitudinem fabae nostrae; igitur = 40 gr. Sed $\frac{40}{4}$ = 10 gr. opii pro dose, quae quidem nimia est. Pag. 157. l. 37.

3. Ad tussim, compositio ex aromaticis et antispasmodicis, cum opio,

constat : sic ut 238 partes opii 62 contineant, vel $\frac{1}{4}$. Datur et haec ad fabae Italicae, vel communis, molem duplicem, $= 20 \times 2 = 40$. Sed $\frac{40}{4} =$ 10 gr. pro dose opii. P. 157. l. 51.

4. Adversus ischuriam. Aromatica cum opio 4298 ad 434 ; fere 9.9, aut 10. Sed. $\frac{62}{10} = 6\frac{1}{5}$, nimia quoque opii copia.

Sed ut antidotum, ad Graecae nucis magnitudinem dedit, quadruplo fere majorem ; quod nimium est.

Pericula quaedam, a nobis facta, ostendunt fabam communem nigram ad grana xii pendere, amygdalam non decorticatam ℥ss. nucleum autem grana xx.

I. Doses opii a Celso in medicamentis datae igitur sunt.

1. Mithridatis	gr. 6,	nunc $\frac{6}{4} = 1\frac{1}{2}$
2. Ad tussim Athenionis	10	$\frac{10}{4} = 2\frac{1}{2}$
3. Ad tussim vigilacem	10	$\frac{10}{4} = 2\frac{1}{2}$
4. Ad ischuriam	$6\frac{1}{5}$	$\frac{6\frac{1}{5}}{4} = 1\frac{1}{2}$

Si pondera antiquorum clinicorum medica quadruplo nostris leviora fuerunt, haec, ut supra videtur, facile, aut vix quidem aliter, explicari possunt.

LEXICON CELSIANUM

A. a primo natali die pag. a38, lin. 1. a die tertio 80, ex a prima origine 1.6. protinus a principiis 8a, a. cupiditas cibi a primo se rvata 30, 35. tutus esse homo a periculo videtur 170, 30. longa a vino abstinentia a93, 43. aqua a ferrario fabro 124. a7. sevum bircinum a renibus 1a5, ao. similitudine hordei aa9, 9. quam haec . . . a medicis saepe tractata sint atque tractentur 8, 16. aves omnes a minimis ad phoenicopterum 60, 4. a vino ad aquam, ab hac ad vinum transitus ei esse debebit a5, 9. ¶ *pro propter.* interdum a saltu calcis os a talo dehiscit a96, aa. ¶ *pro causa a qua aliquid efficitur.* neque quidquam dandum, a quo humor evocari possit a10. 3. ¶ *pro post.* a balneo cavere, ne quo frigore afflatuve laedatur 194. 4.

Ab. ab initio 55. 13. ab undecimo die a89, 17. ab illo tempore expectato die tertio 7a. ao. Hippocrates ab studio sapientiae disciplinam hanc separavit a, 18.

Abditus. *vide* Causa.

Abdomen. a quibus, *ilibus*, ac pube abdomen sursum versus ad praecordia pervenit: ab exteriore parte evidenti cute, ab interiore laevi membrana inclusum, quae omento jungitur; περιτόναιος autem a Graecis nominatur 109. aa. Interdum.. interior abdominis membrana, superiore cute integra, rumpitur a46, a8. imum abdomen a58, a. extremae abdominis partes *v.* Costa.

Abduco. excipiendum hamo retuso est, et a scalpello abducendum aa5, 3a. Abductus. prehendere per multas partes cutem, et abducere, ut relaxetur; aut imposita resina et abducta subinde idem facere 98, 34 potest quaedam fieri mutatio, quum ab eo statu mens, in quo fuerat abducta est, 91, 14. aeque fit, ut is pilus eo unde vi adductus est, redeat a3a, 30.

Abellana. *v.* Nux.

Abhorrens. ea neque addicta alterutri opinioni sunt, neque ab utraque nimium abhorrentia 8, 17. anus multa taediique plena mala recipit, nec inter se multum abhorrentes curationes habet a16, 7.

Abhorreo neque a ratione abhorret, uti penicillo 19a, a6.

Abortus. *v.* Femina, Mulier.

Abrotonum. urinam movet 95, 11. purgat. 140, 3. discutit 141, a4.

Abrumpo. quo valentius haereat, *sutura*, *vel fibula*, neque cutem abrumpat 163, a5. saepe integra cute os abrumpitur a95, 1a. medicus sinistra manu trahere leniter umbilicum debet ita, ne abrumpat a66, 10. *v* Εὐτεροκήλη.

Abscedens. satis omnia abscedentia digerit murex combustus 146, 30.

Abscedo. si lassitudinis etiam sensus in febre est, vel in maxillis, vel in articulis aliquid abscedit 40, 4. si latius aliquid abscedet etc a90, 1. interdum etiam fit, sed raro, ut quidquid abscedit velamento suo includatur aa1, 9. sub lingua quoque interdum aliquid abscedit, quod fere consistit in tunica a4a, a8. os ferramento adurendum est; vehementiusque si jam caria vexatum est, quo crassior squama abscedat a31, a9.

Abscessus. cum hi (*furunculus*, *phyma*, *panus*) nihil nisi minuti abscessus sint, generale nomen trahit latius vitium ad suppurationem spectans 180, 1. major abscessus 180, a9. si in magno abscessu multum puris coiit 41, a7.

Abscindo. *in vetustis libris fere ubique scriptum est* absoido, quidquid protractum est, paulatim abscindendum est a66, 5. dum medicus omnes membranulas etc. scalpello abscindat a49, 30. diligenter temperata manu, ne quid ex ipso angulo abscindatur a30, 3a.

Abscissus. *v.* Unguis.

Absinthium. stomacho aptum est 64, 3. urinam movet 66, aa. potui dari debet absinthium incoctum 1a4, a6. *v.* Potio.

Absorbeo. non alienum est superimponere candidi panis interioram partem ex vino subactam: eam et pituitam reprimit, et si quid lacrimae processit, absorbet 19a, 16.

AB

Abstioentia. abstinentias duo genere sunt: alterum ubi nibil assumit eeger; alterum ubi non nisi quod oportet 56, 20. si quid ex iis quee proposita suot, incidit, omoinm optime suot quios et abstineotia 69, 39. non quo.. sed quu sola ebstioentie sioe ollo periculo medeatur 70, 8. abstineotia quanta maxima imperari potest, utendum est 86, 39. imperonda tridui abstineotia est: si minus, certe pro vi oorporis quam longissima 251, 2. neqae ulla res magis edjuvat laburantem, quam tempestiva ebstinentia 56, 26. inter opportunam abstinentiam cibo opportuno; omissis ceteris, nutriatur 80, 12. saepe inutilis nimia ebstinentia 15, 6. quamdiu, *virse*, superernot, ebstinentie pugnet 72, 35. succurri ebstineotie oportet 262, 11 neque minus in abstinentia et alvi ductione saepe auxilii est 191, 20. proxime abstinentiom sumendus ast cibns exiguus 70, 2. longa a vino abstinentia 293, 43.

Abstineo. satius est abstinore a cibo, si fieri potest, etiam a potione 110, 17. a cibo, si validioris articnli oasus est, tridnu; interdum etiam quioqne diebus abstinere 297, 21. si id ioeidit, protinns ab omoi potione ebstinandum 125, 40. oportet abstinare ab omnibus salsis, acribus, ecidis 125, 13. ab omnibus abstinendum, praeterqusm aqua egelida 123, 2. Asclepiades praecepit, at primo die a cibo, potione, somno abstioeretur 89, 17. protions abstioere a sole, beloeo, vino, venere debemus 112, 13. a negotiis abstineodnm, omnibusque rebus qaae solicitare animum possuot 99, 16. ex toto a cibo, a vino, ab omni moto corporis abstinere, quum vehemaotes notee terruerant 70, 16. primu die loco obscuro cubare dabet sio, nt a sarmone quoque abstineat 191, 25. in bao frictiooa a ventre abstinendum est 96, 12. ¶ *absolute*, si quotidiana, *febris*, est, tridno primo megoopere abstiners oportet 84, 23. Heraclides Tsrentinns primis diebus ducendsm alvum; deinda abstinendum in septimum diam dixit 85, 30. in Africa nullo dia aegor abstineri recte videtar 72, 31. nihil eliud fieri potest, qoam ut primis diebus bene abstineat eeger 83, 23. eodem modo sumere cibum et vinum, bidno proximo se abstinere 85, 23.

Absum. aliae res inflant, aliae ab hoc absunt 60, 13. dum febres ceteraeque accessiones hojus morbi absint 42, 26. lenis frictio recte edhibetur, sed iis partibus quse loogius ebsunt e vulnere 166, 20.

AC

Absumo. isque morbus, *dejectio*, maxime pueros absumit osque ad aonum decimum 45, 7. medicamentum ejus, *sacri ignis*, fortuitum est, nuo die fabris, quae noxium bumorem absumat 177, 33. solent imposita medicamenta adurentie ea capitula absumere. 217, 20.

Abandantia. interest enim fatigatio morbam.. an fames fecerit, an cibi vinique abundantia 9, 19. bamoris uimia abundantia 94, 12.

Abunde. dabant lactucae marinae lac, cujus gutta pani adjecta abunde pargat 51, 19. bnic abunde est domittere se inguinibus tenus in aqusm calidam 16, 21.

Abando tenuioribus magis sanguis. pleniuribus magis oaro abundat 47, 30. si per talia auxilia venter nun siccatur, sed bumor oibilo minus abundat etc. 97, 12.

AC

Ao. eo primum 176, 41. ac ne saepius dicendum sit 274, 14. ac neque 10. 34. ac nisi 81, 8. eo si 25, 8. ac sic 50, 22. ac tum 263, 31.

Acacia. sanguinem supprimit 138, 26. acaciae succus exedit 140, 23.

Aoanthious. *v.* Gummi.

Accedo. aliquid densiori cibo, quam bic accedit, necessarium est demi 21, 8. id vinum oui nibil adhuo aetatis accessit, inflat 64, 17. neque per alimenta quidquam oorpori accedit 225, 7. quae, *materia*, natureliter digeritur, ubi nibil novi accedit 70, 4. faoestris patentibus sio, at perflatus quoque aliquis accedat 92, 10. si somnus neque nontu, neque ioterdiu accedit 31, 18 considerendum etiam est, febres ne solae sint, an elia quoqne bis mala accedant 82, 10. accedit aliquid difficultatis sub omoi ictu, si telum vel ossi inbaesit, vel etc. 227, 8. accedit ad baec, quod ne ipse quidem Erasistratus reperit, our etc. 10, 28. quod intra dies quadraginta fit, nisi vitium hominis accessit 136, 42. *v.* Negligentie ¶ *febris accessio* si semel tantum, *febris*, accessit, deinde desiit 74, 23. ut aliquantum quidem minuatur ex febre, nibilo minus tamen quaedam reliquiae remaneant, donec altera accessio accedat 70, 39. quum aliter aliterque in eodem morbo febres accedunt 71, 19.

Accendo. haec, *febris*, sitim accendit 76, 34. sed est circumspecti quoque hominis et novare interdum, et augere morbum, et febres accendere 82, 5. haec enim ut in recentibus malis aliena sunt, quia concitare ea possuot, et accendere;

Acorum. urinem movet 95, 12.

A'κροχορδών, acrochordon. *v.* Verruca. ακροχορδόνα Graeci vocant, ubi sub cute coit aliquid durius etc. 184, 2. acrochordon et thymium saepe etiam per se finiuntur, et quo minora sunt, eo magis 184, 23.

Acquiesco. quisquis facile somno acquiescit 126, 21.

Actio. naturales corporis actiones appellant per quas spiritus trahimus, et emittimus; cibum potionemque et assumimus, et concoquimus: itemque per quas eadem haec in omnes membrorum partes digeruntur 4, 17.

Actus. iisdem omnibus, si fieri potest, etiam festinantius actis 227, 25.

Aculeus. interdum fractura quibusdam velut aculeis carnem vexat 295, 15 *v.* Pastinaca.

Acumen. si quod parvulum fragmentum ossis eminet, id si retusum est, in suam sedem dandum: si acutum, ante acumen ejus praecidendum; si longius limandum 294, 33. *v.* Uncus.

Acuo. ex suppurationibus eae tolerabiles sunt, quae in exteriorem partem feruntur, et acuuntur 41, 15.

Acus. acus admovenda est acuta, sed non nimium tenuis, eaque recta demittenda 235, 18. tenuis acus ferrea ad similitudinem spathae lata, in ignem conjicienda est: deinde candens sub ipsis pilorum radicibus ab angulo immittenda est 232, 10. quidem ajunt, acu transui juxta pilos exteriorem partem palpebrae oportere, eamque transmitti duplicem capillum muliebrem ducentem 232, 18. *v.* Aperio, Amoo, Compungo, Concido, Perforo, Pungo, Trajicio.

Acutus. *v* Acus, Ferramentum, Fragmentum, Hamulus, Specillum, Telum, Dolor, Febris, Morbus. acutior. dens aliquis acutior 210, 15.

AD

Ad. Accedit ad haec. *v.* Accedo incidenda ad medium vena est 30, 1. ¶ *juxta, prope.* unctio ad ignem 15. 2. numquam ad flammam ungi, interdum ad prunam 21, 21. ¶ *pro.* febre ipsa se ad remedium ejus uti Asclepiades professus est 71, 36. oleo ad friotiones adjicere calefacientia 86, 26. ¶ *adversus.* et ad scorpionis, et ad aranei ictum allium cum ruta recte miscetur 172, 21. ¶ prodest ad id etc. 89, 6. ¶ *usque ad.* aves omnes a minimis ad phoenicopterum 60, 4. a-

murea ad tertiam partem decocta 186, 7 ¶ catapotia ex eo fiunt ad nostrae fabae magnitudinem 157, 16. in summa parte ejus, *tunicae*, ad lenticulae magnitudinem excidere 234, 8. plaga ad similitudinem myrtei folii fiat 242, 8. id ad nostra pondera relatum, paulo plus dimidio scripulo facit 143, 17.

Adactus. excisorius scalper ab altero foramine ad alterum adactus 278, 22.

Adaperio. unctae manus indicem digitum primum debet inserere, ibique continere, donec os, *vulvae*, iterum adaperiatur 264, 24. *v.* Area.

Adapertus ubi, *furunculus*, adapertus est, et exiit pus etc. 179, 13. ore venae alicujus adaperto 117, 31.

Addictus. subjiciendum est, quae proxima vero videri possunt. Ea neque addicta alterutri opinioni sunt, neque ab utraque nimiam abhorrentia 8, 16. phrenesis perfecta est, ubi mens illis imaginibus addicta est 87, 12.

Addo, *indo.* exemto filo fibula additur 256, 3. illud aliud genus, *polypi*. . interdum inarescit, si addita in narem per linamentum aut penicillum ea compositio est etc. 206, 37.

Addo. ubi auris repleta est, super lana mollis addenda est 202, 20.

Adduco. melius adducent, *membrum*, qui easdem habenas ad valida bacula deligarint 302, 32. ab iis quae stulte dicuntur, ad meliora mens adducenda 88, 39. ubi ea parte, *cucurbitulae.* qua exiguum foramen est, ore spiritus adductus est etc. 50, 23.

Adductus. rotando aliquo super poplitem imposito, adductoque eo crure, reconditur, *genu* 303, 23. ungue nimium adducto ungue 230, 7. vini non perfrigidi potio jejuno in consuetudinem adducta 18, 9. cutis haud omnino adducta. *v.* Cutis.

Adeo. adeo et in id quoque genus quod ceterum pejus est, in hoc statu salubris mutatio sit 27, 5. eaque missio sanguinis adeo non prodest, at etiam nocent 50, 4. Id Asclepiades adeo non prodesse, etiam inimicum esse proposuit 118, 30. etiam febre liberatus, vix refectioni valebit: adeo, si saepius febris accesserit, concidet 85, 32.

Adeps. sensu caret 119, 5. concoquit et movet pus 139, 15. purgat. 140, 9. mollit 142, 19. recens adeps 80, a6 quam vetustissima 113, 39. adeps anserina 153, 13. leonina 153, 19. recens suille adeps 133, 25. adeps ex fele 67, 27.

AD

Admoveo. calida cataplasmata admovere 128, 9. sicca et calida fomenta 128, 27. vesicas bubulas, vel utriculos calido oleo repletos 113, 33. subinde admoveotur spongiae ex aqua calida expressae 222, 13. extrinsecus admovendus erit spongiae vapor calidus 210, 26. maxime ubi iotur se implicatae, *venae*, glomerantur, eo ferrum admovendum est 253, 30. cucurbitulam admovere a diversa parte 162, 33. cucurbitulas pluribus locis admovere 127, 33. Asclepiades.. praecepit, ut frictio admoveretur lenis 89, 18. admovere ad ignem, vel si aestas est, in sole aegrum oportet 113, 36 oportet candens ferramentum gingivis admovere 240, 33. ubi scalpellus admovetur, id agendum est uto. 221, 37.

Adnecto. *v.* E'μπροστότονος.

Adolescens famem facilius adolescens, quam puer sustinet 12, 12. *v.* Aestas. Adolescens, aut certe adolescentiae propior *v.* Chirurgus.

Adolescentia. labor longam adolescentiam reddit 23, 3. longis morbis senectus, acutis adolescentia magis patet 27, 8.

Adolescentulus. articuli facilius excidunt in pueris et adolescentulis, quam in robustioribus 296, 34. *v.* Infibulo.

Adstrictius. *v.* Alligo.

Adstrictus, adstrictior. *v.* Alvus. duae fasciae a mediis orsae, minimeque adstrictae 289, 7. quod nimis adstrictum est, cancro periclitatur 164, 34 *tumor*, resilitur sicut uter repletur ut arte adstrictus 248, 17.

Adstringens paulum adstringentis cibi sumere 131, 27.

Adstringo. sic fascia deliganda est, ut et contineat, nec adstringat 164, 33. satius est, *fascias* saepius circuire, quam adstringi 291, 20. *v.* Ferula. malagma impositum habere, idque ipsum superimposito duplici triplicive panno, non nimium tamen vehementer adstringere 97, 7. umbilicum attrahere, ut lino vehementer adstringere 244, 14. adstringitur aliquid, eo demto quod interpositum, ut id laxaretur, effecerat 54, 14. alvum adstringit labor etc. 20, 7. adstringendum corpus est, quod hebes est 54, 10.

Adsum. si composita medicamenta non adsunt etc 199, 4. gravidae feminae quibus tum adest partus, aborto periclitantor 28, 28.

Adversus. medicus neque in tenebris, neque a capite aegri debet residere, sed illustri loco adversus, ut omnes notas ex vulto quoque cubantis percipiat 78, 4. humo collocatur alto sedili, medicus autem humiliore adversus 292, 6.

Adversus *praepos.* prodest etiam adversus tardam concoctionem nlare tegere 23, 28. nihil plus adversus surditatem, quam biliosa alvus potest 43, 15. haec adversus omnes ictus utilia sunt 171, 41. adversus omnium sic insanientium animos gerere se pro cujusque natura necessarium est 88, 30.

Aduncus *v.* Unguis.

Adurgeo *v.* Dens.

Adurens. imponi debent medicamenta adurentia 176, 16. adhiberi possunt etiam vehementius adurentia 217. 2.

Aduro. nihil melius est, quam protinus adurere 175, 13. aduri diligenter et timide debet 215, 16. venas tenuibus ferramentis adurere: contra tempora quidem timide etc. inter frontem vero et verticem vehementur 237, 26. cutis aut ferramentis, aut sinapi adurenda 114, 12. ferro locus aduri debet 177, 13. tenui ferramento adurere, quod spathae simile, quasi transcurrere, non imprimi debet 242, 38. venae quae sanguinem fundunt, possunt ferro candenti aduri 162, 31. quidam contra id, *jecar*, scalpello aperiunt, ut ipsam vomicam adurunt 124, 20. aduri locus debet, donec nullus ex eo humor feratur: nam quod sanum est, siccum est quum aduritur 168, 17. illud perpetuum est, excise cancro vulnus esse adurendum 215, 8. adhibenda sunt ea quae adurendo crustas ulceribus inducant 210, 6. adurunt auripigmentum, atramentum sutorium 141, 7.

Adustus Adustis quoque locis extrinsecus vis infertur.. haec optime curantur foliis aut lilii, aut linguae caninae, aut betae in vino oleoque decoctis 174, 13. adusta, *carcinomata*, protinus concitata sunt, et increverunt 176, 8.

AE

Aedificium. *v.* Habito, Sudor.

Aeger. obsequens aeger 68, 22. insequitur tempus meridianum, a quorum omnis aeger fere pejor fiat, timuri potest etc. 75, 22. omne ejusmodi medicamentum non semper aegris prodesse, semper sanis nocere 55, 32. neque ad rem male haberi aegrum pertinere 72, 13. de cibo facilior cum aegris ratio est 76, 31. *v.* Ago. ejusmodi medici melius alienos aegros quam suos nutriunt 82, 4.

Aeger, *adject.* Ut alimenta sanis corpori-

AE

Aestuans. neque alienum est, naribus quoque aestuantis admovere quod reficiat 92, 31. quam potius naturale sit, potione aestuantem stomachum refrigerari 46. 38.

Aestuo. si quis in balneo aestuat, reficit hunc ore exceptum et in eo retentum acetum 17, 26.

Aestuosus. *v.* Calvaria, Cibus, Serpens.

Aestus. oportet ambulare sub divo ante aestum leniter 24, 33. neque committendum, ut per aestum anima deficiat 59, 6. si capitis ac frontis dolores ex vento, vel frigore, aut aestu sunt, gravedine et sternutamentis finiuntur 43, 11. si febris... ex aestu fuit 74, 27. interdum vel ex nimia inflammatione, vel ob aestus immodicos, cancer occupat, *vulnus* 167, 9. fractis aestibus. *v.* Premo.

Aetas. aetas media tutissima est, quae neque juventae calore, neque senectutis frigore infestatur 27, 6. antiqui primam ultimamque aetatem sustinere non posse hoc auxilii genus judicabant 47, 13. inediam facillime sustinent mediae aetates 20, 15. fere hanc rationem puerilis aetas recipit 252, 22. neque idonea curationi senilis aetas est.. ac ne puerilis quidem, sed inter has media 235, 5. intestinorum laevitas facilius a teneris aetatibus depellitur 42, 29. quam hic morbus *phthisis*, aetate firmissima maxime oriatur, id est ab anno duodevicesimo usque ad annum quintum et tricesimum 99, 12. phyma.. ubi aetas induravit, ne nascitur quidem 179, 31. si jam aetas ejus hominis quadragesimum annum excessit etc. 46, 8. si jam aetate aliquis processit etc. 42, 28. si aetas processit etc. 42, 28. is morbus qui in intestino pleniore est etc. per aetatem saepe repetens sic cruciat, ut vitae spatio nihil demat 128, 23. interdum in capite longa imbecillitas.. per hominis aetatem est 210, 2. ibi enim vix fieri potest, ut non per omnem aetatem exulceratio sit 284, 20. omnis aetatis homines 26, 10.

AF

Afer. efficacior etiamnum est Afrorum curatio 237, 29.

Affectus. seu supersunt vires, seu desunt, seu quidem alii affectus superveniant 76, 23. possunt quaedam subesse corpori vel ex infirmitate ejus, vel ex aliquo affectu 10, 20. ceteri venti, quo vel huic, *Austro*, vel illi, *Aquiloni*, propiores sunt, eo magis vicinos his illisve affectus faciunt 28, 14. quum corporibus inviolatis, haec tamen, *interiora*, metu, dolore, inedia, cruditate, mille aliis mediocribus affectibus saepe mutent etc 7, 19. supersunt alii corporis affectus, qui huic, *febri*, superveniunt 86, 42. de basilico collyrio convenit, ad omnes oculorum affectus id esse idoneum, qui non lenibus medicamentis curantur 199, 32. qui vel capitis, vel arteriae dolores, vel quoslibet alios oris affectus habere consuerunt 22, 19. *v.* Animus, Chirurgus.

Affectus, *adject.* neque saepe, neque tamdiu in aqua calida puer habendus, quam adolescens; levi, quam graviore inflammatione affectus 261, 30. febricitanti cuidam et magna siti affecto 21, 33. liene affecto 97, 10. oculo et ante per pilos, et tum per palpebrae foramina affecto 232, 28. levius ipso osse affecto 290, 6. nonnumquam stomachus quoque affectus primum rufam bilem per os reddit etc. 248, 12. omnibus sic affectis somnus et difficilis, et praecipue necessarius est 89, 5.

Affero. tactus is locus aliis dolorem affert, in aliis eum non habet 175, 35. interdum ex inflammatione tumet ipse testiculus, et febres quoque affert 249, 6. neque id ullum metum, nisi inter musculos qui tempora continent, affert 282, 2. purgationes quoque, ubi frequentes sunt, periculum afferunt 19, 25. si quid abscessit etc. periculum affert primum furoris, deinde interitus 39, 6. nimia frictio etiam lethargi periculum affert 89, 23. erysipelas interdum periculum magnum affert 168, 2. quae, *curatio*.. maximum periculum affert 264, 17. non idem periculum carcinoma affert, nisi etc. 175, 29. neque vomitus hujus, *sanguinis*, periculum affert, etiam quam repetit, si ante confirmare, et implere corpus licuit 118, 13. quoties is, *sanguis*, suppressus est, ne quid periculi afferat, multa exercitatione digerenda materia est 217, 25. opem afferre *v.* Aesculapius. aliquid afferre auxilii. *v.* Humerus. removendi terrores, et potius bona spes afferenda 90, 18.

Afficio. modo ingens calor, modo inflatio hunc, *stomachum*, modo inflammatio, modo exulceratio afficit... frequentissimumque ejus vitium est, quo resolvitur; neque alia re magis aut afficitur, aut corpus afficit 119, 5. pulmo totus afficitur 120, 21. si simul totum corpus afficitur 44, 36. emollitum in eo, *balneo*, alvus, cito rursus eodem malo afficitur 169,

vellantur, existimo; quoniam ex imbecillitate summum periculum est 72, 1. parcius in his, *pueris*, agendum est 80, 7. post satietatem nihil agendum 13, 15. neque tamen fas non est, nihil cucurbitulam agere 221, 9 qui radit haec, audacter imprimere ferramentum debet, ut et aliquid agat, et maturius desinat 276, 29. ¶ *moveo*, *adigo*, *impello*. ubi jam iter modiolo impressum est, clavus educitur; et ille per se agitur; 278, 15. quatenus terebra agenda sit, scobis significat 278, 21. idem humor rosa mixtus in ipsum vulnus oriculario clystere agendus est 263, 10. sin utraque parte prolapsa est, aequaliter retro maxilla agenda est 298, 5. scalper duabus lineis ad rimam agendus ad similitudinem litterae V. 282, 37.

Agrestis. *v.* Cucumis, Pastinaca. ¶ *more substantivi*, Agrestium experimento cognitum est 208, 6.

Agricola. ne agricolam quidem aut gubernatorem disputatione, sed usu fieri 6, 12.

Agricultura. Ut alimenta sanis corporibus agricultura, sic sanitatem aegris medicina promittit 1. 1.

Α"γριος *v.* Papula, Scabies, Uva taminia.

Ajax. *v.* Poeta.

Αἰγίλωψ. in angulo, *oculi*, qui naribus propior est, ex aliquo vitio quasi parva fistula aperitur, per quam pituita assidue destillat; αἰγίλωπα Graeci vocant 231, 14.

Αἱμοῤῥοΐς ora venarum tamquam capitulis quibusdam surgentia. quae saepe sanguinem fundunt; αἱμοῤῥοΐδας Graeci vocant 217, 4.

Ajo. Asclepiades acetum ait quam acerrimum esse sorbendum 116, 21.

AL

Ala. humerus modo in alam excidit, modo in partem priorem 299, 5. si in alam excidit, necessaria est spatha lignea, quae ab ala usque ad digitos pervenit: eaque spatha ab alam brachio dirigitur sic, ut caput ejus summae alae subjiciatur 299, 11. *v* Struma. ¶ ex avibus colla alaeve recte infirmissimis annumerantur 61. 5.

Albesco. oleo et aqua refrigerandus, *aeger*, est; quae mane miscenda sunt, donec albescant 80, 16.

Albidus. si quod descendit est albidum etc. 82, 27. si de nigro, *oculi*, aliquid albidum factum est, diu manet 191, 15. *v.* Pus, Ulcus.

Albus. *v.* Color, Emplastrum, Oleae, Papaver, Pituita, Pus, Sputum. ¶ album, *substant.* clavi vocantur callosa in alba oculi tubercula 234, 10. ovi album glutinat 139, 6. albo finiri ex nigritie vitium etc. manifestum est 276. 31.

Alcyonium. rodit 140, 16. exedit 141, 1.

Alexandria. optissime Alexandriam ex Italia iter 99, 11.

Alexandrinus. *v.* Calamus, Emplastrum.

Alia. *adverb.* *v.* Fluo.

Alias motus ut in dolore pestifer, sic alias saluberrimus corpori est 197, 29. alias per sudorem ad integritatem venitur, alias corpus tantum imbecillius redditur 71, 8 multa in praecipiti periculo recte fiunt, alias omittenda 88, 14.

Alibi. clavus nonnumquam etiam alibi, sed in pedibus tamen maxime oritur 184, 20. videlicet hic quoque, ut alibi, quam secanda vasa fuerint, contrariis adjuvantibus 194, 20.

Alica. elota quaedam genera frumenti, ut alica etc. imbecillimis annumerari possunt 61, 16. alica boni succi est 62, 20. crassiorem pituitam facit 63, 20. danda est elota alica ex aqua mulsa 102, 36 *v.* Cremor.

Alienatio. mentis alienatio 109, 34.

Alienatus ex his colligi potest id quoque quod alia parte dependens, alia inhaerebit, si alienatum adhuc non est, uterum an fibulam postulet 163, 17.

Alieno. id quod adstrictum est alienatur, et cancro opportunum est 291, 21. si adhuc ea, *intestina*, sui coloris sunt, cum magna festinatione succurrendum est: momento enim alienantur externo et insueto spiritu circumdata 245, 22.

Alienus. balneum atque omnis humor alienus est 95, 1. ubi convaluit aliquis, diu tamen alienus ei veneris usus est 97, 33. vinum omnibus, *vulneribus*, dum febris, dum inflammatio est, alienum est 166, 39. aliena stomacho sunt omnia tepida, omnia salsa etc. 64, 5. olera et salsamenta semper aliena sunt 263, 6. cui caput infirmum est.. maxime vomitus alienus est 22, 9. ejusmodi medici melius alienos aegros, quam suos nutrient 80, 4. scire oportet, interdum in accessione desipere aegros, et loqui aliena 87, 5. sumendi sibi faciles, et stomacho non alieni 120, 3. non alienum est in ipsa febre dare mulsi tres aut quatuor cyathos 81, 20. Quo minus alienum videtur. *v.* Aliquandiu.

Alimentum. *v.* Agricultura. liberalius alimentum 293, 43. alimenta pleniora 102, 9. valentissimum voco, in quo plurimum

alimenti est 59, 34. plus alimenti est in pane, quam in ullo alio 60, 11. eadem omnia pinguia, quam macra; recentia, quam salsa; nova, quam vetusta plus alimenti habent 61, 10. v. Subministro.

Alioqui, aliquin. si diutius jacet, aut alioqui jacere consuevit 183, 8. alioquin vulnus interius ea victus ratio, eaque medicamenta sanabunt, quae etc. 164, 40.

A'λιπαvα. v. Emplastrum.

Aliquandiu. nonnulli, quum aliquandiu nihil vidissent, subita profusione alvi lumen receperant. Quo minus alienum videtur, medicamentis quoque moliri dejectiones 201, 3.

Aliquando. *serius*, sed aliquando morbus quoque ipse novus est 9, 5. aliquando, sed serius balneum tentandum 112, 40.

Aliquanto. paris aliquanto amplius concitari 266, 36. *medicina*, apud Graecos aliquanto magis, quam in ceteris nationibus exculta est 1, 4. feminis brevius urinae iter... aliquanto minus difficultatis exhibet 256, 23. hanc aliquanto majorem medicam futurum, quam si etc. 7, 10. *urinae iter*, aliquanto melius. v. Callus. extrinsecus admovendus, sed aliquanto diutius, vapor calidus 208, 35.

Aliquantum. acre acetum cui aliquantum salis sit adjectum 260, 40. Tryphon pater, et Evelpistus, et Meges, quibusdam in melius mutatis, aliquantum ei professioni adjecerant 219, 21.

Aliquis. ubi aliquis relevatus est 193, 39. securus est in iis aliquis, quae saepe sine periculo evasit 130, 20. aliquis cibus *lenis* 117, 10. ubi expeditior alicujus, quam sani fuit, sermo est 38, 41. si nimium alicui fatigato paene febris est 16, 21. ubi febris aliquem occupavit 30, 24. horum aliquo praeparato 195, 4. si id aliqua res prohibet 231, 20. potest morbus reliquiis quibusdam inhaerere, quas admotum aliquod auxilium discutiat 54, 30. si latius aliquid abscedet etc. age, 1, si aliqui labant dentes etc. 241, 26. quod si aliquae membranae prohibent, scalpello resolvuntur 250, 31. illis ipsis diebus quibus aliqua emittenda sunt 110, 24. ex quibus saepe plura, nunquam non aliqua febrem antecedunt 30, 15. quorum ubi aliquid detectum est etc. 255, 31. aliquid in natura spei est 44, 35. sensus alicujus ibi quasi frigoris est 46, 2, quae apud antiquiores aliquos posita sunt 54, 3. propter civiles aliquas necessitates 13, 11. si quod ex vertebra excedit, aliquo modo fractum est age, 10. aliquibus quotidie adjectis 130, 9. ¶ aliquid, *pro aliquantum*. ingredi aliquid eodem modo debet 16, 13. moveri aliquid 86, 20.

Aliquot. aliquot diebus 254, 14. aliquot horas 53, 1.

Aliter. quae sanari non possint, vel aliter nutriri debeant, alibi dicendum erit etc. 249, 16. quam aliter aliterque in eodem morbo febres accedant 71, 19. aliter se corpus habere, atque consuevit 29, 37.

Alius. color alius ex alio fit 83, 10. sub ordine naturali pilorum alius ordo subcrescit 232, 7. non alius magis morbus importunior acutiorque est, quam qui etc. 113, 15. panis fermentatus, et quisquis alius, quam qui ex tritico est 65, 6. saepe venas concitat et metus, et ira, et quilibet alius animi affectus 77, 20. illud convenit, alium dandum cibum laborantibus, si hoc; aliam, si illud verum est 4, 30. alium lux, alium tenebrae magis turbant 87, 28. lectica, vel alio modo corpus dimovendum est 99, 16 plus alimenti est in pane, quam in ullo alio 60, 11. possunt quaedam subesse corpori, quae vel in alio non sunt, vel in hoc alias non fuerunt 10, 20. alio loco 268, 22. alio quo modo 247, 36. tempore alio 10, 19. ex alia causa 176, 29. alia curatio 293, 11. alia via 131, 33. alia res alia vel valentior est, vel infirmior 60, 30. neque vitae alia spes est, quam etc. 33, 5 avertitur interdum sanguis.. ubi alia parte prorumpens, alia emittitur 49, 15 aliud vitii genus 205, 4. ante quidquam aliud, aquam bibere 111, 1. aliud alii vel corpori, vel valetudini conveniet 62, 17. aliud est sanguinem, aliud bilem, aliud cibum vomere; aliud dejectionibus, aliud torminibus laborare; aliud sudore digeri, aliud tabe consumi 11, 19 aliud ex toto sequendum est curationis genus 85, 28 ante omnia norit quisquis naturam sui corporis: quoniam alii graciles, alii obesi sunt; alii calidi, alii frigidiores; alii humidi, alii sicci; alios adstricta, alios resoluta alvus exercet 17, 28. aliae res boni succi sunt, aliae mali; aliae lenes, aliae acres; aliae crassiorem pituitam faciant, aliae tenuiorem; aliae idoneae sunt stomacho, aliae alienae etc. 61, 10. in ea, *curatione*, multum antiqui auctores variarunt, ut in singula genera anguium singula medendi genera praeciperent; aliique alia 171, 9 alii aliique colores 228, 17. aliud aliudque nomen 115, 19. aliud os super aliud effertur ago, 25. quum aliter ali-

terque in eodem morbo febres accedant; non easdem inordinate redire, sed alias aliasque subinde oriri dicunt 71, 19. feminis quibus menstrua non proveniunt, necesse est capitis acerbissimi dolores sint, vel quaelibet alia pars morbo infestetur 36, 30.

Alligo. tertio quoque die nodus resolvendus est, et ad caput alterum recens linum alligandum 224, 15. qua incisum est, acus debet immitti, infraque eam lino id capitulum alligari 267, 10. malagma adstrictius alligandum 296, 11.

Allium. valentiores sunt omnes bulbi; in quibus cepam quoque, et allium numero; quam pastinaca etc. 60, 16. allium mali succi est 63, 2. acre est 63, 16. inflat 64, 18. calefacit 64, 27. alvum movet 65, 21. allium frictum 115, 37. epica allii 117, 15. allii semen 158, 2. si lumbrici teretes sunt.. edisse et allium et lupinum prodest 130, 38.

Allobrogicus. *v.* Vinum.

Alo. ad ea veniendum est quae alunt, id est cibum et potionem 59, 27. res eadem magis alit jurulenta, quam assa; magis assa, quam elixa 61, 14. fere sequitur, ut quo valentior quaeque materia est, eo minus facile concoquatur; sed si concocta est, plus alat 62, 1. *v.* Cibus. genus victus adhibendum est, quo carnem ali docui 180, 24. in acutis morbis serius aeger alendus est.. in longis maturius 69, 28. quum jam non se um sustineri, *aeger*, sed ali quoque cibis oportebit 284, 4. solet desinere ali corpus, ac sic tabe consumi 120, 5. *v.* Purgatio. resolutum membrum, si nihilo minus alitur, fieri sanum potest 40, 34. si ulcus madet, atque alitur etc. 282, 22.

Aloe. sanguinem supprimit 158, 27. qui dejicere volet... aloen sumat 19, 25.

Alte. media tunica excidenda erit sic, ut alte ad ipsum inguen praecidatur 249, 38. quamcumque tunicam quis violavit, illam quoque debet excidere, et mediam quidem quam altissime ad inguen 251, 1. ¶ *profunde.* latius pateat necesse est, quod jam alte processit 279, 8. *μυρμήκια* radices altius exigunt 184, 17. altissime. *v.* Sagitta.

Alter. intra ipsa intestina consistunt duo morbi; quorum alter in tenuiore, alter in pleniore est 107, 24. saepe dies unus, aut alter totum dolorem hac ratione discutit 110, 21. tertio quoque die cibus aegro commodissime datur; et alter febrem minuat, alter viribus subveniat 75, 7. ubi tertio die cibus datus est; intermittere quartum, et invicem alterum quemque 101, 24. ex febribus una quotidiana, altera tertiana, altera quartana est, 70, 23. *v.* Accessio quod primum discrimen nosse oportet, ut alterius succurratur, alteris manus non injiciatur 236. 22.

Alternus. si quotidie gravis accessio est, haec, *sorbitio*, quotidie detur; si alternis, post graviorem sorbitio, post leviorem mulsa aqua 93, 30. *v.* Dies.

Alteruter. ex his, *unctione et balneo*, neutrum semper fieri oportet; sed saepius alterutrum, pro corporis natura 15, 3. manus etc. si in alterutrum latus procidit, *manus*, in contrarium.. convertitur 301, 17. cui.. bilis atra vel infra, vel supra se ostendit; cuive alterutro modo se promsit etc. 34, 23. quicumque dolorem ingentem circa tempora et frontem habebit, is alterutra ratione eum finiet 37, 2.

Altitudo. *profunditas*, altitudo esse plagae usque ad cartilaginem debet 233, 29. foraminis altitudo consideranda 279, 14. alterum, *genus ignis sacri*, est in summa cutis exulceratione, sed sine altitudine 177, 25.

Altum, *pro mare.* gestatio lenissima est navi, vel in portu, vel in flumine; vehementior in alto 56, 4. *v.* Piscis.

Altus. *v.* Conclave, Sedile. antidota recte dantur collisis corporibus, vel per ictus, vel ubi ex alto deciderunt 154, 39. ¶ *profundus.* tumores incidere altis plagis oportet 96, 27. ubi tenue, sed altum vulnus insedit 169, 10. altiores ictus 169, 16. *v.* Fistula. si ex alto calor venit 74, 29.

Alumen. sanguinem supprimit 139, 2. aperit 139, 22. exedit 141, 2. alumen rotundum evocat et educit 142, 6. alumen liquidum, sed magis rotundum rodit 140, 11. alumen scissile adurit 141, 23. alumen et scissile, quod *σχιστὸν* vocatur, et liquidum reprimunt 139, 10. alumen aridum 218, 6. alumen melinum rotundum 248, 4.

Alvus, *pro ea capacitate qua ventriculus, intestina, jecur, lienis, renes, vesica, vulva continentur.* vivorum hominum alvum atque praecordia incidi 7, 13. uterum, *vocat* 97, 6. *et alibi.* ¶ *pro intestinorum cavo* immittenda in alvum est, si levi medicina contenti sumus, pura aqua 53, 3. alvus satis quotidie reddit 50, 27 alvus nihil reddit, ac ne spiritum quidem infra transmittit 116, 30. ¶ *pro materia quam intestina infra emittunt.* alvus liquide 181, 17. quam tenerrima 90, 18. dura 217, 14. nigra 46,

AP

Aper. generis valentissimi est 59, 37.

Aperio. aperiunt tamquam ora in corporibus cinnamomum etc. 139, 17. *v.* Malagma. satis est cataplasmatis efficere, ut per se pus aperiatur 221, 25. eaque, *suppuratione*, ubi vel per ipsa medicamenta, vel etiam ferro aperta est, pus debet emitti 180, 33. maturari parotidem, et quamprimum aperiri commodius est 212, 23. quidam contra id, *fecur*, scalpello aperiunt etc. 124, 12. pustulae, quaecumque sunt, seu aperiendae 178, 7, si nondum satis cutis patefacta est, latius aperienda est, donec etc. 281, 30. quo consequebatur, ut semel quantum satis esset aperiret 259, 26. aperiendam audacter inguen est 249, 23. *v.* A'γκυλοβλέφαρος, Αἰγίλωψ. os aperire tutissimum est 281, 10.

Apertus. fenestris aliquantum apertis etc. 123, 10. inde aperta via, caro diduci debet ferramento etc. 226, 5. *v.* Aperio. in aperto deinde curatio est 295, 29.

Apium. urinam movet 66, 27. simul et reprimit, et refrigerat 67, 11. apii semen rodit 140, 16.

Apollonius. *v.* Ε'μπειρικὸς. Apollonius qui Mys cognominatus est 138, 8. Apollonii duo, *chirurgi* 219, 18.

Apollophanes. *v.* Malagma.

A'ποπληξία. *v.* Attonitus, Resolutio nervorum.

A'πόστημα. abscessus, quae ἀποστήματα Graeci vocant 27, 23.

Appareo. saepe etiam causas apparere, ut puta lippitudinis, vulneris; neque ex his patere medicinam 6, 6. si nullum appareat aliud auxilium 48, 15. facile apparere cuilibet potest etc. 202, 32. aqua levis pondere apparet 61, 34. *v.* Comperio.

Appellatus. quorundam sensus obtunduntur, appellatique ignorant etc. 160, 40.

Appello. radix ea quam dulcem appellant 208, 19. Chironium ulcus appellatur quod et magnum est etc. 178, 16.

Appono. recens suilla adeps, et ex ovis album misceatur, idque apponatur 153, 25.

Appositus. alumen lana circumdatum, et ita appositum 131, 9.

Apprendo. aliquid relinquatur, quod apprehendere acus postea possit 233, 7. oportet mediam palpebrae cutem apprehendere digitis, ac sic levare 252, 32. apprehendere manu brachium. *v.* Medicus. mucro vel digitis apprehendi, vel forcipe, atque ita educi debet 226, 9. ubi vehementer maxilla apprehensa est etc. 298, 1. ¶ *translate.* etiam illud scisset, *Erasistratus*, nihil omnino ob unam causam fieri, sed id pro causa apprehendi, quod contulisse plurimum videtur 10, 25. idem, *Hippocrates*, alio loco quartum quemque diem, et in utrumque efficacissimum apprehendit 73, 31.

Apprehensus. manus vel pes apprehensus corpus, *infantis*, rectius reddit 265, 6. ab ora vel vulsella, vel hamo apprehensa tamquam habenulam excidere 264, 5. junctae orae inter se suendae sunt, cute utrimque apprehensa 239, 24.

Approbo. oportet iis uti, quae experimentum approbarit 110, 34.

Appropinquans. *v.* Quartana.

Aptatus. cui rei proximus intervalla quoque foraminum aptata sunt 299, 26.

Aptius. *v.* Compertus. aptissime Alexandriam ex Italia itur 99, 11.

Apto. in aeneam cucurbitulam linamentum ardens conjicitur, ea sic os ejus corpori aptatur 50, 21. si vitium in angusto est quod comprehendere modiolus possit, ille potius aptatur 278, 6. *v.* Calamus scriptorius, Caliculus.

Aptus. pridie abstinere debet aeger, ut aptus tali curationi sit 52, 29. stomacho apta sunt quaecumque austera sunt etc. 63, 24. somno aptum est papaver 66, 23. multis modis huic rei cappari aptum est 125, 3. rubrum quoque emplastrum huc aptum est 151, 11 omnibus fatigatis aptum est cibum sumere, eoque humide uti 16, 26. eadem, *caro*, aptior est, si macra, si salsa est 65, 14. potui aptissimum est vinum frigidum 190, 16. *v.* Cibus, Contemplatio, Lavatio, Moderatio, Tempus.

Apud. haec duo, *desidia, et luxuria,* corpora, prius in Graecia, deinde apud nos afflixerunt. Ideoque multiplex ista medicina, neque olim, neque apud alias gentes necessaria, vix aliquos ex nobis ad senectutis principia perducit 2, 4. est etiam apud Hippocratem etc. 73, 28. hoc nomen apud medicos reperi 89, 11. apud magnos chirurgos non reperi 240, 19.

A'πυρος *v.* Sulphur.

Aqua. aqua levissima pluvialis est; deinde fontana; tum ex flumine; tum ex puteo; post haec ex nive, aut glacie; gravior his ex lacu; gravissima ex palude 61, 31. levis pondere apparet; et ex iis quae pondere pares sunt, eo melior quaeque est, quo celerius et calefit et frigescit; quoque celerius ex ea legumina percoquuntur 61, 34. quam optima aqua 209,

AQ

AR

etc. 102, 27. utendum est exercitatione, frictione etc. lecto etiam et conclavi cultiore, usu, loco, ludis, lascivia, per quae mens exhilaretur: ob quae regius morbus dictus videtur 103, 19. in morbo arquato durum fieri jecur, perniciosissimum est 45, 24. periculosum est post arquatum morbum febrem oriri 32, 18.

Arrodo. opus est sinapi imponere per omnia membra, excepto capite, donec arrodantur et rubeant 117, 13.

Ars. vix ulla perpetua praecepta medicinalis ars recipit 10, 39. v. Artifex, Hippocrates, Medicina. Diocles Carystius, deinde Praxagoras et Chrysippus etc. sic artem hanc exercuerunt, ut etiamsi diversas curandi vias processerint 2, 20. aliis rationalem artem, aliis usum tantum sibi vindicantibus 3, 5. quidam medici parum artis esse in observatione experimentorum credunt se, 15. in ullo quidem morbo minus fortuna sibi vindicare, quam ars potest 68, 16. ne si victa ars mala fuerit. v. Homo prudens. scire licet, inter ea quoque quae ars adhibet, naturam plurimum posse 43, 19. quum praecipua in hoc ars sit, quae non annos numeret.. sed vires aestimet 47, 27. crudele est, salutis humanae praesidem artem, non solum pestem alicui, sed hanc etiam atrocissimam inferre 7, 23. alii, *phrenetici*, nihil nisi impetu peccant, alii artes etiam adhibent etc. 87, 16. v. Crimen.

A'ρσενικὸν. v. Auripigmentum.

Artatus, fasciae artatae 216, 39.

Arte. *tumor*, renititur, sicut uter repletus et arte adstrictus 248, 27. reliqua fasciae pars arte circumdatur 251, 38.

Arteria. arteria incisa neque coit, neque sanescit 49, 22. Erasistratus transfuso in arterias sanguine febrem fieri dicit 12, 29. in dextra sinistraque circa guttur. arteriae, quas καρωτίδας vocant, sursum procedentes ultra aures feruntur 226, 7. v. Vulnus ¶ aspera arteria.., spiritum recipit.. ad pulmonem fertur.. dura et cartilaginosa in gutture assurgit; ceteris partibus residit. Constat ex circulis quibusdam compositis ad imaginem eorum qui in spina sunt: ita tamen, ut ea parte exteriore aspera; ex interiore stomachi modo laevis sit 106, 12, 18. ¶ arteriae, Graeci βρόγχια vocant aliquando guttere et arteriis exulceratis frequens tussis sanguinem quoque extundit 217, 33.

Arteriace, v. Catapotium.

Articulus. extremae partes corporis, quae articulis inter se conseruntur 284, 34. modo articuli suis sedibus excidunt 296, 22. maxilla, et vertebrae omnesque articuli, quum validis nervis comprehendantur excidunt aut vi expulsi, aut aliquo casu nervis vel ruptis, vel infirmatis; faciliusque in pueris et adolescentulis, quam in robustioribus 296, 31. qui nervorum vitio prolapsi sunt, compulsique quoque in suas sedes iterum excidunt 297, 4. ut excidere omnes articuli possunt, sic non omnes reponuntur 297, 2. illud ignorari non oportet, plurima ossa in cartilaginem desinere, nullum articulum non sic finiri 274, 14. articuli breviores 301, 37. neque ullus magnos articulos nudatus est 168, 27. si circa articulos majores id evenit 222, 6. si violentiores articuli casus est 297, 21. membra longa quae per articulum longa tenta junguntur 300, 32. potest digiti articulus medius, aut summus canaliculo aliquo contineri 300, 2. articulorum dolores tumoresque, sicut podagra, similibusque vitiis 36, 34. morbi qui in articulis nervisque modo urgent, modo quiescunt 27, 16. articulorum vitia, ut podagrae chiragraeque, si juvenes tentarunt, neque callum induxerunt, solvi possunt 42, 15. articuli cui sic dolent, ut super eos ex callo quaedam tubercula innata sint, numquam liberantur etc. 44, 29. in manibus pedibusque articulorum vitia frequentiora, longioraque sunt.. Ea raro vel castratos, vel pueros ante feminae coitum, vel mulieres, nisi quibus menstrua suppressa sunt tentant 185, 29.

Artifex quamquam multa sint ad ipsas artes proprie non pertinentia, tamen eas adjuvant excitando artificis ingenium 8, 27. eum, si artifex est, idoneum esse, qui non multum ab aegro recedit 72, 42. v. Instrum.

Arundo pessima ex surculis arundo est, quia aspera est etc. optima educit. *surculum*, arundinis radix etc. 169, 24. radicem arundinis succus non, 23. v. Sagitta.

Ascensus. melius ascensus quoque et descensus cum quadam varietate corpus movet 14, 26.

A'σκίτης. v. Aquaintercutem.

Asclepiades. medendi rationem ex magna parte mutavit 3, 8. officium medici esse dixit, ut tuto, ut celeriter, ut jucunde curet 72, 25. multarum rerum, quas ipsi quoque sequuti sumus, auctor bonus 116, 21. medicamentorum usum ex ma-

gua parte sustolit... et ad victus rationem potius omnem curam suam transtulit 139, 8. *v.* Dies.

Asclepios. *v.* Collyrium.

Asia. *v.* Aegyptus.

Asininus. *v.* Lac.

Asius *v.* Lapis.

Aspalathus. 156, 9.

Asparagus. mali succi est 62, 34. acris est 63, 17. alvom movet 65, 21. urinam movet 66, 19.

Asper, asperior, asperrimus. *v.* Arteria, Calculus, Casus, Coercitio, Cibus, Lingua, Medicamentum, Musia, Scabies, Signum, Vinum, Uncus. verendum est, ne, si quid tunc moverimus, fiat aliquid asperius 75, 25.

Asperatus. *v.* Specillum.

Aspergo. aqua super leviter aspergitur 59, 18. Erasistratus tribus vini guttis, aut quinis aspergendam potionem esse dixit 126, 10. polenta vino aspersa 126, 5. polentam ex eo, *vulpino jecinore*, potioni aspergi 216, 4.

Asperitas. *v.* Ephelis.

Aspero. nihil detur quod fauces asperet. 122, 10. *Sed fortasse legendum* exasperet. *v.* Exaspero.

Aspiro. *v.* Involvo.

Aspis. usus ipse docuit, quem aspis percussit, acetum potius bibere debere 171 41.

Aspredo. carcinoma interdum similis iis est, quae Graeci vocant χονδυλώματα, aspredine quadam et magnitudine sua 175, 39.

Aspritudo. aspritudo quaedam similis iis pustulis quae ex urtica, vel ex sudore nascuntur 184, 40. aspritudo calculi 258, 28. linguae aspritudo 254, 22. haec, *aspritudo*, inflammationem oculorum fere sequitur. nonnumquam etiam ex aspritudine lippitudo fit: ipsa deinde aspritudinem auget 198, 25.

Assentior. saepius tamen assentiendum, quam repugnandum est 88, 38.

Assidens medicus. *v.* Inspicio.

Assideo. ille assideat necesse est, qui quod solum opus est visurus est etc. 73, 4.

Assidue. prodest adversus tardam concoctionem assidue vinum frigidum bibere 23, 28. curatio minus iis prodest, in quibus assidue frustra fuit 69, 34. *v.* Dormio, Perfrico.

Assiduus. *v.* Dolor, Fatigatio, Febris, Lippitudo.

Assigno. Hactenus reperiuntur ea genera morborum quae in totis corporibus ita sunt, ut iis certae sedes assignari non possint: nunc de iis dicam quae sunt in partibus 107, 1.

Assisto. valens homo, non imperitus a latere ejus, *mulieris*, debet assistere 265, 32.

Assuesco. quum quis mutare aliquid volet, paulatim debebit assuescere 16, 3. interdum non febris, non cibus, non somnus subsequitur, sicut assuevit 9, 1. medicus ita deligando, assuescere iterum, *os*, vetustae sedi cogit 296, 6. *v.* Delectatio.

Assuetus. famem facilius.. uno cibo, quam prandio quoque assuetus sustinet 12, 13. assueto cibo nihilo minus uti licet 112, 13. demenda assueto cibo pars dimidia 112, 31.

Assumo. modice cibum assumere 103, 12. poma quae immodice plerumque toto die sic assumuntur, ne quid etc. 21, 5. cibum et validum, et fortiter assumere 85, 37. modo plus justo, modo non amplius assumere 13, 7. aut nimio timore aliquis minus, aut nimia aviditate plus quam debet assumit 98, 6. periclitatur et qui semel, et qui bis die cibum continenter contra consuetudinem assumit 15, 29. primo die nullum cibum assumere debet 191, 26. medio die paulum cibi debebit assumere 85, 9. cibum bis die assumere debet 23, 19. cibum modicum, potiones meracas assumere 17, 18. quaedam adjicere vel sorbitioni, vel potioni licet, sic tamen, ut pauca assumantur 103, 33. quo minus fert facile quisquam, *inediam*, eo saepius debet cibum assumere 20, 16. si quis stomacho parum valet, palmulas etc. melius primo cibo assumit 25, 12. cum cibo vini paulum assumere 122, 12 medicamentum utrumque est, *vinum et aqua*, quum invicem assumitur 22, 7.

Assumtus. cibus semel die assumtus ab eo qui bis solet 28, 8. nigrum papaver cum melle assumtum 134, 2. assumta per cibos et potiones maxime dulcia et pinguia 18, 2.

Assuo. extrema pars ejus, *fasciae*, inferioribus assuenda est 264, 36. fascia .. cui imo loco pila assuta est 251, 36.

Assurgo. quibusdam in morbo tumores oriuntur, deinde desinunt, deinde rursus assurgunt 44, 21 *v* Arteria aspera.

Assus. res eadem magis alit.. assa, quam elixa 61, 14 assum aliquid assumere 131, 36, *v.* Caro, Ovum, Sudatio.

A'στήρ. terra samia quae ἀστὴρ vocatur 195, 37.

AT

Asteriace. 24a, 16.

A'σθμα. quum, *spirandi difficultas*, major est, ut spirare aeger sine sono et anhelatione non possit, ἄσθμα appellatur 115, 21.

AT

At. cui cibus acescit, is ante eum bibere aquam egelidam debet, et vomere. At si cui ex boc frequens dejectio incidit etc. 23, 32. *In transitione*. At qui spumantem sanguinem exscreant, his in pulmone vitium est 38, 11.

Ater. *v*. Alvus, Bilis, Color.

A'θέρωμα, atheroma. in capite varia tubercula oriuntur; γάγγλια, μελικηρίδας, ἀθερώματα nominant 228, 2. atheromati subest quasi tenuis pulticula 228, 18.

Athleta. ne his quidem, athletarum exemplo, vel certa esse lex, vel immodicus labor debet 14, 33.

Athleticus. *v*. Cibus, Firmo.

Atramentum. atramentum sutorium, quod Graeci χάλκανθον appellant, sanguinem supprimit 138, 25. reprimit 139, 11. rodit 140, 20 exedit 141, 1. adurit 141. 7. atramentum sutorium candens factum 206, 17. coctum 150, 23. combustum 182, 33. ¶ atramentum scriptorium. inducendum super os atramentum scriptorium est 281, 15. *v*. Sepia.

A'τροφία. *Tabis*, tres species sunt. Alia est qua corpus non alitur; et naturaliter semper aliquibus decedentibus, nullis vero in eorum locum subeuntibus, summa macies oritur etc. A'τροφίαν hanc Graeci nominant 98, 3.

Atque. Atque haec quidem paene perpetua sunt. Quaedam autem observationes desiderant etc. 15, 22. omnia salsa, atque acria, atque acida, pituitam extenuant 63, 22. atque etiam aliorum morborum tum signa nascuntur 38, 40. haec omnia genera maxime oriuntur in pedibus, et manibus; atque ungues quoque infestant 186, 30.

Atrocissimus. *v*. Vivus.

Attendo. cogendus est, *insaniens*, et attendere, et ediscere aliquid, et meminisse 91, 10. si tantum non alit corpus apparet, causam ejus attendere, *oportet* 98, 24. quum vetus quartana raro, nisi vere solvatur; atque eo tempore attendendum est, ne quid fiat, quod curationem impediat 86, 21.

Attero. ambulatio atterendo ulcus sordidum reddit 255, 32.

AT

Attice. *v*. Ochra.

Attineo. cetera quae ad somnum, cibi desiderium, febrem, puris colorem attinent etc. 284, 11.

Attingo est prudentis hominis, eum qui servari non potest, non attingere 159, 5. polypus fere καρκινώδης est; itaque attingi non debet 206, 36. si nervum scalpellus attingit, sequitur nervorum distentio 49, 21. oportet candens ferramentum gingivis admovere, ut attingat leviter, non insidat 240, 33.

Attollo. requirunt etiam quare venae nostrae modo submittant se, modo attollant 4, 20. exigua sub ipsis faucibus lingua est, quae quum spiramus, attollitur; quum cibum potionemque assumimus, arteriam claudit 107, 14. in superioribus palpebris vesicae nasci solent pingues gravesque, quae vix attollere oculos sinunt 228, 36. *v*. E'κτρόπιον. ¶ *translate*. parvam rem attollere. *v*. Histrio.

Attondeo. attondendum caput 204, 39.

Attonitus. Attonitus raro videmus, quorum et corpus et mens stupet. Fit interdum ictu fulminis, interdum morbo: ἀποπληξίαν hunc Graeci vocant 104, 8.

Attonsus. caput attonsum habere 114, 6.

Attractus. uncus... vel oculo, vel auri, vel ori, interdum etiam fronti recte injicitur: deinde attractus infantem educit 265, 8.

Attraho. prodest jejuno prehendere per multas partes cutem, et attrahere 98, 34. cutis extrema quamplurimum attrahenda 256, 30. si vulnus hiat, neque in unum orae facile attrahuntur etc. 163, 13. neque ex imis auribus, neque ex medio naso etc. quidquam attrahere tentabimus 239, 15. attrahatur spiritu is succus, donec in ore gustus ejus sentiatur 206, 18.

Attritus. ubi attritum aliquid est 169, 9.

Auctor. antiqui auctores 139, 3. veteres auctores 104, 16. vetustissimus auctor Aesculapius 1, 7. priores auctores. *v*. Affirmo. auctores ex populo 115, 14 Asclepiades multarum rerum... auctor bonus 116, 21. locuples ejus rei auctor Hippocrates est 287, 20. clari admodum auctores 302, 24. longe clarissimi auctores 2, 6. summi auctores 69, 3. Heraclides auctor est, adverso scalpello subsecare etc. 231, 4. auctoresque multi sunt, inflatis vesicis pulsandos tumores esse 97, 4.

Auctoritas. non dubitabo auctoritate antiquorum virorum uti, maximeque Hippocratis 26, 2. *v*. Derogo.

AU

Auctus. aucta ambulatio atque esca alvum solvit 20, 10.

Aucupium. minima inflatio fit ex venatione, aucupio etc. 64, 22.

Audacia. promta ad omnem audaciam mens 92, 41. *v.* Psyllus.

Audacter. audacter imprimere ferramentum debet 276, 29. audacius et tutius scalprum malleolo medicus subinde ferit 279, 24. *v.* Balneum.

Audax. loquacitas solito audacior 38, 42.

Audio. *v.* Auris. vulgo audio etc. 335, 10. ubi gravius aliquis audire coepit 204, 29. neque audiendi sunt, qui numero finiunt, quoties aliquis perfricandus sit 55, 6. is propter imbecillitatem jam non audit 33, 36.

Avello. neque si percusso ventre id, *omentum*, prolapsum forfice praeciditur, quum et emortuum sit, et tutius avelli non possit, huc exemplum transferendum est 253, 13.

Aversus. vel adversus in sedili contra medicum is collocandus est, vel sic aversus, ut in gremium ejus caput resupinus effundat 329, 31. homo sapiunm eum et aversum comprehendit 257, 21. vulnus digitis, vel averso specillo diducendum 263, 27.

Averto. avertitur interdum sanguis, ubi alia parte prorumpens, alia emittitur 49, 15. neque ignoro quosdam dicere, quam longissime sanguinem inde, ubi laedit, esse mittendum: sic enim averti materiae cursum 49, 6. nomo cucurbitulam diversae parti imponit, nisi quum profusionem sanguinis eo avertit 51, 2. avertendus materiae aditus est per ea cataplasmata etc. 180, 13. quae urinam movent, si id consequuta sunt, in aliam partem humorem avertendo, prosunt 129, 23.

Aufero. calor somnum aufert 24, 28. in morbo qui plus virium aufert, celerius cibus dandus est 72, 29. ante caput, deinde reliqua pars auferatur 265, 29.

Augeo. quum febris instet, incipiat, augeatur etc. 76, 13. si febris in noctem augetur 262, 19. orae scroti suturis inter se committendae; neque paucis, ne parum glutinentur .. neque multis, ne inflammationem augeant 251, 7. est etiam circumspecti hominis et novare interdum, et augere morbum 82. 5.

Aviditas. aut enim nimio timore aliquis minus, aut nimia aviditate plus quam debet assumit 98, 6.

Avis. scire oportet, omnem grandem avem generis valentissimi esse 59, 37. in media materia numerari aves omnes a minimis ad phoenicopterum 60, 4. ex iis quae in media materia sunt, valentiores eae quae pedibus, quam quae volatu magis nituntur; et ex iis quae volatu fidunt, firmiores quae grandiores, quam quae minutae sunt; ut ficedula et turdus 60, 22. quae in aqua degunt leviorem cibum praestant, quam quae natandi scientiam non habent 60, 25. pingues minutae aves .. aves quae natant alvum movent 65, 23. alvum adstringunt minutae aves, merula, palumbus, magisque si in posca decoctus est; grus, omnes aves quae magis currunt, quam volant 66, 3. ex avibus colla alaeve recte infirmissimis annumerantur 62, 5. aves duriores minime intus vitiantur 65, 11. aves macrae 124, 25.

Aura. cavere auras fluminum atque stagnorum 34. 9.

Aurata *v* Piscis.

Auricula. auricularum dolores 27, 19.

Auripigmentum. auripigmentum, quod *ἀρσενικὸν* Graeci nominant, reprimit 139, 12. purgat 139, 23. rodit 140, 15. exedit 140, 25. adurit 141, 7. crustas ulceribus inducit 141, 18.

Auris. In aure primo rectum ac simplex iter, procedendo flexuosum, juxta cerebrum in multa et tenuia foramina diducitur, per quae audiendi facultas est 270, 21. aurium usum proximum a luminibus natura nobis dedit 222, 2. solet evanire vel protinus a natali die, vel postea facta exulceratione, deinde per cicatricem aure repleta, ut foramen in ea nullum sit; ideoque audiendi usu careat 238, 1. aures summae.. mediae ... imae 239, 15, 18, 19. aurium inflammationes doloresque interdum etiam ad dementiam mortemque praecipitant 202, 4. auris dolor acutus, cum febre continua vehementique, saepe mentem turbat 39, 8. aliud vitii genus est, ubi aures intra seipsas sonant. Atque hoc quoque fit, ne externum sonum accipiant 205, 4. Ubi aures, in viro puta, perforatae sunt, et offendunt. 238, 14. *v.* Cortus, Vermis. aures in febre obtusae 43, 13. frigidae languidaeque aures, et imis partibus leniter versae 33, 21. aures purulentae 208, 30.

Aurum. *v.* Color, Dens.

Auster. Auster aures hebetat, sensus tardat, capitis dolorem movet, alvum solvit, totum corpus efficit hebes, humidum, languidum 28, 12. ubi gravius coelum Austri reddiderunt 22, 17. quum haec in omni pestilentia facienda sunt, tum in

ea maxime quam Austri excitarint 25, 5. Austro flante 25, 5.

Austerus. acidae res et austerae corpus extenuant 18, 8. omnia austera alvum adstringunt 66, 14. *v.* Malum, Vinum.

Aut. omne auxilium corporis aut demit aliquam materiam, aut adjicit, aut evocat, aut reprimit, aut refrigerat, aut calefacit, simulque aut durat, aut mollit 47, 1. *et passim.*

Autem. Haec autem non omnium tantum morborum, sed etiam secundae valetudinis communia praesidia sunt 59, 27. nec quidquid autem intentionem animi et prudentiam exigit, protinus ejiciendum est 47, 26. *et passim.*

Αὐτόπυρος. triticum cui nihil demtum est, quod αὐτόπυρον Graeci vocant 60, 23.

Autumnalis. *v.* Quartana, Tempus.

Autumnus. Autumnus longe periculosissimus est 26, 16 per autumnum propter coeli varietatem neque sine veste, neque sine calceamentis prodire oportet, praecipueque diebus frigidioribus, neque sub dive noctu dormire, aut certe bene operiri 20, 38 venus per autumnum tolerabilior est 21, 10. vix quidquam ex his, *morbis aestivis*, in autumnum non incidit; sed oriuntur quoque eo tempore febres incertae etc. neque aliud magis tempus pestilentiae patet, cujuscumque ea generis est. idemque tempus et diutinis malis fatigatos, et ab aestate etiam proxima pressos interimit, et alios novis morbis conficit, et quosdam longissimis implicat, maximeque quartanis, quae per hiemem quoque exerceant 27, 22. *v.* Tempestas. senes aestate et autumni prima parte optime valent 29, 2. *v.* Phthisis, Resolutio nervorum. autumnus medius. *v.* Premo.

Auxilium. etiam imperitissimae gentes herbas, aliaque prompta in auxilium vulnerum morborumque noverunt 1, 3. optimum auxilium 200, 20. praesentissimum 80, 36. commune auxilium adversus omnes aurium casus, jamque usu comprobatum 203, 36. idque auxilium, *cucurbitula*, ut minus vehemens, ita magis tutum, neque umquam periculosum etc. 51, 8. nec potest vehementi malo, nisi aeque vehemens auxilium succurrere, 51, 13. ego utique si satis virium est, validiora; si parum, imbecilliora auxilia praefero 103, 11. inulae radix. inter valentissima auxilia est 135, 6. sive levior, sive vetustior casus est, vel supervacuum, vel serum id auxilium est, *sanguinis missio* 221, 18. satius est anceps auxilium experiri, quam nullum 48, 20: miserum auxilium tolerabile miseriae malum fecit 102, 13. miserum, sed unicum auxilium his, *renibus*, exulceratis sunt cucumeris semina etc. 125, 16. neque minus in abstinentia et alvi ductione saepe auxilii est 191, 20. si in his auxilii parum est 110, 23. sive id incidit, sive durities est, in hac, *cucurbitula*, auxilii nihil est 221, 19. si, *oculus*, raptus jam foras procidit, sine auxilio est 192, 15.

Axis. *v.* Scamnum.

Ἄφθαι. longe periculosissima ulcera sunt quas ἄφθας Graeci appellant; sed in pueris: hos enim saepe consumunt. In viris et mulieribus idem periculum non est. Haec ulcera a gingivis incipiunt; deinde paulatim totumque os occupant: tum ad uvam faucesque descendunt: quibus obsessis, non facile fit ut puer convalescat 209, 29.

Ἀχάριστον. *v.* Collyrium.

BA

Bacca. bacca hederae 207, 42. baccae lauri 207, 40. et 93, 24. myrti baccae 132, 17.

Baculus. valida bacula 302, 33. *v.* Egeo.

Bajae. *v.* Sudor.

Βάλανος. *v.* Glans.

Balbutio. *v.* Explico.

